DISSERTATIONES

PHILOLOGICAE HALENSES.

VOL. V.

HALIS SAXONUM.

MAX NIEMEYER.

MDCCCLXXXIII.

INDEX DISSERTATIONUM.

J. SCHMIDT:

DE SEVIRIS AUGUSTALIBUS.

ARGUMENTUM.

Explicantur notae, quibus fere usus sum ad libros nonnullos significandos:

Egger I	=	*Egger*, Examen critique des historiens anciens de la vie et du règne d'Auguste Paris 1844. append. II. Recherches nouvelles sur l'histoire des institutions municipales chez les Romains. p. 357 ss.
Egger II	=	*Egger*, Nouvelles observations sur les Augustales, in: Revue archéolog. année III, p. 635 ss. 774 ss.
Zumpt	=	*Zumpt*, De Augustalibus et seviris Augustalibus. Berol. 1846.
Marquardt	=	*Marquardt*, Ueber die Augustalen, in: Zeitschrift f. Altertumswissensch. 1847. n. 63—65.
Henzen aut *H.*	=	*Henzen*, Ueber die Augustalen, in: Zeitschr. f. Altertumswissensch. 1848, n. 25—27 et n. 37—40.
Or.	=	*Orelli*, Inscriptionum Latinar. selectarum amplissima collectio vol. I. II.
Or.—H.	=	ejusdem libri vol. III curav. Henzen.
annal.	=	*annali* } dell' instituto di corrispondenza archeologica.
bullett.	=	*bullettino* } dell' instituto di corrispondenza archeologica.

Cetera compendia nota sunt.

§ 1.

Praefatio.

Sicut nostra aetate civium societas non est moles una et indigesta, sed natu, vitae ratione, quaestu, opibus homines inter se differunt atque in genera quaedam et complures ordines divisi sunt, idem valuisse apud omnes omnium temporum nationes a fera agrestique vita ad humanum cultum civilemque deductas nullo docente nobis persuasum erit. Atque apud Romanos quidem cum in ipsa urbe qui fuerint civium ordines scriptorum narrationibus variis atque uberrimis satis commode disci possit, contra municipiorum[1]) et Italiae et provinciarum qualis fuerit in hac re condicio quaerentes librorum testimonia nonnullis in locis plane deficiunt. Quibus angustiis succurrunt tituli, quos „sive negligere sive aspernari cum omnino turpe esse rerum Romanarum studioso" periti dudum docuerunt, tum vel maxime ad interna civitatum instituta ac totum societatis civilis statum cognoscenda summi esse momenti non minus notum est. Jam vero in titulis Latinis ut ordo municipalis secundus vel medius inter decuriones et plebem Augustales sive sexviri Augustales, de quibus scriptores uno excepto Petronio altum tenent silentium, imperatorum aetate sexcenties commemorantur, ut qui his studiis vacant et titulos curant, ad Augustalitatis vim ac rationem explorandam rei gravitate omissa ipsa horum titulorum multitudo excitare debuerit. *Seviri Aug. prope solum in titulis inveniuntur.*

Itaque iam pridem non defuerunt, qui hanc quaestionem attingerent[2]), sed accuratius ac data opera ante hos fere triginta annos a doctis hominibus illa tractari ac disceptari coepit. *Qui quomodo de seviris prius egerint.*

[1]) Semel dictum volo hoc vocabulum in commentatione mea fere usurpatum esse sensu generaliore, ut praeter caput omnes imperii Romani civitates eo significentur.

[2]) vid. Marquardt 500 adn. 2 et Rö. Statsverw. 513 adn. 2.

Enimvero primus Eggerus in appendice libri de scriptoribus rerum ab Augusto gestarum compositi[1]) de Augustalibus disputavit ac sane nonnulla bene enucleavit. Deinde A. W. Zumptius[2]) quasi de integro quaestionem instituit et titulorum copia plenius adhibita atque exhausta et in rebus gravissimis adversatus Eggero. Cui sic occasionem dedit rei retractandae, qua ita ille quidem usus est, ut adversarii sententiae haud pauca acute neque illepide opponeret, suam firmaret.[3]) Tum utriusque censuram egit Marquardtus in rebus controversis Eggero plerumque adstipulans novisque argumentis suffragans.[4]) Postremo in arenam prodiit Henzenus nova gravium testimoniorum copia instructus[5]). Qui quamvis in plerisque Zumptii magis quam Eggeri et Marquardti partibus se adgregaret, tamen via ac ratione inquirendi — dico regionum ac temporum diversitatis diligenter ratione habita — neque minus documentorum ubertate priores adeo superavit, ut ipsos adversarios in suam sententiam perduceret[6]) et controversiam ad tempus componeret.

Quaestionis retractatione opus est.

Neque tamen iam conclamatum est de Augustalitate, etsi certamen inde ab eo tempore fere cessavit. Etiam Marquardtus cum in universum accommodaverit suam sententiam Henzenianae, tamen declarat compluribus in locis quaestionem nondum ad finem perductam esse. Accedit quod interea titulorum huc pertinentium moles non solum succrevit, sed imprimis corporis inscriptionum Latinarum septem voluminibus editis magnam partem digesta et in ordinem redacta atque falsatorum spurcitiis purgata ad novam contentionem et ipsa videtur excitare. Ceterum etiam Henzenus pronuntiavit, si documentis suis non potuisset adversariis persuadere, exoptandum esse, ut ei dubitationes suas rursus aperirent. Nam tantum interesse

---

[1]) Recherches nouvelles sur l'histoire des institutions municipales chez les Romains. Les Augustales. in : Examen critique des historiens anciens de la vie et du règne d'Auguste. Paris 1844. p. 357—411.

[2]) De Augustalibus et seviris Augustalibus comment. epigraphica Berol. 1846.

[3]) Nouvelles observations sur les Augustales, in Revue archéologique, année III p. 635—48. 774—790.

[4]) Zeitschr. f. Altertumsw. 1847 no. 63—65.

[5]) Zeitschr. f. Altertumsw. 1848 n. 25—27 et n. 37—40.

[6]) certe Marquardtum cf. rö. Statsverw. 513 adn. 2.

quaestionem illam difficillimam, quoad eius fieri posset, ad finem perduci[1]). Quare necessitate scribendi imposita ad hanc ipsam quaestionem denuo excutiendam adcinctus sum. Nec me deterruerunt a proposito meo difficultates antea mihi ignotae sed mox obviae. Quas ut mihi videar omnes expedivisse multum abest. Contentus ero, dummodo ei, quibus si non displiceat dissertatio mea, summum mihi videbitur laboris praemium, non prorsus frustra me operam impendisse sint iudicaturi. Inter quos etiam sunt nonnulli, qui consilio doctrina libris commodatis multifariam in opera mea mihi subvenerunt. Ii propterea, quod nominatim hic eis gratias agere omisi, nolint ingratum me existimare. At enimvero timebam, si hoc fecissem, ne quis suspicaretur idcirco nomina illustria in opusculi mei fronte me infixisse, ut inde in illud reluceret aliquid splendoris, quo per se ipsum careret.

De fontibus verbum addam. Corpora inscriptionum, quotquot nostra aetate prodierunt secundum oppida et provincias composita, religiose me exhausisse periti, spero, non negabunt. Aemiliae Umbriae Piceni Etruriae corpus quod mihi nondum praesto fuit E. Bormannus, penes quem merito est huius rei iudicium, nimis me dolere vetuit, quia his locis fere defuissent permagna oppida, in quibus Augustalitatis institutum ad singularem perfectionem potuisset excoli. Ceterum non solum titulos harum regionum iam typis expressos ut inspicerem, verum etiam schedas suas, qua est liberalitate, ut de nonnullis consulerem mihi permisit. Maius detrimentum commentationi meae inde putes obortum esse, quod corpus oppidorum Romae vicinorum nondum perfectum est. At ibi quaecunque primum in lucem prodeunt graviora, in actis et annalibus instituti archaeologici mox publici iuris fieri solent. Ceterum quae iam prius erant publicata ad Augustales pertinentia, ab Henzeno in collectione sua[2]) maximam partem comprehensa et ad censuram vocata sunt. Ergo existimo de hac quidem re ex corporis perfectione multum novae cognitionis non esse redundaturum. Harum igitur regionum titulos ipse utcunque potui undique collegi, collectos Fontes.

[1]) p. 193.
[2]) Orelli-Henzen III, p. 426 ss.

secundum oppida disposui. Quo in negotio unum alterumve me fugisse, tantum non graviores, ipse persuasum habeo et candide profiteor.

Dispositio.

Materiam vero totam ita disponere e re visum est ut primo loco quaeratur, qui fuerint Augustales et quem ad modum constituti, altero, quo tempore et unde originem ceperint. Ceterum fusius agam solum de rebus gravissimis eisque, in quibus opinio, quae nunc valet, mihi videtur aut repudianda aut certe immutanda; leviores et de quibus quod novum afferam non habeo aut obiter tangam aut plane omittam.

Caput primum.

De sevirum Augustalium notione et statu.

Pars generalis.

§ 2.

De sevirum Aug. notione.

Seviri sacerdotes Augusti.

Quod igitur quaeritur, quid sit Augustalitas, qualis fuerit Augustalium ratio vel condicio, id fere semper inter omnes constitit, ad imperatorum cultum hoc institutum municipale spectasse et Caesaris Augusti venerationi illos proprie fuisse destinatos. Atque hanc, quamdiu exstitit Augustalitas, semper mansisse propriam illius notionem et verum fundamentum inde sequitur, quod sub exitum saeculi p. Chr. tertii, cum christiana religio regnum nancisci inciperet, una cum ceteris cultibus et sacerdotibus paganis etiam Augustales videntur evanuisse. Praeterea disertum huius rei documentum continetur titulo sepulcrali Puteolano I. N. 2527: .. *Q. Insteio Diadumeno Augustali: coluit annis XXXXV* . . . Unde apparet etiam anno 176 p. Chr. n., quo in eodem lapide Q. Insteius dicitur decessisse, cultum habitum esse munus primarium cum Augustalium honore coniunctum. Nec vero minus in eo omnes consentiunt ex isto munere tantum eis affluxisse honoris, ut in modum collegii constituti de reliqua plebe mox secernerentur et ut alter ordo satis conspicuus, quamvis primo inferior, decurionibus se

ordo municipalis.

adiungerent. Itaque saepissime in titulis inveniuntur Augustales seu seviri in medio positi inter decuriones et plebem vel etiam ordo Augustalium cum primo ordine coniunctus. Satis habeo in praesenti ad tabellam exemplorum ab Eggero compositam [1]) legentes revocare, cum longum sit neque multum expediat sexcenta quae possum enumerare.

§ 3.

Controversia quae est de primordiis sevirum Aug. exponitur.

Quomodo quaestio recte sit exprimenda.

At enimvero utrum a principio collegia Augustalium plus minusve frequentia sint constituta cum magistratibus et reliquo quem novimus collegiorum apparatu, an primo non exstiterint nisi nescio quot sacerdotes annui, ex quibus paullatim collegia quoquo modo evaderent, haec magna fuit inter homines doctos controversia. Non quo his verbis fere sit expressa vel in hanc ipsam formam hucusque redacta res controversa; sed cum omnino notum est, quantopere intersit ad recte respondendum, ut quaestio recte proponatur, tum mox apparebit, in hac ipsa caussa quantum nocuerit, quod id, de quo agebatur, non satis acute comprehensum et pronuntiatum erat. Qua re hoc loco protinus ita ut debet quaestionem exprimendam esse ratus sum.

Differuntne inter se seviri et Augustales?

Egger-Marquardt.

At sane redit illa ad alteram vel maxime adhuc a viris doctis agitatam, eam dico, numquid intersit inter seviros et Augustales, quae duo nomina [2]) his de quibus agitur Augusti cultoribus in titulis fere tribuuntur, et quaenam intercesserit utrisque necessitudo. Namque Eggerus et Marquardtus Augustales eosdem esse rati ac magistros Larum Augustorum ex vicomagistrorum urbanorum imitatione, ut arbitrantur, ortos — Eggerus, inquam, ac Marquardtus seviros et Augustales nisi nomine inter se differre negant; immo ubique sex sacerdotes Augusti primo institutos esse, hic sexvirum vel sexvirum Augustalium, illic Augustalium nomine denotari solitos, eosque munere annuo functos, nisi ad honores municipales posthac accederent, ordinem Augustalium fecisse, seu sevirales seu

[1]) I, 384 s.

[2]) Quaestio num etiam differant seviri et seviri Augustales infra tractabitur. Hoc loco eam omitto.

Zumpt. Augustales seu Augustalicios nominatos.[1]) Contra Zumptius vetuit ille quidem seviros cum Augustalibus tali modo confundi; immo hoc nomen collegiorum fuisse ad sodalium Augustalium exemplum in municipiis constitutorum, seviros autem primitus dictos esse eorum magistros, quos ipsi sibi quotannis praefecissent.[2]) Tamen idem Zumptius adversariis aliquid concedere coactus est: nam cum in Galliae Narbonensis titulis vidisset non commemorari nisi seviros, Augustales autem prorsus desiderari, in his sane regionibus seviratu Augustales munus suum auspicatos et ordinem Augustalium ex seviralibus compositum esse quin perspiceret facere non potuit.[3])

Henzen. Denique Henzenus licet Eggeri Marquardti sententiam iudicarit per se ipsam esse Zumptiana probabiliorem[4]), tamen neutri utique nomen suum subscripsit, sed novam viam eamque mediam inter illos sibi ineundam esse censuit. Sic enim lex in universum rerum antiquarum studiosis iam pridem probata, in singulis saepe neglecta, ut locorum ac temporum in titulorum usu ratio habeatur, praecipere ei visa est. Namque cum seviros (sive seviros Augustales) in nonnullis regionibus solos reperiri iam Zumptius animadvertisset, Henzenus e schedis, quibus uti potuit, ad corpus inscriptionum regni Neapolitani condendum a Mommseno iam tunc comparatis didicit in maiore parte Italiae inferioris quae dicitur e contrario non exstare nisi Augustalium titulos. Ac vere his regionibus seviros defuisse eo certius adfirmari posse opinatus est, quod ibi alii deprenderentur Augustalium magistratus — quinquennales curatores quaestores — qui deessent ubi seviri commemorarentur. Contra in mediae Italiae municipiis plerisque atque in Germania Helvetia Dalmatia Dacia seviros et Augustales simul inveniri, in Italia superiore et in Hispania quibusdam oppidis omissis eandem fere fuisse

---

[1]) Eggerus I 380—82 satishabuit hanc sententiam breviter adumbrare, Marquardtus, cum Zumptius Eggero interim respondisset, ad eam accuratius exponendam p. 506—508 adductus est.

[2]) p. 55 s. cf. p. 17.

[3]) p. 73 s. cf. Marq. 507.

[4]) *„ire sonst so ansprechende hypothese“* p. 205. *„ich gestehe gern, dass Hrn. Marquardts ansicht ansprechender sein würde, wenn sie mit den gegebenen facten übereinstimte.“* 307.

Augustalium condicionem docuit atque in Gallia Narbonensi. Iamiam inde concludit, cum in Galliis Cisalpina Narbonensi, Hispania Augustalium ordinem a seviris originem cepisse Eggero Marquardto concedendum sit, in regno Neapolitano hanc opinionem re ipsa excludi. Atque in media Italia (Germania Helvetia Dalmatia Dacia) Augustalium collegia a seviris quidem esse recta, sed non omnes Augustales seviratu functos esse. Hunc vero Augustalium statum saepius praedicat non solum ut perfectissimum, verum etiam ut solitum et antiquissimum.[1] Unde patet, id quod insuper aperte profitetur[2], Henzenum revera ad Zumptianam sententiam magis inclinasse quam ad contrariam.[3] Sed argumenta, quibus confirmetur, primitus seviros non fuisse nisi magistratus Augustalium, me apud eum non invenisse hic statim moneo. Nimirum mutationes factas esse pristini Augustalium status in paucis tantum Galliae Cisalpinae oppidis probare conatus est. Hanc vero Henzeni sententiam Marquardtus, cum quaestionem denuo tractaret, fere totam adoptavit. Nec minus Wilmannsius, quatenus ex ordine, quo indicem ad Augustales spectantem disposuit, augurari licet, istam sequi videtur.

§ 4.

Transitur ad controversiam examinandam.

Iam aggrediamur ad opiniones hominum doctorum, quas breviter exposui, examinandas. Ac primum quidem perquiramus, num revera diversus fuisse dicendus sit status huius sacerdotii in eis regionibus, ubi sexviri vel sexviri Aug.[4] soli reperiuntur, et in eis, in quibus non existunt nisi Augustalium

---

[1]) 200: *„dieses als ursprünglich vorausgesezte verhältnis.“* 212: *„die form der Augustalkörperschaften, die wir nach Hrn. Zumpts vorgang als die eigentlich regelmässige, wenigstens als die volständigste anerkant haben.“* 307: *„da ich aber in den Sevirn ursprünglich in der tat beamte der Augustalen sehen muss.“*

[2]) p. 199. 212.

[3]) cf. etiam 212, ubi a coloniarum pontificibus numerum sexvirorum derivari vetat, *„weil die sevirn nur vorsteher der Augustalen sind.“* (correxi in his manifestum typothetae erratum).

[4]) De opinione eorum, qui etiam seviros Aug. a seviris nude dictis differe statuerunt, quomodo iudicemus, infra quidem exponemus, ad hanc autem quaestionem nihil attinet.

tituli. Quo facto videbimus, quaenam in eis oppidis, quorum proditi sunt et seviri et Augustales, utrorumque condicio ac necessitudo fuerit. Priusquam autem initium faciamus examinis, paucis adumbremus oportet secundum fontes post Henzeni de hoc argumento commentationem admodum auctos atque digestos, quibusnam in provinciis oppidisve uno nomine, aut Augustalium aut sevirum, notentur hi de quibus res est Augusti sacerdotes, et ubi potissimum et Augustalium et sevirum simul in titulis fiat mentio.

Ubi Augustales soli inveniantur.

Atque Augustales quidem proprios esse titulis in Bruttiis Lucania Calabria Apulia Campaniae maxima parte repertis iam Henzenus animadvertit. Sed uti in Bruttiis Regium excipiendum esse constat, utpote cuius in titulo qui huc facit uno sevir Augustalis commemoretur, ita etiam Eburo Lucaniae oppido an potius seviri Augustales sint attribuendi perquam dubito.[1]) Neque minus in titulo Aeclanensi Apuliae I. N. 1163 IIIIII virum ab editore falso restitutum esse pro certo haberi nequit. Puteolis autem, cuius urbis circiter quindecim exstant Augustalium tituli, in uno vel duobus etiam seviros commemorari constat.[2]) Contra inscriptio I. N. 121 quin Ostiae, non Salerno vindicanda sit non est dubium.[3]) Deinde solos Augustales praebent tituli

[1]) Nam etiamsi nolis plane adsentiri Mommseno, qui supplens in I. N. 189, 14 . . *sevir*]*IS S. AVGVSTALIB. HS XII N.* interpretatus est: seviris singulis Augustalibus, tamen Henzeni quoque opinioni, litteras *IS* reliquias esse verbi *singulis* et alterum illud *S* nihil nisi lapsum lapicidae, obstat quod praeterea in hoc ipso titulo invenitur *sing.* non scriptum omnibus litteris, et *singulis* verbo *Augustalibus* antepositum est contra morem alias in hoc titulo observatum. Neque vero sufficit quod Henzenus affert ad rationem suam probandam, cum ceterorum illarum regionum oppidorum usu Augustales tantum convenire. Nam ita saepius continuam seriem oppidorum, ubi non exstent nisi aut Augustales aut seviri, videbimus interrumpi uno alterove, cuius tituli ab hac norma recedant. (v. c. in Hispania.) Qua de caussa vereor, ne rectius cum Henzeno alterum quidem illud *S* quadratario vitio vertamus, sed litteras *IS* seviris cum Mommseno suppleamus. Quamquam *sing.* post *Augustalib.* etiamtum requiri candide profiteor.

[2]) I. N. 2468. Boiss. VI, n. XXXVIII. Sed alterum exemplum non premo ductus ratione ab Henzeno p. 206 allata.

[3]) cf. Henzen. ad Or. 4106. et annal. 1851, 157.

oppidorum Hispanorum Tucci Peñaflor Urgavonis [1]) et Lusitaniae omnes uno vel duobus exceptis. [2]) Eodem nomine in titulis Africanis quattuor vel quinque, in quibus Augustalium fit mentio, ei semper nuncupantur. Neque aliter se habent tituli huc pertinentes perpauci, qui ex Asia et Achaia innotuerunt, excepto uno Patrensi III, 503. Tum titulis Moesiae adhuc satis raris et Daciae multo frequentioribus [3]) atque Pannoniae superioris Emona Scarbantia Carnunto oppidis omissis nulla sevirum, sed solum Augustalium continentur testimonia.

Contra seviri sive seviri Augustales soli reperti sunt in Hispaniae maxima parte, in Galliis et Narbonensi et Lugdunensi [4]), in Germania, Helvetia, in uno, qui ad Augustales spectat, Britanniae titulo. Porro hoc loco laudandi sunt tituli Italici decimae regionis atque undecimae inde ab Altino vel Patavio occidentem versus usque ad Augustam Taurinorum, nisi quod *seviri et Augustales* in nonnullis eorum commemorantur. Denique tituli Aemiliae, quotquot mihimet adhuc innotuerunt, Augustalium rarissime mentionem faciunt. Ubi seviri soli exstent.

Restant igitur, in quorum titulis et seviri et Augustales reperiantur, tria Hispaniae oppida: Vivatia Astigi Italica, tum Dalmatia et Pannonia inferior, porro Istria et Venetia usque ad Altinum (quamquam seviri — maxime Aquileiae — multo sunt frequentiores), deinde Augusta Taurinorum, Segusio et complura Ubi et seviri et Aug. reperiantur.

---

1) Nam Ipolcobulcolensis II, 1643 rectius mihi videtur restitutus esse a Mommseno *Au[g(usti)n.]* quam a Huebnero, qui *Au[g(ustalis)]* nomini putat esse propositum ut *Aug. perpetuus* in titulis Olisiponensibus 183. 196. cf. Mommsen. act. Berol. '61. p. 735.

2) Nam de titulo Emeritensi II, 495 vide quod adnotavit Huebnerus a Mommseno monitus. (cf. p. 52) At ut vera sit tradita tituli lectio, huius coloniae condicione singulari satis explanatur, cur etiam in hac re ab Olisipone differat. — In titulo Balsensi II, 13. seviratus nomen usurpari non est quod miremur, si quidem illa urbs cum in maris litore frequenti tum in confinio prope Baeticae sita fuit, ubi seviri saepissime deprehenduntur. — At non est silentio praetermittendum, septem qui restant Lusitaniae titulos Olisipone ad unum omnes erutos esse.

3) E. gr. Sarmizegetusae 17 habemus Augustalium titulos.

4) excepto L. Silenio Regino Aug. Boiss. VI, n. XXXIII = W. 2506, de quo infra agetur.

oppida regionis nonae, tum Samnium et nonnulla oppida Campaniae. Neque etiam Umbria Etruria Picenum Latium quominus hoc numero habeantur intercedam. Sed harum regionum tituli, in quibus singuli homines Augustales appellentur, sunt perrari. Nam inter oppida, quae quasi huc spectarent composuit Henzenus p. 213, ipse addidit complura esse, quorum adhuc non essent noti nisi Augustales ordo. At ordinem hoc nomine significari potuisse in eis quoque oppidis, ubi singuli homines tantum seviri Aug. appellantur, idem Henzenus concessit.[1]) Verumtamen omnino Augustalium tituli ex istis regionibus usque ad hunc diem tam multi non sunt noti, ut plena certitudine hic possimus iudicium facere. His recensum meum absolutum volo: quicunque singula accuratius velit cognoscere, adeat vel nunc vel in posterum corporis inscriptionum indices, qui diligenter vel sunt concinnati vel posthac concinnabuntur.

§ 5—10.

Qualis sit sevirum Aug. status, ubi nomen *sevirum* solum reperitur.

§ 5.

Sexviri sacerdotes ad tempus facti sunt collegiorum origo.

Iam ut queamus diiudicare, num cum diversitate nominis etiam formae ac rationis horum collegiorum diversitas fuerit coniuncta, primum videamus, qui fuerit eorum status ibi, ubi socii solum *sexviri* appellantur. Atque senos quidem viros in illis insignem habuisse locum ac vere sacerdotii munere functos esse, eisque proprie nomen sevirum deberi, et inde collegiorum originem omnino ducendam esse ipso nomine elucet. Enimvero alioquin, qui potuerit corpus hominum multorum sevirum nomine denotari, difficile est intellectu. Itaque simul constat non in perpetuum sed in tempus circumscriptum ab initio illud munus deferri solitum esse, ita ut sacerdotio perfuncti in communem sevirum ordinem transirent. Nam quod sevirum

---

[1]) p. 213. Corrigas ibi: es ist gar nicht undenkbar etc. cf. II, 4511.

nomen sex sacerdotibus primitus proprium de ordine Augustalium in usum venit vel, ut accuratius dicam, quod omnino ortus est huius nominis ordo, aliter, ut mea fert opinio, explicari nequit.

Zumptii commentum refellitur.

Zumptius quidem, cum in universum statuisset maiora Augustalium collegia a principio in municipiis condita esse, quae seviros sibi praefecissent magistros, commentus est, quae antea fuissent Augustalium corpora, in collegia sevirum ita saepe transisse, ut, qui antea fuissent Augustales, omnes fere seviratum per vices adepti et propterea, qui postea ad Augustalitatem adspirassent, protinus a seviratu munus suum auspicati essent.[1]) Sed talem Augustalium exstinctionem vix posse probari iam Marquardtus demonstravit.[2]) Nam Zumptius ipse docuit decurionum decreto semper novos Augustales factos et ita collegia suppleta esse; et certe non intellegeremus, cur non ei saltem, quos Zumptius dicit a seviratu munus auspicatos esse, aliquanto ante in collegium Augustalium essent recepti, nimirum si vera esset illius de Augustalitatis primordiis opinio. Accedit quod nulla deprehenduntur in harum regionum titulis antiquioris, qualem Zumptius statuit, collegiorum Augustalium status vestigia. Eam vero rationem, qua Narbone in collegium libertinorum seviratu maximam partem non functorum nomen sevirum translatum esse Herzogius[3]) coniecit, data opera refellere supersedeo. Nam vix erit, qui istam quidem probet, neque per se probabilem et mere arbitrariam, nullis documentis instructam.

Augustalium insignia seviratu fere acquiruntur.

Ceterum per seviratum solum ad ordinem sive in collegium Augustalium introitum patuisse alia quoque deliberatione firmissime conficitur. Etenim infra docebo munera publica satis gravia ut ludos, epulas, operum publicorum dedicationes, summae honorariae solutionem cum seviratu proprie dicto coniuncta fuisse, contra ordinis socios communiter oneribus fere liberos iuribus tantum et emolumentis Augustalitatis usos esse. Simul autem evincetur haec iura manifesto intellegenda esse tamquam insignia atque honores eis, qui seviratus muneribus fungebantur, proprie convenientes ac deinde perfunctis ex more volgari per

---

[1]) p. 73 s. [2]) p. 507. [3]) p. 198 s.

omne vitae tempus inhaerentes, itaque tamquam pro praemio habenda esse ista munera sequente.

Seviratus iteratur.

Iam vero temporarium fuisse seviratum proprie dictum quamquam eis quae dixi satis luculenter apparet, insuper etiam documenta diserte testantur. Dico primum titulos, in quibus iterum vel saepius idem homo hoc munus traditur gessisse. Mihi haec fere exempla praesto sunt:

1. .. [M. Eg]natius ... IiiiI vir August. III [1]	II, 1062 Arvae rep.
2. L. Aufilienus [Ab]ascantus VI vir II Cla. et Aug.	V, 4008 Avione rep., fortasse Veronensis.
3. Ti. Claudius Auctus VI vir. Aug. et iter. d. d.	V, 4405 } Brixienses.
4. .. L. Appio Aphobeto VI vir. Aug. II gratuito	V, 4480 } Brixienses.
5. .. agio L. l. ... vir. II bi . Bon. . . gius L. l. . . vir II b. . . . Med.[2])	V, 5909 Mediol.
6. M. Valerius Sabinus VI vir Aug. II .. M. Valerio Probo VI vir. Aug. M. Valerio Phoebo VI vir. Aug. II [3]	Orell. 3922. Trebulae.
7. .. Faustus Titius Liberalis VI vir. Aug. iter.	Wilm. 64 a Interamnae.[4]
8. L. Vettius L. l. Eros Maior sevir iter. Augusta[l] prim. . . .	Wilm. 2048 Aquini.
9. .. Oppius Valen... Aug. III [5]	Torremuzza 24, 8. Cephaloedii in Sicilia.[6]

[1]) Mommsenus ad h. t. pro III *T. F. I.* scribi mavolt; fortasse recte, nam *Aug.* III praeterea non invenitur nisi in n. 8, de quo cf. not. 5.

[2]) Ita, opinor, supplendus: [*VI*] *vir(o) bi*[*sell(iario)*] *Bon*[*oniae*] ... [*VI*] *vir II b*[*isell(iarius)*] *Med*[*iolani*] ...

[3]) Hoc II postea insertum est.

[4]) a. 32 p. Chr. positus.

[5]) Muratorius p. 202, 3 habet *Aug. II* et dubitat, an pro II *sibi* sit scribendum. In hoc quidem certe errat. Torremuzza l. l. qui lapidem ipse vidit adfirmat: ... nitidissime in eo legi *Aug. III* : Au-

Namque de exemplo 8 non adsentior Henzeno, cum dicat in bull. 1858, p. 72: „non sarei molto contrario, se . . taluno volesse riferir quell' *iterum* all *Augustalis primus* anzi chè al *sevir*. . ." Immo istum honorem Augustalis primi semper in perpetuum videri delatum esse neque titulum Norensem Or.-H. 7112 huic sententiae obstare infra demonstrabitur. Ceterum etiam titulum Firmanum Or.-H. 7126 hic essem laudaturus, nisi ibi aut cum Genarellio[1]) pro *VIII vir bis* scribere *sibi* aut cum Mommseno bisellüarium intellegere mihi satius videretur.

§ 6.
Seviri Aug. perpetui.

Tum etiam inde, quod compluribus in titulis inveniuntur *seviri* Aug. perpetui, manifestum est seviratus honorem in universum non esse perpetuum sed ad tempus demandatum. Atque de hac re paullo altius repetam oportet, quae quidem maxime sit idonea ad illustrandum, qua ratione sevirum collegia orta atque exculta et Augustalitatis institutum, quod sex viris solis olim constabat, in eam formam, quam posthac invenimus, mutatum sit.

Primum titulos, qui huc pertinent, proponam, Hispanos omnes praeter unum Norensem:

1. . . L. Iunius Puteolanus VI vir Augustalis in municipio Suelitano d. d. primus et perpetuus	II, 1944 Suel.
2. L. Iunio Notho VI vir Aug. perpetuo	II, 2022 Anticariae.
3. C. Sempron[io C. lib.] Nigellioni VI vir. Aug. in col. Patric[ia item] in municipio Singil. VI vi[r. Aug.] perpetuo d. d. municipi [mu]nicipum Singil. . .	II, 2026 ibid.

---

gustalis tertio. Ac sane in universum, quae ille hoc loco praebet, magis sapiunt veritatem.

[6]) Tituli Olisiponensis II, 181: . . . *C. Julius C. Julii III Augustalis* . . . melius duxi hic omnino mentionem non facere cf. Huebn. ad h. t.

[1]) bull. 1839. p. 60.

4. . . VI vir Aug. p[e]rp[et]uus [d. d.][1])	II, 2031 Osquae.
5. Theopompo seviro Aug. primo aedil. iuris in perpet.[2]) . .	II, 4061 Dertosae.
6. . . M. Favonius Callistus Augustalis primus Aug. perpetuus d. d.	della Marmora, voyage en Sard. II, p. 491 n. 60.[3]) près de ruines de Nora.

De notione seviratus perp.

Iam quid sibi vult iste seviratus perpetuus? Quem cave ita interpreteris, quasi qui tali honore adficiebantur de sex verorum Augusti sacerdotum locis unum per omnem vitam suam obtinuerint. Nam cum hoc seviratu proprio munera haudquaquam exigua utique erant conexa. Quorum etsi raro cuidam homini de civitate meritissimo decreto singulari veniam dare decuriones poterant, tamen in multos annos unum de sex locis quasi creare immunem salus rei publicae eos vetuit, itaque animum inducere non potuerunt. Nec vero magis, cum certe paucis tantum viris egregiis ob munificentiam, puto, eximiam seu ob alia merita hic honos seviratus perpetui videatur decerni, ut seviratus onera in perpetuum sufferant, eorum, qui decernunt, decurionum mens esse potest. Immo seviratus insignia atque honores ut retinerent oneribus fere liberi eis concessum esse nemo erit qui non consentiat. Quo loco inde oboritur difficultas, quod revera omnino omnes, qui seviratu functi sunt, cum in ordinem Augustalium transeant, honores sevirum videntur retinere, quin etiam ea ipsa tota videtur huius ordinis ratio et origo.

Sententia Mommseni.

Quam ad difficultatem tollendam attinet, quod Mommsenus adnotavit ad II, 2026: „seviros perpetuos eodem modo inter Augustalium ordinem eminuisse ut in oppidis Africanis flamines perpetuos inter viros flaminales.“ Ac de horum quidem diversitate quid iudicaret Mommsenus[4]) nobiscum communicavit O. Hirschfeldius ann. 1866 p. 54, ubi: „Il Mommsen“, inquit,

---

[1]) Haec fere constant in titulo admodum corrupto.

[2]) Hoc exemplum iure huc referri demonstrabo.

[3]) = Or.-H. 7112 Wilm. 2192.

[4]) Etenim quod nuperrime sententiam suam retractavit, eph. epigr. III p. 82, cum multo post C. II editionem factum sit, ad hanc quaestionem nihil attinet.

„suppone che i *flamines Augusti* furono eletti per un anno, e che, terminato questo, si chiamassero, facendo parte del tempio come sacerdoti quasi inattivi (altpriester) *flamines perpetui* e componessero un collegio: nega inoltre del tutto l'esistenza dei flamini annuali, e ritiene i flamini senza aggiunte identici coi flamini perpetui." Nequaquam igitur putat flaminales re fuisse a flaminibus perpetuis diversos ita ut flamonii honores omnino non retinerent neque ad collegium illud flaminum perpetuorum pertinerent. Tum enim certe non essent comparandi cum seviris. Immo vult utrosque inter se fere non discrepasse nisi nomine; nimirum nomen flaminis perpetui visum esse honorificentius.[1]) Iam eandem necessitudinem etiam seviris (vel seviralibus) cum seviris perpetuis intercessisse, ut igitur hi, quamvis nomine honoratiore uterentur, tamen re non essent nisi primi inter pares — huic sententiae equidem plane adsenserim.[2]) At restat nihilominus explicandum, unde mirum[3]) huius rei nomen originem traxerit. Quo loco opportunum duco in disceptationem adducere alias duas difficultates, quas, licet primo obtutu ab hac quaestione videantur alienae, tamen mox perspiciemus una cum illa atque eodem modo esse solvendas. Restat difficultas.

§ 7.

Sexvir et Augustalis, altera difficultas.

Primum enim in eis potissimum regionibus, ubi Augustales simpliciter dicti ceteroquin inveniuntur nulli, saepe commemorantur s e x v i r i e t vel e i d e m A u g u s t a l e s. Neque modo totus ordo ita significatur, scilicet ut seviros fungentes crederes cum functis comprehendi, — id quod nihil haberet admirationis, sed etiam singulis hominibus hoc nomen tribuitur. Iuvat exempla componere[4]):

[1]) Haec est etiam opinio Hirschfeldi l. l. p. 55.

[2]) Verumtamen monendum est, ut flamines perpetui saepissime obvii sint, ita seviros perpetuos rarissime commemorari.

[3]) Nam certe habemus quod miremur, cum utrumque genus revera aeque sint perpetui, unum tantum seviros perpetuos nominari.

[4]) Ut ita titulos graviores quamvis quam maxime liceret contractos transscriberem, exemplo Mommseni, quod dedit in commentatione de apparitoribus olim edita, (rhein. mus. VI. 1848 p. 3 ss.) adductus sum.

Exempla recensentur.

1. T. Aretius T. C. L. l. Apiolus IIIIvir idem Augustalis . . . . . . V, 2523 Ateste.
2. .. L. Blandius C. f. Vot. IIIIvir et Augustalis et flaminalis . . . . . V, 5132 Bergomi.
3. .. L. Minicius Severus VI vir et Aug. . . . . V, 5248.
4. .. L. Minici Exorati VI viri et Aug. . . . . V, 5298.
5. C. Publicius Carpophorus VI vir et Aug. . . . . V, 5301.
6. .. C. Publici Philonis VI vir. et Aug. . . . . V, 5302.
7. .. L. Alfi Severiani VI vir. et Aug. V, 5276.
8. .. C. Cassii Thalli VI vir. et Aug. Comi. . . . . V, 5284.
9. .. VI] vir et Aug. . . . . . . V, 5288.
10. C. Messio Fortunato VI vir. et Aug. . . . . V, 5295.
11. .. L. Romatius Trophimus VI vir et Aug. Com. VI vir Mediol. . V, 5303.

(3–11: Comi.)

12. .. o Hisponum l. [sev]iro et August .. V, 5496.
13. T. Annius Niphetus VI vir et Aug. .. V, 5611.
14. M. Aemilius Nasonis l. Litus VI vir et Aug. . . . . V, 5837.
15. .. Faustus VI vir et August. qui inter primos Augustales a decurionib. Augustalis factus est . . . . V, 5859.
16. ... M. Novellio P. VI vir et Aug. V, 5874.
17. M. Petronius Philomusus VI vir sen. et Aug. . . . . V, 5879.
18. P. Valerio P. libert. Palat. Tacito VI viro seniori et Augustali . V, 5895.
19. M. Valerius M. f. Secundinus VI vir sen. et [Aug.][1] . . . . V, 5688.

(12–19: Mediolani.)

[1]) „sine dubio corruptus.“ Mommsen p. 636.

20. .. M. Mascarpius Symphorio VI vir sen. et Aug. c. d. d. ornam. dec. ab ord(ine) splendid. m. M. honor.	V, 6349.	Mediolani.
21. .. C. Atilius Parthenius VI vir et Aug.	V, 6505.	Novariae.
22. .. P. Valerio Nilo .. VI vir. et Augustali	V, 6516.	Novariae.
23. .. P. Ateroni P. lib. Chresti VI vir. et Aug. s. c. d. d. . . .	V, 6518.	Novariae.
24. .. Q. Terentius Trophimus sexvir et Augustalis	V, 6599.	Novariae.
25. Q. Octavius Heraclides sexvir iun. et Aug.	V, 6665.	Vercellis.
26. .. M. Attius Patrobius vestiarius tenuarius [V]I vir et Augustal. ob honorem Augustal. . . .	V, 6777.	Eporediae.
27. .. Anici Eutychetis VI viri et Aug.	V, 6787.	Eporediae.
28. P. Epitano P. P. l. Pal. Optato VI vir. et Aug.	V, 6792.	Eporediae.
29. .. C. Sulpicio Severo .. VI vir et Au[g.]	V, 7455.	opp. inc. inter Tanarum et Padum.
30. C. Lollio C. lib. Pal. Agraulo VI vir. et Aug.	V, 7486.	Industriae.
31. T. Aebutio T. l. Leonae VI vir. et Aug.	V, 7496.	Industriae.

Ut hanc tabulam reddam perfectam, addam continuo exempla quae restant eorum oppidorum, ubi praeter seviros etiam Augustales reperti sunt. Ceterum videbimus haec non aliter atque reliqua esse explicanda.

32. P. Sertorio P. l. Tullo patrono VI viro v. f. P. Sertorius P. l. Largus VI et Aug. . .	V, 7545.	opp. inc. ad Spignum rep.

33. .. L. T. Fruend[i] patron[i] IIIII vir. et Aug. . . . . . V, 828.
34. .. L. Valeri Nymphodot. VI vir. et d. d. Aug. ... C. Stati Heuret. VI vir. et d. d. Aug. . V, 832.
35. .. C. Petronius Felix IIIII vir et Aug. . . . . V, 1004.
36. .. L. Octavius Callistus VI vir et Aug. Aquil. . . . . . V, 1758.

(33–36:) Aquileiae.[1])

37. P. Fabio P. f. Sca. Pudenti IIIII vir. et Aug. mun. patrono et P. Fabio P. l. Verecundo fil. Augustali P. Fabius P. l. Philetus IIIII v. f. V, 1765 Foro Iulii.
38. .. P. Anteius P. Antei Syri l. Herma IIIII vir. et Aug. .. (p. Chr. 54) III, 1947 Salonae.[2])
39. .. T. Velli Ones. IIIII vir. et Aug. Emon., IIIIII vir Aquil., Aug. Parent. .. III, 3836. Emonae.

Agmen claudant hi septem tituli:

40. Q. Badusius Q. l. Delphicus VI vir et VI vir Aug. Pisauri . . . . Or. 1802. Pisauri.
41. .. L. Vicrius Cypaerus sexvir et sexvir Augustalis . . W. 2125 (= Or. 3931) Arimini.
42. Q. Poblicius Modestinus sevir et Claud. . (Marini, atti II, 533 =) Or. 2493. Bononiae.
43. C. Baburius Melissus VI vir et [Fl]avialis V, 7018. Augustae Taurin.
44. .. centumviri et seviri et Augustales[3]) et municipes intramurani . . . Wilm. 2080b (= Or. 3706) Veiis.
45. .. dec. HS. XX n. se[vi]r. et Aug.[3]) HS. X n. ple[be]i HS. IIII n. dedit . . I. N. 6157. Interamnae Praetutt.

---

[1]) Tituli Aquileienses dubites an rectius inter priores recenseantur. Nam seviri Aquileiae inveniuntur in quinquaginta fere titulis, Augustales non praebent nisi V, 8296. 8301. 827, quorum duo sunt corrupti, tertius 827 propria explicatione indiget.

[2]) Vides errasse Zumptium, cum diceret: „nec facile extra Italiam superiorem VI viri et Augustales inveniantur." p. 65.

[3]) Crediderit quispiam hic discrimen factum esse inter *seviros* ut sacerdotes annuos tunc ipsum fungentes et *Augustales* ordinis socios. Sed hic ordo significetur oportet. Constat autem ex permagno

46. .. ordo seviralium et Augustalium .. *in aversa:* .. dedit decur. et VI vir. et Augus. [denar.] IIII dendrophor. [denar.] III .. populo [denar.] I (p. Chr. 197.) Or.-H. 7101 = W. 2077. Verulis.

Iam Zumptius quidem in hac formula: *VI vir et Augustalis* non diu videtur haesisse[1]). Putat enim seviros, Augustalium magistros, modo ex collegiatorum numero, qui maximam partem fuissent libertini, modo e ceteris municipibus electos esse. Inter hos autem haud paucos fuisse ingenuos, qui seviratu defuncti in ordinem Augustalium non intrarent, sed per hunc honorem ad munera decurionalia accedere cuperent, aut expleto iam Augustalium numero aut quod eis opibus uterentur, ut et decurionatum et seviratum possent sustinere[2]). Quam ob rem ut ab eis discernerentur, quibus aut iam antea ordinis Augustalium sociis seviratus obtigisset aut per ipsum seviratum introitus in ordinem esset patefactus, illos *seviros*, hos *seviros et Augustales* esse nominatos. De hac Zumptii sententia Henzenus p. 210 et 301 ita verba facit, ut quamvis pronus ad illam probandam tamen, num plane sit vera, subdubitare videatur. Sed in p. 310, quidquid scrupuli antea ei resederat, radicitus evellit, ita ut nunc illam certe rectam iudicet atque aptissimam ad plerasque difficultates facile dirimendas[3]). Contra Marquardtus licet ipse nihil proferat ad istam formulam *sevir et Augustalis* probabiliter explicandam, tamen Zumptii opinionem sagaciter ille quidem impugnat.[4]) Etenim additamentum illud *et Aug.*, si vera esset explicatio Zumptiana, nihil ait futurum fuisse nisi testimonium, eum, cui tribueretur, postea maiores honores non assecutum esse.

Sententiae priorum: Zumptii.

Henzeni.

Marquardti.

---

similium titulorum numero, cum ordinem Augustalium significare necesse sit, fere non seorsum dici seviros usque quaque fungentes et ceteros Augustales.

[1]) p. 62 ss.

[2]) ibid. p. 65.

[3]) „.. *sevir et Augustalis*, über dessen bedeutung im gegensaz zu dem blossen *sevir* hr. Z. troz hrn. Marquardts gegenbemerkungen noch das warscheinlichste vorgebracht haben möchte.“ 210; „.. *sevir et Augustalis*, welche formel selbst noch nicht mit aller nötigen sicherheit erklärt ist.“ 301.

[4]) p. 511.

At tale quid ullum fuisse ultro indicaturum et per se parum esse probabile et ab Romanorum usu plane alienum. Longe diversum esse, si maior dignitas nomini adiceretur. — Hanc Marquardti dubitationem, quam sibi non esse sublatam etiam in eiusdem materiae retractatione indicavit [1]), sagacissimam, ut dixi, et iustissimam, ut silentio praetermittamus vel in medio relinquamus fieri non potest. Moneo, id quod nemo nescit, qui erant ex quinque decuriis, quotae adscripti essent, nunquam in titulis expresse pronuntiasse, nisi in unam de prioribus essent lecti, utpote quae essent honoratiores.

Novae dubitationes.

Praeterea contra Zumptium ego animadverto, nomen *seviri et Augustalis* deprehendi etiam in urbibus ubi ingenui seviratum suscipere omnino non sunt dignati. Nam Aquileiae quod inter sexaginta, vel Salonis quod inter viginti fere seviros seu Augustales, de quibus in titulis memoriae proditur, ingenuum invenimus nullum, casui ne tribuant prudentes cavebunt. Etiam Industria et Emona in hoc numero videntur habendae esse. Neque minus fuerit memoratu dignum, quod inter *seviros et Augustales* sunt etiam duo viri nobiliores, ingenui ac tribui rusticae uterque adscripti, quorum unus flaminalis, alter municipii patronus praeterea adpellatur. (n. 2 et 37.) Videmus igitur etiam homines non inferioris notae et quibus ad summos honores aditus pateret, istum titulum non esse aspernatos, immo Augustalium ordini studiose et expresse se adnumerasse.

§ 8.

Augustalis c. d. d., tertia difficultas.

Tertia difficultas non levioris momenti, quam una cum duabus hactenus expositis duximus expediendam esse, ex his fere titulis oritur:

Documenta proponuntur.

1—4. = p. 16 ss. n. 15. 20. 23. 34.

5. .. M. Statius Nig[er] VI vir Aug. c. d. d. V, 5465. } Mediolani.
6. .. Q. Audasius Acmazon VI vir Aug. c.[2]) d. d. Mediol. et Foro Popilii . V, 5749. } Mediolani.

[1]) Statsverw. I, 519. n. 9.

[2]) sic priores auctores meliores; Mommseno G „visum est."

7. .. Q. Atilius Eutyches VI vir Aug. c. d. d. orna[m.] d[e]c. . . . . V, 5844.
8. .. largit(us) est [A]ug. c. d. d. HS. C ... Aug. c. d. [d.] . . . . V, 8922.
} Mediolani.

9—11. = p. 18 s. n. 44. 45. 46.

De eorum interpretatione.

Mommsenus quidem illas litteras *c. d. d.* (n. 2. 3. 5. 6. 7. 8.) — quae quo modo melius possint solvi quam, ut ille fecit: *creatus decurionum decreto*, egomet non video — ad totam formulam *sexvir et Aug.* vel *sexvir Aug.* rettulit [1]. Sed tituli n. 1. 4. 8. certissime mihi videntur postulare, ut in omnibus, quos modo proposui, non de seviratu sed de Augustalitate a decurionibus delata agi statuamus. Nam cum in his tribus non de seviris sed solum de Augustalibus ab ordine decurionum creatis testimonium inesse negari nequeat [2]), etiam ceteros nimirum simillimos ad eorum normam intellegendos esse vix erunt qui non concedant. Atque nescio an ita etiam sublatum dici possit, quod Mommsenum movit, ut genus dicendi horum titulorum castigaret. Dicit enim, „*creatus decurionum decreto*, hoc displicere, cum nihil proprium *creati* vocabulo adiciatur“ [3]). At, maxime in n. 5. 6. 7. non *seviri (et) Aug.* dicuntur decurionum decreto creati, sed *seviri* videntur dici *Augustales* creati esse (cf. etiam n. 4). Simul sequitur ut adversemur coniecturae Mommseni, qui, quod in seviris iunioribus talia additamenta non occurrunt, illos non tam decreto decurionum quam alio modo, puta cooptatione, creatos esse suspicatus

---

[1]) V p. 636.

[2]) Hoc quidem, ut par est, Mommsenum non fugit. Quin etiam eo progressus est, ut ex titulis Aquileiensibus n. 4. et V, 827 (in quo duo homines nominantur alter *sexvir*, alter *Augustalis d. d.*) concluderet „alterum — dico Augustalis — officium solum iniunctum esse ordinis decreto.“ At mox mihi concedes aliam fuisse caussam, cur illud *d. d.* in his titulis *Augustalis* nomini expresse adiceretur. Seviri autem cognoscemus fieri non potuisse quin a decurionibus ubique eligerentur.

[3]) Ceterum Mommsenus etiam eo offendi potuit, quod omnino illud *creatus d. d.* in his paucis titulis adiectum est, quoniam omnes seviros a decurionibus factos esse — omissis iunioribus Mediolaniensibus (cf. V, p. 1198. Hermes XIII, 118 adn. 4.) et seviris Aquileiensibus (cf. adn. 2.) — in universum non negat.

est. Namque ad seviro creandos, ut iterum dicam, istae formulae omnino non spectant. Haec de titulorum interpretatione sufficiant.

Quid vero? Nonne eidem valent ad sententiam de ordinis Augustalium origine supra expositam, unde tota haec disputatio exorsa est, labefactandam vel evertendam? Nam cum ibi seviratus administratione Augustalitatem acquiri docuerim, hic speciali decurionum decreto Augustales factos esse discimus. Quid? An tamen obtinebit Zumptius Augustales quidem, ordinis socios, a decurionibus lectos esse, sed seviros, ordinis magistros, deinde ipsos sibi praefecisse?[1] vel Henzenus, Augustalium collegia a decurionibus primum instituta ab eisdem deinde seviros praefectorum loco accepisse?[2] Nonne titulus Verulanus n. 11 nec minus Veiens et Interamnas n. 9 et 10 clare testantur collegia, de quibus agimus, composita fuisse et ex seviris sive seviralibus et ex Augustalibus, i. e. in eis etiam fuisse, qui seviratu non essent functi?[3])

Hic iuvat adnotare, Henzenum a titulo n. 1 imprimis profectum duas huius instituti mutationes Mediolani factas statuisse.[4] Cum enim primo ibi Augustalium collegium hoc ipso nomine adpellatum exstitisse ex illo titulo appareat[5], temporis spatio interiecto seviros ac seviros Augustales institutos, postremo autem altera mutatione facta seviros seniores et iuniores discretos esse dicit.

§ 9.

Difficultates expositae solvuntur.

Quomodo sevirum Aug. ordo natus sit.

At iam satis superque difficultatum cumulavimus. Agedum accingamur ad eas solvendas. Qua in re ad totius instituti primordia redeamus oportet. Principio enim, qui seviratum deponebant, aeque ac magistri vicorum Romae etiam ornamenta seviralia deposuisse et in privatorum ordinem plane redisse censendi sunt. Sed mox tam aequum quam utile visum est etiam ultra muneris terminum seviralibus honores prorogare.

---

[1]) p. 20 ss. et p. 58 s. [2]) p. 301—304.
[3]) Henzen p. 199. [4]) p. 212.
[5]) cf. etiam titulum n. 8, qui Henzeno tunc nondum erat cognitus.

Aequum dico — nam quod ad spectacula edenda seviros obligatos fuisse constat [1]), ubique in imperio Romano moris fuit eis, qui munera ludosve edidissent, quaedam iura, praecipue locum insignem in theatro, in posterum concedere. Ut alia testimonia omittam, in memoriam revoco titulum Campanum I, 571: *Pagus Herculaneus scivit . . conlegium seive magistri Jovei compagei s(unt), utei in porticum paganam reficiendam pequniam consumerent . . . uteique ei conlegio seive magistri sunt Jovei compagei locus in teatro esset tam quasei sei ludos fecissent.* [2]) — Nec minus utile visum est, nimirum quo ambitio excitaretur ac libentius subirentur seviratus onera non mediocria. Ergo ne longus sim, decuriones primum paucis eisque, opinor, qui munificentia praeter ceteros in seviratu excelluerant, ut etiam munere deposito sevirum iura atque insignia partim retinerent, concesserunt eo consilio, ut et praemio ipsorum merita remunerarentur et successores ad parem contentionem stimularent. Atque in Hispania quidem et in Sardinia, qui ita honorati sunt, *sexviri Aug. perpetui d. d.* appellabantur. Brevi vero haec ratio percrebruit, inveteravit, ad omnes seviros manavit. Unde ordo Augustalium natus est. At eos, qui semel receperant *seviri Aug. perpetui* nomen honorificum, id retinuisse etiam cum vis nomini primum insita iam defecerat, non est quod miremur. Nec video, quid impediat, quominus exempla adhuc reperta ad tempora remotiora revocanda esse statuamus. Nec vero magis fieri non potuit, etiam postquam cunctis seviris perfunctis seviratus ornamenta in perpetuum permittere iamdudum in usum venit, ut nomen *sevirum perpetuorum* decerni pergeret eis, quibus eximium inter socios locum adsignare decuriones in animo haberent. [3])

Quomodo postea seviri perp. a ceteris discrepaverint.

---

[1]) vid. quae de hac re infra exponam.

[2]) Fusius de hac re Mommsenus egit I, p. 159, ad quem legentes revoco.

[3]) Similiter igitur de hac re iudico atque O. Hirschfeld. ann. 66, 55 de diversitate *flaminalium* et *flaminum perpetuorum:* „Se ci si presentano dunque flamini assoluti ed un flamonio precisamente detto annuo, altro non possiamo che supporre, che quei terminato l'anno, rientravano come flaminali nella vita privata, e che non si accordavano, almeno nei tempi piu remoti, a tutti

Nomen sevir et Aug. explicatur.

Iam eadem ratione nomen *seviri et Augustalis* explicandum esse quis est qui non videat? Quo loco monendum est, in Hispania (et Sardinia), ubi habemus *seviros Aug. perpetuos*, illud nomen numquam usurpatum esse, contra in eis regionibus, ubi *sexviri et Aug.* abundant, *seviros Aug. perpetuos* deprehendi nullos. Quod uti concurrit ad comprobandum utrique nomini fere eandem subiectam fuisse notionem, ita inde simul manifestum est horum nominum diversitatis caussam a diversarum provinciarum consuetudine repetendam esse. Nempe in Gallia Cisalpina, Dalmatia, Pannonia cet. ei, quibus primum decuriones seviratu defunctis honores seviralicios in perpetuum decreverunt, ad id indicandum verba *et Augustalis* vel etiam solemnius *et d. d. Aug.* titulo suo adiecerunt.[1]) Atque haec appellatio semel usu recepta fortasse usurpari non plane desiit, etiam cum omnes seviri munere peracto in ordinem Augustalium solerent transire. Certe enim posteriore aetate legibus municipiorum, ut mea fert opinio, adiectum est caput in hunc fere modum compositum, „uti II vir aedilis praefectus huius coloniae municipive quicunque futurus esset, quotannis tempore constituto decuriones cogeret et cum duae partes decurionum non minus adessent de Augustalibus referret.“ Tum puto *seviros* anni praeterlapsi rite *Augustales* creatos atque insignia seviralia in perpetuum eis decreta esse. Eis autem, qui liberalitate imprimis se praetulerant, honores singulares, puta ornamenta decurionalia vel aedilicia, vel bisellium vel honorem Augustalis primi tunc maxime addiderunt. Quo in negotio cum formis verbisque solemnibus procul dubio uterentur, facile comprehendimus, quomodo etiam in vita communi quamvis re mutata

Aug. c. d. d.

---

i privilegj riserbati ai flamini perpetui.“ At ego hoc loco praecise duxi definiendum, primo *seviros perpetuos* solos privilegia seviratus ultra muneris administrationem retinuisse, postea omnino omnibus *seviris* privilegia fuisse concessa, ergo istam perpetuitatem expresse adtributam mutatam esse in honorem solius nominis. Accedit quod dixi eam fortasse non esse decretam nisi aetate antiquiore.

[1]) Sic igitur explicandum est, quod illud *d. d.* non *seviri* sed soli *Augustalis* nomini nonnunquam expresse adiectum est. (cf. V, 832 et Mommsen. praef. ad tit. Aquileiens. — vid. supra p. 21 not. 2). Ut autem seviri a decurionibus fierent, mos communis erat et ab initio exercitatus.

tamen durare potuerint antiqua nomina. Neque vero necesse fuit hoc nomen antiquari vel fieri contemptum propterea quod in nonnullis oppidis[1]) ingenui seviratu gesto ad honores publicos accedebant ideoque seviri titulum additamento *et Augustalis* non augebant. Nam quicunque conabantur Augustales libertini nudo sevirorum titulo adoptato nobiliores istos aequare, plerumque nominis ratione ut verae condicionis ita vanitatis convincebantur. Itaque plurimos titulo legitimo eoque proprie honorifico acquievisse arbitror, veluti Mediolani, ubi nudum seviri nomen ingenuis fere reservabatur, libertini inter seviros nude dictos non reperiuntur nisi pauci.[2])

Ceterum secundum ea, quae hactenus exposui, mirum non videbitur, quod quotiescunque imperatori posteriori seviri dicati sunt, etiam haec ratio ordinis socios appellandi revixit. Nam eos, qui munere annuo fungentes vel Claudii vel Vespasiani cultum praecipue curaverant ideoque ab eis nomina traxerant, etiam cum in ordinem transirent, non *Augustales* ex more solito appellari sed ista nomina retinere consentaneum erat. Ergo hos non *seviros et Augustales* sed *seviros et Claudiales* vel *Flaviales* decuriones creaverunt. Quem titulum, cum novus esset atque inauditus, alias quoque potuerunt saepius usurpare, etiamsi nomen *sexviri et Augustalis* fortasse iam obsolevisset, saltem in vita communi. Itaque habemus p. 18 sub n. 42 *sevirum et Claudialem* et sub n. 43 *sevirum et Flavialem*. Enimvero illi tituli, in quibus *sexviri et Augustales* commemorantur, quamvis id non sit necessarium, tamen possunt ad aetatem antiquiorem plerique pertinere.[3]) Atque de nonnullis id certo constat. Verbi caussa titulum 2, in quo homo ingenuus ac flaminalis nomen *sexviri et Augustalis* sibi vindicat, ab aetate Augustea haud procul abesse cognominis defectus dilucide arguit. Videtur autem in illa formula particula *et* magis magisque omissa esse, id quod postea fuit omnino usitatissimum.

sevir et Claudialis, Flavialis cet.

[1]) Ceterum nisi Mediolani haec nominum discrepantia demonstrari nequit.

[2]) Ac noli oblivisci dum munere funguntur omnibus nudum seviri nomen aequaliter convenisse.

[3]) Quamquam Mediolani saltem *sexviri sen. et Aug.* etiam ad posteriorem aetatem videntur pertinere.

Certe Mediolani *sexviri et Aug.* et *sexviri Aug.* sunt eodem numero. Conferas etiam titulos p. 20 s. n. 5. 6. 7. Quo factum est, ut in plerisque oppidis desinerent nomine separari sacerdotes annui et ordinis socii sacerdotio annuo pridem defuncti. Nam *seviri Augustales* etiam illi multis in locis sine discrimine vocabantur.

VI vir et VI vir Aug.

Praeterea hinc opinor lucem subnasci titulis, quos nondum tetigi, difficillimis Pisaurensi et Ariminensi p. 18 n. 40. 41. Namque coniecerim ut alibi (inquam Mediolani) ita etiam in his oppidis, cum necesse esset inter sacerdotes annuos et communes ordinis socios distinguere, illos *sexviros*, hos *sexviros Augustales* appellatos esse. — Quamquam alioquin etiam hic promiscue utrosque *sexviros Aug.* dictos esse negare nolo. — Quodsi cupiebant expressis verbis indicare aliquem primum seviratu functum, deinde ordinis socium factum esse, certe potuerunt *sexvirum et sexvirum Augustalem* eum vocare. Minime enim facio aut cum eis, qui magistratum publicum vel sacerdotium municipale priore illo *sexvir* significari putant [1]), aut cum eis, qui ita hanc formulam explicant, ut eosdem et sexviros Augustales et sexviros alius cuiusdam collegii magistros fuisse dicant.[2]) Illi enim coniecturae, praeterquam quod argumentis destituta est, etiam libertina illorum virorum condicio obviam est; alteri rationi obstat, quod de *seviris* ut alius cuiusdam collegii magistris nihil aliunde accepimus eaque de caussa, ubi nude commemorantur definitione accuratiore non adiecta, sexviri Augustales notissimi quin intellegendi sint dubitari nequeat.

Sententia proposita et Marquardti et Zumptii postulatis satisfacit.

Denique igitur, ut hoc iterum premam, verbis *et Augustalis* seviri nomini adpositis proprie continetur incrementum honoris: quo statuto tollitur dubitatio a Marquardto de hac formula prolata. Nec vero minus eiusdem formulae originem ad ea tempora revocavi, quibus seviratu functi nondum eo ipso omnes fiebant Augustales. Itaque etiam Zumptio satisfeci.[3])

---

[1]) cf. Orelli ad 3931.

[2]) Borghes. bull. 1842. p. 109. Furlanetto, lapidi Patavine 1847 cf. Henzen p. 316.

[3]) p. 62 ss. cf. p. 63: „nam certe non diceretur Titus Apiolus *sevir idemque Augustalis,* nisi nonnumquam accidisset, ut qui VI vir esset, non esset Augustalis.“

Postremo eam quoque, quam supra tertio loco proposui, difficultatem, quisquis perlegerit quae hactenus exposui iam ipse sibi explicaverit. Etenim Augustales corporatos ante seviros exstitisse vel in Augustalium collegiis non paucos fuisse, qui seviratu non essent functi, ad id comprobandum tituli ibidem communicati omnino nihil possunt. Immo praebent nobis nomen priscum atque solemne in quibusdam regionibus usitatum eorum, qui seviratu administrato insignia et iura sevirum in perpetuum nancti ordinem Augustalium faciebant. At dixerit fortasse quispiam, posse tamen illos titulos ita intellegi, quasi ante seviratum gestum isti homines *Augustales* a decurionibus creati sint. Cui respondeo tum utique scribendum fuisse: *Augustalis c. d. d. et* vel *idem sexvir* vel etiam *idem eorum sexvir* vel tale aliquid aliud. Nam sic fere collegiorum socii, qui honoribus posthac in eis functi sunt, titulos suos semper componunt. Id quod eis qui titulos norunt non est cur demonstrem. Quod vero illud in his titulis nunquam reperitur, certissime concludimus Augustalitatem per seviratum vel accuratius post eum fere acquisitam esse. Ceterum etiamsi per se possemus hos titulos in istam sententiam interpretari — quod minime concedo —, tamen non liceret propter ea quae supra exposui. Atque ex titulo Verulano p. 21. n. 11 non omnes *Augustales* fuisse *sevirales* Henzenus iniuria collegit.[1]) Scilicet utrum dicatur, ut fere assolet, *sevir* an paullo accuratius *seviralis et Aug.*, ad formulae notionem nihil interest. Immo quod ad hanc rem attinet, in titulum Verulanum idem quadrat iudicium atque in Veientem et Interamnatem p. 21 n. 9 et 10. Quodsi singulari numero *sevir et Augustalis* saepissime ponatur ad significandum eum qui seviratu perfunctus in ordinem Augustalium transiit[2]): quin tandem plurali numero universi ordinis socii, quippe qui omnes seviratu gesto a decurionibus Augustales creati sint, *seviralium* (= *sevirum* n. 9 et 10) *et Augustalium* nomine solemni possint vocari? Cum praesertim nomen *seviralium* etiam propterea ne suffecerit quidem ad istos accurate significandos, quod non deerant *sevirales*, qui *Augustales* eidem

Tituli in § 8 propositi explicantur.

contra Henzenum.

---

1) p. 199. s.

2) ita quidem ut Zumptius etiam Henzenus hoc concedit.

non essent, dico ingenuos, qui ad munera municipalia postea accesserant.

Ara Narbonensis.

Non a maiore collegio sed a sex sacerdotibus in Augusti honorem institutis totam Augustalitatem originem ducere praeterea testis est inscriptio arae Narbonensis[1]), in qua verorum sevirorum mentionem a Marquardto[2]) Herzogio[3]) recte statui infra melior erit occasio probandi. Ad hoc seviratum cum ad tempus delatum esse in universum hactenus viderimus, eodem illo titulo conficitur per anni spatium geri solitum esse. Quod enim ibi *quotannis* ternis diebus tres equites Romani a plebe et tres libertini ad aram hostias immolare atque thus et vinum civibus praestare iubentur, eisdem hominibus certe per unum annum haec munera imponi intellegendum est. Denique ut honores publicos ita etiam seviratum annuum fuisse veri simillimum est.

Argumentum ex numeris titulor. sevirum et IV virum repetitum.

Restat aliud sententiae meae argumentum certe non contemnendum. Etenim si recte contendo in universum Augustalium ordinem non constitisse nisi ex seviris annuis munere defunctis: exspectes duovirum vel quattuorvirum et iure dicundo et aedilicia potestate nec non praefectorum titulos si computentur, ad Augustalium titulorum numerum fere eandem habere rationem atque quattuor ad sex. Quod etiamsi non quadrat ad singula oppida, quoniam in huiusmodi rebus casus multum valuit, tamen locum habere exspectabimus, si ad calculos vocantur tituli totarum provinciarum. Iam egomet in hunc modum forte computavi titulos huc pertinentes corporis inscr. voluminis V. Atque inveni circa trecentos et quinquaginta II virum vel IV virum et praefectorum ac circa quingentos VI virum Augustalium titulos. Hi autem numeri ad rationem supra dictam proxime accedunt.[4])

§ 10.

Raro Augustales fiunt seviratu non functi.

Verumtamen quamvis lex fuerit, ut seviratus administratione Augustalitas acquireretur, nihilo minus nonnumquam accidisse,

---

1) Wilm. 104. Herz. 1. 2) p. 507. 3) p. 198.

4) Quamquam profiteor, in aliis regionibus, ut posthac inveni, horum numerorum rationem cum hac norma non convenire. Cuius rei caussae non sunt obscurae.

ut aliquis seviratu non functus in ordinem reciperetur, equidem noluerim negare. Huc pertinere videtur unus, qui ex Galliis tam Lugdunensi quam Narbonensi ad nostram memoriam pervenit *Augustalis* in hoc titulo:

Exempla afferuntur.

1. .. C. S[il]en[i]o Reguliano eq. R. ... patrono IIIIII vir. Lugduni consistentium L. Silenius Reginus Aug. . . Boiss. VI, XXXIII = Wilm. 2506 = Or. 4077.

Praeterea hos titulos satishabeo hic in quaestionem adducere:

2. .. in honor. L. Stati Onesimi IIIIII vir. et in memor. C. Stat[i] Primigeni Aug. d. d. L. Stati Hermetis L. Statius Encolpus IIIIII vir. . . . . V, 827 Aquileiae.
3. = p. 18 n. 37.
4. .. [T. Aelius T.] lib. Atime[tus VI vir] ... diu]s Euhodus Au[gustalis] . . V, 8654. cf. 8655. Concordiae.[1])
5. .. o[V]itulus l. IIIIII vir. August. [L]atinus l. August. . . . . V, 7255. Segusione.
6. .. in memor. T. Velli Ones. IIIIII vir. Aquil. Aug. Parent. . . . . . III, 3836 Emonae.

Filius equitis Rom. Lugduni Augustalis.

In exemplo primo praeterquam quod Augustales in Gallia Transalpina alibi non sunt reperti, sed solum seviri, eo quoque offendimur, quod iste *L. Silenius Reginus Aug.* filius esse dicitur cum patroni IIIIII virum Lugduni consistentium tum equitis Romani. Enimvero reliqui illarum regionum seviri ad unum omnes sunt libertinae condicionis. Attamen tituli fides in dubium vocari nequit, utpote qui Smetii auctoritate nitatur. Sed primum moneo C. Silenium Regulianum nullum honorem publicum Lugduni adeptum esse, nedum esset ex quinque decuriis vel equo publico ab imperatore donatus. Unde elucet eum quamvis complurium corporum patronum vel socium honoratum tamen nobilissimorum municipum in numero non esse habendum. Iam vero recordemur, quanto opere aetate imperatoria ordo

---

[1]) Sunt duo tituli prope eisdem verbis compositi itaque se invicem supplentes.

equester omnino coeperit vilescere. Qui cum olim „ab ingenuis separaretur, tum communicatus est cum servitiis"; in quem neglecta omni aut generis aut integritatis vitae ratione censu solo pervenire tunc cuivis licuit.[1]) Quo fit, ut in titulo Lugd. Boiss. p. 160 = Or. 4020 in sportularum divisione *ordo equester* non coniungatur cum decurionibus, sed idem accipiat et eodem numero habeatur cum IIIIII viris Aug. et negotiatoribus vinariis[2]); quo fit, ut in ara Narbonensi tres equites a plebe consocientur cum tribus libertinis, scilicet locupletibus, ut qui loco non ita multo inter se differant. Vides igitur eos, qui solo censu elati nomen equitis Romani sibi sumpserant, ne in municipiis quidem inter viros primarios numeratos esse. Iam huius ipsius generis et qui libertinitatis etiam tunc servaret quendam odorem, fuisse opinor C. Silenium Lugdunensem, quem fortunis florentem Augustales patronum sibi adsciverant. Eiusque filium, sicut nonnullis in oppidis decurionum quorundam filiolos in album decurionum referre moris erat[3]), in honorem patris decuriones, seviris fortasse postulantibus, cum nimis esset tenerae aetatis quam qui seviratu posset fungi, Augustalem saltem fecerunt. Nec C. Silenius hunc honorem repudiavit, sive quod munera publica filium adepturum omnino desperabat, sive quod eum minore honore uti voluit, donec ad decurionatum petendum satis haberet annorum. Ne vero documentorum subsidio destitutus temere haec videar hariolatus esse, legenti in memoriam revoco decretum illud a centumviris Veientibus a. 26 p. Chr. in honorem C. Iulii Gelotis factum[4]), quo edicebatur, *ut Augustalium numero haberetur aeque ac si eo honore usus esset.* Unde primum apparet legitime et ex communi praescripto in Augustalium ordinem non esse receptum nisi qui eo honore, dico seviratu[5]), usus seu functus esset; deinde interdum

Pueris in patrum honorem interdum Augustalitas decernitur.

---

[1]) cf. Marquardt. hist. equitum Rom. 1840. p. 90 s. Friedländer, Sittengesch. Roms I, 1862. p. 192 ss.

[2]) Paullo aliter Marq. de hoc titulo iudicat hist. eq. R. p. 89 adn. 31. opum, ut mihi videtur, iusto magis ratione habita in ordinibus discernendis.

[3]) Marquardt, Statsverw. I, 508.

[4]) Or. 4046.

[5]) seviros Veientes habemus in titulo Wil. 2080b.

honoris caussa quendam extra ordinem seviratu non gesto Augustalem creatum esse. Amplius reminiscaris inscriptionis Orellianae 3938, in qua puer tredecim annorum etiam sevir dicitur. Quem vix credo seviri · munus tam tenera aetate gessisse sed patris caussa in ordinem sevirum receptum esse. Nam quo nomine appelletur, utrum *sevir* an *Augustalis*, ad hanc quaestionem parvi interest.

Similiter ac de Augustali Lugdunensi vereor ne iudicandum sit etiam de Aquileiensi in n. 2, quem, nisi prius mortuus esset, puto posthac seviratum subiturum fuisse. Henzenus quidem hunc titulum maxime idoneum duxit, quo colligatur in eis oppidis, ubi inveniuntur et *seviri* et *Augustales*, hos ex illis non esse ortos.[1]) Sed cum Aquileiae adhuc detecti sint sevirum tituli circiter sexaginta, Augustalium unus vel tres[2]) sane nihil possunt ad regulam a nobis inventam labefactandam. Quae si illic non valuisset, satis multa necesse erat inveniri exempla Augustalium seviratu non functorum. Nunc vero id genus non praesto est nisi hoc unum. Ceterum iam non miraberis, quod *d. d.* nomini *Augustalis* in hoc titulo expresse adiectum est. Scilicet rarum erat atque insolitum tali modo aliquem in Augustalium ordinem recipi et singulari decurionum decreto opus erat ad id conficiendum.[3]) Neque aliter exempla sub n. 3. 4. 5. proposita se habere existimo. Atque monuerim, in 2. et 3. patres libertinos appellari *sexviros*, filios, qui et ipsi sunt libertini, appellari *Augustales*. Unde num nimis audacter conicio nonnullis in locis eos imprimis sexvirum filios, quibus, cum essent libertini, aditus ad decurionatum erat negatus, iam antequam seviratum suscipere per legem possent, ut *Augustales* ordini adscriptos esse? Praesertim cum domum sevirum omnino ad ordinem quodammodo pertinuisse aliunde constet; dico titulos, in quibus traduntur divisiones factae seu sportulae datae ut decurionibus Augustalibus ita uxoribus quoque vel filiis Augustalium (v. c. I. N. 221. 5186 Or.-H. 7335 Wilm. 2624). Sextum exemplum duabus rationibus mihi videtur explanari

Sevirum filii qui ipsi sunt liberti iam pueri inter Augustales recipiuntur.

---

[1]) p. 211.

[2]) V, 8296 et 8301 corrupti sunt. Ceterum eos infra tangam.

[3]) contra Mommsenum praef. ad tit. Aquil.

posse: aut enim T. Vellius parvulus Parentii in ordinem Augustalium receptus, deinde domicilio mutato Aquileiae sexvir factus, postremo cum Emonam transmigrasset ibi rursus seviratu functus in ordinem transiit, aut ei aetate provectiore ut a Veientibus C. Iulio Geloti sic a Parentinis, quod de eorum civitate bene meruisset, absenti Augustalitas decreta est. Ergo ut summam faciam deliberationis, pauci tantum eique, quibus aut per aetatem aut quod absentes erant seviratum gerere non licebat, honoris caussa protinus Augustales creabantur. Nam quem praesentem Augustalium iuribus donare cupiebant, ei, si per aetatem licebat, seviratum gratuito deferre solitum erat.

Absentes raro Augustales fiunt.

Seviratus Trimalchioni absenti decretus.

Enimvero parum perspexit Petronii festivitatem Eggerus, quin etiam ne verba quidem satis accurate legit, qui ex magniloquo, quod ille Trimalchionem fecit ipsum sibi componentem [1]), epitaphio concluserit: „Les honneurs du *sévirat* n'entraînaient pas l'obligation de présence dans le municipe où on les avait reçus." [2]) Trimalchio non dicit seviratum se absentem gessisse, sed dumtaxat sibi absenti decretum esse. Nempe casu, opinor, accidit, ut eo ipso die, quo de seviris creandis ad decuriones referebatur, Trimalchio vel negotii caussa vel etiam ambulando domo abesset. At id ipsum ei suffecit nebuloni, ut cum Caesare se compararet, quippe cui, ut consulatum absens peteret, uni populus contra legem permisisset. Nimirum orbem oportet labare atque confundi, cum Trimalchiones fiunt seviri! [3])

Haec de *sevirum* condicione in eis regionibus, ubi fere soli reperiuntur, in universum satis sunt. Nam singula perlustrari non est huius loci. Quodsi paucis verbis, quae hucusque disputavimus, licet complecti: tota Augustalitas a sexviris annuis Augusti sacerdotibus exorsa est. Primum paucis, scilicet meritissimis eorum, sevirum iura ultra muneris annum a decurionibus propagata sunt. Qui in Hispania (Sardinia) *sexviri perpetui*, in Gallia Cisalpina Dalmatia cet. *seviri et Augustales* vocati sunt. Mox ad omnes seviros hic usus manavit. Ita

---

[1]) c. 71. [2]) p. 397 cf. Boiss. p. 177.

[3]) cf. Mommsen, Statsr. I, 485 s. et Hermes XIII p. 118 s. Sed potius cum Caesare quam cum Mario Trimalchionem se comparare Petronius mihi videtur voluisse.

ordo Augustalium coortus est. Seviratu non functi in ordinem non intrabant nisi pauci honoris caussa, qui seviratum suscipere per legem non possent.

---

§ 11—13.

Qualis sit collegiorum status, ubi *Augustales* soli inveniuntur.

§ 11.

Henzeni rationes examinantur.

Iam transeamus ad ea oppida provinciasve, in quibus fere non reperiuntur nisi *Augustales* soli, et inquiramus quemnam in modum ei fuerint constituti, numque diversus fuerit eorum et status et origo a *sevirum* collegiis, quorum imaginem modo adumbravi. Quam quaestionem ita instituere misi visum est, ut primum Henzeni vestigiis insisterem. Nam cum *Augustalium* et *sevirum* collegia ut statu ita origine valde inter se discrepare ille quidem probare studuerit nec paucis etiam persuaserit, priusquam quid ipse sentiam exponam, in rem erit rationes, quibus ille opinionem suam fulsit, examinare.

a) Rationes generales.

Atque exordium quidem argumentationis Henzenus ita fecit, ut alicubi fuisse collegia sevirum Augustaliumve aliter ac supra dictum est constituta in universum statueret. Quo in negotio documento usus est primum titulo supra [1]) transscripto Or.-H. 7101 (= Wilm. 2077), unde confecit partem ordinis Augustalium Verulis constitisse ex eiusmodi hominibus, qui seviratu non essent functi. Verumtamen hanc opinionem virum doctissimum fefellisse supra demonstravimus. [2]) Secundo loco adhibuit fragmenta fastorum variis de caussis memorabilia Or.-H. 7165. Quod ibi dicitur: *IIII primi natale Iuliae August. . . cenam decurion(ibus) et Augu[stalibus] dederunt; eorum seviri [munus] familia gladiat(oria) [ediderunt]*, vix posse scriptum esse censet *eorum seviri*, nisi seviri ab initio [3]) fuissent

Or.-H. 7101.

Or.-H. 7165.

---

[1]) p. 19 n. 46. [2]) p. 27 s.

[3]) „*einen anderen anhalt für unsere anname ursprünglicher vorstandschaft gewärt* etc. p. 199.

Augustalium magistri. Sed cur ab initio? Quo tandem iure status, quem invenimus anno p. Chr. 23 [1]), ad totius instituti primordia refertur? Tunc enim dudum potuit ea qua docui ratione ex sex viris initio solis institutis ordo evasisse satis frequens, in quo sexviros usque quaque fungentes, prout honore ceteris praestabant, quasi magistrorum locum obtinuisse nihil mirandum est. [2]) Nolo enim urgere ex verbis *eorum seviri* accurate non sequi nisi seviros ad Augustales pertinuisse, cum eis arte coniunctos fuisse. Praeterea Henzenus, quod in initio huius fragmenti *VI vi[ri et] honore functi* (= sevirales) [3]) dicuntur, etiam in hoc titulo ut in Verulano Or.-H. 7101 sevirales iuxta Augustales commemorari, ergo ab aliis ordinis sociis seviratu non functis distingui putavit. Si enim nihil interesset inter illos *honore functos* et qui postea leguntur *Augustales*, parum patere, cur non utroque loco haec altera significatio usitatissima usurpata esset. — At primum respondeo has fastorum partes, ut ad diversos annos [4]) spectant, ita diversis temporibus a diversis hominibus conscriptas esse. Ad hoc optime convenit cum sententia de sevirum collegiis supra a me proposita, quod in prima fragmenti parte annum 23 fortasse satis multo antecedente [4]) non usurpatur nomen, quo posthac ordinis secundi socii volgo appellabantur. Credas enim nondum ita concretum vel stabilitum fuisse Augustalium ordinem, ut certum nomen potuisset inveterascere et divolgari. Deinde omnino non video, quae caussa fuerit, cur a ceteris Augustalibus sevirales hic essent secernendi. Nam eos intra ordinem fecisse quasi corpus separatum probari nequit. Quae igitur in universum Henzenus attulit ad demonstrandum exstitisse Augustalium collegia, quo-

---

[1]) Sane ad hunc annum, non ad sequentem 108 p. Chr. pertinet haec fastorum pars, quia alioquin „Divae Augustae" dictum foret. cf. Dio. 58, 2. Eckhel, d. n. 6 p. 147. 157. Henzen, act. fr. Arv. p. 52.

[2]) Conferas quod ipse Henzenus p. 214 contra Marquardtum disputat: „*eine vorstandschaft der sevirn wird dadurch nicht ausgeschlossen.*"

[3]) Nam ita illum haec verba recte interpretatum esse mihimet persuasum est.

[4]) Facile plus inter illas partes interiectum est quam unius anni spatium, si quidem infra annum 23 insequitur annus 108.

rum socii antea sacerdotio annuo magnam partem non essent functi, mihi videor confutasse.

Iam in eis maxime regionibus, ubi *Augustales* fere soli inveniuntur, ex paucis annuis sacerdotibus eorum collegia non esse orta, inde ille voluit simpliciter confici, quod *seviri* ibidem nulli commemorarentur. At quaerat quispiam, num forte sub ipso *Augustalium* nomine etiam sacerdotes annui lateant. Quod Henzenus cum praevideret sibi opponi posse propterea censuit negandum esse, quia tum Augustales proprie cultu fungentes non fuissent nomine separati a communibus ordinis sociis. Quid vero? Num putas ita illam dubitationem sublatam esse, quando quidem constat in illis oppidis, ubi *seviri* tantum inveniuntur, et sacerdotes annuos et ordinis socios eodem nomine revera usos esse? Immo concedendum est itidem rem se habere potuisse, ubi non exstabant nisi *Augustales*. Ac perquam obfuit toti Henzeni argumentationi, quod hoc non sensit. Iam enim in eis quae sequuntur hoc tantum quaerit, num *seviri* omnino dici possint ibi exstitisse, ubi adhuc reperti non essent. Contra debebat quaerere, utrum sacerdotes annui nescio quot vel quo nomine ibi fuisse dicendi essent possentve dici necne. Itaque huc spectat quod supra monui de necessitate id quod quaeritur recte et accurate exprimendi.

b) Rationes speciales.

Possunt sub Augustalium nomine latere sacerdotes annui.

Deinde Henzenus animadvertit *sevirum* loco ibi, ubi *Augustales* tantum in titulis reperti sint, alios deprehendi magistratus, qui rursus eis oppidis desint, ubi exstent *seviri*. Quo confirmari opinionem illis regionibus *seviros* omnino defuisse. Id quidem cum nostra parvi intersit ultro concedimus, sed videndum est, num etiam sacerdotes annuos in universum defuisse isto argumento conficiatur. Quocirca primum, argumentum per se ipsum quomodo se habeat, examinemus. Itaque breviter expono, quinam magistratus commemorentur in eis oppidis, ubi *seviri* desunt, — breviter, inquam, nam infra uberius ac separatim de sevirum Augustalium magistratibus agetur.

Henzeni argumentum ab Augustalium magistratibus repetitum.

Habemus igitur Augustalium quinquennales[1]) singulos Canusii et Venusiae et Beneventi atque in titulo agri Neapoli-

Horum magistratuum recensus.

---

[1]) Augustales quinquennales vix recte Henzenus; immo in paucis lapidibus, in quibus legitur Aug. quinq., duo honores

tani; tres Aeclani. In titulo I. N. 5186, quem Henzenus Capuae[1]), Mommsenus Iuvano oppido attribuit, *quinq(uennales) Aug(ustales)* pro ordine Augustalium ponuntur, quod alibi inauditum est.[2]) Deinde curatores inventi sunt quattuor Puteolis, si omnino licet hoc loco eos afferre, quoniam unus ex eis idem dicitur *sevir Aug.* Denique quaestores Augustalium deprehenduntur in titulis sex Allifis repertis.

Eidem alibi reperiuntur.

Iam hi magistratus num revera desunt eis oppidis, ubi *seviri* fuerunt? Sane curatores protinus excipiendi sunt. Ceterum etiam in Gallia Transalpina, Cisalpina, alibi non ita raro commemorantur. Quinquennalitatem autem a seviris gestam testantur tituli Ostienses, quot egomet norim, viginti, deinde Sulmonensis, Truentinus, Gabiensis, Patavinus, Brixiensis, tum Reatinus unus vel duo, Aeserníni duo; denique sevir Augustalis idem quinquennalis Tusculanus est in titulo Ostiensi Or.-H. 7106. Sane Henzenus hos seviros, qui eidem fuerunt quinquennales, primum[3]) utique vetuit confundi cum Augustalium quinquennalibus; deinde postquam hanc opinionem totam obtineri non posse intellexit, tamen id premere perseveravit, ubi seviri exstarent, seviros tantum, non autem Augustales quinquennales factos esse.[4]) At hoc pro argumento uti non licet nisi ei, qui iam aliis rationibus demonstravit inter seviros et Augustales discrimen revera interesse. Nam eodem iure inde ita possumus concludere: quoniam ibi, ubi *seviri* praeter *Augustales* inveniuntur, illos solos videmus quinquennalitatem assequi, etiam in eis regionibus, ubi *Augustales* tantum exstant, nisi sacerdotio annuo perfunctos quinquennales non esse factos verisimile est. Praeterea autem monendum est in eis oppidis, quorum habemus *seviros* eosdem quinquennales, *Augustales* omnino obvios esse vel perraros vel etiam nullos. Denique quaestores alibi non sunt reperti nisi in uno titulo Tiburtino; ac sane Tibure seviri quod sciam non deprehenduntur. Verumtamen

---

significantur, ut idem primum Augustalis, deinde eorum quinquennalis factus esse dicatur. Itaque idem valet ac si alibi dicitur: Aug. idem quinq.

[1]) p. 207. [2]) De hoc titulo infra plura disseram.

[3]) l. l. [4]) p. 315 s.

constat Henzenum errasse, cum hoc argumentum a magistratibus repetitum tamquam opinionis suae adminiculum confingeret.

Sed nobis non est satishabendum illius impetum, ut imagine utar, defendisse, immo suis ipsius armis mihi petendus videtur. Namque in quadraginta fere oppidis regni Neapolitani nec minus in Lusitania Dacia ceteris regionibus, ubi *Augustales* soli reperiuntur, huius modi magistratuum usque ad hunc diem nulla prodierunt exempla. Unde veri simile est magistratus ita nominatos in plerisque illorum oppidorum provinciarumve non exstitisse. At Augustalium collegia omni genere tam sacerdotum quam magistrorum propriorum ibi caruisse vix quisquam cogitabit. Ergo proclive est dictu eos sub *Augustalium* nomine latitare. Ceterum infra docebo quinquennalis curatoris quaestoris honores non pertinuisse ad munera publica sed ad res ordinis internas curandas; quam ob rem ei quidem ab ordinis sociis, non a decurionibus creati sunt. Ergo praeterea requirebantur, qui publicis Augustalium muneribus multo gravioribus fungerentur, nimirum a decurionibus electi.[1]

Praeter illos alii magistratus exstiterint necesse est.

Hoc postulat etiam illorum natura.

Tertium opinionis suae argumentum Henzenus eo contineri ratus est, quod munera, quibus alibi *seviri* fungi solent, in eis oppidis, ubi *Augustales* soli inveniuntur, his fere attribuuntur.[2] Unde rursus conficit seviros ibi defuisse. Sit sane ita. At nonne inde potius videtur colligendum *Augustales* illic omnino *sevirum* locum tenuisse? Certissime — sed Henzenus hanc coniecturam simplicissimam invenire non potuit, utpote qui annuos seu sacerdotes seu mavis magistros posse illic *Augustalium* nomine significatos esse a principio negasset. Verum enim vero huc commodum cadit, quod quarto loco Henzenus attulit nihil opus fuisse in istis oppidis sacerdotibus annuis sexvirorum instar, quia *Augustales* quidem universi per omne tempus vitae cultui adstricti fuissent. Nam id patere ex titulo Puteolano I. N. 2527: *D. M. Q. Insteio Diadumeno Augustali. coluit annis XXXXV*...[3]) Sed tam generaliter aeque atque in *Augustalium* etiam in *sevirum* ordinis sociorum omnium sepulcris praedicari

Henzeni argumenta tertium et quartum.

Quomodo Aug. dici possint per omnem vitam coluisse.

---

[1]) Ita explicatur, cur decurionibus publica dumtaxat munera remittendi potestas sit. cf. III, 6294: *immunitate muner. publ. concessa ab ordine.*

[2]) p. 209. [3]) p. 214 s.

potuit, eos postquam seviri facti essent, usque ad finem vitae „coluisse“, etiam si sacerdotio annuo finito graviora munera amplius non debebant in honorem Augusti subire quam cenis publicis interesse vel in spectaculis loco insigni uti vel similia. Namque in cultu Augusti usque erat positum illius honoris fundamentum, cultus Augusti manebat fons, unde sevirum quamvis seviratu iamdudum defunctorum iura ac privilegia continuo derivarentur. Itaque *Augustalium* munera in universum fuisse perpetua ex titulo Puteolano profecto non sequitur.

§ 12.

Amplius demonstratur Augustalium collegia a seviris statu non differre.

Munera Augustalium potiora neque a multis simul neque ab eisd. per longum tempus geri possunt.

At age videamus potiora *Augustalium* munera num vere fuerint eius generis, quae possent cum a multis simul tum ab eisdem per multos annos sufferri. Ac primum quidem summam honorariam Augustales ob honorem solvere solitos esse docent tituli I. N. 951. 961. 4000. Ac fuit ea saepe non mediocris. (Secundum I. N. 951 viginti, secundum 961 quindecim, secundum 4000 decem milia sestertium a singulis solvuntur.) Quod vero Mommsenus docuit in commentario ad legis coloniae Genetivae capita 70. 71 adiecto[1]), summam honorariam municipalium et magistratuum et sacerdotum, si non esset inde repetenda, certe ad summam legitimam in ludos impendendam quodammodo se applicuisse tamquam augmentum quoddam eius, in alios usus tamen erogandam: id hic quoque videmus confirmari. Nam in titulo supra laudato I. N. 951 duo Augustales *pro munere ab summa quadraginta [m. HS. n.]* vicum Laris dicuntur stravisse. Praeterea munerum ludorumve ab Augustalibus editorum adnoto mentionem fieri in I. N. 1514. 1520. 2463. Porro opera publica diversi generis invenimus ab eisdem sua pecunia dedicata, verbi caussa templa statuasve I. N. 453. 2306. 3943. 4918. 4917. III, 4153. II, 175. 181. 182. 2327. vias stratas I. N. 951. 3953. 4346. alia aedifica vel eorum ornamenta I. N. 1950. 4943. II, 183. Denique cenarum publicarum cura eis

[1]) eph. epigr. III, 102.

imposita fuit. Qua in re non solum visceratio eis erat providenda, vinum ac panis adicienda, verum etiam tricliniorum instrumentum atque ministerium plerumque debebant comparare. (I. N. 79.) Atque haec munera in omnibus quae adhibui exemplis non toti ordini, sed paucis Augustalibus attribuuntur. Praeterea pleraque sunt eiusmodi, in quae cadat illud: multorum cura res turbantur. Cum vero aequum sit et ex titulo I. N. 79 manifesto appareat cuique Augustali aliquando haec munera fuisse subeunda, sequitur ut singuli ea non gesserint nisi ad tempus. Deinde cum tanto sumptu fere sunt coniuncta, ut eidem homines per multos annos ea sustinere nec potuerint nec certe debuerint. Immo talis est eorum species, quasi per spatium circumscriptum dico annuum geri solita sint.

Deinde vero consentaneum est muneris gravitatem splendore honoris cum eo coniuncti quodam modo mitigatam et compensatam esse, itaque Augustales, dum „munere Augustalitatis" (cf. I. N. 79) funguntur, dum exempli gratia ludos edunt, dignitate inter socios eminuisse et insignem locum, tamquam magistrorum, in ordine obtinuisse. Ita etiam lictores praesto fuerunt certe non cunctis Augustalibus in perpetuum, sed tantum eis, qui quoquo anno proprie munere fungebantur. Etenim lictores inter *Augustalium* insignia numeranda esse probant fasces in compluribus qui huc cadunt lapidibus insculpti. (I. N. 632. 961. 2342. 2355) Quaedam insignia solum sacerdotibus annuis conveniunt.

Atque *Augustales* protinus cum facti essent haec munera subiisse vel eorum administratione dignitatem suam auspicatos esse cum per se sit probabile[1]), tum eo confirmatur, quod iura ac privilegia eorum, veluti locus in spectaculis et cenis publicis insignis inde magnam partem videntur explicanda esse, id quod supra demonstravimus. Denique hae omnes quas modo proposui condiciones cum eis quae de seviris supra adumbravimus adeo conveniunt, ut etiam in hac re Augustalium collegia eos aequasse adducamur ad credendum. Aug. his munerib. dignitatem auspicati sunt.

---

[1]) cf. etiam I. N. 79, maxime haec verba: *facilius subituris onus Augustalitatis, dum hoc commodum ante oculos habent. . Hoc autem nomine relevati impendis facilius prosilituri hi, qui ad munus Augustalitatis compellentur.*

Augustalium collegia sero nominantur.

Porro non inutile fuerit adnotare *corpus* seu *collegium* Augustalium cum raro tum posteriore demum aetate nominari. (I. N. 2529 et 2530 = a. 165. 2522. 79. III, 3016.) Quod mirum foret, si maiora collegia revera ab initio instituta essent. Deinde vero in promptu sunt documenta ac testimonia expressa, quibus prorsus nobis persuadeatur fuisse munus Augustalitatis ad tempus delatum et ex eis, qui illo functi essent, ordinem constitisse. Namque in nonnullis titulis deprehenditur mentio Augustalitatis iteratae:

Augustalitas iteratur.

1. .. Nasellius Vitalis .. Aug. II quinq... I. N. 1504. } Beneventi.
2. .. Augustalis iterum in ordine dec[urionum creatus] . . . . I. N. 1509. } Beneventi.
3. C. Mammio Pelasgi l. Felici August. iter. honorato bisellio . . . . I. N. 5214. Larini.
4. C. Titio Chresimo Aug. II . . . I. N. 4040. Suessae.
5. .. Oppius Valen .. Aug. III. . . Torremuzza 24,8 = Mur. 202, 3. Cephaloedii.

In titulo Sinuessano Zumptius[1]) (nec non Mommsenus) pro *II* maluit legere *li.*, Henzenus[2]) coniecit *bis(ellarius)*, sed lectio *II* est optima et utique retinenda. Porro idem Zumptius, ut ei erat persuasissimum Augustales non esse nisi collegiorum socios eo ipso perpetuos, ubicunque legi videretur in inscriptionibus *Aug. iterum*, aut fraudem aut errorem subesse audacter pronuntiavit[3]). Quod iudicium Henzenus plane suum fecit[4]). Sed de illarum inscriptionum fide, praesertim cum sint tam frequentes, dubitatio moveri non potest. Immo opinio hominum doctorum, quam de Augustalibus sibi finxerunt, mutanda est.

Augustales perpetui.

His adicio, qua omni haesitationi eripiamur, alteram titulorum seriem:

1. .. M. Favonius Callistus Augustalis primus Aug. perpetuus d. d. ... della Marm. voyage en Sard. II, p. 491. n. 60 = H. 7112. près de ruines de Nora.

---

[1]) p. 32. [2]) p. 305 s. [3]) p. 31.

[4]) l. l.: *„dagegen wird mit vollem rechte die Augustalitas für perpetua und wo Augustales iterum u. s. w. vorkommen, deren inschriften für falsch oder schlecht copiert erklärt."*

2. .. Augustalis perpetuus C. Heius Primus Cato . . . . . .
3. [Augu]stali perpetuo C. Heio C. l. Primo . . . .
} II, 183. 196. Olisipone.

4. M. Helvio Varo Augustali perpetuo d. d. II, 2116. Urgavone.

Haec notio *Augustalis perpetuus*, cum aliter explicari nequeat ac supra similem *sevir Aug. perpetuus* explicavimus, firmissime docet collegia earum civitatum, ubi *Augustales* soli inveniuntur, eodem fere modo exorta conformata exculta et eisdem in universum usa esse institutis atque illorum oppidorum collegia, in quibus non commemorantur nisi *seviri*. Iam scire cupias, Zumptius et Henzenus quomodo difficultatem hinc opinioni suae oborientem illi quidem effugerint. Quorum prior de his quattuor titulis nullum cognitum habuit. At Gruterianum 479, 7, qui forte revera est ficticius, ille mendosum iudicavit nulla alia ratione nisus, quam quod *Augustalis perpetuus* in eo inveniretur[1]). Henzenus autem, cuius diligentiam titulus Norensis non praeterierat, nodum ei insitum ita solvere tentavit, ut molestum illud epitheton *perpetuus* non tam ad *Augustalis* quam ad *primus Augustalis* referendum statueret[2]), quasi honorem *primi Augustalis* mox in perpetuum, mox ad tempus dumtaxat deferre usus fuisset.[3]) Sed utrique adiectivo cum voce *Augustalis* eandem intercedere rationem colligere debebat ex titulo, quem et ipsum norat, II, 1944 (= Or. 3914), in quo est: .. *VI vir Augustalis .., d. d. primus et perpetuus.* Immo igitur, ne diutius verser in hac opinione refutanda, M. Favonio, cum Augustalis munere annuo perfunctus esset, ob merita sua Augustalium iura a decurionibus in perpetuum concessa sunt, et honor ita auctus est, ut inter ceteros, quibus idem vel decretum esset vel postea decerneretur, primum locum usque obtineret. Quamquam etiam ei, qui malit interpretari, M. Favonio primo omnium honorem Augustalitatis perpetuae decretum esse, non habeo quod opponam.[4]) Quod utcunque se habet, sane id quattuor titulis pari modo comprobatur ut *seviros* ita *Augustales*

De tit. Or.-H. 7112.

---

[1]) p. 32. [2]) p. 215. [3]) cf. bullett. 1858 p. 73.

[4]) Videtur haec interpretatio defendi eo, quod aliquin *primus* nomini *Augustalis* solet postponi.

quoque initio ad tempus, in anni spatium dico, esse institutos. Primum paucis eisque meritissimis honore perfunctis iura et ornamenta honoris in omne vitae tempus decuriones prorogarunt. Qui *Augustales perpetui* appellati sunt, scilicet ut ab annuis separarentur. Mox autem omnibus Augustalibus insignia Augustalitatis in perpetuum concedere in morem venit. Et ab illo tempore Augustales perpetui vel evanescebant, vel certe a ceteris non differebant nisi nominis honore.

Augustalicii. Quae cum ita sint, ne eorum[1]) quidem diligentiae est, cur diffidamus, qui in titulo Celleni prope Viterbum reperto scriptum esse tradunt: *decurionebus .. Augustalicis .. plebei intra murum habitantibus.* Enim vero ut aedilicii dicuntur, qui aedilitate abierunt, ita *Augustalicii* merito dicuntur, qui Augustalis munere annuo perfuncti sunt. Itaque novum accedit documentum, quo confirmetur proprium *Augustalium* honorem fuisse annuum eoque perfunctos in ordinem Augustalium transisse.

§ 13.

De numero Augustalium sacerdotum annuorum.

Sex fuerunt etiam Augustales annui. Restat ut quaeramus, utrum numero saltem *Augustales* annui a *sexviris* annuis differant an non. Equidem, ut protinus meam sententiam exprimam, etiam in hac re in universum utrosque convenisse persuasum habeo. Ad quam sententiam comprobandam primum generalius argumentum afferam.

Argumentum generalius. Namque Eggerus cum in appendice libri, quem supra laudavi: examen critique des historiens anciens etc.[2]) primus suspicionem movisset, num forte imperatoris edicto institutum Augustalitatis per municipia Italiae provinciarumque propagatum esset, Zumptii quidem gravem subiit vituperationem[3]). Quam ut repelleret, in hac materia retractanda[4]) multis allatis testimoniis, quae facile est augere, ille demonstravit, quanto opere res municipiorum remotorum minutissimae imperatoribus curae fuissent. Ac ne Marquardtus quidem, quamvis de edicto imperatoris hoc loco non esse cogitandum Zumptio concederet,

---

[1]) Mur. p. 2026, 6. (e schedis Pigh.) Fabr. 486, 163. [2]) p. 375.
[3]) p. 16 adn. 3. [4]) revue archéol. III, 787 ss.

municipia ad cultum Augusti fovendum a senatu magistratibusve urbanis multifariam excitata et quodam modo coacta esse improbavit[1]). Similiter ego quoque, penes quos erat in urbe potestas, omnem operam contulisse existimo in Augustalitatis institutum tuendum et ubique divolgandum, etsi plerasque civitates voluntario Augusti colendi studio admodum flagrasse non ignoro. Ista autem cura ad quemnam magis attinebat quam ad pontificem maximum? Uti igitur Romae Augustus, postquam pontifex maximus factus est, cultum Larum et genii sui publice instituit et pervolgavit et aliis quoque rationibus[2]) multitudinem religioni domus suae curavit obstringendam, multo magis in municipiis cum Italiae tum provinciarum consentaneum est cum quam maxime posset operam dedisse venerationi ultro sibi oblatae incitandae et augendae[3]). Quo in genere tibi in memoriam revoces aras consiliaque provinciarum ac sacerdotes Romae et Augusti iam eo vivo institutos, quae omnia, ut ad religionem spectant non magis quam ad rem publicam gerendam[4]), non sine imperatoris auctoritate vel interventu constitisse vix quisquam negabit. Et cum ad sacerdotium flamoniumve nobilissimis tantum municipum aditus pateret, certe plurimum imperatoris interesse debuit, ut etiam plebis multitudinem ac libertinorum turbam sibi devinciret. Ac facile id adeptus est. Nam quod nonnullae civitates sex sacerdotes Augusti de plebe et maxime de libertinis quotannis legere sponte coeperant, cum videret, quanto opere hoc institutum istorum hominum ambitioni satisfaceret, illud nihil curare, non iuvare prope non potuit, immo nihil antiquius habere debuit, quam ut eius tutelam capesseret eique propagando operam daret. Neque comprehendo, qua alia ratione fieri potuerit, ut hoc institutum satis singulare et quod urbani exemplum certe accuratius non

---

[1]) p. 510. adn. 15. Videas praecipue Dio. Cass. 56, 46: . . *τὰ μὲν ἑχόντων δὴ τῶν δήμων τὰ δὲ καὶ ἀκόντων.* Tac. ann. 4, 36: *Obiecta publice Cycizenis incuria caerimoniarum D. Augusti.*

[2]) v. c. memineris macelli Liviae a. 7 a. Chr. n. dedicati, de cuius dedicationis notione conferas, quod Nissenus pomp. stud. 1877 p. 284 ss. ingeniose exposuit.

[3]) cf. Nissen l. l. p. 357 et p. 182.

[4]) cf. maxime Marquardt. ephem. epigr. 1872 p. 200—214.

imitaretur[1]) tam brevi tempore prope per dimidium orbis radices ageret atque inveterasceret. Iam cum in plurimis rebus collegiorum *sevirum* et *Augustalium* statum multo magis videamus eundem esse, quam usque ad hunc diem homines docti fere crediderunt, etiam numero sacerdotum annuorum in universum ea inter se non discrepasse mihimet probabilis videtur coniectura. Nam etiam in hac re principatum, quanto fuit studio omnia exaequandi et ad libellam exigendi, sibi non defuisse putaverim. Quo loco ne opineris me oblitum esse vel ignorare tres viros Augustales Amiterni, octoviros Firmi et Falerione, quinqueviros Interamnae Praetutt.[2]) et Truenti[3]) repertos. Nam his exceptiunculis sane perpaucis, si comparantur cum ingenti consensu, regulam non turbari concedendum est. Neve mihi opponas magistratibus et rerum publicarum statu etiam sub principatu provinciarum et maxime Italiae oppida multifariam inter se diversa fuisse. Haec enim sunt instituta antiquitus tradita, quorum ratio habenda esset principibus, cum leges municipales essent propositturi. Contra Augustalitas tunc erat hic oriens, illic recens orta. Ergo principi facultas fuit illius ordinem suo arbitrio constituendi.

Seviri singuli Augustalibus intermixti.

Senos *Augustales* sacerdotium annuum gessisse ut credam, amplius eo adducor, quod in oppidis regionibusque, ubi praeterea soli *Augustales* inveniuntur, nonnumquam emergunt *sexviri* rari vel singuli. Ita fieri vidimus Regii et Puteolis ac fortasse Eburi et Aeclani; deinde ex Pannonia superiore huc pertinent tituli duo, unus Carnunti III, 4539. alter Scarbantiae repertus III, 4249. Ceterum moneo apud Petronium quoque in colonia Campana, quam Cumas intellegendam esse Mommsenus nuperrime docuit[4]), *seviros* appellari. Unde mihi verisimile videtur haec duo nomina eandem rem significasse eorumque usum ex diversarum regionum consuetudine pependisse. Contra Henzenus pronus est ad coniecturam, in his oppidis, quorum *Augustales* antiquitus quidem fuissent proprii, posthac aliquando statu collegiorum mutato *seviros* inductos esse[5]). Sed huic con-

---

[1]) Hoc infra demonstrabo atque ad totum hunc locum redibo.

[2]) I. N. 6061. 6063.

[3]) ibid. 6225. Quamquam hi V viri num fuerint Augustales, dubium est. [4]) Hermes XIII p. 106 ss. [5]) p. 206.

iecturae me iudice obstat ipsa titulorum, in quibus *seviri* commemorantur, in his regionibus oppidisve raritas. Verbi caussa Puteolis si collegium Augustalium talem mutationem aliquando subisse recte statueretur, *sevirum* titulos utique plures repertos esse exspectares uno duobusve, praesertim cum *Augustalium* praesto sint circiter quindecim. Immo hoc nomen ibi fuit magis, illud minus usitatum. Accedit quod ex contrario in eis quoque locis, ubi *sevirum* nomen praevalet, horum series continua interdum interrumpitur uno alterove *Augustalis* titulo[1]) neque tamen potest inde derivari collegiorum vel prisca diversitas vel mutatio posthac facta.

Denique ne hoc quidem loco documentorum subsidio plane deficior. Etenim Teani Sidic. in lucem prodiit titulus hic: *S. c. balneum Clodianum emptum cum suis aedificiis ex pecunia Augustalium HS. ƆƆƆ CCIƆƆ Q. Minuti Ikari C. Aufilli Suavis C. Aiscidi Lepotis N. Herenni Optati M. Caldi Chilonis M. Ovini Fausti.*[2]) Ista *Augustalium* pecunia procul dubio summa honoraria intellegenda est, quam pro introitu solverunt; ergo decem milia sestertium singulos solvisse verisimile est. Quod autem sex *Augustales* hic in hunc modum coniunguntur, ut eorum pecunia honoraria dicatur simul erogata esse, nonne iis quae hactenus exposui, ne dicam certo, at tamen probabiliter effici videtur, eos fuisse sacerdotes annuos, qui simul ex more munus suscepissent, et senorum *Augustalium* quotannis factorum numerum istic fuisse usitatum? Dixerit fortasse quispiam hoc unum documentum non sufficere ad tale iudicium de hac quaestione faciendum. Cui respondeo etiam *seviros* satis raro inveniri omnes sex in hunc modum coniunctos. Nihilo tamen setius quandocunque inveniuntur, cuncti inclinabunt ad opinionem sex sacerdotes unius anni intellegendos esse. Quidni hic item iudicemus, praesertim cum minime in uno hoc titulo stet iudicium, immo eo non utar nisi ad confirmandum, quod aliunde conieceram? I. N. 4000.

---

[1]) cf. in Hispania titulos Vivatiae, Italicae, Astigi; tum V, 5777. 7618. [2]) I. N. 4000.

§ 14.

Qualis sit collegiorum status, ubi et seviri et Augustales exstant.

Collegiorum status ibi non est diversus.

Superest ut de eis oppidis verba faciam, in quibus *Augustales* iuxta *seviros* commemorantur. Quo loco brevior esse potero, si quidem ibi statum collegiorum non fuisse diversum ab eis regionibus, ubi aut *Augustales* aut *seviri* soli reperiuntur, re ipsa videtur elucere. Ceterum supra vidimus etiam in istis oppidis reperiri *seviros et Augustales.* Unde conficitur ibi primum sex sacerdotes annuos solos exstitisse, ex quibus paullatim ordo evasit. Neque alia deficiunt documenta, quibus, si vellem aut necesse esset, accurate possum probare sententiam de *sevirum* et de *Augustalium* statu et origine a me propositam etiam in has regiones quadrare. Verbi caussa titulus Umbricus Or. 2229, in quo commemoratur *ordo seviralium,* testis est per sacerdotium annuum fere viam patuisse in Augustalium ordinem. Idem intellegitur ex decreto centum virum Veièntium iam supra per occasionem laudato (Wilm. 2079 = Or. 4046), dummodo bene ponderes verba, quae in eo leguntur, haece: .. *decerni, ut Augustalium numero habeatur, ac si e o h o n o r e usus sit.* Deinde quod perraro quidam, quos honore extraordinario afficere decurionibus mens esset, inter seviros Augustales adlecti sunt seviratu non gesto: quanam re ii ceteris ordinis sociis praestitissent, nisi seviratus administratione honos Augustalitatis legitime esset acquisitus? Porro quod hominem Fabrateriae isto honore adfectum invenimus dici *adlectum sevirum Augustalem*, non *adlectum Augustalem*, inde elucet totum ordinem ex seviratu defunctis maximam partem constitisse. Verum haec mittamus ac potius consideremus, quomodo evenerit, ut duo illa nomina in istis regionibus usurparentur, numque diversis nominibus etiam notio diversa insit.

Duobus nominibus num insit notio diversa.

Augustalis, qui non fuit sevir.

Quo in genere primum legenti in memoriam revoco nonnullis in oppidis eos, qui seviratu non gesto ordini adscribebantur, Augustales dictos esse. De his, admodum paucis, supra egi p. 30 ss.

Nomina, non notio diversa.

Deinde cum ex diversarum regionum consuetudine hic *seviri,* illic *Augustalis* nomen solum in usu esset, certe fieri potuit, ut alicubi duae appellationes concurrerent, ut ita dicam, et simul usurparentur. Hoc numero ea oppida habenda esse

arbitror, in quorum titulis mox *seviri*, mox *Augustales* videntur positi sine ullo notionis discrimine. Exempli gratia nomino Vivatiam, Astigi, Italicam civitates Hispanas. Etenim Vivatiae, cum in II, 3336 munere annuo fungens vocetur *Augustalis*[1]), in titulo II, 3335, quem Huebnerus immerito in suspicionem vocat[2]), scriptum est: „ob honorem *seviratus*". Item Italicae in tit. II, 1109 is qui aram dedicat nominatur *Augustalis*, contra in 1108 una cum illo reperto quidam aram dedicare dicitur ob honorem *seviratus*. Denique conferas Astigitanos titulos II, 1630 et 1479. Quo loco monendum est Vivatiam prope abesse a Tucci et Urgavone, Italicam et Astigi a Peñaflor, in quibus oppidis Augustales adhuc solos repertos esse recordaberis.

Augustalis = sevir munere defunctus.

Verumtamen in aliorum oppidorum titulis, qui eos composuerunt, de duobus nominibus unum alterumve saepe consulto videntur elegisse. Etenim cum sex homines, qui sacerdotio Augusti quoque anno proprie fungebantur, *sexviri* vel *sexviri Aug.* fere appellarentur, ordinis socios universos *Augustales* dicere in his, de quibus agitur, regionibus erat usitatissimum.[3]) (Etiam pro seviratus honore nomen *Augustalitatis* interdum usurpabatur[4]).) Qua de caussa non est cur miremur, quod singuli quoque ordinis socii quamvis seviratu functi *Augustales* nominantur. Neque enim erat timendum, ne quis propterea suspicaretur seviratus honorem eis non contigisse, quoniam seviratu non gesto in ordinem non perveniebant nisi paucissimi. Ac revera mihi videor deprehendisse, in compluribus oppidis nomen *Augu-*

---

1) *Marti Aug. Q. Lucretius Q. l. Silvanus Augustalis ob honorem ded* . . . Huius modi titulos omnes intra annum sacerdotii positos esse probabile est.

2) *Sacrum Jovi. C. Flavius C. Flavi Fausti lib. Corydon ob [hono]rem viratus* (pro VI *viratus* cf. II, 3364) *d. d.* — *Sacrum* in initio tituli cf. II, 175 *sacrum Aesculapio.* II, 2100 *Sacrum Polluci;* deinde *Jovi* tam nude cf. Wilm. 83. *Jovi* Wilm. 96 *Jovi sacrum.* Or. 270. 356. alibi.

3) Ostiis: Wilm. 1721. 1730. Or.-H. 7116. in opp. inc.: Or.-H. 7165. Bovillis: Wilm. 1750. 2624. Lanuvii: W. 1771. Carsiolis: I. N. 5695. Veiis: Or. 4046. W. 2080a. Caere: I. N. 6828. Opitergi: V, 1968. 1976. Aquinci: III, 3487. saepius.

4) cf. III, 3579. Grut. 1012, 7. imprimis V, 6777: . . *M. Attius Patrobius* . . . *[VI] vir et Augustal. ob honorem Augustal.*

stalis singulari numero solum vel praecipue poni ad ordinis socium iam defunctum seviratu significandum. Cuius rei argumenta speciosa continentur titulis Aquinati: *L. Vettius L. l. Eros Maior sevir iter. Augusta[l.] prim.* . . Wilm. 2048; Pollentino: . . *[sex]vir Au[g. co]ll. eius[dem curator idem patr. col]l. fabr. Aug. bis[ellarius]*[1]) V, 7618; quocum conferas Telesinum: . . *nio Castori August. [bis]ell* . . I. N. 4889. Hic eidem homines ut sacerdotes annui *seviri* (vel *seviri Aug.*) appellantur, contra cum est exprimenda dignitas, quam in ordine obtinent, *Augustalis* nomen ponitur. Deinde in compluribus oppidis, ubi praeter *sevirum* etiam *Augustalium* tituli servati sunt, horum plerique ad mortuos pertinent, ut manifestum sit, seviratu iampridem perfunctos nuncupari *Augustales.* Ita Taurinis novem quod videam exstant *sexvirorum,* octo *Augustalium* tituli, atque ex his septem certe sunt mortuorum[2]). Concordiae circiter decem habemus *sevirum,* quattuor vel quinque *Augustalium* titulos[3]). De quibus duos n. 8654 et 55 iam supra tractavi; qui restant tres sunt post mortem positi. Bagiennorum tres supersunt *sevirum,* duo *Augustalium* tituli, uterque hominis mortui.[4]) Ad hoc videas Ostiensem Wilm. 1729, Praenestinum Or.-H. 6093, alios. Non ignoro quidem Concordiae Mommsenum inter sexviros et inter Augustales hoc discrimen fecisse, quasi illi obtinuissent locum honoratiorem. Ad quam opinionem ductus est cum eo, quod inter *seviros* inveniebat duos ingenuos, inter *Augustales* nullum, tum titulo 8654 (cf. 8655), ut in quo de duobus hominibus prior *VI vir,* alter *Augustalis* nominaretur. Ac de hoc quidem titulo quid ipse sentiam supra exposui. Nec nolim supprimere aliam coniecturam, qua difficultas ei insita item dirimi possit. Fortasse enim diversa nomina propterea usurpata sunt, quod alter etiam tunc seviratu proprie dicto fungebatur, alter iam pridem in ordinem intraverat. Nimirum cui regulae quaeque exempla sint subicienda, saepe certo diiudicari nequit. Ceterum casu factum esse potest, ut *Augustalis*

contra Mommsenum.

---

[1]) sive: *eius[dem patronus* etc. Supplementa partim sunt Mommseni, partim mea.

[2]) V, 7013. 7014. 7017. 7023. 7025. 7029. 7031.

[3]) V, 1894. 1896. 8664. — 8654 et 55.

[4]) V, 7669. 7670.

ingenuus Concordiae adhuc non sit erutus, praesertim cum horum titulorum numerus ne dimidium quidem aequiperet eorum, in quibus *seviri* commemorantur. Enimvero alibi, ubi et *seviri* et *Augustales* exstant, inter hos haud raro sunt homines maxime conspicui. Satis habeo quattuor exempla proponere:

1. M. Albinius M. f. Men. aed. II vir II vir quinq. Aug. mag. Aug. design. Or.-H. 6093. Praeneste.
2. .. L. Aebutio Optato Aug. dec. augur. V, 7017. Aug. Taurin.
3. C. Manilius Fortis Augustalis patronus collegi .. I. N. 4650 Venafri.
4. C. Silio Epaphrae l. Felici Maiori Augustali. Hunc d(ecuriones) f(unere) p(ublico) efferundum cens. .. Nerva filius ... C. Silio C. f. Vot. Nervae ... decurioni allecto II viro Wilm. 1729 (= Or.-H. 7011) Ostiae.

Hi quattuor Augustales certe eminuerunt inter sui quisque collegii socios. Scilicet Venafri et Ostiae tam *seviri* quam *Augustales* ad unum omnes sunt libertini. — Ad hoc Taurinis praeterea tres praesto sunt tituli *Augustalium* ingenuorum tribu; Stellatinae adscriptorum: V, 7013. 7017. 7031.

§ 15.

Num inter se differant seviri et seviri Augustales.

Porro in hunc locum, ubi de statu sevirum seu Augustalium agitur, cadit etiam ea quaestio, num nomine *sevir* et nomine *sevir Augustalis* condiciones diversae indicentur. Ut autem scias, ubi aut *seviri* aut *seviri Augustales* reperiantur aut frequentiores aut rariores vel nulli, tabulam breviter concinnavi, quam proponam:

Hispania:	seviri et seviri Aug.,	hi frequentiores.	Tabula.
Galliae Narb. et Lugd:	**seviri Aug.**	prope solum.[1]	
Tituli Rhenani:	**seviri Aug.**	solum.	
Helvetia:	**seviri Aug.**	prope solum.[2]	

[1]) *Seviri* nude singuli quinquies tantum, (Herz. 411. 360. 493. 530 [quem Allmer et Terrebasse non receperunt]. 612.) pro ordine in septem titulis inveniuntur. (Herz. 17. 116. 418. 419. Boiss. VI, XXXIII. XXXIV. Wilm. 2506.)

[2]) Excepti sunt duo tituli Momms. I. H. 92. 121; nam n. 5 et 27 ad Mediolanium pertinent.

Gallia Cisalpina:

Istria: et seviri et seviri Aug., hi frequentiores.

Aquileia: Forum Iulii: Ad Tricesimum: Concordia: Opitergium: Tarvisium: Altinum:	seviri soli.
Ferrara:	
Ateste: Patavium: Vicetia: Verona:	seviri et seviri Aug. fere pari numero.
Brixia et alia quaedam oppidula:	seviri et seviri Aug., hi multo frequentiores.

regio XI et IX: seviri et seviri Aug., hi multo rariores.

Cetera Italia: seviri et seviri Aug., hi multo frequentiores.[1])

Dalmatia: seviri soli.

Britannia: sevirum exhibet unus qui huc spectat titulus.

Seviri et seviri Aug. non sunt diversi.

Qui hanc tabulam percurrerit, certe in eam opinionem ipse incidet, nihil fere interfuisse inter duo nomina, sed solum ex cuiusvis regionis consuetudine pendere, utrum ubique frequentius usurpetur. Quam opinionem cum Zumptius quoque expressisset,[2]) contra Henzenus *seviros Augustales* eos coniecit appellatos esse, qui seviratu perfuncti in ordinem Augustalium transissent, *seviros* eos, qui ad honores municipales posthac accessissent.[3]) Ad hanc autem coniecturam hi duo errores eum deduxerunt: unus quod *seviri* et *seviri Augustalis* nomina ubique simul in usu fuisse, alter, quod illum a seviratu ad honores decurionales transitum ubique inveniri ratus est.[4]) Quod utrumque falsum esse nunc titulis plenius collectis et secundum oppida digestis luculentissime patet. Ceterum mihi in promptu sunt argumenta idonea ad Henzeni opinionem reprobandam. Quorum summa haec est, quod et libertini et ingenui inter *seviros* in universum totidem

Henzeni opinio refutatur.

---

[1]) V. c. Valeriam seviri nude prope prorsus deficiunt.

[2]) p. 62. [3]) p. 211.

[4]) *haben wir nun allerdings auch städte mit blossen sevirn, so bin ich dennoch geneigt, dies lieber aus dem felen von monumenten . . zu erklären* etc. . . *da das . . verhältnis des übergangs von Augustalen zu municipalämtern sich überall findet.* l. l.

reperiuntur quot inter *seviros Augustales*,[1]) nimirum ubi duo nomina simul in usu sunt. Ita Taurinis tres (V, 7027. 7030. 7036), Pollentiae unum (V, 7670), Bagiennis duos (V, 7678. 7722) habemus *seviros Aug.* ingenuos, Comi unum, qui idem est decurio (V, 5257). Ex contrario libertini inter *seviros* reperiuntur paene innumeri. Id quoque hic afferre iuvat, quod in tit. V, 6896 *Q. Petilius Q. f. Saturninus mil. leg. XXII Primigeniae aedilis II vir* idem dicitur *VI vir Augustalis*, cum pater *Q. Petilius Clemens*, qui nescio an fuerit libertinus, *VI vir* appelletur.

At malit quispiam ita discrimen statuere, ut omnino omnes, dum seviratu fungerentur, *seviri* sint nominati, posthac autem ut ordinis socii *seviri Augustales*. Sed huic opinioni documenta non magis suffragantur. Immo sicut sacerdotes annui *seviri Augustales*, ita seviratu defuncti *seviri* saepe vocantur. Ut pauca afferam exempla, sex libertinos munere annuo fungentes in II, 3249 *sexviros Augustales* dici reperimus. Tum ordo modo *sevirum* modo *sèvirum Augustalium* nomine in eodem titulo haud raro appellatur. cf. Or.-H. 7335. Or. 3902. Deinde in titulo Barcinonensi II, 4541 *L. Flavius Chrysogonus* dicitur *IIIIII vir Aug.*, contra in Tarraconensi II, 4297 postea, ut opinor, posito *sevir (mag. Larum Aug.)* Porro in uno titulo Herz. 360 idem homo modo *sevir Aug.*, modo *sevir* vocatur. Denique in cippo Veronensi V, 3429 *L. Stlanius Homuncio* cum semel accuratius dicatur *sexvir Aug. et Neronien(us)*, iterum breviter dicitur *sexvir*. Sed haec de hac re hactenus, nam dies me deficeret, si vellem enumerare, quaecunque possum.

Alia coniectura reprobatur.

§ 16.

De seviris Aug. Mediolaniensibus. De seviris iunioribus et senioribus.

Verumtamen relinquitur, ut unius oppidi mentionem faciam, ubi revera nudum *seviri* nomen etiamsi non s o l i tamen s o l u m habent ei, qui ex ingenuis seviratum suscipere dignantur eo consilio, ut inde tamquam a gradu inferiore ad honores de-

---

[1]) De Mediolaniensibus mox separatim disseram.

curionales escendant. Hoc est Mediolanium. De cuius urbis Augustalibus quoniam Mommsenus in V, p. 635 s. fusius egit[1]), satis habeo gravissima breviter complecti. Inveniuntur igitur Mediolani ab una parte *sexviri et Augustales* vel *sexviri Aug.*, ab altera *sexviri* nude. Atque horum quidem cum maxima pars sint ingenui, contra illi universi[2]) sunt condicionis libertinae. Deinde cum inter *seviros* non desint honorati, de *seviris Aug.* nulli plus respublica impertivit quam ornamenta decurionalia. Idem vero discrimen certe intercessit inter *seviros iuniores* et inter *seviros seniores* seu *seniores et Augustales,* quae appellationes praeterea Mediolani in usu fuerunt. Habemus igitur in hac urbe frequentissima seviratum et honoratiorem et minus honoratum, de quibus illum praecipue libertinorum filiis tributum esse Mommsenus feliciter mihi videtur tam coniecisse quam observasse. Videtur denique, ut summam faciam, universa Augustalitas in hunc fere modum ibi fuisse constituta: Sex homines, partim, ne dicam dimidium, ingenui, sed plerique libertinorum filii, partim libertini quotannis a decurionibus seviri facti sunt. Hi omnes, sane dum funguntur, *seviri* nude dici potuerunt. Anno muneris praeterlapso utrique in sevirum ordinem transierunt, verumtamen duas centurias fecerunt inter se diversas, unam ingenuorum, alteram libertinorum. Illi iam *seviri iuniores* vel *seviri* nude appellati sunt, hi *seviri seniores* vel *seviri seniores et Aug.* vel *seviri et Aug.* vel *seviri Aug.* Quibus autem de centuria iuniorum honores publici posthac contigerunt, ei eo ipso ex ordine secundo transierunt in ordinem decurionum. Haec vero peculiaris instituti sevirum forma prorsus eadem alibi nusquam reperitur. Nam verbi caussa Comi et Laude etsi inter *sexviros* nude multi sunt ingenui nec non honorati, tamen *sexviri Augustales* cum Laudem plane deficiant, Comi partim item sunt ingenui et decuriones. Verum sola sevirum in *iuniores* et *seniores* divisio etiam alibi reperitur:

Seviri plerumque ingenui, seviri(et) Aug. libertini.

seviri iuniores-seniores.

Aliorum oppidorum seviri iuniores et seniores.

Laude V, 6356: M. Cuppelius Chariton VI vir senior Laude.
Vercellis V, 6663: I. Meteli . . Veri VI vir. iun. . .
6665: Q. Octavius Heraclides sexvir iun. et Aug.

---

[1]) Videas tamen, quae contra eum animadverti p. 21 s. 24. 31.
[2]) V, 5688 pro *M. f.* legi oportuerit *M. l.*

Taurinis V, 7026: A. Curtius A. f. Primus sexvir iun.

Hos quattuor titulos iam Mommsenus composuit[1]. Adicio Novariensem V, 6518: .. P. Ateroni P. lib. Chresti VI vir. et Aug. s. c. d. d. . . . . porro, quamvis dubitans, Veronensem V, 3438: (= Or. 2371): C. Veronius Carpus VI vir Cl. mai . . . . denique Wormatiensem Bramb. 904: C. Candidio Martino IIIII vir. Augustali c. senio. — Nec silentio transibo fortasse etiam huc referendos esse duos titulos Polenses perquam corruptos:

Seligio [sevi]r. Aug. Polae [c. senio?]rum. .. V, 72 et
[c. sen]iorum IIIII .. V, 77.[2]

Namque in Novariensi compendia ita censeo solvenda esse: *senior creatus decurionum decreto*. Si enim Novariae — id quod suspicor — exstiterunt *sexviri seniores et Aug.* et *sexviri iun. et Aug.* (cf. V, 6665), mea quidem sententia etiam ita dici potuit: *sexvir et Aug. sen.* vel *iun.* Cetera autem simplicia sunt. In Veronensi dummodo *VIvir* (*Claudialis*) *maior* recte intellegatur, quod mihi non videtur veri dissimile[3], hoc nomen idem significare quod alibi *sexvir* . . *senior* crediderim. Quamquam eo offendimur, quod inter sexaginta fere sevirum titulos Veronae repertos non plus unum exstat illius generis exemplum; nisi forte licet putare divisionem illam Veronae aliquando institutam, sed mox rursus sublatam esse. In titulo autem Wormatiae eruto, cuius notas Brambachius ita solvit: *c*(*ivium*) *senio*(*rum*?)[4], et in Polensibus nescio an legi possit: *c*(*enturiae*) *s*(*eniorum*). Namque centurias, etiamsi in seviris alibi non sunt obviae, tamen omnino in collegiis haud raro commemorari notum est.[5] Quod utut est, quaenam in omnibus his oppidis fuerit huius divisionis ratio, ex paucis quae servata sunt exemplis accurate definiri nequit. Solum id contenderim eam in nonnullis diver-

---

[1]) V, p. 636 adn. Vide tamen, quod de primo et quarto Mommsenus ibidem exposuit et de quarto praeterea in adnotatione ad ipsum hunc tit. adiecta.

[2]) In tit. Or. 3916: .. *P. Onicius Veleiatium lib. Sen. Aug. IIIIII vir* .. Sen(ior) cognomen est.

[3]) cf. Or.-H. III p. 200. Zumpt. p. 34 adn. 2.

[4]) indic. p. 383. [5]) cf. Wilm. II, p. 637. ind.

sam fuisse a Mediolaniensi. Hoc suadet diserte *sexvir iun. et Aug.* libertus in V, 6665. Ad hoc videas, quae ex V, 6518 modo coniecimus.

§ 17.

Num seviri Aug. cum aliis collegiis coniuncti fuerint.

Hic, ubi de statu Augustalium nobis res est, amplius non erit praetermittenda quaestio a doctis hominibus etiam atque etiam agitata, num Augustalibus cum aliis quibusdam collegiis nonnumquam fuerit arta coniunctio. Etenim maxime omnium Borghesius, lumen illud disciplinae nostrae, opinionem defenderat, in quibuscunque oppidis iam antea constituta fuissent artificum vel libertinorum collegia, his etiam Augusti cultum deinde fere esse demandatum.[1]) Contra quem iam Zumptius quaedam recte monuit[2]); sed multo accuratius et testimoniis plenius adhibitis Henzenus totam materiam tractavit.[3]) Itaque ad eum potissimum legentes essem revocaturus, nisi in nonnullis ut ei adversarer, partim tituli me adducerent tunc temporis Henzeno nondum cogniti, partim nova cognitorum deliberatio. Et quo commodius legentes ipsi possent de his rebus iudicium sibi conformare, documenta ex quibus maxime controversia oritur digesta proponere constitui.

(Margin: Borghesius. Zumpt. Henzen.)

(Margin: Documenta componuntur.)

1. Aug. sacr. C. Iulius Macrini lib. Martialis IIIII vir M. M. ob honor.	III, 1769.	Naronae.
2. Divo Aug. sacr. *nomina sex libertorum* IIIII vir. M. M. ob h. . . .	III, 1770.	
3. Mercurio Aug. sacr. *quinque nomina libertorum* IIIII viri M. M. ob hon.	III, 1792.	
4. *duo liberti* IIIII vir M. M. ob h. .	III, 1798.	
5. *libertus* IIIII vir M. M. ob h. . .	III, 1799.	
6. Genio plebis sacrum *quattuor libertor. nomina* IIIII viri ob h. M. M.	III, 1775.	
7. *Quattuor liberti* IIIII viri ob h. M. M.	III, 1800.	
8. P. Annaeo . . [se]viro M. M.[4]) .	III, 1827.	

---

[1]) bullett. 1842 p. 101—109. [2]) p. 53—55 cf. p. 80.
[3]) p. 307—309.
[4]) III, 1801 omitto, ut qui sit nimis corruptus.

9.	.. Q. Vibiedius Philargyrus minist. Lar. Aug. et Aug. Merc.	I. N. 309.	Grumenti.
10.	P. Titio Viatori Aug. [M]erc.[1]) .	I. N. 310.	
11.	L. Turcius Dafnus Aug. Merc. .	I. N. 311.	
12.	C. Oc[tavio C. l.] Phila[rgyro] mag. Mer. A[ugust.]	I. N. 465.	Brundisii.
13.	.. L. Audius L. l. Philogenes Merc. et Aug.	I. N. 565.	(Mesagne).
14.	L. Sattio L. l. Phileroti magistro Mercuriali et Augustalei . .	I. N. 2006.	Nolae.
15.	P. Servilius P. l. Successus Aug. gratis Ca[i]atia mag. [Merc.][2])	I. N. 3922.	Caiatiae.
16.	.. patrono ordinis Augustalium Martinor	I. N. 5695.	Cassioiis.
17.	Q. Vario Lucano seviro Aug. Mart. pat. coll. fabrum cur. ann. frum. populi	I. N. 5696.	
18.	M. Staio M. et Ↄ. lib. Lygdamo Apol. eidem Aug. HS. XV . .	I. N. 961.	Luceriae.
19.	L. Ducen. Atimet. Patavi Aug. Conc.	V, 2525.	Patavii.
20.	M. Varron[ius] Stephanus VI vir Aug. C[onc.]	V, 2875.	
21.	V. f. s. et s. L. Terentius Auctus Conc. August. L. Terentio Optato filio Conc. [3])	V, 2872.	
22.	.. ssius Eutychus Concordial. Augustal. .. Q. Cass. .. Q. l. Hiceti .. Concord. . Augustal.	V, 3130.	Vicetiae.
23.	M. Tusculanio Amiantho mag. aeditu. Castoris Polluc. Augustalium h. l.	Wilm. 1764.	Tusculi.
24.	.. item Augustales aeditui (Or.-H. 6099 =)	Wilm. 1765.[4])	

---

[1]) corr. Momms. pro *Herc.*, quod est in lapide.

[2]) Emendationes Mommseni; in lapide: *Galatia MAG .. ALIA.*

[3]) Spatium vacuum remansit ad recipiendum vocabulum *August.* cf. Furlanetto, museo d'Este n. XV. Borghesi, bullett. 1842 p. 108. Momms. V, p. 268b. — cf. V, 2307.

[4]) Tit. est Romae repertus.

25. .. P. Flavius Palestricus H. A. M. Trebonius Tiburtinus H. A. .	Or. 1662.	Tibure.
26. .. L. Mucius Nicephor. mag. Hercul. Aug.	Or. 1754.	
27. .. C. Albius Livillae l. Thymelus Herc. Augustalis	Or. 2679.	
28. P. Mummio P. f. Gal. Sisennae .. cos. auguri *etc.* .. patrono municipii cur. fani H. V. .. Herculanei Augustales .. *in sinistro latere:* curantibus P. Ragonio Saturnino et C. Manlio Marciano q. ordinis Augustalium Tiburtium . . . . (Or. 3933 =)	Or.-H. 6499.	
29. Ti. Claudio Salviano Herculano Aug. gratis creato duplicario .	Or. 3934.	
30. T. Trebulano T. f. Cam. Nepoti Herc. Aug. T. Trebulanus T. lib. Nepos Herc. Aug..	Or.-H. 6065.	
31. C. Maenio C. f. Cam. Basso aedili IIII viro mag. Herculaneo et Augustali .. (*37 p. Chr.*) . . .	Or. 3434.	
32. .. VI vir. Herc. Aug. Tibur. patrono	Mur. 190,7.	

Mercuriales Naronae a seviris diversi.

Iam in titulis Naronensibus, unde exorsus Borghesius omnino hanc quaestionem movit, notis *M. M.* magistros Mercuriales significari postquam Nisiteus coniecit ac Borghesius rationibus confirmavit, nemo non concessit.[1]) Contra distinguendum esse inter magisterium Mercurialium et seviratum ut inter duo munera diversa ex n. 4 et 5, ubi seviri ob honorem M. M. aliquid dicuntur dedicasse, Zumptius recte confecit. Quo loco id quo-

[1]) Convenirent quidem litteris *M. M.* praeterea et *magistri Minervales* cf. V, 7565. 7462. 7497. et *magistri Martinorum* I. N. 5697. Sed *Mercuriales* cum omnino saepius commemorentur, tum ad Naronam quadrant, ubi Mercurii cultum constat praecipue floruisse. Accedit quod Mercurialium collegia constabant imprimis ex mercatoribus opulentis, (cf. I. N. 1521. 1522. cf. Liv. 2, 27. Borgh. l. l. p. 103. cf. Momms. ad I, 804 et 805) qui optime essent idonei ad Augustalitatis munera sustinenda.

que mihi memoratu dignum videtur, quod in utroque titulo a quattuor hominibus fit dedicatio. Unde suspicor quattuor magistros usque Mercurialibus Naronae praefuisse. Ceteri vero tituli, omisso, ut par est, sepulcrali n. 8, de dedicationibus ob honorem seviratus factis vereor ne accipiendi sint; itaque in n. 2 sex libertini nominantur ut dedicationem facientes. Quae cum ita sint, arbitror talem fere fuisse harum rerum ordinem atque rationem: Haud paullo ante quam honores divinos Augusto offerre in usum venit, ut alibi ita Naronae locupletissimus quisque libertinus, maxime mercatores, in collegium coierunt, quod a Mercurio mercatorum patrono nomen traxit. Qua ratione consentaneum est auctoritatem quandam et locum in civitate insignem et a reliqua plebe separatum paullatim eos sibi comparasse. Idcirco decuriones, cum de plebeiis Augusto sacerdotes facere semel animum induxissent, ex Mercurialibus quin eos maxime eligerent fieri non potuit. Unde evenit, ut Augustales vel plurimi vel etiam omnes eidem essent Mercuriales. Contra Mercuriales non puto eosdem omnes fuisse Augustales.[1])

Aliorum oppidor. Mercuriales, Apollinares.

Atque similiter etiam cetera quae supra congessi exempla mihi videntur esse explicanda. Nam Nolae et in oppido inc. n. 13 Mercurialium et Augustalium collegia separata fuisse docet particula *et* duobus nominibus interposita. Neque magis in exemplo Caiatino n. 15 id ambiguum esse potest. Rudiis autem manifesto utrique discernuntur in I. N. 445: *decur. sing. HS XX N. Augustalibus HS. XII N. Mercurialibus HS X N*.. Brundisii Mercuriales, qui non sunt Augustales, inveniuntur in titulis I. N. 466 et 467. Porro Luceriae Apollinares et Augustales inter se discrepasse cum ex ipso n. 18 satis eluceat, tum demonstrant I. N. 959 et 960, ubi Apollinares nude commemorantur. Ac ne Patavii quidem cum Concordialibus Augustales plane coniunctos fuisse Henzenus recte videtur statuisse.[2]) Primum enim complures habemus Concordiales nude (V, 2307. 2843. 2865. 2869. 2872. 2874); deinde in n. 21 cum pater dicatur *Conc. August.*, filio solus tribuitur *Concordialis* titulus, sed, ut in V, 2307, spatio relicto ad maiorem Augustalitatis

Concordiales Patavi.

---

[1]) Hoc loco plane consentio cum Borghesio p. 107 inde a verbis: *In questo caso* . . usque ad: . . *ma non viceversa*.

[2]) p. 210.

honorem posthac adiciendum, scilicet quando eam nactus esset.
Mercuriales Grumenti. Ex n. 9 autem fortasse tantum colligere licet, Augustales et Mercuriales Grumenti inter se arctiorem habuisse coniunctionem quam utrisque erat cum ministris Larum. Scilicet Augustales ex Mercurialibus fere sumebantur. Contra eos unum fecisse ambos collegium num iure inde concludatur, dubito. Etiam
Augustales Martini. Carseolis quod ordo *Augustalium Martinorum* (n. 16) commemoratur, non sufficit ad horum confusionem comprobandam. Nam decuriones potuerunt, veluti Naronae ex Mercurialibus, ibi ex Martinis seviros eligere, ut illud nomen eorum ordini merito inderetur. Nec deest *mag(ister) Mart(inorum)*, qui non est *Augustalis* I. N. 5697.

Augustales aeditui Tusculi. Tusculi vero quispiam ambigat, num *aeditui* (*Castoris Pollucis*) *Augustales* ad hoc institutum, de qua quaestionem nos instituimus, omnino pertineant. Fortasse id fuit collegium privatum, quod in Tyndaridum templo consistebat eorumque cultui primum soli erat addictum. Nam etiam praesto sunt tituli *aedituorum* solum *Castoris et Pollucis* (Wilm. 1763. 1766). Posthac fortasse religionem Augusti ad cultum vetustiorem adiecerunt et ab eo tempore *aeditui Augustales* appellati sunt. Certe complures tituli testantur seviros Augustales volgares praeterea Tusculi exstitisse (Wilm. 1730 et Or.-H. 7106 et H.
Herculanei et Aug. Tibure. p. 309). Denique ne Tibure quidem quam inter *Herculaneos* et *Augustales* reperimus necessitudo diversi videtur fuisse generis. Immo illorum collegium ditiores omnes usque adeo, opinor, complectebatur, ut cum Augustales fieri inciperent, ex Herculaneis prope solis sumendi essent. Itaque *Herculanei Augustales* eorum ordo iure vocabatur. Cuius sententiae argumentum haud scio an contineatur in n. 28. Quod enim ibi ut dedicantes nominantur *Herculanei Augustales*, curantes autem duo quaestores *ordinis Augustalium Tiburtium*, Herculaneos Aug. et ordinem Augustalium non re, sed solo nomine differre probabile est. Tum magistri usui Augustalium omnino non conveniunt (n. 26. 31) et quod in n. 31 honos *magistri Hercul.* cum honore *Augustalis* particula *et* copulatur, duo munera diversa significari videntur. At ut in nonnullis, quae hic exposui, erraverim, tamen id, opinor, concedes, etiam Henzeni sententiam dubitationi minime exemptam esse. Utique autem

ad impugnandam legem principalem de sevirum statu a nobis inventam hinc argumenta repeti nequeunt. Nam tam paucae exceptiunculae, si quae fuerint, contra innumerabilium testimoniorum consensum nihil possunt.

§ 18.

Num etiam posteriorum imperatorum cultum seviri Aug. susceperint.

Priorum sententiae.

Proximum est, ut quaeratur, posteriorumne imperatorum cultus seviris Augustalibus simul demandatus sit, an in eorum honorem proprii seviri praeter Augustales sint instituti. Qua de re Zumptius [1]) quidem sodalium Augustalium urbanorum usu comparato ita iudicium fecerat, ut non solum sacra totius gentis Iuliae Augustales administrasse, sed etiam ceterorum imperatorum cultum eisdem curae fuisse diceret. Itaque qui vocarentur *sexviri Claudiales* vel *Augustales Claudiales* aut *Flaviales*, omnes eosdem esse seviros. Contra Henzenus [2]), licet illius sententiam non prorsus reprobaret, tamen in compluribus oppidis separata collegia in honorem Claudii, Flaviorum, aliorum constitisse contendit. Quae quidem ratio Mommseno [3]) quoque magis videtur placuisse. Iam hic habes documenta, in quibus nititur controversiae diiudicatio:

Exemplorum recensus.

1. .. [Stlani]o Polyclito [.. sex] vir. Claud.	V, 3430.	Veronae.
2. .. Q. Tuticani Q. f. Erotis grammatici Latini VI vir. Cl. ornam. decur. honorato Veron.	V, 3433.	Veronae.
3. .. C. Veronius Carpus VI vir. Cl. mai.	V, 3438.	Veronae.
4. L. Aufilienus [Ab]ascantus VI vir II Cla. et Aug.	V, 4008. (Avione)	Veronae.
5. .. T. Sextius Basiliscus Aug. Claud.	V, 7493.	opp. inc. (Chieri).
6. M. Clodius M. [l.] Sabinus VI vir Claudial.	Mur. 191, 5.	Bononiae.
7. .. Q. Poblicius Modestinus sevir et Claud.	Or. 2493.	Bononiae.

[1]) p. 33—37. [2]) p. 291 s. [3]) cf. V, praef. ad tit. Laudis Pomp.

8.	.. C. Fundani Eucharisti Claudialis	bull. 1858, p. 25	Regii Lep.
[9.	.. M. Antonius M. f. Ga[bal]a Cl. Aug. (*a. 186*) . . .	Or.-H. 5485	opp. inc. (Romae).]
10.	.. L. Lollius Orio .. Aug. Claud.	I. N. 1485.	Beneventi.
11.	.. A. Vibbio Ianuario Claudiali Augustali cur. muneris diei unius . .	I. N. 1520.	
12.	C. Arrius C. lib. Corymbus Aug. Claud.	I. N. 1903.	Abellini.
13.	M. Paccius M. l. Narcissus Aug. Cl.	I. N. 1906.	
14.	L. Stlanio Homuncioni IIIIl vir. Aug. et Neronien. *ab altera parte*: .. L.] Stlanio Homuncioni .. sexviro p[atrono]	V, 3429	Veronae.
15.	Q. Caecilio Telesphor. VI vir. Flaviali Cremon. et munerar. . . .	V, 4399.	Brixiae [1])
16.	P. Valerius Crispinus IIIIl vir Flavial.	V, 4968. (Eseni)	
17.	.. L. Caesius Asiaticus VI vir Flavialis	V, 6353.	Laude Pomp.
18.	.. M. Minicius Euthycus VI vir Flavialis	V, 6369.	
19.	.. C. Baburius Melissus VI vir et [Fl]avialis	V, 7018	Aug. Taurin.
20.	.. L. Vibullio Montano .. VI vir. Aug. Flaviali	V, 7509.	Aquis Statiell.
21.	C. Valerius Ɔ. l. Sceptus VI vir Aug. Flavialis	V, 7511.	
22.	.. L. Cancrius Clementis libertus Primigenius sexvir Augustalis et Flavialis primus omnium his honoribus ab ordine donatus . . .	Wilm. 2100 (= Or. 3726. 1228)	Tuderte.

[1]) n. 15. 16 sunt attributionis non satis certae.

23. .. P. Servilius ... IIIII vir [August. Flav]ialis [Titialis] Nervialis . .	III, 1768.	Naronae.
24. .. C. Vibio Severo IIIII vir. annor. XXV C. Vibius Ingenus pater IIII[I]I Augustalis Flavialis Titialis Nervialis . . et C. Vibio Primigenio IIIII vir. liberto	III, 1835.	Naronae.
25. .. sevir Anton[inianus]	II, 4308.	Tarracone.
26. C. Valer. C. f. Vel. Eusebeti IIII v. i. d. IIII v. i. d. qq. patron. Sept. Aureli. Aug. IIIII vir.	V, 1012.	Aquileiae.
27. .. L. Lucretio Nicephoro seviro Augustorum. (*litt. saec. II*) . .	II, 4300.	Tarracone.

Argumenta probantia.

Quae si oculis perlustraveris, certe miraberis, cum Augustalium exstent titulorum plura milia, ceterorum imperatorum seviros non commemorari nisi fere in triginta. Quod enim earum Italiae partium, quarum corpus inscriptionum nondum est confectum, nonnulla exempla in recensu meo fortasse praetermisi, ad summam rei nullius est momenti. Quapropter de duobus alterum utrum certe erit statuendum: aut similes honores atque Augusto ceteris imperatoribus in perexiguo tantum municipiorum numero oblatos esse, aut in plerisque Augustales eorum quoque cultum suscepisse nomine antiquo propterea non mutato. Sed illud vix quisquam obtinebit. Exempli gratia Claudium sicubi convenit divino honore affici, in Galliis cum Narbonensi tum comata iustam habuisse venerationem oportet.[1]) Verumtamen Claudialium, nedum Flavialium, memoria in istis provinciis nulla est servata. Neque vero quidquam obstat, quin Augustales censeamus nomine suo retento etiam posteriorum imperatorum caerimonias simul curasse. Quo loco monendum est, sodales quoque Augustales, cum toti genti Iuliae essent sacrati, tamen nomen primo acceptum posthac plerumque non auxisse vel mutasse. Nam in magna inscriptionum quae ad eos spectant copia quinque tantum exstant *sodalium Augustalium Claudialium* exempla.[2]) Porro in nonnullis saltem eorum oppi-

---

[1]) cf. Tac. ann. XI, 23—25. Herz. p. 110. 165—9. [2]) cf. Dessau, de sodalibus et flaminibus Augustal. eph. epigr. III, p. 211.

dorum, in quorum monumentis *Augustales Claudiales* vel *seviri Aug. Flaviales* inveniuntur, tamen Claudii vel Flaviorum cultum seviris Augustalibus simul esse commissum adhuc omnes concesserunt. (Conferas quod de Benevento, Abellino, Aquis Statiell. Henzenus iudicat.) Quae cum ita sint, nonne probabiliter conicitur in paucis quoque quae supersunt municipiis non aliter rem se habuisse? Accedit ad hanc opinionem confirmandam, quod maximam partem illa non affluxerunt tanta multitudinē hominum fortunatorum, ut oneribus adeo cumulatis possent respondere. Itaque ni gravissima afferentur argumenta, quae opinionem contrariam nobis inculcent, certe magis inclinabimus ad credendum seviros separatos in posteriorum imperatorum honorem nusquam esse institutos. Ergo videamus, quibus rationibus adversarii suum iudicium fulserint.

Rationes adversariorum refelluntur.

Ac primum quidem Henzenus ratus est nomine *Claudialium* (n. 8) sive *sevirum Claudialium* (n. 1. 2.) aut nomine *sevirum Flavialium* (n. 15—18) solo Augustales significari non potuisse.

Augustales Claud. cet. plenis nominibus non semper utuntur.

Sed quem ad modum *Augustales Claudiales* et aliorum divorum *sodales* non plenis nominibus plerumque usi sunt, sed elegerunt nomen aliquod deductum ab eo imperatore, qui eorum, quos colerent sodales, optima fama floreret [1]): ita seviros municipales consentaneum est neque plenis semper nominibus usos esse et nomen suum mutasse, prout temporum ratio videretur postulare. Scilicet cum Claudius ad regnum pervenisset, ut eius gratiam sibi conciliarent, pars quidem sevirum illius cultum capessiverunt [2]) nomine vetere servato, pars vero modo nomen ab eo tractum priori nomini simpliciter adiecerunt (n. 5. 10. 12. 13), modo *Claudiales* (*et*) *Augustales* se nominaverunt Claudii nomine anteposito (n. 4. 11), modo denique Augusti memoria omnino suppressa *Claudialium* nomine solo usi sunt (n. 1. 2. 3. 6. 7. 8). Claudio autem mortuo huiusmodi appellationes usurpari paullatim desierunt. [3]) Neque enim possum

---

1) cf. Mommsen., Wilmanns. apud Dessau l. l.

2) Nam vivis imperatoribus seviri instituebantur.

3) Etiam Henzenus arbitratur collegia in posteriorum imperatorum honorem instituta brevi interiisse reliquiis in magnum Augustalium corpus receptis p. 292.

mihi persuadere in titulo n. 9 a. 186 p. Chr. posito *Claudialem Augustalem* ab Henzeno recte esse intellectum. Immo notam CL, si modo lectio certa est, de Claudia tribu malim accipere cognomini postposita, ut nonnumquam invenitur cf. Or.-H. 5988. V, 7533. Contra post Claudii mortem, qui sumpsit nomen IIIIII *viri Aug. et Neronieni*, (n. 14) temporibus optime servivit. Eodem modo Flaviis vel Nerva imperantibus inveniuntur ab una parte *sexviri Augustales*, ab altera et *sexviri Augustales Flaviales* (p. 20. 21. 22) vel *Aug. Flaviales Titiales Nerviales* (n. 23. 24) et *sexviri Flaviales* nude. *Sexviri Flaviales Augustales* forte requiruntur. Quocum conferendum est, quod in sodalibus mox nominantur *Flaviales Titiales*, mox *Titiales Flaviales*, mox *Titiales* nude. Nempe id vocabulum, quo Vespasiani fit mentio, mox Titi memoriae praemittitur, mox postponitur, mox omnino suppremitur.[1]) Quamquam in eo res sodalium fuit diversa, quod sane singulis imperatorum gentibus separata collegia sunt instituta eaque durabant etiam gente, cui erant sacrata, exstincta.

Deinde Henzenus argumentum repetivit ex titulo Bergomensi Or. 3932: . . *L. Blandius C. f. Vot. iiiiii vir et Augustalis et flaminalis* . ., nimirum emendatione Zumptii, qui *Flavialis* scribi iusserat, comprobata. At neque per se probabile fuit Flaviorum aetate cognomine quemquam caruisse, et nunc quidem *flaminalis* uti lectio genuina titulo est restituta (cf. V, 5132). Porro Henzenus eo quod in n. 19 dicitur *VI vir et Flavialis* (cf. n. 7 *sevir et Claud.*) putavit manifestum esse, istum hominem fuisse et sevirum Augustalem et Flavialium, collegii diversi, socium. Sed haec interpretatio redit ad falsam illam opinionem, seviros esse magistros Augustalium (vel Flavialium) collegiis posthac praefectos. Ceterum quomodo hae formulae: *VIvir et Flavialis, sevir et Claudialis* revera essent intellegendae, supra docuimus (p. 25). Gravissimum autem opinionis suae documentum Henzenus duxit titulum Tudertinum n. 22, in quo est *sevir Augustalis et Flavialis primus omnium his honoribus ab ordine donatus.* Quodsi tunc Tuderte, ait, Augustales et Flaviales in unum collegium fuissent redacti eisdemque seviris

De tit. Or. 3932.

De tit. V, 7018.

De tit. Wilm. 2100.

[1]) cf. Dessau l. l. p. 112.

usi essent, non *his honoribus*, sed *hoc honore* dicendum fuisse. Scilicet ita ille quidem tituli verba interpretatur, quasi tam Flaviales quam Augustales etiam ante L. Caucrii seviratum aliquamdiu exstiterint, sed ei primo uterque honor obtigerit. At enimvero cui id exprimere in animo fuisset, certe non omisisset diserte addere: „his *duobus* honoribus *simul*“ vel tale quid. Mihimet titulo, ut est compositus, plane diversa videtur subesse sententia. Scilicet Flaviorum cultum tunc maxime iudico Tuderte primum receptum vel certe seviris demandatum esse. Inde igitur ab eo tempore diebus festis non solum gentis Iuliae sicuti priores sed etiam Flaviorum ut sacra obirent seviri in universum decretum est. Atque L. Cancrius forte primus fuit, in quem revera hoc decretum valuit. Quia autem Flaviorum cultus quasi novum munus priori sexvirum muneri tunc videbatur adiunctum, *honores* numero plurali quam singulari *honorem* seviratum suum significare iste quidem maluit. Cui interpretationi quid obstet, non video, contra ut comprobemus eam, non Henzenianam, omnia suadent. Nec desunt praeterea singula quaedam argumenta certissima ad sententiam meam confirmandam. Sic L. Stlanius (n. 14), qui in una lapidis parte dicitur *Iiiiil vir Aug. et Neronienus*, in altera simpliciter *sexvir* vocatur. Unde apertum est hos duos titulos re inter se non differre. Quae cum ita sint, etiam in titulo Veronensi n. 4. verbis *VI vir . . Cla. et Aug.* unum eundemque honorem indicari probabile est. Ad hoc qui voluit duo munera significare, ei sic fere dicendum fuit: *VI vir Claudialis, VI vir Augustalis*, veluti invenimus: *sodalis Augustalis, sodalis Hadrianalis*. Contra tali formula, qualem habemus in n. 4, duo seviratus diversi notari vix potuerunt. Itaque Veronae quoque seviratum et in Augusti et in Claudii honorem institutum unum fuisse arbitror. Tum in n. 24 quod C. Vibius Ingenus se appellat *sexvirum Augustalem Flavialem Titialem Nervialem*, cum filio et liberto non tribuat nisi simplex nomen seviri, propterea utrumque honorem diversum non esse habendum Mommsenus dudum docuit[1]. „Immo qui titulum posuit, ei placuit de se honorificentius loqui quam de suis.“ Ceterum ex hoc ipso

Alia argumenta.

[1] Hermes I, p. 59 adn. cf. quae in V ad ipsum tit. adnotavit.

titulo veluti ex n. 23 luculentissime apparet seviros non Augusti solius sed omnium imperatorum[1]) cultum curasse. Namque hos duos homines quaternis sacerdotiis diversis cumulatos esse per se ipsum foret veri perdissimile. Postremo haec exempla animadverterim etiam propterea memoratu digna esse, quod eis probatur in municipiis Nervam quoque omni honore divino affectum esse, cum in urbe neque ei neque Traiano sodales sacratos esse constet.[2]) Ad quam rem infra redibo.

In n. 25 *sevirum Antoninianum* revera reperiri, etsi alibi adhuc non emersit, Huebnero pro certo affirmare licuit. In n. 26 autem cave opineris *Septimi Aureli Augusti seviros* intellegendos esse. Immo *Septimianorum Aurelianorum* cognominibus *Augustales seviros* hic ornari Mommsenus rectissime animadvertit. Titulum n. 27, cum ante imperium M. Aurelii et L. Veri compositus esse utique nequeat, ut ad haec ipsa tempora referam, eo adducor, quod Huebnerus litteris saeculi secundi eum scriptum esse docuit. De n. 25. 26. 27.

Pars specialis.

§ 19.

De sevirum Aug. electione.

Quoniam sevirum Augustalium statum in universum adumbravi, nunc singula quaedam descripturus sum, quae ad huius instituti ordinem rationemque spectant. Quo in genere primum de sevirum electione verba faciam. Quodsi quaeritur, cuinam illa curae fuerit, opinio Zumptii, qui *Augustales* quidem a decurionibus, contra *seviros* ab ipsis collegii Augustalium sociis factos esse voluit[3]), prorsus repudianda est. Namque pendet atque emanat ista quidem ex falsa, quam omnino de *sevirum* et *Augustalium* discrimine sibi confinxit, sententia. Nunc autem, ubi demonstravimus totum Augustalium ordinem a seviris originem cepisse, ab *Augustalibus seviros* creatos esse nemo Zumptius breviter confutatur.

---

[1]) Mommsenus dicit Hermes I l. l. „*divi Augusti,*" „*omnium divorum*" — non bene: nam seviros vivis imperatoribus sacratos esse constat. cf. n. 14 et quae infra exponam.

[2]) cf. Dessau l. l. p. 213. [3]) p. 59.

ne cogitabit quidem. Ceterum iam Henzenus[1]) Zumptii errorem ita confutavit, ut in universum ei possim adstipulari, praeterquam quod vellem eum certius de hac re iudicium fecisse.[2]) At sane non potuit ad liquidum quaestionem perducere, qui cum Zumptio in eo erraret, quod seviros fere Augustalium magistros fuisse credebat. Nam decuriones si primum ordinis socios omnes revera fecissent, quidni magistratus ut ipsi sibi praeficerent eis permiserint, parum patet. Sed isto errore abiecto pro certo affirmandum est sólo decurionum decreto seviros esse creatos, nisi forte putes etiam comitiis in hoc negotio quasdam partes tributas esse. Etenim plerumque non indicabatur, a quonam seviri facti essent, quippe quod omnes scirent. In eis tantum, quibus vel gratuito vel iterum seviratus obtigerat, cum satis raro fieret atque augeret honorem, decurionum decreto id factum esse interdum expresse adnotabatur.[3]) Sed quibus potestas fuit iterum vel gratuito deferendi, seviratum eisdem omnino sevirum electionem commissam esse quis est qui non videat? Nec minus quibus licuit seviratu non functos Augustalitatis privilegiis donare (cf. Wilm. 2079), ab eorum arbitrio omnino totius instituti ordinem pependisse verisimile est. Alia argumenta, quae Henzenus attulit, cum repetere supersedeam, in uno paullulum commorabor, quod ille mihi videtur parum pressisse: dico eis tantum sevirum electionem potuisse mandari, quibus etiam potestas esset cogendi, ut electi honorem subirent. Nam quoniam seviratui onera erant iniuncta, quae temporis progressu magis magisque fiebant graviora, consentaneum est posteriore quidem aetate multos seviratum fugisse et ne oblatum quidem sponte accepisse. Cuius rei testimonium

Seviri a decurionibus creati sunt.

---

1) p. 303 s.

2) cf. p. 304: *„ich selbst habe im obigen mer die schwierigkeiten und warscheinlichkeiten auseinandersezen als ein bestimtes urteil abgeben wollen."*

3) III, 1641: . . *Augustal. col. [Rat. gr. f.?] a splendidissimo ordine.* III, 6294: . . *immunitate muner[um] public. concessa ab ordine col. eiusd.* I. N. 3643: . . *Huic ordo decurionum ob merita eius honorem Augustalitatis gratuitum decrevit* . . ibid. 5640. 6129. Or. 3930: . . *VI vir Aug. d. d. gratis factus.* — V, 4405. I. N. 1504: . . *Augustalis iterum in ordine 'dec[urionum factus].* ceterum cf. Henzen l. l.

praebet titulus Peteliae repertus I. N. 79, in quo quidam dicuntur *ad munus Augustalitatis compelli.*[1] Eoque minus id mirabimur, quod etiam honores decurionales multo splendidiores iam mature vitari coepisse accepimus.[2] At haec potestas vim adhibendi eis, qui ad sexviratum evocati non *prosilirent* (I. N. 79), sed tergiversarentur, cum plane deesset ordinis Augustalium sociis, certe fuit decurionibus.

Primum quidem, quamdiu novitatis gratia recenti honori nondum destricta et adhuc maior erat in municipiis numerus eorum, qui divitiis affluerent, opinor suppeditasse, qui ultro seviratum peterent, quin etiam ambitione quadam affectarent. Atque talem fere coniecerim fuisse huius tam petitionis quam omnino creationis ordinem. Qui petere animum induxerat, ad diem constitutam nomen professus est apud IIvirum vel qui alius in municipio potestatem habebat. Tum certe IIviro inquirendum erat, num eius, qui petebat, liceret rationem habere. Nam seviratu arcebantur, qui essent vel non sexus virilis, vel servi, vel infames, vel qui in eo municipio domicilium non haberent. Enimvero servos cum in tanta titulorum qui huc spectant copia adhuc non deprehendimus, tum re ipsa constat sacerdotio publico fungi non potuisse. Infamia autem, qua quidem seviratu quis arceretur, qualis fuerit, accurate definire non possumus. In universum, quibus in curiam intrare ob infamiam non licuisset, eisdem ne seviratum quidem concessum esse consentaneum videtur. Verumtamen in nonnullis rebus moneo hanc regulam neglectam esse. Verbi caussa qui artem ludicram faciunt, eos decuriones fieri per legem Iuliam municipalem non licuit.[3] Contra inter seviros scaenici non desunt.[4] Simili modo, qui praeconium dissignationem libitinamve faceret,

Petitionis et creationis ordo.

Quinam sint a seviratu probiti.

[1]) cf. etiam II, 4514: . . *volo ut libertini mei . . quos honor seviratus contigerit, ab omnibus muneribus seviratus excusati sint* . .

[2]) cf. leg. Malacit. c. LI. — ep. Traiani ad Plin. X, CXIII (ed. Keil 1870.): *qui inviti fiunt decuriones.*

[3]) v. 123.

[4]) I. N. 622: . . *elio Aug. lib. . . elio Apolausto [pa]ntomimo [Aug]ustalium q. q. [ag]oniste temporis sui primo.* . . cf. Friedländer, röm. sittengesch. II, 1864. p. 320. Etiam ornamenta decurionalia eis saepe decernuntur cf. Wilm. 2625. V, 5889.

cum publicis honoribus excluderetur[1]), praeconem quidem eundemque sevirum habemus in tit. Trebulano Mur. 756, 8. Nam qui ibi dicitur *apparitor. X vir.* praeconem esse probavit Mommsenus.[2]) Etiam incolas seviros creatos esse, complures tituli aperte testantur.[3]) Nec minus inde hoc sequitur, quod permulti inveniuntur, qui in duobus vel tribus vel etiam quattuor (Herz. 183) oppidis seviratu functi sint. Contra seviratum alicubi legitime gessisse, qui in municipio domicilium non haberent vel inde abessent, nulla ratione probatur neque per se ipsum verisimile est. Nimirum ne Trimalchio quidem Petronianus iactat se absentem sevirum fuisse, sed solum absenti seviratum decretum esse (v. supra p. 32). Atque munera sevirum partim erant eiusmodi, quae nisi a praesentibus nequirent administrari. — Denique ei, apud quem nomina dabant seviratum petituri, videndum erat, num opibus eo usque florerent, ut muneribus cum honore coniunctis ritu possent respondere. Cuius rei iudicium utrum illius arbitrio fuerit permissum, an posteriore saltem aetate certus census constitutus sit, quam qui haberet ad seviratum suscipiendum esset obligatus, non satis constat. Quodsi quem his condicionibus putabat non satisfacere, eius nomen IIvir non accepit sive dixit se eius rationem non esse habiturum. Si autem, ad quem diem professio fieri oportebat nullius nomine aut sex pauciorum professio facta erat, sive sex pauciorum nomina a II viro essent accepta, tot nomina eorum, quibus seviratum petere per legem liceret, quot ad numerum iustum complendum deessent, ex arbitrio ille proscripsit, ita ut de plano recte legi possent. Tum eis, qui ita proscripti erant, puto licitum fuisse, si vellent, apud IIvirum singulis singulos eiusdem condicionis nominare, idemque nescio an rursus permissum fuerit eis, qui ab illis essent nominati. Deinde de his omnibus IIvir decuriones rogavit, perinde ac si eorum nomine intra diem praestitutam de honore petendo professio facta esset et sua sponte petere coepissent. Iam qui a decurionibus electi erant, si retrectare pergebant, vi cogebantur eorum decreto obtemperare.

De candidatorum nominatione.

[1]) cf. leg. Jul. mun. v. 104. Cic. ad fam. 6, 18, 1.

[2]) de apparitorib., rh. mus. VI p. 45 cf. p. 55.

[3]) c. g. II, 3367. 1643.

Hanc fere rationem in sevirum creatione revera observatam esse cum eo nobis persuadeatur, quod in publicis honoribus deferendis eandem lege praeceptam fuisse accepimus[1]: tum deprehendi indicium in titulo supra laudato I. N. 79. Quod enim ibi legimus: *Hoc autem nomine relevati inpendis facilius prosilituri hi, qui ad munus Augustalitatis compellentur:* quis non videat his verbis aptissime significari rationem eorum, qui quamvis inviti seviratus candidatorum numero adscripti, tamen diutius non retractent neque ad alios conentur munus ab ipsis amotum traicere? Quo loco mihi temperare nequeo, quin moneam rationis persimilis, quae in λειτουργίαις imponendis apud Athenienses valuit. Ibi enim, si cui munus obtigerat, et arbitrabatur alium quendam pro fortunarum amplitudine maiore iure ad illud esse compellendum, ei licuit postulare, ut iste rem familiarem secum commutaret. Quo facto caussa ad iudices delata et ab eis diiudicata est.[2]) Similis usus apud Athenienses valuit.

Amplius fortasse mos erat, ut creatio a decurionibus facta in comitiis renuntiaretur et populi acclamatione comprobaretur. Quae coniectura quamvis documentis expressis careat, tamen eis titulis aliqua ratione defenditur, qui seviratum gratuitum nec non honorem bisellii aut ornamenta decurionalia aut patronatum *suffragio populi* vel *consentiente populo* tributa esse enuntiant.[3]) Utique autem haec comitiorum suffragatio non magni erat momenti, sed pro mera caerimonia habenda est.[4]) De comitiorum suffragatione.

Quem decuriones singulari honore volebant afficere, ei seviratum gratuito deferebant. Qua in re dubitari potest, quibusnam muneribus seviri ita honorati liberati sint. Equidem putaverim plerumque eis non esse remissam nisi pecuniam honorariam. Sed de hac re infra paullo fusius agam. Hoc loco restat, ut de adlectione sevirum et de ornamentis Augustalitatis decurionum decreto collatis quae explorata habeam, adiciam.

---

[1]) Leg. Malac. c. LI. tab. I, 1—25.

[2]) cf. Böckh, Statshaushalt I, 749 ss. Schömann, gr. Altertü. I, 477. 480.

[3]) cf. I. N. 4209. 2342. 2346. V, 5600. I. N. 5360 cf. leg. mun. Malacit. c. LXI.

[4]) Similiter Mommsenus ad V. 5600.

De adlectione.

Seviri adlecti in his fere titulis commemorantur:

1. L. Calpurnio Calai viatori tribunic. accenso a patron. idem allecto IIIIII vir. Aug. vetere Fabrateria . . . . V,3354 Veronae rep.
2. T. Petidio T. f. Fab. Cessino VIII viro aediliciae potestatis VIII vir. II fanor. VIII vir III aerari adlecto supra numer. sevirum Augustalium plebs Trebulana ob merita . . . . Wilm. 2094. Treb. Mutu.
3. .. Aelio Bulimionidi VI viro adlecto Mur. 667, 3 opp. inc. (Romae).
4. .. adlec. in[ter Augu]st. publice.[1] . I. N. 2533. Puteolis.

Zumptius quidem, cum *seviros* Augustalium magistros duceret, quin in hac materia erraret fieri non potuit.[2] Namque opinatur, qui vocentur *seviri adlecti*, sex annuis Augustalium praefectis extra certum numerum adiunctos esse. Attamen a d l e g i alias, v. c. inter praetorios, inter consulares dicuntur ei, qui quamvis praetura, consulatu non functi his ordinibus ita aggregantur, ut eisdem iuribus insignibusque utantur quibus ceteri illis honoribus revera functi.[3] Itaque etiam sevirum adlectio per se ipsa quid velit non ambigo. Certe enim eis, quibus hic honos contigit, seviratu non gesto iura et emolumenta concessa sunt, quibus praeterea non utebantur nisi seviratu functi.

supra numerum adlectus.

At in eo haereo, quid sit illud: *supra numerum adlectus*. Num ordinis sociorum numerus certus erat atque circumscriptus? Ut hoc credam, a memet nemo impetrabit. Cum enim sexviri munere perfuncti quotannis in ordinem transirent, numerus Augustalium maior minorve esset necesse erat, prout ex eis aut plures aut pauciores eodem fere tempore morte absumebantur. Ergo numerum sociorum ordinis definire nullius arbitrio permissum erat. At legentes recordabuntur — quod supra exposui — quotannis non solum novos seviros a decurionibus creatos, verum etiam seviratu perfunctis solemni decurionum

---

[1]) Sed hic titulus num ita sit restituendus, valde incertum est cf. Momms. ad h. t.

[2]) p. 31. [3]) cf. Mommsen. Statsrecht I, 440.

decreto iura Augustalitatis prorogata et nomen *Augustalis* (vel *Augustalis perpetui*) tributum esse. Iam mihi quidem est persuasissimum, hunc perfunctorum sexvirorum numerum intellegendum esse, supra quem qui dicuntur adlecti Augustalium ordini adiuncti sint. Quia quotannis ex ordine Augustales non leguntur nisi sex, qui extra ordinem his sex a decurionibus additur, supra numerum adlectus merito appellatur. Ceterum moneo etiam decreto centumvirum Veientium (Wilm. 2079) atque titulis, de quibus p. 28 ss. verba feci, etsi vocabulum adlegendi in eis non invenitur, tamen contineri eiusdem rei exempla.

De ornamentis Augustalitatis.

Quoniam de adlectione disputatum est, quae de ornamentorum honore dicenda sunt admodum pauca continuo adicere certe in rem erit. Atque alias quidem quibus separatim decernuntur ordinis vel honoris cuiusdam *ornamenta*, accipiunt insignia illius exteriora detractis iuribus publicis, quae fere sunt cum illis coniuncta.[1] At honori Augustalitatis iura ad rempublicam spectantia omnino non conveniunt, immo totus constat in huiusmodi insignibus externis. Quam ob rem tuo iure dubites, quidnam voluerint ornamenta Augustalitatis seorsum collata. Deinde ornamentis honoris fere ei decorantur, qui honorem ipsum adipisci per condicionem suam civilem nequeant. At seviratu cum nemo arceretur exceptis feminis servisque, his vero ne ornamenta quidem Augustalitatis unquam concessa esse censeam, iterum merito quaeras, quis tandem supersit, cui ista potuerint omnino decerni. Ac certe, opinor, non tribuuntur nisi eis, qui licet per condicionem suam seviratum suscipere possint, necessitate prohibeantur. Nimirum unus, in quo ornamenta Augustalitatis commemorantur, titulus Brundisi repertus est sepulcralis, spectat ad mortuum: . . *v. a. LXXX h. s. Huic ordo decurionum f(unus) l(ocum) p(ublicum) ornamentaque Augustalitatis decrevit.* I. N. 464. Seni igitur venerando, quem forsitan opes defecerant ad seviratum subeundum, decuriones non satis habuerunt funus et locum sepulturae publice decernere, sed etiam sevirum insignibus ornatum efferri voluerunt.

---

[1]) cf. Mommsen, Statsr. I, 440 ss.

§ 20.

De sevirum Augustalium muneribus.

Nunc de muneribus sevirum seu Augustalium verba faciam.[1]) Quam materiam parcius perscribam, partim quod iam supra eam tetigi, partim propterea, quod si hoc loco omnia vellem accurate exponere, mihi percensenda esset infinita minutiarum copia. Quarum enumeratione cum mihi tum legenti taedium pararem neque tamen ad naturam Augustalitatis cognoscendam multum conferrem. Eo autem ordine singula munera breviter hic adumbrabo, quo videntur orta esse.

Sacrificia. Ac primum quidem *sacrificia* anniversaria seviris fuisse factitanda diebus festis in honorem Augustorum, Augustarum, principum domus divinae institutis re ipsa patet, licet in monumentis rarior deprehendatur huius rei mentio. Quid enim istis ut Augustorum sacerdotibus magis convenit? Itaque Narbone protinus in constituendo sevirum sacerdotio in perpetuum eis praecipitur, ut certis diebus hostias numini Augusti singulas quotannis immolent et colonis et incolis ad supplicandum numini eius thus et vinum de suo praestent.[2]) Alibi quoque sacrificia ab Augustalibus celebrata nonnunquam commemorantur, velut V, 4203: *ex quorum usuris die Id. Mai. sacr. extis celebretur.* Porro in monumento V, 3386 bisellium cum instrumento sacrificali expressum est, quod certe spectat ad munus L. Safini Rufi sexviri. Aliam id genus imaginem infra paullo uberius tractabo.[3]) Neque vero mediocres impensas inde seviris ortas esse comprehendet, qui secum reputaverit magnum numerum dierum festorum, qui temporis progressu cultui imperatorum seligebantur. Nam debuisse illos certe aliqua ex parte de suo praestare, quae ad sacra peragenda opus essent, consentaneum est.[4])

cenae. Ad munus sacrificiorum *cenas sevirales* accessisse nemo admirabitur, quoniam epulis solemnia concelebrare mos erat antiquitus traditus. Praeterea tunc temporis omnino, qui ma-

---

[1]) Perverse Zumptius de *sevirum* et de *Augustalium* muneribus diversis locis egit p. 37 ss. 69 ss. cf. Henzen. p. 306. et 315.

[2]) Wilm. 104.

[3]) V, 4482.

[4]) Aliter iudicat Zumptius p. 39.

gistratum inirent vel opus publicum dedicarent, ut decuriones municipesque ad epulum vocarent vel sportulas [1]) eis dividerent, erat tritissimum.[2]) Ita etiam a seviris hoc factum esse saepius invenimus v. c. II, 13. 2100. eph. ep. II p. 237 alibi. Ad hoc cum decuriones et seviri „stationes publicas" habebant, vinum ac panem seu crustulum et mulsum seviri adiciebant et tricliniorum instrumentum atque ministerium [3]) subministrabant (cf. I. N. 79).

Praeterea spectaculis dies festos Augustorum prosequi inde ab initio municipiis usus fuit.[4]) Itaque seviris quoque certis diebus *ludos* edendi munus mature reor obtigisse. Documento est, quod in II, 4514 L. Caecilius Optatus, ut liberti sui in posterum seviratus muneribus excusati sint, summam legat eiusque usuras praecipue ad spectaculum quotannis edendum iubet erogari. Ceterum haec nunc iuvat spectaculorum a seviris factorum afferre exempla: ludorum I. N. 2463. V, 8664 (pecunia in ludos legatur); ludorum scaenicorum II, 1108. I. N. 4886. III, 1769; circiensium II, 1479. II, 2100; muneris gladiatorii Or.-H. 7165. Or. 1167.[5]) I. N. 1514. 1520. 1149.[6]) 4040. 4889 (ob honorem biselli). Denique barcarum certamen et pugilum commemoratur in II, 13. Quae spectacula cum pleraque videantur diei unius fuisse, tamen etiam inveniuntur, quae per biduum vel triduum producta sint. (Cf. I. N. 2463 — III, 1769 et fortasse I. N. 4889.)[7])

ludi.

Ad ludorum munus *summam honorariam* se applicuisse aut pro eis aut praeter eos in seviratu auspicando solvendam iam supra[8])

summa honoraria.

---

[1]) De sportularum notione cf. Mommsen., de colleg. et sodal. 1843. p. 108 ss. Henzen. ann. 1844 p. 9.

[2]) cf. Plin. ep. X, 116 ed. Keil. in titulis passim huius rei mentio fit.

[3]) cf. Momms. l. l.

[4]) cf. Suet. Oct. 59: *Provinciarum pleraeque super templa et aras ludos quoque quinquennales paene oppidatim constituerunt.*

[5]) cf. Ritschl, d. tesserae gladiat. p. 61. adn. 1. Hirschfeld, d. kaiserl. verwaltungsbeamten p. 175.

[6]) Titulus ita, opinor, est restituendus: . . *[q]q. Aug[ust. mune]r. edit[o familia g]ladiat[oria s.] p. d. d.* cf. I. N. 4040. 4889. Or.-H. 7165.

[7]) Si modo recte eum ita restituo: . . *edent[i dier. t]riu[m] muner(a) famil. glad.* . .

[8]) p. 38.

exposuimus. Cuius magnitudo quamquam in diversis municipiis potuit esse diversa, tamen in multis duo milia sestertium ex lege solvenda fuisse [1]) crediderim, qua quidem in summa conveniant et titulus Hispanus II, 1934 Lacippone repertus (. . *remissis sibi ab ordine* [*denar.*] *D.* . .) et Italicus Or. 4286, qui Asisi in lucem prodiit (. . *hic pro seviratu in rem publ. dedit HS.* ∞ ∞ [2]). Atqui ambitio persaepe seviros adduxit, ut extra modum legitimum longe prodirent. (Cf. I. N. 951. 4000. 961. V, 8654 et 55. Renier. 1451. II, 3364.) Hanc vero pecuniam arcae publicae inlatam esse cum nonnunquam aperte dicatur (cf. Or. 4286: *in rem publ. dedit*), tum inde apparet, quod ex ordinis decreto solvitur (cf. II, 2100 *ex d. ordinis soluta pecunia*), quod penes ordinem est potestas illius remittendi (cf. II, 1934), quod denique ordinis vel permissu vel iussu opus publicum saepe pro illa dedicatur (II, 3364 *ex duplici pecunia.* II, 1934. II, 3249. Torrem. 13, 29).

Opera publica. Nam sicuti ad ludos honorarium vidimus accedere, ita pro ludis vel praeter ludos et pro honorario vel praeter honorarium *opera publica* varii generis dedicare seviris in morem venit (I. N. 951: *pro munere.* Wilm. 793: *pro ludis.* — II, 3364. II, 1934. Renier. 1451. Torrem. 13, 29: *praeter summam pro honore*). Quas inter dedicationes frequentia primum locum tenent templa vel arae vel signa vel alia huiusmodi deis divis Augustis oblata. Quo in genere exempla singula enumerare infinitum est. Tum haud raro vias vel sternendas [3]) vel stratas reficiendas [4]) vel crepidinibus ornandas [5]) ob honorem seviratus quosdam curasse invenimus. Denique podium in circo [6]), vela [7]) vel proscenium et orchestra in theatro [8]), thermae [9]), horologium [10]), macellum [11]), basilica [12]), porticus [13]), cenatorium [14]), paenula cum columna et ponderibus [15]), nescio quae cetera a

---

[1]) sic etiam Marquardtus, Statsverw. I, 501.
[2]) cf. etiam I. N. 6364: . . *ex d. d. ad stratam refic. HS* ∞ ∞.
[3]) V, 1894. 2535. 2794. Or. 2486. 3950. I. N. 951. 3953. 4346.
[4]) I. N. 6364. [5]) V, 1886. 1887. 2116. [6]) II, 984.
[7]) I. N. 1950. [8]) II, 183. [9]) eph. epigr. II, p. 237.
[10]) Herz. 534. [11]) I. N. 4943. [12]) Herz. 419. II, 2083.
[13]) III, 1516. 1947. [14]) Or. 2493. [15]) I. N. 5793.

seviris aut singulis aut pluribus coniunctis vel primo dedicantur vel reficiuntur vel exornantur.

Iam de his omnibus muneribus quidnam cuique sit providendum decuriones decernunt. Qua de caussa in illis titulis verba *ex decurionum decreto* vel similia persaepe sunt addita.[1] Sed nonnumquam sevirum munera etiam populo petente suscepta esse dicuntur: Decuriones decernunt de sevirum muneribus.

petente populo.

1. Sacrum Polluci. Sex. Quintius Sex. Q. Successini lib. Fortunatus ob honorem VI vir. ex d. ordinis soluta pecunia petente populo donum de sua pecunia dato epulo civibus et incolis et circiensib. factis d. d. . . . . II, 2100.
2. *duo liberti* ob honorem VIR secundum petitionem m. m. . . loca spectacul(orum) numero CC singuli ex duplici pecunia decreto optimi ordinis . . dederunt . . . . II, 3364.
3. . . seviri corporat. Nemausenses . . ex postulatione popul[i] . .[2] . . . . Herz. 116.
4. D. Velio Trophimo seviro Augustali . . decreto decurionum postulante populo s. p. p. p. . Or. 3923.

Unde colligo de his rebus praeterquam quod decuriones decernebant populum quoque rogari solitum fuisse. Neque tantum in sevirum, verum etiam in magistratuum muneribus id valuisse satis multa documenta testantur. Quo factum est, ut, quos opibus circumfluere notum esset, haud raro expressa populi postulatione ad multo maiorem, quam ultro fuissent facturi, sumptum vel exstimularentur vel compellerentur. Itaque Beneventi homo nobilis, cum opus quadrigae cum effigie Hadriani municipibus donet, *citra ullius postulationem* id fieri praedicat[3], quasi eo sit honorificentius. Ac sane nonnullos his quinque munerum generibus eosdem esse oneratos testimonia non desunt. Sufficit legentem relegare ad tit. II, 3364 modo transscriptum. Ad hoc interdum in seviratu vota suscipiebant, quae De munerum gravitate.

---

[1]) v. c. II, 3364. 984. Or. 3950. I. N. 6364. 5640. II, 2100. 1934. 1108. passim.

[2]) In hoc titulo Herz. p. 196 populum male accepit de seviris in corpore non honoratis.

[3]) I. N. 1486.

honore perfunctis demum solvenda essent.[1]) Videmus igitur nec pauca nec levia fuisse sexvirorum onera; quid mirum est, quod novitatis gratia paullatim evanescente honor vitari ac detestari coepit. Hic etiam commode afferam L. Caecilium Optatum reipublicae Barcinonensium summam pecuniae haud ita magnam legare ea stipulatione, *ut libertini sui, item libertinorum suorum libertarumque liberti, quos honor seviratus contigerit, ab omnibus seviratus muneribus excusati sint.*[2])

Seviri (Aug.) gratis facti.

Etiam ceteroqui nonnulli gratis seviri facti sunt. Cuius rei haec habemus exempla:

1. .. Ma]ximus [VI vir Aug. d. d.] gratis [factus nom. suo et f]iliorum .. dedit.	V, 2867	Patavi.
2. C. Julio Paulino Andragatho VI vir. August. gratuit.	V, 4431.	Brixiae.
3. C. Lucretius C. l. Erasmus sexvir. Aug. Brix. et Trident. grat.	V, 4439.	Brixiae.
4. .. L. Appio Aphobeto VI vir. Aug. II gratuit.	V, 4480.	Brixiae.
5. .. L. Virilienus L. f. Ouf. Mascellio VI vir gratuit.	V, 5311.	Comi.
6. .. M. Mansueti M. f. Ouf. Crescentiani Masili Iustini [VI] vi[r.] gra[tui]ti Com(i) suffragio populi.	V, 5600.	Comi.
7. .. Iulius Eros VI vir August. d. d. gratis factus posuit.	Or. 3920	Tignii.
8. .. L. Calpurnio .. Aug. gratuit.	I. N. 957	Luceriae.
9. .. Q. Annio Ianuario .. Huic ordo decurionum ob merita eius honorem Augustalitatis gratuitum decrevit	I. N. 3643.	Capuae.
10. M. Carmeio gratis Augustali Capuae	I. N. 3645.	Capuae.
11. P. Servilius P. l. Successus Aug. gratis Ca[i]atia	I. N. 3922.	Caiatiae.
12. .. sevir Aug. decr. decur. gratis factus sua p.	I. N. 5640	Albae Fucentis

---

[1]) II, 1057. III, 1947. [2]) II, 4514.

13. . . C. Mamilio Ɔ. l. Antho Aug. d. d. gratis	I. N. 6129 Hadriae.
14. . . M. Antoni Iuliani Augustali immun. Misen. item Aug. Cum. adlect. trib. Palat.	I. N. 2579 Miseni.
15. C. Aurelius Parthenius ornamentis dec. honoratus col. Aug. Nemausi, sevir Aug. . . Lugud. item Narbone . . et . . Arausione et Foro Iulii . . ubique gratuitis honoribus	Herz. 183 Nemausi.
16. M. Ulp. Epistratus Augustal. col. Rat. [gr(atis) c(reatus)?] a splendidissimo ordine	III, 1641. } Ratiariae.
17. L. Anatinio L. lib. Phoebo Aug. col. Ulp. Rat. ornato ornamentis decurional. immunitate muner. publ. concessa ab ordine col. eiusd.	III, 6294. } Ratiariae.
18. . . L. Publ. Apro lib. et tabul. rei publ. Aug. gratuito	III, 3851 Emonae.
19. „sevir gratis factus sum.“ . . .	Petron. sat. cp. 57.

Quid velit creatio gratuita.

Hac autem gratuita creatione contineri incrementum honoris eo perspicitur, quod alioquin seviri non essent ipsi illius mentionem facturi (n. 1. 3. 5. 6. 7. 11. 12. 15. 16. Petr. c. 57). Deinde inveniuntur in isto numero homines per se satis conspicui (n. 5. 15. 17). Ad hoc in n. 9 ob merita hunc honorem decretum esse aperte enuntiatur. Verumtamen cave credas, qui ita honorati sint, revera impensis levatos esse. Immo mihi persuasum est eos largitionibus antea ultro oblatis rei publicae plerumque plus praestitisse, quam legitime factis ex more fuisset solvendum. Ceterum vereor, ne seviris gratuitis haudquaquam omnia munera fere sint remissa. Certe in n. 1 et 12 deprehenduntur, qui opera publica nihilo minus dedicent. Itaque iam supra coniecturam movi, num ad summae legitimae remissionem creatio gratuita praecipue spectaret. Restat ut moneam hunc quoque honorem, etiamsi plerumque dicitur ordinis decreto tributus (n. 1. 7. 9. 13. 16. 17), tamen semel dici *suf-*

fragio populi delatum[1]) (n. 6). Videmus igitur, quantum etiam aetate imperatoria comitiorum auctoritati in municipiis concessum sit.

§ 21.

De sevirum insignibus.

a) intra annum sacerdotii. toga praetexta.

Ut autem ad munus seviratus suscipiendum ei, quibus offerretur, essent paratiores, insignia haud mediocria illi adiuncta sunt. Primum enim ut *toga praetexta* uterentur, seviris annuis concessum est. Qui honos ab una parte a sacerdotali eius muneris natura videtur repetendus. Nam sacerdotes, dum sacra obirent, praetextam gestasse traditum est.[2]) Ab altera parte ut ludos edentibus hic ornatus seviris convenit, veluti et in urbe magistros vicorum[3]) et in municipiis omnino, qui spectacula faciebant[4]), praetextatos muneri praefuisse constat. Testimonia autem ad rem ipsam confirmandam pauca quidem praesto sunt, sed eadem firmissima. Quod enim in titul. Brundisino I. N. 464 ornamenta Augustalitatis commemorantur mortuo decreta, ad vestem funeralem imprimis id pertinere nemo negabit.[5]) Unde sequitur vestem solemnem omnino Augustalium propriam fuisse. Deinde Habinnam sevirum veste alba amictum Petronius facit Trimalchionis triclinia intrantem, ita ut Encolpius eius maiestate conterritus praetorem putet venisse.[6]) Unde tamen noli concludere seviris per totum muneris annum semper praetextatis prodire licitum fuisse. Immo „in poplico luuci", ut verbis utar tabulae Bantinae[7]), praetextam habere certe per legem eis non licuit nisi dum sacra concelebrant aut ludis praesident aut epulas dividunt.[8]) Sed domi suae vel tenebris obortis quascunque vestes civibus luberet sibi induere, leges nihil curabant[9]); nisi quod

---

[1]) cf. Momms. ad h. tit.

[2]) cf. Mommsen, Statsr. I, p. 406.

[3]) Dio. 55, 8. Ascon. in Pison. p. 7 Or. cf. Mommsen. Statsr. I, 375 adn. 2.

[4]) cf. I. N. 5789.

[5]) Ceterum cf. addenda.

[6]) Scilicet praetoribus i. e. summis coloniae municipive magistratibus praetexta et lictoribus semper uti licebat.

[7]) v. 4. cf. Bruns, fontes iuris Rom. antiqui ed. III p. 48.

[8]) cf. Petron. c. 71.

[9]) cf. Mommsen, Statsr. I, 391.

rium dedit, qui non in tempore vestitu forensi se ostentabat ornatum.

Coronis quernis in sepulcro C. Calventii Augustalis Pompeiani insculptis[1]) Nissenus[2]) iudicavit dignitatem illius, scilicet sacerdotis Augusti, indicari. Enimvero exprimi putat hoc ornamento coronam civicam Augusto ut servatori civium a. 27 a. Chr. decretam et in domo eius infixam.[3]) Unde fieri potest, ut quispiam amplius suspicetur coronam quernam etiam inter ipsorum Augustalium insignia esse numerandam, ut quam in sacris faciendis sibi imponere soliti sint. Sed sacerdotes alias hoc ornamento usos esse non accepimus[4]), neque sevir sacrificans in monumento, quod infra adhibebo, depictus corona videtur decoratus. Praeterea vereor, ne huiusmodi coronae etiam inveniantur in sepulcris eorum, quibus cum cultu Augusti nulla intercedat necessitudo, ut igitur a Nisseno ista notio audacius eis sit subiecta. (non corona.)

Contra *fasces* et *lictores* uti magistris vicorum Romae et omnino eis qui ludos edebant[5]) ita seviris quoque concessi sunt. Quam ob rem saepe eorum monumenta fascium imaginibus sunt ornata.[6]) Attamen eis uti non licuit nisi paucis certisque diebus, nimirum quando sacra aut ludos faciebant aut epulas dabant. Quodsi apud Petronium Habinnas comissator summote intrat ac valvis antea percussis, hoc eodem iure facit, quo gestat praetextam. Deinde securibus quin sevirum fasces caruerint, quicunque scit, quae fuerit illarum vis[7]), non dubitabit. Si enim velis ex Petronii capite 30 contrarium confici[8]), meo iure quaeram, an etiam formam fascium secundum fasces.

[1]) I. N. 2342 cf. Overbeck, Pompeji 2 ed. II, 33.

[2]) Pompej. studien 1877. p. 390 s.

[3]) cf. Marquardt. Handb. III, 2. 442 adn. 24. C. I. L. I, p. 384. — Nissen l. l. p. 271.

[4]) cf. Mommsen. Statsr. I, 411. adn. 4. Praeterea in sevirum monumentis coronae inveniuntur: V, 4461. 7031. alibi.

[5]) cf. Mommsen. l. l. p. 375.

[6]) v. c. V, 3295. 3386. 3392. 5035. 5860. 6786. 6896. 7031. 7170. 7616. 7670. 7678. I. N. 632. 691. 2342. 4884. 5056. alibi. Lictores: Maffei m. V. p. 117, 1. annali 1872 p. 62 ss. V, 4482.

[7]) cf. Mommsen. l. l. 363 adn. 5.

[8]) cf. Allmer et Terrebasse II, 1. p. 301.

istam descriptionem repraesentari iubeas.[1]) At sane faceta in illo loco dissimulatio neminem potest fugere, qui quidem non sit hebes ad festivitatem Petronianam percipiendam[2]). Neque magis eo, quod in monumentis sevirum interdum inveniuntur fasces cum securibus insculpti[3]), contraria opinio confirmatur. Immo secures illic non sunt nisi ornamento. Denique binos lictores seviris sicuti magistris vicorum urbanis singulis apparuisse certum est.[4]) Nam ne duoviris quidem plures videntur concessi esse.[5]) Atque in monumentis quod sex fasces nonnumquam cernuntur[6]), nihil potest ad hanc sententiam impugnandam. Ex Petronio autem qui Zumptius[7]) potuerit colligere senos numero fuisse sevirum fasces, prorsus non comprehendo. Itaque bini lictores reperiuntur efficti apud Maffeium m. V. p. 117, 1. et in monumento Suasano ann. 1872 p. 62 ss. et in monumento quodam gravissimo, quod mox accuratius describam.[8]) Fascium duorum imagines in sevirum monumentis frequentes sunt.[9])

lictores duo.

Etiam *tibicinem* seviris sicuti municipiorum magistratibus[10]) in sacris faciundis apparuisse infra videbimus.

tibicen.

Porro *sella* ac *tribunali* seviros usos esse censeo. Etenim sellam in multis reperimus monumentis eorum, qui tamen bisellii honorem non acceperint.[11]) Atque in tribunali sedentem apud Petronium Trimalchio se iubet effingi in loco, quem, cum ad disputationem nostram sit summi momenti, integrum describam. *Te rogo* — Trimalchio inquit — *ut naves etiam* . .

sella ac tribunal.

---

[1]) *quorum unam partem quasi embolum navis aeneum finiebat.* — Ceterum conferas cum his verbis *fasces infra acuminatos* in V, 5035.

[2]) cf. Mommsen. Statsr. I, 365 adn. 2.

[3]) V, 6786. 7031. 7670 cf. I. N. 2355.

[4]) contra Allmer et Terreb. l. l. et Zumpt. p. 73.

[5]) cf. Marquardt. Statsverw. I, 495 s.

[6]) V, 3295. 3386. 3392. 7031. 7616.

[7]) p. 73.

[8]) V, 4482.

[9]) V, 5035. 5860. 5786. 5896. 7170. 7670. 7678. I. N. 632. 691. 2342. 5056. cf. 2355.

[10]) cf. Mommsen. Statsr. I, 351.

[11]) V, 3386. 5860. 6786. 6896. 7170. 7616. 7678. I. N. 5056. Simul patet, quem ad modum iudicem de quaestione a Mommseno l. l. 387 adn. 2 breviter proposita cf. Jordan, annali 1872 p. 293.

monumenti mei facias plenis velis euntes et me in tribunali sedentem praetextatum cum anulis aureis quinque et nummos in publico de sacculo effundentem, scis enim, quod epulum dedi, binos denarios. Faciatur, si tibi videtur, et triclinia. Facias et totum populum sibi suaviter facientem. Itaque etiam illa parietis pictura, in qua Mercurius exhibetur levatum mento Trimalchionem in tribunal excelsum rapiens[1]), ad eius seviratum spectat. Dicam igitur, partim dum ludis praesiderent, partim dum epulas sevirales dividerent, sellam ac tribunal seviris convenisse. Contra dum cum ordinis sociis discumbunt, vix in tribunali sederunt. Quae vero tribunali possit esse cum pompa coniunctio, prorsus non video.[2]) Ad hanc sententiam confirmandam valet etiam imago in lapide Brixiensi V, 4482, in cuius expositione paullo diutius commorabor, quia maxime idonea est et quasi consulto facta cum ad sevirum munera insigniaque in universum tum vel maxime ad Petronii locum modo laudatum illustrandum.

Atque illius cognitionem primo quidem non ceperam nisi ex descriptione Mommseni ad V, 4482 communicata. Deinde autem Heydemanni interventu idem vir doctus liberalitate insigni tabulam aere excusam mihi suppeditavit adhuc ineditam ideoque certe paucis notam, quae pertinet ad musei Bresciani illustrati partem alteram a Labusio incohatam illam quidem, sed non perfectam (tab. XIV). In qua cum nonnulla invenirem expressa, quae an consulto Mommsenus omisisset dubitabam, et quaedam paullo aliter depicta ac sunt in illius descriptione: litteris commendaticiis ab eodem instructus Petrum da Ponte Brixiensem rogavi, ut mihi provideret tabulae Labusianae exemplum cum lapide denuo collatum et, si oporteret, correctum. Quem virum illustrissimum cum precibus meis deesse ipsa sua humanitas non est passa, tum Mommseni observantia adduxit, ut totum illud negotium ipse subiret. Ita igitur mihi contigit, ut commentationi meae adiungere possim illius anaglyphi imaginem cum lapide diligentissime collatam nec paucis locis vel emendatam, vel auctam. Anaglyphon Brixiense.

Priusquam autem transeam ad singula percensenda, quae De imaginis fide.

---

[1]) cp. 29. [2]) contra Zumptium p. 71.

de imaginis fide totaque ratione ac de ipsius operis aetate et arte Petrus da Ponte me monuit, cum legentibus communicare videtur in rem esse. „*L'incisione*“, inquit, „*quantunque molto accurata e fedele perciò che riguarda la disposizione dei gruppi di figure e relativo attegiamenti, darebbe a conoscere un' opera più buona di quello, che è infatto il marmo in discorso. Nel disegno Ella scorge molto rilievo, vede figure delineate e contornate abbastanza nettamente, laddove nel vero abbiamo un bassissimo rilievo in molte parti tanto logoro e sbradito, che bisogna indovinare la forma delle figure meglio di quello, che sia dato vederle. Così pure se le proporzioni delle figure sono generalmente giuste, il lavoro è tuttaora piuttosto rozzo ed accenna già ad un' epoca di decadenza. Concludendo il disegnatore o l'incisore hanno dato al lavoro artistico maggior gusto ed appariscenza del vero.*“

Descriptio et explicatio. Posuit hoc monumentum secundum titulum in primo versu mutilatum sibi suisque *M. Valerius . . Anteros Asiaticus VI vir*. Ab utroque imaginis latere escendit arbor trunco curvato. In sinistrae arboris nexu — ut omittam figuram, quae est supra nexum, detruncatam — nauta cernitur apice et remo, quem umero portat, conspicuus. Neque minus vir, qui praeter aves duas in arbore dextra fictus est[1]), remum ferre ideoque nauta esse mihi videtur. Arborem sinistram sequitur saxum, in quo stat deus versus animal quoddam dextram tendens, quod egomet canem (vel arietem) esse crediderim[2]). Deinde par pugilum

---

[1]) Haec omnia in tabula Labusiana plane omissa sunt.

[2]) Attamen in tabula Petri da Ponte auctoritati cedens potius cervum depingi iussi cornibus ramosis insignitum. Is enim mihi scripsit: *Nell'animale . . io inclinerei a vedere un capriolo od un daino anzichè un cane, e parmi si vedano al disopra della testa le traccia di larghe e ramose corna.* Sed reliqua animalis forma cervo mihi videbatur minus convenire. Tum cornua ramosa vere conspici ne da Ponte quidem pro certo affirmare ausus est; et potuisse illum hoc loco decipi, qui ponderabit, quae de statu lapidis multifariam exesi et corrupti ipse docuit, non negabit. Deinde Mommsenus, qui lapidem vidit, istum deum Mercurium interpretatus est. Cum cervo autem non tam Mercurius, sed vel Hercules vel Apollo fingi solent. Accedit quod ad mercatorem fortunatum, qualem M. Valerium fuisse probabo, Mercurius melius videtur aptus esse, quam Hercules aut Apollo.

videmus plane nudorum et inter se luctantium. Sequuntur homines octo arte inter se coniuncti et ad aram omnes conversi. Quorum primus amphoras duas, unam manu dextra, alteram umero sinistro apportat; alter nescio quid manibus gestat; tertius genibus nixus caput ad aram tollit, manibus da Ponte auctore aliquid tenet fortasse ad supplicandum diis destinatum. Quartus quid velit parum liquet. Tum conspiciuntur duo lictores virgis, quas umeris ferunt, insignes; porro vir sacrificans capite toga involuto et ad caelum erecto; deinde ipsa ara et postremo ab eius altera parte tubicen canens. Figura nona, cuius pone aram da Ponte sibi visus est dispicere vestigia, in tabula non est expressa.

Atque in nautarum quidem imaginibus, ut hic primum subsistam, eandem notionem puto inesse atque in navibus, quas Trimalchio in sepulcro suo fingi iubet, et in navigio, quod in C. Munatii Augustalis Pompeiani monumento reaspe expressum est.[1]) Sunt enim haec omnia indicia, sepulcrorum dominos navigatione et negotiatione maritima magnas suas divitias collegisse, id quod Trimalchio de se ipse narrat c. 76. Qua de caussa etiam deum in saxo stantem Mercurium mercatorum patronum Mommsenus aptissime mihi videtur nominavisse. Iam vero ipsum hoc Mercurii signum hic effictum est, non quo ad eum spectaret sacrificii scena, quae deinde sequitur. Huic enim cum dei signo nulla est coniunctio, sed per pugiles ab eo separatur. Immo Mercuri statuam ob honorem seviratus decurionum decreto M. Valerius ex more dedicavit, veluti omnino huius dei nomen in donationibus a seviris factis frequentissime reperitur. Porro par pugilum ludum significat ob eundem seviratum a M. Valerio editum. Sequitur sacrificium sive pro salute Augusti sive mavis numini Augusti a seviro praetextato solemniter peractum. Duo lictores ab una parte, tubicen ab altera sacrificanti adparent. De duobus ministris unus amphoras apportat, vini, ut mea fert opinio, ad libandum. Duo, qui sequuntur, unus stans, alter genibus nixus et supplicans, nescio an populum exhibeant, cui sevir vel dedit vel daturus est thus et vinum ad supplicandum[2]).

His tribus sevirum muneribus primariis imago in media

---

[1]) cf. Overbeck, Pompeji ed. 2. II, 30 s.

[2]) cf. Wilm. 104.

tabula exsculpta etiam quartum adiungit, epularum divisionem. Nam in excelso suggestu sedet in sella curruli cum scamno ad pedes vir barbatus et praetextatus manibus super genua demissis[1]). Post eum stant sex homines togati, et ab utroque latere sedent in sellis alii singuli. Sub tribunali septem homines facti sunt, viri mulieresve, partim abeuntes, partim adstantes et manus tendentes ad sedentem medium in tribunali. Praeterea a tribunalis dextra et sinistra stant lictores singuli togati et cum virgis. Deinde autem cognoscas homines tres a suggestu abeuntes, porro tres quattuorve lictores suggestum versus incedentes, postremo sex viri toga longa vestiti et, ut videtur, inter se colloquentes.

Iam etsi in his nonnulla nondum satis perspexi, tamen id pro certo adfirmaverim, hic exhiberi M. Valerium sevirum instar Trimalchionis in tribunali sedentem praetextatum et nummos in publico effundentem. Scilicet pro cena sevirali sportulas dividit. Quo in negotio rursus ei adparent duo lictores. Qui stant ab eius tergo, num item sint accensi vel apparitores, mihi parum liquet. Nec magis reliqui duo in suggestu sedentes qui sint vel quid velint satis exploratum habeo. Attamen suspicor eos esse magistratus duos, puta aediles vel quaestores, qui huiusmodi divisionibus, ne turbae fierent, tamquam custodes fortasse adesse solebant. Qui sub tribunali depicti sunt, sportulas partim acceperunt, partim sunt accepturi. Atque hos quidem omnes coniecerim esse homines de plebe. Ceteri autem, qui loco superiore partim a tribunali discedunt, partim accedunt, nescio an sint socii duorum primorum ordinum, qui sportulas maiores fortasse loco separato accipiant. Inter quos possunt etiam esse magistratus anni, ad quos forsitan pertineant qui supersunt lictores. At utut id est, num nimium praedicavi, cum hoc monumento optimam et omnino munerum insigniumque sevirallum et loci Petroniani illustrationem contineri dicebam?

De anaglypho Suasano. Iam de altero anaglypho pauca verba addam, quod exstat in monumento sepulcrali Suasae in Umbria reperto et in annal. 1872 p. 62 ss. publici iuris facto. Fecit illud secundum titulum inscriptum *Sex. Tittius Sex. l. Primus VI vir* sibi et *Lucaniae*

[1]) Mommsenus dicit eum *quaedam distribuere.*

Benignae concubinae, Titiae Chreste l., Chloe delicio.[1]) Itaque supra titulum vir togatus caelatus est medius inter duas mulieres, quarum una infantem in bracchio tenet. De his ne verbum quidem dicam. Infra titulum stant duo homines togati bacillos gestantes; inter eos mensa cernitur cum imposita corona; supra mensam duo vasa facta sunt, alterum unam, alterum duas ansas habentia. In lateribus duo paria athletarum vel pugilum adiecta sunt. Restant duae Amazonum et totidem Somni imagines, quales in sepulcris sunt frequentissimae. Haec fere omnia ad spectacula referenda esse ob honorem seviratus a Sex. Tittio Suasae edita cuique elucebit. Nam corona in mensa sacra posita praemium est victori destinatum. Urcei vinum continent ad libationes, vel oleum, quo pugiles unguantur. Lictores duo sunt Sex. Tittii seviri apparitores. Habes igitur hic novum documentum multorum, quae de sevirum muneribus atque insignibus docuimus.

Iam de iuribus insignibusque quae, dum munere annuo funguntur, seviris concedebantur non habeo quod addam. At superest ut quaedam exponam de ornamentis et emolumentis, quibus ultra anni spatium per omnem vitam seviri fruebantur. Namque primum solemnibus maxime in imperatoris honorem institutis praetextatos illos fere adfuisse cum magistratuum exemplo comprobatur[2]), tum eo, quod quamvis defuncti seviratu tamen colere amplius dicuntur.[3]) Accedit quod veluti magistratus[4]) sic seviros mortuos honoris insignibus velari constat.[5])

b) De insignibus ultra muneris annum concessis.

Deinde in ludis spectandis nec non in cenis publicis Augustalibus seorsum locum datum esse iam inde apparet, quod in sportularum divisione semper fere plus accipiunt quam reliqui municipes decurionibus exceptis. Tum legimus in decreto illo Cvirum Veientium iam saepius allegato[6]): *liceatque ei in omnibus spectaculis municipio nostro bisellio proprio inter Augustales considere.* Videmus igitur hos ex loco separato lu-

[1]) *Sex. Tittius Sex. lib. Primus | VI vir | Lucaniae Benignae | concubinae | Titiae Chreste l. | Chloe delicium.* De notione vocis *delicium* cf. Marquardt., rö. Privataltertü. I, 157. adn. 33.

[2]) cf. Mommsen. Statsr. I, 421. [3]) vid. supra p. 4. 37 s.

[4]) cf. Mommsen. l. l. adn. 1. [5]) cf. I. N. 464. et supra p. 78.

[6]) Wilm. 2079 (= Or. 4046).

dos spectasse. Eodem fortasse spectat Boissevio auctore titulus in ruinis amphitheatri Lugdunensis repertus isque maximis litteris compositus: *VI viri Augustales*[1]. Scilicet opinatur Boissevius indicio loci Augustalibus in amphitheatro adsignati fortasse eum fuisse[2].

Funus Augustalicium.

Denique mortuis funus insigne contigisse sequitur ex titulo Brundisino I. N. 464, quem iam saepius attigi. Atque imprimis quidem indutos praetexta quin seviros efferre consuetudo fuerit, non est dubium. Nam etiam magistratus in coloniis municipiisque cum praetexta cremari Livius tradit.[3] Contra num fasces perversi consueverint exequias praecedere, incertum est[4]. Paucis eisque meritissimis tamquam singularem honorem funus publicum decuriones decernebant. Cuius rei testes sunt tituli I. N. 463: *Dis Man. P. Sextius Successus Aug. v. a. LXXX h. s. f(unus) l(ocum) s(epulturae) p(ublice) d(ecuriones) d(ederunt)* et Ostiensis Wilm. 1792 (= Or.-H. 7011): *C. Silio Epaphrae l. Felici Maiori Augustali. Hunc d(ecuriones) f(unere) p(ublico) efferundum cens(uerunt). Nerva filius honore usus impensam remisit.*

§ 22.

Quos honores singulis seviris Aug. decuriones decernere soliti sint.

Ita finita enarratione honorum, qui cunctis seviris Augustalibus erant communes, iam transeo ad eos recensendos, qui singulis a decurionibus saepius rariusve solebant decerni. Quos hoc quidem loco non omnes perlustrari mihi proposui, sed eos tantum, quorum decuriones fere non fuerint participes. Itaque primum agam de nomine

Sevir (Augustalis) primus.

Augustalis seu *seviri Augustalis primi*, quod interdum ali-

---

[1] p. 468.

[2] ibid. p. 469: *C'était ou l'indication de la place occupée à la naumachie par les sévirs augustales, ou le témoignage de quelque fondation, de quelque largesse faite par eux à cet amphithéatre.*

[3] lib. 34, 7, 2. cf. Mommsen. Statsr. I, 424 s. — Cf. etiam addenda.

[4] cf. Tac. ann. 3, 2: (in exequiis Germanici) *praecedebant* (Mommsen. Statsr. I, 358: „*hinter der bare*") *incompta signa, versi fasces* . . cf. Momms. l. l. p. 425.

cui honoris caussa tribuebatur. Mihi quinque vel sex exempla huius usus innotuerunt:

1. .. L. Iunius Puteolanus VIvir Augustalis in municipio Suelitano d. d. primus et perpetuus omnibus honoribus quos libertini gerere potuerunt honoratus II, 1944. Suel.
2. Theopompo seviro Aug. primo aedil. iuris in perpet. II, 4061. Dertosae.
3. C. Valerius C l. Faustus sexvir Augustalis primus .. Or. 3951 prope Sentinum novum rep.
4. L. Vettius L. l. Eros Maior sevir iter. Augusta[l.] prim. Wilm. 2048. Aquini.
5. .. M. Favonius Callistus Augustalis primus Aug. perpetuus d. d. . . . . Or.-H. 7112. Norae.

et fortasse:

6. L. Aurelio L. l. Victori domo Aequo Aug. et Seniae[1]) sac. prim. corp. Augustalium ornat. ornam. decurionalib. III, 3016. Seniae.

De mea sententia, quam supra[2]) exposui, etiam ubi non expressis verbis id adnotatur, in perpetuum hic honos decernebatur; et quibus contigerat, ei et in albo Augustalium et quotiescunque solemnibus aderant primum locum inter socios tenebant. Cum qua sententia exempla enumerata optime conveniunt. Etenim hos omnes esse homines nobilissimos, nempe ut Augustales, ceteri quibus ornati sunt honores satis demonstrant. Seniensem vero „sacerdotem primum corporis Augustalium“ suspicor nihil aliud dicere quam quod ceteroquin invenitur „Augustalem primum.“

Ornamenta decurionalia, aedilicia, duumviralia.

Venio nunc ad **ornamenta decurionalia**, **aedilicia**, **duumviralia**, quae seviris Augustalibus tributa esse inveni in hisce exemplis:

A. 1. M. Egnatius Sciti lib. Venustus IIIIl. Huic ordo m. m. F. Arvensis statuam et ornamenta decurionatus decrevit. II, 1066. Arvae.

2. Lupae Romanae M. Valerius Phoebus VI vir Aug. cui ordo munic. Epor. ob merita cenis publicis inter decur. convenire per[misit] . . . . . II, 2156. Eporae.

---

[1]) Mommsen.: „Voluit, opinor, qui scripsit: *Augustali Aequi, Seniae autem etc.*“ [2]) cf. p. 41.

3. .. decuri]onibus Nemausensium et ornamentar[iis decurionib.][1] singulis [den.] V ita ut in publico vescerentur distribui iussit	Herz. 111.	Nemausi.
4. C. Aurélius Parthenius órnámentis dec. honórátus .. Nemausi, sevir Aug. .. Lugud. item Narbone .. et .. Arausione et Foro Iulii .. ubique gratuitis honoribus	Herz 183.	
5. Dis Manibus Firmi Lucani sevir Aug. ornamentis decurion. Nemausi honorato	Herz. 184.	
6. D. M. C. Fulvi N. .. ṛi sevir. Aug. [cor]porat(i) et decurionis ornamentar(i)	Herz. 185.	
7. Sevir. Aug. et decurioni ornamentar. Iulio Aemilio Aniceto	Herz. 186.	
8—10. *prioribus duobus simillimi*	Herz. 187. 188. 253.	

11. D. M. Q. Tuticani Q. f. Erotis grammatici [la]tini VI vir. Cl. ornam. decu[r.] honorato Veron. .. V, 3433. Veronae.

12. .. Sex. Sextio Onesigeni ornamentis decurionalibus Brixiae VI vir. Augustal. patrono collegiorum fabror. et centonarior. et dendrophororum. V, 4477. Brixiae.

13. .. VI] vir scrib. pub. ornamentis dec. ornato . . . . V, 5314. Comi.

14. .. Q. Atilius Eutyches VI vir Aug. c. d. d. orna[m.] d[e]c. . . . . V, 5844. Mediol.

15. L. Apuleio Brasidae habenti IIII lib. ius dat. ab imp. .. Aug. VIviro Aug. ornament. decurional. honor. et Aug. mun. Ael. Karn. . . . . Or. 2675. Pisauri.

16. .. C. Iúlio Divi Augusti l. Gelóti .. decerni, ut Augustálium numeró habeátur aeque ac si eó honóre usus sit liceatque ei omnibus spectáculis múnicipio nostro

---

[1]) Herz.: ornamentar[iis omnibus].

bisellio proprio inter Augustáles considere cénisque omnibus publicis inter céntumvirós interesse .. Veiis. Wilm. 2079 (= Or. 4046.)

17. N. Plaetorio Oniro Augustali bisellіario honorato ornamentis decurionalibus populus Abellanus . I. N. 1955. Abellae.

18. L. Licinio Primitivo ornamentis decurion. honorato curatori Augustal. perp. . . . I. N. 2530. Puteolis.

19. . . Augustalis h[onoratus] ornamentis [decurional.] viam .. s. p. stravit. . . . . I. N. 3953. Calibus.

20. .. Septim. Ascl. Hermes libertus numinis Aesculapi habens ornamenta dec. col. Apul. et Aug. col. eiusdem . . . . III, 1079. Apuli (in Dacia).

21. Ulpius Hermes Aug. col. ornatus ornam. decur. t. p. i. III, 1426. Sarmizegetusae.

22. Genio ord. quem Ulp. Dom. Hermes Aug. col. ob honor. ornam. dec. promiserat .. III, 1426. ibid.

23. = p. 87. n. 6.

24. = p. 77. n. 17.

25. .. L. Seran. Serotinus IIIIIIvir adil. dec. col. Aq.[1]) III, 3497. Aquinci.

26. [S]oli Aug. sacr. L. Valerius [C]arpus Augus[ta]lis conlato [in] se a sanctissi[mo] ordine ho[no]re ornamen-[tor]um decurio[nat]us statuam[qua]m ex HS. IIII pro-[misi]t ex HS. V posu[it id]emque d. d. d. . Renier. 1529. Thamugade.

27. .. aedius] Serviliae [l.] Pylades . . r. q. Aug. Allif. honorat. d. d.[2]) . . . . I. N. 4781. Allifis.

B. 1. Theopompo seviro Aug. primo aedil. iuris in perpet. II, 4061. Dertosae.

2. P. Val. Dionysio VI vir. Aug. cui ordo Dertosan. ob merita eius aedilic. honores decrevit. II, 4062. ibid.

---

[1]) Mommsen.: „videtur intellegi *adlectus decurio* et minus proprie sic appellari *decur. ornamentis honoratus.*

[2]) Hunc titulum non temere hic adieci. Cave enim opineris honorem ad Augustalium collegium spectantem hic dici. Qui non tribuitur *d. d.*

C. 1. [In honorem] imp. Caes[aris] Aug. C. Memm[ius?] Cyri[a]cus [Au]g(ustalis) ob [ho]nor. II viral. [orn]ament. ab ordi[ne] in se conlatum statuam arg(enteam) ex pondo lib[ris] XL.[1] . . . . III, 6308. Singiduni.

Quibus ornamenta deferantur.

Quod ad III, 1892 Mommsenus animadvertit, ornamenta IIviralia non solere concedi vivo nisi ei, qui per legem duovir fieri non posset, posthac ipse correxit[2]). Verumtamen eo usque sententiam priorem merito obtinuit, ut omnia illa ornamenta ingenuis satis raro, libertinis — saltem decurionalia — saepissime doceret decreta esse. Accedit quod inter hos paucos ingenuos sunt nonnulli, quibus post mortem demum iste honor contigit, cum ipsis muneribus fungi utique non poterant[3]). Deinde cum ceterorum ornamentorum omnino pauca servata sint exempla, decurionalia frequentissime commemorantur. Maxime autem Augustales reperimus illis honoratos[4]).

Quid velint ornamenta.

Quodsi quaerimus, quibusnam iuribus insignibusve ornamenta decurionalia constiterint, in cenis publicis inter decuriones ornamentariis locum adsignatum esse compluribus testimoniis conficitur. A. n. 2. n. 3. n. 16 cf. I. N. 6035: . . *Huic splendidissimus ordo bisellium decrevit [c]ubitumque concessit.* 4040: . . *Huic ordo decurionum . . honorem bisellii et ut . . commodis publicis ac si decurio frueretur . . decrevit.* Namque ornamenta decurionalia in his omnibus exemplis revera significari, quamquam uno excepto (A. n. 3) expresse non nominantur, et huius ipsius tituli A. n. 3 comparatione docemur et bisellitatus mentione in tribus ultimis simul facta. Etenim hi duo honores haud raro coniunguntur. In I. N. 4040 verba: „*ut commodis publicis ac si decurio frueretur*“ eo consilio

---

[1]) Ita restitui hunc titulum corruptissimum, cuius etiam singulae litterae confusae sunt.

[2]) Statsr. I, 441 adn. 1. 444 s.

[3]) Ingenuis vivis ornam. II viralia et sacerdot. tribuuntur III, 384. 392. quinquennalicia Renicr. 2169 (= Or.-H. 6956). cf. Mommsen. l. l. 441 adn. 1. IIviralia Or. 4020 cf. Marquardt, Statsverw. I, 509. mortuis ornamenta decernuntur: III, 2924. (?) II, 4060. 4268. V, 1892.

[4]) Ornatos alicubi ornamentis dec., qui non vel eidem vel ibidem sint Augustales, habemus v. c.: Herz. 183. V, 4392. 5889. I. N. 4209. 6035. III, 753. 2924. Wilm. 661. 2625.

arbitror tam generaliter scripta esse, ut etiam ad sportularum divisionem — non solum ad veras epulas — pertinerent et accomodata essent, veluti in A. n. 3 decurionibus et ornamentariis decurionibus videmus easdem sportulas distribui.

Deinde veste decurionali uti et etiam decurionum ritu sepeliri certe ornamentariis concessum est[1]). De quibus alterum inde sequitur, quod omnia ornamenta, dico Augustalitatis, decurionalia, aedilicia, duoviralia cet. ipsis defunctis interdum decernuntur. At sane hic miraberis locum in spectaculis inter decuriones adsignandum a me non haberi in numero iurum quae ornamentariis tribuebantur. Sed primum monendum est, ubicunque ornamenta decurionalia accuratius describuntur, iuris spectandi ex decurionum loco nunquam mentionem fieri. Quod ut casui vel mero eorum, qui hos titulos scripserunt, arbitrio tribuam, a me impetrare non possum. Tum vero exstat monumentum[2]), in quo expressis verbis ornamentarius, qui idem creatur Augustalis et bisellliarius, „in omnibus spectaculis .. *inter Augustales* considere“ iubetur. Quae cum ita sint, quamvis et ipse diu dubitaverim, tamen postremo in eam opinionem adductus sum, ut in spectaculis ornamentarios inter decuriones non sedisse statuerem.

Transeo ad ornamenta aedilicia et duumviralia. Quae a decurionalibus ita tantum mihi videntur discrepasse, ut, qui illis honorati essent, et aedilium duovirumve vestitu uterentur et in cenis publicis inter aedilicios duoviralesve locum haberent vel sportulas easdem atque illi acciperent. Etenim nonnumquam in epularum divisione quinquennaliciis IIviris aediliciis plus dabatur quam ceteris decurionibus, dico pedanis. (cf. I. N. 189: .. *coloniae patronis sing. HS XX n. q. q. II vir. aedilic. sing. HS. .. ceteris condec. HS. .. seviris Aug. HS XII n. cet.)* *Aedilicium ius*, quod est in II, 4061 non differre ab *aediliciis honoribus* in II, 4062 neque — id quod addere potuit — ab *aediliciis ornamentis* in II, 4268, cum Mommseno[3]) consentio. Contra quod ex tit. II, 4061 ille quidem conclusit „aedilicia insignia seviris frequentius decreta esse pro tempore, Ornam. aedilicia et II viralia.

---

[1]) cf. Mommsen l. l. I, 443 s. [2]) A. n. 16.
[3]) ad II, 4061.

puta ludos edentibus dum eis praesiderent", me Mommsenum non sequi iam supra[1]) significavi. Nam illud *in perpetuum* pertinet ad totam formulam, non ad verba *aedilicii iuris* sola. Habemus igitur, ut supra docui, sevirum Augustalem primum et perpetuum, cui eidem in vitae tempus ornamenta aedilicia concessa sunt. Namque ornamenta proprie dicta ulla ad tempus decreta esse nullum exstat alibi testimonium vel indicium.

Ornamenta sacerdotalia[2]) et censoria vel quinquennalicia[3]) in seviris non deprehendi. Postremo animadverto nonnullos homines ornamenta decurionalia aut duumviralia in compluribus oppidis nanctos esse[4]), quamquam inter Augustales ne huius quidem generis exempla inveni.

De biselliatu. Porro de biselliatus honore agendum est, quo seviros repperi adfectos hosce:

1. = p. 12. n. 5.
2. .. L. Carulli Felicissimi bis(elliarii) VI (vir.) Aug. idem q. q. corp. vin. urb. et Ost. Wilm. 2510 (= Or. 3921) Ostiae.
3. = p. 88. n. 16.
4. = p. 89. n. 17.
5. C. Calventio Quieto Augustali. Huic ob munificentiam decurionum decreto et populi consesu bisellii honor datus est . . . . I. N. 2342. Pompeiis.
6. .. C. Munatio Fausto Aug. et pagano, cui decuriones consensu populi bisellium ob merita eius decreverunt . I. N. 2346. ibidem.
7. .. nio Castori August. [bis]ell. Telesiae edent[i dier. t]riu[m] muner. famil. glad. Teles. [ob ho]nor. biselli[5]) I. N. 4889. Telesiae.
8. M. Annio Phoebo municipes Saepinates quot is ob honorem Aug. et biselli macellum cum columnis solo aeramentis marmo. . . . . I. N. 4983. Saepini.
9. C. Mammio Pelasgi l. Felici August. iter. honorato bisellio I. N. 5214. Larini.

---

1) cf. p. 23 s. 41.
2) cf. III, 384. 392. 753.
3) cf. I. N. 25 (= Or. 3897) Renier. 2169 (= Or.-H. 6956).
4) V, 4392. 5889. III, 753.
5) cf. p. 73. adn. 7.

10. C. Betulio Eutycheti seviro August. Huic ordo decur. Peltuin. ob merita eius bisellium decrevit . . . . .
I. N. 6042. Peltuini.

11. .. [Potenti]nus dec. lib. Dignus [ob ho]norem biselli et Aug. .. dedit singul. [dec. HS. ..] Aug. HS XII populo HS . . . . I. N. 381. Potentiae.

Non recte autem coniecit Fabrettius[1]), quocum Mommsenus[2]) videtur consentire, bisellium insigne esse solis Augustalibus in municipiis concessum; enimvero nancti sunt etiam qui non erant eidem Augustales cf. I. N. 4040. 4209. 6035. Or. 4048. — Deinde non raro biselliatus cum ornamentis decurionalibus coniungitur[3]), sed saepius solus tribuitur[4]). Quid autem iuris fuerit biselliariis, in uno titulo, quem modo laudavi, expressis verbis describitur in hunc modum: *liceatque ei omnibus spectaculis municipio nostro bisellio proprio inter Augustales considere* (n. 3). Quod bene congruit cum eis, quae de locorum in municipiorum spectaculis adsignatione praeterea comperta habemus. Atque Mommsenus decurionibus bisellium, cum numquam videatur separatim decerni, per se ipsis universis convenisse opinatus est. Cui opinioni propterea non adsenserim, quod si esset vera, etiam ad ornamentarios decuriones bisellium ipso iure pertinuisse putandum foret. Sed his haud raro ut incrementum honoris illud adicitur. Immo vereor, ne superiorum ordinum decurionibus, dico quinquennaliciis, flaminalibus, II viraliciis, aediliciis, bisellium solis proprium fuerit, contra ceteris, dico pedanis, sit denegatum. Qui fortasse subselliis aut sellis simplicioribus, quales Romae quaestores habebant[5]), debuerunt contenti esse. Hi igitur, quamvis loco honoratiore biselliarios libertinos anteirent ab eisque essent separati, tamen sedilium splendore ab eis superati sunt. Contra si inter veros decuriones ornamentarii locum habuissent, qui ex his simul erant bisellio ornati, decuriones pedanos omni ex parte fuissent honore

Quibus bisellium tribuatur.

Quid velit biselliatus.

De locis in municipior. spectaculis insignibus.

[1]) Inscript. antiq. . . explic. ad c. 3 n. 604.
[2]) Statsr. I, 387 adn. 2.
[3]) cf. n. 3. n. 4. I. N. 4040. 4209. 6035.
[4]) V, 5909. (Or.-H. 7126? cf. supra p. 13.) I. N. 381. 2342. 2346. 4889. 4943. 5214. 6042.
[5]) cf. Mommsen. l. l. I, 387.

victuri, id quod verum esse utique nequit. Itaque eis, qui ornamentis censoriis, sacerdotalibus, duoviralibus, aediliciis, decurionalibus honorati erant, in spectaculis prima loca inter Augustales adsignata esse conicio. Atque ornamentariis primorum ordinum bisellio uti ipso iure licebat, cum decurionatus ornamentis honorati sicut ipsi decuriones pedani in sellis vel subselliis sederent. Ceteri autem biselliarii, qui non erant eidem ornamentarii, inter Augustalium turbam loca habebant, e quibus non praeminerent nisi sedilium splendore. Nam Augustales eisdem sellis existimo usos esse ac decuriones et pedanos et ornamentarios. Veluti sevirum sepulcris interdum subsellia vel sellas non curules invenimus insculpta, cf. V, 3392. 7678. Sic habes perfectam imaginem diversorum honoris graduum, quibus in spectaculis, quicunque loco insigni honorati erant, inter se discreparint. Ceterum forsitan sella, qua IIvirales aedilicii cet. utebantur, etiamsi re a bisellio non differebat[1], tamen hoc nomine non sit notata.

Quis hos honores tribuerit.

Attributionem autem et ornamentorum et bisellii fuisse decurionum cum re ipsa pateat, tum monumenta docent. cf. II, 1066. 2156. I. N. 4040. 6035. Wilm. 2625. 2079; II, 4060. 4268; III, 6308. — I. N. 4040. 6042. Wilm. 2079. At saepe etiam populi consensus vel suffragationis in his honoribus decernendis mentio fit: I. N. 4209. 2342. 2346. Ac ne pro his quidem honoribus reipublicae dedicationes facere vel ludos edere ei, quibus contigerant, omiserunt, (II, 2156. Renier. 1529. III, 1425. 6308. — I. N. 4889. 4943. 381. Or. 4048) quamquam non defuerunt, quibus gratuito decernerentur. (Herz. 183. I. N. 4209. III, 6294.) Qui autem habebant et ornamenta et bisellium atque eidem erant seviri, ad summum fastigium honorum, quatenus libertinis paterent, pervenerant. Eo spectant tituli velut (Sinuessanus I. N. 4040: *honorem bisellii, quo quis optimo exemplo intus colonia Suessa habuit;* et) Singilienses II, 2026: *C. Sempron[io C. lib.] Nigellioni .. VI vi[r. Aug.] perpetuo d. d... Huic ordo Singiliensis recipi[endo] in civium numerum quantum cui plurimum libertino decrevit ..* II, 2023: *L. Iunio Notho*[2]) *ordo Singiliensium honores quos cuique plurimos*

[1]) cf. Mommsen. l. l. adn. 2. Jordan. annal. 1862 p. 293.

[2]) cf. II, 2022: *L. Iunio Notho VI vir. Aug. perpetuo.*

libertino decrevit; et Suelitanus II, 1944 .. *L. Iunius Puteolanus VI vir Augustalis .. d. d. primus et perpetuus omnibus honoribus, quos libertini gerere potuerunt, honoratus* .. Denique animadverto imperatoria demum aetate hos honores videri in usum venisse.

§ 23.

De ceteris sevirum Aug. honoribus magistratibúsve.

Sequitur ut de sevirum Augustalium honoribus magistratibusve, qui reperiuntur *seviratu* excepto, verba faciam. Quo loco candide profiteor me complures quaestiones vel omnino non tacturum vel in medio relicturum vel non satis certo diiudicaturum esse, quae quidem certo solvi non possint nisi ab eo, qui tōtam materiam ad collegiorum magistratus omnino spectantem accurate perscrutatus sit. Id quod equidem adhuc neque potui neque vero volui, scilicet dum corpus inscriptionum urbis Romae non sit absolutum. Interim exponam, quae mihi in Augustalium statum maxime inquirenti veri similia visa sunt.

Ac frequentissime quidem horum magistratuum inveniuntur quinquennales. Ut ei, qui post me de hac materia acturi sint, fontes habeant paratos, titulos huc pertinentes, quot egomet congessi, breviter proponam: quinquennales.

1. .. elio Aug. lib. . . elio Apolausto [pa]ntomimo [Aug]ustalium q. q. . . . . I. N. 652. Canusii.
2. .. C. Mario Suavi Aug. quin[q.] is dedit Venusi[nis] . . . I. N. 732.[1]) Venusiae.
3. . . [q]q. Aug. .. [mune]r. edit[o famil. g]ladiat[or.] . . [s.] p. d. d.[2]) I. N. 1149. } Aeclani.
4. M. Treb. .. Aug. quinq. . . . I. N. 1161. } Aeclani.
5. M. Vergilius C. l. Gallus Aug. quinq. I. N. 1162. } Aeclani.
6. .. Nasellius Vitalis .. Aug. II quinq. I. N. 1504. Beneventi.
7. .. M. Manlio Epaphrodito Augustali idem quinq. . . . I. N. 2633. in agro Neap.
8. L. Albano Martiali sexvir. Aug. iter. quinq. Augustal. . . . I. N. 5052. } Aeserniae.
9. .. [q.]q. Augustal.[1]) . . . . . I. N. 5059. } Aeserniae.

---

[1]) emendavit Brunn. [2]) Supplementa sunt mea.
[3]) Titulus est corruptissimus.

10. .. cuius dedicatione diem ludorum et cenam decurionibus et filiis item quinq. Aug. et filiis et plebi epulum dedit. . . . . I. N. 5186. Iuvani.

11. .. P]olliionis [l.] .. mus [sevir Augustali]s quinq. [August]alium . . . . I. N. 5449. Sulmone.

12. .. Q. Petronius Q. f. Rufus sexvir scr. quinq. . . . . I. N. 6224. Truenti.

13. T. Fundilio Gemino VI vir. Aug. mag. iuv. Augustales patrono et quinq. perpetuo .. hic arcae Augustalium .. dedit Grut. 414,2. } Reate.

14. .. M. Valerius Sabinus VI vir August. q. q.[1]) Grut. 1029,9. } Reate.

15. M. Iulio Zotico decurioni patri decurionum et seviro Augustalium, q. q. eiusdem ordinis dendrophori q. q. suo perpetuo et patrono dignissimo. (p. Chr. 220) Or. 3741. Gabiis.

16. G. c. d. M'. Laelius Magn. VI vir ob honorem q. q. . . V, 2794. Patavii.

17. .. M. Vettidi Aquileiesis VI vir[i] Aug(ustalis) quinquen. V, 4449. Brixiae.

18. L. Lepidio Eutycho seviro Aug. idem quinq. in colonia Ostiensi et in municipio Tusculanorum . . . . Or.-H. 7106. } Ostiae.

19.–26. } *Singuli homines* sevir. Aug. idem quinq. . . . . } Ostiae.

19. Or. 3930.
20. Or.-H. 7107.
21. Or.-H. 7108.
22. Wilm. 282.
23. annal. 1857,303.
24. Fabr. 560,74.
25. Fabr. 752,592.
26. Grut. 396,10.

---

[1]) „Grutero ex Ursinianis Gutensten." Estne igitur genuinus? cf. Mommsen. eph. epigr. 1872 n. 67 ss. maxime p. 75: „*Ursiniana per Gutenst. Grutero missa suspecta sunt omnia et adsertore idoneo deficiente ex titulorum probatorum numero eximenda.*"

27. .. L. Carulli Felicissimi bis. VI Aug. idem qq. L. L. qq. corpor. vin. urb. et Ost. . . Or. 3921.
28. .. L. Calpurnius Chius sevir Aug. et quinquennalis, idem quinq. corporis mensor. frumentarior. Ostiens. et curator bis, idem codicar. curat. Ostis et III honor. Or.-H. 7194.
29. T. Testio Libertino seviro Aug. idem qq. item patrono et qq. corporis treiectus marmoriorum . . . . Or. 4106.
30. Cn. Statilius Crescens Crescentianus VI vir Aug. qq. et curat. ordin. Augustal. et VI vir Aug. Tusculis . . . . Wilm. 1730.
31. . . L. Carullius Epaphroditus VIvir Aug. idem qq. .. Huic VI viri Aug. post curam quinquennalitatem optuler. qui egit annis continuis IIII . . . . . Or.-H. 7109.
32. P. Horatio Chryseroti seviro Augustal. idem quinq. et immuni Lar. Aug. Ex s. c. seviri Augustales statuam ei ponendam decreverunt, quod is arcae eorum HS X m. n. ob honorem curae Sex. Horati Chryserotiani et reliquorum HS XL. m. n. . Or.-H. 7116.
33. T. Annius Lucullus VI vir Aug. idem q. q. honoratus . (*a. 143 p. Chr.*) ann. 68,374.
34. .. A. Livius Callistus sevir Augustalis quinq. . . A. Livi Callisti seviri Augustal. idem quinq. . . . . Or. 3929.
35. C. Nonius O. lib. Trophimus sevir Augustalis idem quinquenn. et curator . . H. p. 313.
36. Q. Veturius Felicissimus sevir Aug. qq. et curator ordinis eiusdem novelle Fior. 1780. p. 509.
37. .. A. Livio Chryseroti seviro August. quinq. Mur. 200,6.
38. .. C. Similius Philocyrius sevir Aug. idem qq. magister quoquae collegi fabrum tignarior. lustri XXXVI . . . . . I. N. 6826.

} Ostiae.

Henzenus cum inter Augustales quinquennales et seviros Augustales quinquennales distinguendum esse primo existimasset, deinde, ut iam dixi, utrumque genus idem esse ipse perspexit. In eo autem errare perseveravit, quod eos, qui dicuntur *Augustales quinquennales*, simplices ordinis socios esse iudicavit sacerdotio annuo non functos.[1] Quem errorem supra satis confutavi.[2] Immo qui quinquennalitatem assequuntur, antea omnes fere post muneris annui administrationem in ordinem Augustalium intrarunt. Videas imprimis n. 6. (cf. n. 8.) n. 7. Creantur autem non a decurionibus sicut seviri, sed ab ipsis ordinis Augustalium sociis. (n. 31). Atque hac ipsa re magnum efficitur inter seviros et quinquennales discrimen. Cum enim decurionibus potestas esset cogendi eos, quos creaverant, ad munus subeundum, Augustales tali potestate carebant. Unde primum sequitur quinquennalium munera non fuisse publica, sed potius spectasse ad interna ordinis Augustalium negotia gerenda. Secundo loco probabile est ea non fuisse ita gravia, sed honore cum eis coniuncto satis compensata. Hanc quinquennalitatis et curaturae — ut hoc continuo addam — sevirum naturam a seviratu ipso prorsus diversam parum perspexerunt, qui de his rebus hucusque egerunt.[3] Atqui invenimus interdum dedicationem factam ob honorem quinquennalitatis (v. c. n. 16 et fortasse n. 2. 3), sed decreti decurionum in huiusmodi titulis numquam fit mentio. Itaque mihi constare videtur has quinquennalium dedicationes fuisse mere voluntarias. Ad hoc plerumque in ipsum Augustalium ordinem eos benificia sua contulisse crediderim (cf. n. 13. 32). Alia munera velut cenae, honorarium non commemorantur.

A quonam creentur.

Quae cum ita sint, vehementer admiremur oportet in uno titulo n. 10 *quinq. Aug.* pro ordine poni plane ut alibi *seviros* (seu *Aug.*). Attamen propterea ut ficticium eum iudicemus, fieri non potest. Primum enim continetur codice Rediano, cuius fides est spectatissima. Deinde confirmatur testimonio Torciae,

De tit. n. 10.

---

[1]) p. 316.

[2]) p. 33 ss.

[3]) Quae vituperatio vel maxime cadit in Herzogium l. l. p. 197 ss.

qui illum se ipsum vidisse dicit.[1]) At infra exponam ad interna sevirum Augustalium negotia administranda plurimis in oppidis non proprios magistratus esse institutos, sed sex sacerdotibus annuis a decurionibus creatis ea quoque curae fuisse. Iuvani autem cum aliquamdiu fortasse exstitissent quinquennales ab ordinis sociis creati et ab annuis Augusti sacerdotibus diversi, nescio an posteriore aetate utraque dignitas in unam coniuncta sit. Enimvero monendum est altero demum tertii p. Chr. saeculi dimidio, cum iam evanescebat totum Augustalitatis institutum, istum titulum scriptum esse. Quodsi illud recte statui, quia Augustalium ordo ceterorum collegiorum dudum factus erat simillimus, ad eorum normam etiam magistratus unitus quinquennalium nomen retinere potuit. Iam enim non tam munus sacerdotii quam ordinis magisterium pro fastigio honoris Augustalium habebatur. Scilicet elucet, quo magis in ordinis formam Augustales constituebantur, eo magis in proprios ordinis magistros, ubicunque a sacerdotibus annuis erant diversi, transiisse honorem, quo antea hi seviris munere defunctis omnibus praestiterant. Quae si recte conicio, quomodo temporis spatio interiecto nomen quinquennalium ordinis magistris antea proprium in universos ordinis socios potuerit transferri, nemo non videt. Sin autem improbes illam coniecturam, restat opinio Augustales Iuvani a ceteris municipiis nomine ab initio discrepasse. At tum etiam quinquennalitatem Iuvani a ceterorum oppidorum instituto cognomini longe diversam fuisse obtinebo. — Haec de hac re sufficiant. Nam certius nunquam haec controversia diiudicabitur, nisi forte alii Augustalium tituli Iuvani in lucem prodierint.

In quantum temporis quinquennales fere sint electi parum constat. Namque etsi primo per quinquennium eos munus gessisse nomine comprobatur, tamen posteriore aetate plus minusve quinquennio collegiorum quinquennales munere functos

---

[1]) Cuius testimonii auctoritas tantum abest ut imminuatur, ut etiam augeatur eo, quod in primis tituli verbis a Rediani libri lectione Torcia discrepat. Certe enim ab illa non discessisset, nisi ex alio fonte revera hausisset. Ceterum plane adsentior Mommseno, qui errori Torciae hanc discrepantiam crimini vertat.

esse cum in universum patet[1]), tum de sevirum quinquennalibus docet tit. Or.-H. 7109. Atque Ostiae quidem posteriore saltem aetate fere annuam fuisse quinquennalitatem suspicor. Nam aliter qui possit explicari, quod illic exstant tot *sevirum Aug. et quinquennalium* tituli, non video. Nec magis utrum unus tantum an plures simul in eodem collegio quinquennales fuerint diiudicare audeo.[2]) Quamquam Ostiae compluribus hunc honorem simul contigisse probabile duco. Porro etiam in sevirum Augustalium collegiis *quinquennales perpetui* inveniuntur (n. 12). Quos fuisse viros de ordine suo maxime meritos atque locum insignissimum et principem inter socios honoris caussa obtinuisse ex eis, quae de collegiorum quinquennalibus perpetuis omnino accepimus[3]), colligere licet. Neque raro hic honos cum *patronatu* consociatur. Conferas omisso Fundilio ipsorum Augustalium patrono et quinq. perpetuo[4]) n. 15 et n. 29. Ceterum quinquennalibus tam ad tempus factis quam perpetuis, si modo hi non iuxta illos reperiuntur, res et negotia Augustalium fuisse administranda opinor, velut ordinem cogendum, coacto vel epulanti praesidendum[5]), decreta efficienda, aliorum magistratuum, si qui praeterea exstabant, creationem curandam[6]), arcam custodiendam, alia. Attamen in nonnullis oppidis pars horum negotiorum *curatoribus* videtur commissa fuisse. Qui ubi praeter quinquennales et una cum eis exstiterunt, curatoribus propriam negotiorum curam, quinquennalibus autem summam rerum custodiam convenisse et ordini praesidendum fuisse reor:

Curatores. Exempla autem *curatorum Augustalium* haec mihi innotuerunt:

1. . . Aebuti Agathon[is] seviro Aug.
corp. c. J. P. Arel., curat. eiusd.
corp. bis, item seviro col. Iul. Aptae — Herz. 360. Glanii Livi rep.

2. . . Natio Felice IIIIII vir. [Au]g.
Lug. eiusdemq. corporis curat.,

---

[1]) Henzen, annal. 1851 p. 156. [2]) cf. ibid. p. 155.
[3]) Vid. praecipue Wilm. 320. Or. 3741. 2163. Or.-H. 7106.
[4]) n. 13. [5]) v. Wilm. 319.
[6]) cf. Or. 3891: *censor bis ad mag. creandos.* Qui titulus Henzenum videtur fugisse, cum scriberet bull. 1871 p. 150: *sarebbe poco intelligibile il significato della censura in un collegio.*

patrono centonarior Lug. consist.	Boiss. VI, XXX	Lugud.
3. . . M. Primi Secundiani IIIIl vir. Aug. Lug. curator. eiusd. corpor.	Boiss. VI, XXXI	
4. . . Secu]nd(i) seviri Aug. c. C. C. [Au]g. Lug. cur. [eius]d. co[rp.]	Boiss. VI, XXXVI	
5. Bonum eventum VI vir. sociorum Sex. Numisius Fortunatus et L. Lucretius Primianus VI vir. Augg. curatores ordin. datis in tut. HS ∞ n., ex quorum usur. die Id. Mai. sacr. extis celebretur . .	V, 4203 Brixiae.	
6. . . VI vir[o et] Aug. L. Valerio Amanti VI viro et Aug. Q. Sentio Amanti VI viro et Aug. L. Cornelio Luciano VI viro et Aug. Q. Marc. . . VI viro et Aug. ob curam integre ac liberaliter gestam	V, 5305 Comi.	
7. = p. 97 n. 30.		
8. Genio coloniae Ostiensium M. Cornelius Epagathus curat. Augustal. argen. p. X d. d.[1])	Or.-H. 5775 Ostiae.	
9. C. Nonius Ͻ· lib. Trophimus sevir Augustalis idem quinquenn. et curator	H. p. 313 Ostiae.	
10. = p. 97 n. 36.		
11. = p. 97 n. 31.		
12. = p. 64 n. 32. *Huc pertinent verba:* ob honorem curae Sex. Horati Chryserotiani et reliquorum		
13. M. Scurreius Fontinalis sacerdos Fortunae Primig. lectus ex s. c. IIIIl vir. Aug. cur. sevir. . .	Or. 2163 (= Wilm. 1800) Praeneste.	
14. Pro salute et victoria Augustorum		

[1]) a. p. Chr. 141.

deo magno Genio coloniae Puteolanorum et patriae suae Q. Aurelius Hermadion sevir Augustalis et curator eorum exstruxit et donum dat. . . . . I. N. 2468 Puteolis.

15. In praediis . . [A]ugustalium corporat., quae eis L. Laecanius Primitivus curator ipsorum perpetuus dedit . . . . I. N. 2529 ibid.

16. L. Licinio Primitivo ornamentis decurion. honorato curatori Augustal. perp. Augustales corp. ob perpetuam et plurifariam munificentiam et quod res negotiaque eorum integre administret[1]) . . . . I. N. 2530 ibid.

17. Augustales col. Ulp. Rat. T. Iulio Ia . . Thocii . . cur. . . . . III, 6295 Ratiariae.

18. C. Faustius Primitivos curator arc. Aug. eidem corp. . . n. ded. . Mur. p. 700, 6 = p. 1680, 5.

Iam sicut in nonnullis collegiis curatores et quinquennales simul fuisse constat[2]), ita etiam in seviris, ubi utrique inveniuntur, non nomine tantum (aeque atque in municipiis II viros et quinquennales) sed re eos diversos fuisse opinor.[3]) Ac videtur tunc quidem quinquennalitas maior honos fuisse, qui post curam fere gerebatur.[4]) Contra in compluribus oppidis, ubi sevirum quinquennales nulli inveniuntur, curatores summos eorum magistratus fuisse apparet.[5]) Quam ob rem etiam *curatores Augustalium perpetui* non desunt, qui in eorum collegiis eundem locum insignem videantur obtinuisse atque alibi quinquennales perpetui.[6]) Sed plerumque *curam* puto annuam fuisse; in quam opinionem eo deducor, quod in n. 1 reperitur *curator Aug. bis*, cum *quinquennales bis* sane nusquam deprehenderim. Ceterum

---

[1]) a. p. Chr. 165. [2]) cf. v. c. Wilm. 320.

[3]) n. 7. n. 9. n. 10. n. 11. Henzenus maluit de hac quaestione iudicium non facere. annal. 1851 p. 159.

[4]) cf. n. 11. [5]) cf. Henzen. l. l. p. 158.

[6]) n. 15. 16.

duos simul nonnumquam curam egisse docet n. 5. Porro curatores quoque quin seviri ipsi ordini suo praefecerint non est dubium. Itaque munera publica non subierunt nisi ultro et sua ambitione adducti. Atque aras statuasve Genio coloniae municipive et curatores et quinquennales dedicare maxime videntur consuevisse.[1]) Quae opera vereor ne non in locis publicis, sed potius in sevirum fundis privatis fere exstruxerint, ita ut revera ne haec ipsa quidem publica essent. Nam requiritur in titulis huc cadentibus solemne illud: *l. d. d. d.*[2]) Interdum arcae sevirum invenimus summam pecuniae ob honorem curae inlatam esse[3]), cum ob honorem seviratus in rem publicam honorarium dari debuerit. De negotiis autem curatorum idem fere valet, quod dé quinquennalibus supra exposui.[4]) Iam vero ex eis, quae de hac materia dicta sunt, tantum liquet, utrique magistratuum generi locum non fuisse, nisi ubi ordo Augustalium factus est et in collegiorum formam se constituit. Maxime igitur tum puto huiusmodi magistratuum desiderium apparuisse, postquam peculium possidere atque arcam habere seviri coeperunt i. e. altero p. Chr. saeculo. Ac titulos supra propositos ut aetati multo antiquiori attribuamus, qua re compellamur, non video. Praeterea tantum aberat ut omnibus in oppidis tales magistratus instituerentur, ut in plerisque etiam interna ordinis negotia seviris curanda fuisse verisimile sit. Nam perexiguus est numerus titulorum, quibus quinquennalium et curatorum memoria servatur. Quin etiam documento mihi videor comprobare posse seviros plerumque curam ordinis gessisse. Nam titulo Comensi n. 6, cum in initio nescio quot versuum damnum fecerit, nihil obstat ne sex *seviros et Augustales*, nimirum anni tunc ipsum finiti, ob curam integre ac liberaliter gestam honorari censeamus. Nam sex vel certe quinque *curatores* proprios in eodem ordine simul rebus praefuisse non est verisimile neque ullum exstat aliud indicium. Accedit quod curatorum propriorum Comi adhuc nullum emersit vestigium. Non in omnibus oppidis hi magistratus fuerunt.

Praefectum Aug., qui semel commemoratur Aquinci III, 3487, easdem partes egisse quas alibi quinquennales vel cura- Praefectus, quaestores.

---

1) n. 8. 14. p. 96, n. 16. 2) cf. etiam V, 4203.
3) n. 11. 5. 4) cf. n. 6 et 16 et 18: *curator arc(ae).*

tores consentaneum est. Namque praefecti cum alibi omnino inveniantur ut collegiorum magistri [1]), tum frequentissimi sunt in fabris et in dendrophoris. [2]) Neque aliter de Augustalium *quaestoribus* iudico, quos in sex titulis Allifanis et in Tiburtino uno repertos esse supra docui. Ceterum de his Henzenus [3]) ita disputavit, ut ad illum eos qui legent possim relegare. Unum animadvertam, in titulo Tiburtino duos quaestores manifesto eisdem partibus fungi atque alibi curatores.

scriba. Deinde rursus non plus semel inventus est sexvirum *scriba*, cui posthac quinquennalitas contigit cf. p. 96, 12. Quod munus quanti fere in collegiis fuerit momenti, colligi potest ex Wilm. 319, ubi ex omnibus divisionibus cum quinquennali partes duplae constituantur, scribae et viatori sesquiplae dari iubentur.

decuriones sevirum. Tum Narbone bis commemorantur *decuriones* sevirum [4]), quos evocatos interioris deliberationis possis interpretari. Horum arbitrio cum res levioris momenti plane videantur permissae fuisse, de gravioribus, quae ordinis conventui proponi solebant diiudicandae, tamen consilia eos antea secum communicasse opinor. Ceterum in collegiis omnino decurionum haud raro fit mentio, ut docet index Henzenianus p. 176. Neque vero dubito quin in aliis quoque oppidis frequentioribus tale vel simile institutum seviri habuerint. Eo mihi etiam pertinere videtur honorati. genus *honoratorum*, qui ut in ceteris collegiis saepe [5]) ita in seviris quoque interdum reperiuntur. Id quidem exemplum, quod Henzenus aptissimum putavit ad hanc rem illustrandam [6]), minus feliciter mihi videtur electum. Nam cum *Honoratus* etiam fuerit cognomen pervolgare, incertum est, num forte in hoc titulo M. Antonius duo cognomina habuisse existimandus sit. Contra idoneum est alterum exemplum ab Henzeno allatum: . . *C. Ruson*[*ius*] *Myron IiiiiI vir* [*Aug*] *Lug. honoratus, i*[*tem*] *centonarius ho*[*no*]*ratus* . . . Boiss. VI, XXIV

---

[1]) . . *n(autae) [Rho]d., praef. [eius]d. cor* . . . Boiss. VI XXXVI. [2]) cf. Or.-Henzen. ind. p. 178.

[3]) p. 208.

[4]) Herz. 17 et 51: l. d. d(ecr.) d(ecurionum) sevir(orum).

[5]) cf. Wilm. ind. II p. 639a.

[6]) . . *M. Antonius Ianuarius HONORATVS Augustalis Misenis* . . I. N. 2578.

cui addo hoc: *T. Annius Lucullus VI vir Aug., idem q. q., honoratus* ... ann. 68, 374.[1] Nam in titulo Allifano I. N. 4781, ubi dicitur .. *aedius Serviliae* [*l*] *Pylades* .. *q. Aug. Allif. honoratus d. d.* non collegii honorem, sed ornamenta decurionalia aut bisellliatum significari mihimet persuasum est, quia res Augustalium internas decuriones nihil curant.

Restat ut pauca addam de *Augustalibus dupliciariis*, qui solum Puteolis et Tibure inventi sunt. Nam etiam I. N. 117 Puteolis iure videtur attribui. Habemus autem huius nominis exempla quattuor: Augustalis dupliciarius.

1. Cn. Haio Doryphoro purpurario Augu[st.] dupliciario	I. N. 117 (= Wilm. 2534).
2. .. Cn. Cornelio Vernae Delicato Augustali dupliciario	I. N. 2526 (= Wilm. 2000).
3. .. Sex. Patulci Apolausti Aug. dupl. Put.	I. N. 2531.
4. = p. 56 n. 29	Tibure.

Dupliciarii frequentissime inter milites occurrunt.[2]) Itaque in his quoque titulis honorem militarem intellegendum esse olim dixit Kellermannus[3]). At hac opinione quin vir egregius deceptus sit, nunc quidem nemo dubitabit[4]). Quamquam ne Henzenus quidem in eis, quae Kellermanno opposuit, errore vacat. Neque enim milites inter Augustales deficiunt. cf. e. g. V, 5713: .. *C. Atilius Mocetius veter. leg. VIII Aug. VIvir decur(io) sibi et C. Atilio Magio fratri veter. leg. eiusdem VI vir. Comi* .. V, 6896: .. *Q. Petilius Q. f. Saturninus mil. leg. XXII Primigeniae VI vir Augustal. aedil. II vir...* Quae autem notio titulo Augustalis dupliciarii vere esset subicienda, cum Henzeno tunc saltem nondum liqueret, Wilmannsius nuper recte enucleavit[5]). Ut enim in militibus dupliciarii dicti sunt,

[1]) cf. Wilm. 1742: *T. Flavio T. l. Hilarioni decur. coll. fabr. ex lustro XV .. mag. quinq. coll. fabr. tignariorum lustro XVII honorat. et lustro XVIII ..*

[2]) Marquardt. Statsverw. II, 526 s.

[3]) Vigil. ad n. 230, 9. p. 65.

[4]) cf. Henzen. p. 316 et bull. 1848 p. 57.

[5]) ad n. 2534.

quibus aut ob virtutem singularem aut ob numerum stipendiorum duplicia cibaria dabantur [1]), ita Puteolis et Tibure in Augustalium collegiis hoc nomine ei notabantur, qui honoris caussa in divisionibus duplices partes accipiebant. Nam collegiorum sociis honoratis in divisionibus nonnumquam plus datum esse quam ceteris compluria exempla docent.[2])

De tit. I. N. 2525. At harum rerum periti dudum mirati erunt, cur omiserim titulum, quem usque ad hunc diem omnes ad hanc quaestionem adhibuerunt in eoque Henzenus vel maxime haesit, hunce: *A. Arrius Chrysanthus marmorarius Augustal. Puteolis dupliciar. ɿ Petron.* . . I. N. 2525. Ex hoc titulo Henzenus colligendum esse censuit, Puteolis collegium Augustalium in centurias divisum fuisse. Contra mea est opinio, hic omnino non dici Augustalium dupliciarium. Primum enim talis divisionis in seviris alias paene nulla exstant vestigia[3]). Deinde quod in I. N. 2535 *scholae ɿ Petron.* commemorantur, num credis singulis sevirum centuriis, si revera exstitissent, scholas proprias fuisse? At sane eo usque nusquam videmus Augustalium collegia opibus circumfluxisse. Sed via, qua ex his angustiis evadamus, nobis monstratur titulo sepulcrali I. N. 2534: *C. Caesonio Eudiacono patri cultor. ɿ Cornel. ob merita eius.* Quorum enim hic mentio fit *cultores ɿ Cornel.* fuisse collegium funeraticium vel salutare, quod dicitur[4]), quicunque edocti sunt de Romanorum re sodaliciaria, certe concedent[5]). Neque aliter etiam *centuriam Petronianam* intellegendam esse sane probabilis est coniectura. Itaque equidem persuasum habeo marmorarium illum A. Arrium fuisse Puteolis Augustalem eundemque collegii funeraticii vel salutaris, cui centuriae Petronianae nomen erat, dupliciarium.

De patronis sevirum Aug. Iam hoc ipso loco etiam de *patronis* sevirum Augustalium quae mihi dicenda videntur absolvam. Quos cum Herzogius[6])

---

[1]) cf. Varro de l. L. 5, 90 et Marquardt. l. l.

[2]) cf. Wilm. 319. 320. [3]) cf. Henz. p. 316., at supra p. 35.

[4]) cf. Or.-H. 6086. et II, 379.

[5]) *Cultores* proprie dicuntur socii collegiorum funeratic. vel salutarium cf. Z. S. f. gesch. Rechtswissensch. 1850 p. 360 et O. Jahn, ber. des sächs. geselsch. der W. 1856 p. 295. cf. Forcell. s. v.

[6]) l. l. p. 202.

non solum in Gallia Narbonensi nunquam reperiri, verum etiam in reliquis imperii Romani partibus rarissimos esse ille quidem opinaretur, hanc rem eo voluit explicari, quod patronus municipii eo ipso fuisset etiam Augustalium patronus ut ad communem usum institutorum. Contra cetera collegia, quippe quorum caussa fuisset mere privata ideoque a municipiis aliena, propriis patronis eguisse ratus est. At haec omnia falsa esse spero fore, ut facile demonstrem. Primum enim sevirum patroni revera non sunt rariores quam v. c. eorundem curatores. Egomet haec fere exempla inveni:

1. L. Iulió Q. f. Volt. Nigro Aurelio Servato omnib. honórib. in colóniá sua fúnctó seviri corporat. Nemausenses patrono ex postulatione populi l. d. d. d. Herz. 116. Nemausi.
2. .. G. Paqui Optati lib. Pardalae IIIIII Aug. col. Iul. Pat. Ar., patron. eiusdem corpor., item patron. fabror. naval. utriclar. et centonar. . . . . . Herz. 342 Arelate.
3. .. C. Ulatti Meleagri IIIIII vir. Aug. c. C. C. Aug. Lug., patrono eiusdem corpor., item patrono omnium corpor. Lug. licite coeuntium .. Boiss. VI, XXXII. Luguduni.
4. .. C. S[il]en[i]o Reguliano eq. R. diffus. oleario ex Baetica, curatori eiusdem corporis, negot. vinario Lugudun. in canabis consisten., curatori et patrono eiusd. corporis, nautae Ararico, patrono eiusd. corporis, patrono IIIIII vir. Lugduni consistentium Boiss. VI, XXXIII (= Wilm. 2506) ibid.
5. M. Inthatio M. fil. negotiat. vinar. Lugud. in kanabis consist., curatura eiusdem corporis bis funct., item qq., nautae Arare navig., patrono eiusd. corpori., patron. eq. R. IIIIII vir., utriclar., fabror. Lugud. consist. . . Boiss. VI, XXXIV Lugud.
6. .. r Aug. c. C. C. .. ronus corp... Boiss. VI, XXXV ibid.
7. M. Silio Epaphrodito patrono sevirum Aug. magistro iuvenum iterum. . . . . . Or. 4099 Luco Feroneae.
8. Sext[io] Claseno Sex. f. Sex. n. Sex. pron. Clu. Alliano pontifici flamini Victoriae et Felic. Caesar. perpetuo, praef. coh. .. VI viri Augustal. patrono ob amorem .. Or. 2211 Ameriae.

9. Mutteio C. f. Pal. Quinto Severo q. II vir. q. alimentor. curator. calendar. . . patrono VI vir. August[al.] et colleg. fabr. . . . . . Mur. p. 520, 4. Pisauri.
10. Zminthi. T. Caedio T. f. Cam. Atilio Crescenti eq. p. patr. col. et primario viro q. II vir. et II vir. qq. patr. VI vir. August. itemque coll. fabr. cent. navic... Wilm. 2112 ibidem.
11. M. Meconio M. f. Cor. Leoni aed. IIII vir. leg. Cor. quaest. pec. p. patrono municipi Augustales patrono ob merita eius . . . . I. N. 79 Peteliae.
12. C. Manilius Fortis Augustalis patronus collegi I. N. 4650 Venafri.
13. Rutiliae C. f. Paulinae sevir. August. patronae ob merita patris et ipsius . . . . . I. N. 5374 } Corfinii.
14. Titiae Valeriae uxori Q. Corneli Domiti patron. [c]ivitatis et sevirum Augus. . . . . I. N. 5375 } Corfinii.
15. C. Rutilio C. f. Pal. Gallico ordo Augustal. patrono ob merita patris et ipsius . . I. N. 5476 Superaequi.
16. M. Metilio Successo M. Metili Repentini patroni coloniae filio patrono ordinis Augustalium Martinor. I. N. 5695 Carsiolis.
17. = p. 96 n. 13.
18. .. Iul. Capitoni i. p. p. Illyric. et r. T. omnib. honorib. ab ord. [mun.] Fl. Sirmiatium honorato. . . patrono Aug. col. Ulp. Oesc. . . . . . . III, 753. Oesci.

Ac duo prima exempla, quae ab ipso Herzogio repetivi, certe eum fugere non debebant. Deinde diversos esse municipiorum et sevirum patronos tituli velut n. 14 et 16 luculenter demonstrant. Porro non est verum reliquorum collegiorum omnium caussam fuisse mere privatam. Quis non recordetur fabrum et centonariorum, quos ad civitatis utilitatem pertinuisse constat. Nihilo tamen setius eis semper fuisse patronos proprios Herzogius ipse non negat. Verum id contenderim, multo plures patronorum sevirum titulos ad nostram memoriam fuisse manaturos, si maiora Augustalium collegia, ut putant Zumptius et Henzenus, revera ab initio essent instituta. Quam opinionem obtineri non posse satis probatum est. Itaque etiam patroni sevirum eo demum tempore legi coeperunt, quo fere quinquen-

nales, curatores, i. e. cum ex annuis Augustorum sacerdotibus frequentia Augustalium collegia evaserant, quae cum ceteris rebus tum bonorum possessione et arcae communis instituto reliquorum collegiorum formam imitarentur. Enimvero hae res Augustalium internae quomodo se haberent, rei publicae parvi intererat, cuius cura in seviris annuis creandis fere poterat se continere. Qua de caussa istis desiderium oreretur necesse fuit virorum potentium atque opulentorum, qui eorum rebus providerent nec non subvenirent, quando opus esset. Itaque sevirum patroni, quorum memoria servata est, maximam partem non tam nobilitate quam opum abundantia videntur eminuisse. Certe complures vel nomine convincuntur condicionis libertinae vel ipsi ordinis Augustalium socii sunt.[1]) Porro animadvertendum est etiam patronas sevirum inveniri.[2]) His autem omnibus ipsorum sevirum decreto patronatum oblatum esse consentaneum est.

§ 24.

De Augustalium numero et quousque propagati sint.

Numerum Augustalium non posse certis finibus circumscriptum fuisse supra exposui. Quam ob rem quantus fuerit singulis in oppidis, etsi accuratius dici nequit, tamen ex magnitudine summarum in legatis ad divisiones anniversarias adsignatarum quodam modo coniectura assequi licet. Exempli gratia quod in tit. Grut. 439, 2 seviris Augustalibus Aletrinatibus legantur *HS CCIↃↃ, quoius ex reditu quodannis VI Id. Febr.* vescantur, huius summae usurae semisses, ut quae fuerint usitatissimae, efficiunt in annum HS 600. Iam fac amplius circiter binos cuique denarios in divisione datos esse. Haec enim summa, ubi seviris cenae divisae esse dicuntur, omnium saepissime obvia est.[3]) Tum si ad calculos rem vocaveris, fere quinque et septuaginta sociis Aletrii Augustalium ordinem constitisse invenies. Atqui profitendum est, facile etiam vel dimidio vel altero tanto maiorem eorum numerum fuisse posse,

---

[1]) cf. n. 2. 3. 6. 7. 12. [2]) n. 13. 14.

[3]) II, 1276. Wilm. 307. 686[a et b]. 1786. Or. 3062. I. N. 222. 2530, 5166. Petron. cp. 71. cf. etiam Plin. ep. X, 116. ed. Keil. et Petron. cp. 45.

nimirum si vel ternos victoriatos[1]) vel singulos tantum denarios[2]) quotannis divisos esse statuemus.

Contra computum paullo praecisiorem permittit titulus Barcinonensis II, 4511 positus imperante Antonino Pio. Namque in eo testator legat colonis Barcinonensibus HS centum milia ea condicione, ut eius summae usurae quincunces quotannis natali suo decurionibus et Augustalibus, qui praesentes futuri sint, dividantur. Atque decurionibus denarios quaternos, Augustalibus ternos singulis dari iubet. Deinde pergit: *si quo pauciores convenerint*, (ita ut in divisione illa aliquid pecuniae supersit) *amplius inter praesentes pro rata dividatur, ut HS V (m. n.) usurarum, quae annuae competunt, in hanc rem omnibus annis natali suo erogentur.* Certe igitur tantum legare ei in animo fuit, ut etiamsi decuriones Augustalesque frequentissimi ad natalem suum concelebrandum convenissent, tamen ex usuris quincuncibus denarii quaterni ternive omnibus dari possent. Quodsi statuimus decuriones et Augustales fuisse numero fere pares et deinde quinque milia sestertium ex ratione praescripta dividimus, efficiuntur fere centum septuaginta octo et decuriones et Augustales. At ubique et omnibus temporibus ordo superior numero minor esse consuevit quam inferior. Quapropter si potius statuemus hos duos ordines eam fere habuisse numerorum rationem, ut binis decurionibus terni responderent Augustales, propius, opinor, ad veritatem accedemus. Tum vero si pro rata parte summam supradictam dividemus, decuriones fient circiter centum quadraginta quinque, Augustales ducenti decem. Unde etiam possumus conicere, quantus fere aliis in oppidis Augustalium numerus fuerit.[3])

Deinde de finibus, intra quos Augustalitatis institutum propagatum sit, hoc loco non est cur fusius disseram. Cum enim de hac re iam Eggerus satis bene egerit, quae nunc sunt vel addenda vel corrigenda, supra diversis locis attuli. In Britannia non plus unum seviri titulum adhuc prodisse, quicunque cognitum habebit huius provinciae qualis tunc temporis fuit

---

[1]) cf. I. N. 26. [2]) I. N. 4918. cf. Plin. l. l.

[3]) Has computationes non satis certas esse neque dubitationibus exemptas ipse non ignoro neque indicare omisi.

statum, non mirabitur. Namque cum Romanis contra indigenas numquam prorsus subditos bella continua illic essent gerenda, civitatium condicio necessario fuit plane militaris. Itaque honorum municipalium, collegiorum, reliquae vitae municipalis vestigia omnino ibi paene nulla reperiuntur.[1]) Contra in Africa, ubi posteriore quidem aetate admodum floruit atque exculta est et res municipalis et imperatorum religio, quod quater tantum quinquiesve[2]) Augustalitatis mentio fit plurimum habet admirationis. Verumtamen ad hanc rem explicandam praeter ea, quae iam pridem O. Hirschfeldus[3]) proposuit, multum novi non possum afferre. Nam etiam Wilmannsius, quem de hac re consului, aeque atque Hirschfeldus eam putat raritatis Augustalium Africanorum caussam esse, quod in ista provincia posteriore demum aetate in municipiorum formam alibi dudum stabilitam civitates redactae sint. Cum enim Augustalitas sit institutum ad Augustum proprie revocandum et cum tota eius ratióne imperii sui muniendi mire consentiens: ait elucere in eis maxime provinciis illud excultum et pervolgatum esse, in quibus iam Augusto imperante municipia iuste essent constituta. Quod ut cadat in Africam multum abesse. Praeterea idem homo doctus, qua est liberalitate, de eadem quaestione mecum communicavit coniecturam, in quam antea aliquando inciderat, Augustales in eis Africae oppidis institutos esse, quae in agro principis proprio condita essent. Scilicet imperatorum libertos ibi Augustalium partes suscepisse. Atqui Wilmannsius adicit, num haec opinio possit obtineri, se ipsum dubitare. Nihilominus nolui eam silentio praetermittere.

Hoc loco opportunum est opinionem Nisseni[4]) breviter commemorare, qui non in oppidis se continuisse, verum etiam De paganis.

---

[1]) cf. Huebner. VII p. 5.

[2]) Etenim nescio an praeter quattuor titulos ab Hirschf. ann. 1866 p. 66. compositos (Ren. 1529. 3096. 3190. 3380) etiam Ren. 1451 huc pertinere dicendus sit: . *leg(ato) pr. pr. L. Julius Luciolus ob honorem [A]ug. ex HS IIII CCCC n. . . sua pecunia fecit.* Plures autem Augustalium Africanorum titulos ne Wilmannsius quidem se in promptu habere mihi roganti respondit. Quamquam morbo impeditus, ne schedas suas evolveret, non plena certitudine id potuit affirmare.

[3]) annal. 1866. p. 66. [4]) pompej. stud. p. 379.

in pagos Augustalitatis institutum emanasse iudicavit. Namque *paganos,* qui in I. N. 1504. 2343. 2344. 2346. V, 4148. IV, 2445 inveniuntur condicionis libertinae, Augustalibus oppidanis respondere dicit. Verumtamen haec paganorum collegia, quamquam ad Larum Augustorum et ad domus divinae cultum et ipsa spectabant, ab Augustalium statu, qualem fuisse docui, perquam discrepare et potius cum cultorum Augusti collegiis aliisque comparanda esse, quicunque accuratius rem examinabit, cognoscet. Itaque etiam *VI viri urbani,* quorum tres habemus titulos in agro Comensi et Cemeneli repertos (V, 5446. 5447. 7920) tantum abest, ut *VI viris paganis* nescio quibus sint opponendi, ut adsentiar Mommseno [1]) explicanti seviratum ita appellatum opponi aliis honoribus a collegio extra urbem consistente eisdem hominibus tributis. Ergo ut flamines ita etiam seviros Augustales oppidis tantum convenire dicemus.

§ 25.
De civili sevirum condicione et auctoritate et de ordinis sevirum iuribus.

Seviri Aug. maxime ordo libertinorum.

De civili sevirum condicione iam supra praeteriens quaedam disputavi. Vidimus enim, cum servi seviratu prorsus essent exclusi, libertinorum hunc honorem quasi vere proprium fuisse. Id quod nunc paullo accuratius perscrutemur. Nam qui in hanc rem intentus titulos exiget, cognoscet non fuisse nisi certas quasdam regiones, in quibus ingenui seviratum suscipere non dedignarentur. Scilicet ex libertinis solis seviri seu Augustales videntur constitisse in Hispaniis, Gallia Transalpina [2]), Italia inferiore omissis titulis Piceni suburbicarii, in Sardinia [3]), in toto Illyrico, in provinciis Graecis quotquot inventi sunt, in Rhenanis regionibus excepto uno titulo Bramb. 82, denique in Helvetia praeter titulos I. H. 27. 133. Etiam

---

[1]) V, praef. ad tit. Comens.

[2]) De titulo Boiss. VI, XXXIII cf. p. 29 ss.

[3]) Nam titulum della Marm. p. 480. n. 35, quem tamquam Sardoum ex Panvinio exhibet Gruterus 45, 9 et Baille, ins. Rom. p. 49, uti della Marmora in Sardinia non invenit, ita omnino adulterinum iudicemus oportet. Etenim VIvir Aug., qui idem sit *vir cos. sodal. Hadrianal. leg. leg. cet.* certe inauditus est.

Siciliam huic numero iure addas. Nam titulos Torrem. 2, 4 et 11, 24 ex Gudio p. X n. 1 et p. XVI n. 1 repetitos, quorum unus exhibet *VI virum Augustalem* eundemque *legatum legionis, proconsulem, quaestorem, com. Palatinum*, alter *magistrum VI virum Augustalem patronum Messanensium*, — hos genuinos esse quis velit obtinere?[1]) Supersunt igitur, ut in quibus seviri Augustales ingenui frequentiores inveniantur, regiones Italicae X, XI, IX, Aemilia, Umbria, Etruria, Picenum, Sabini, Latium. Sed hic quoque discrimen est faciendum. Nam in regione decima inter ducentos fere et octoginta sevirum Augustalium titulos non sunt ingenuorum nisi circiter triginta. Et horum plerique pertinent ad Veronam et Brixiam, quibus addas, si lubet Mantuam, Tergeste, Concordiam. Neque minus in Aemilia Umbria Etruria Piceno Sabinis Latio seviri libertini videntur praevalere. Contra omnium frequentissime in regionibus undecima et nona ex ingenuorum ordine seviros lectos esse apparet, adeo ut Mediolani seviri ingenui et libertini numero sint etiam fere pares. Quamquam in universum in his quoque regionibus ingenuos rarius inveniri constat. Praeterea animadvertas hos ingenuos tamen a patribus vel avis libertinis plerosque videri oriundos, et certe omnes esse, ut ita dicam, homines novos a nobilitate familiarum, quae in municipiorum rebus gerendis antiquitus versatae sint, prorsus alienos. Vides igitur ordinem libertinorum in universum seviros Augustales merito dici.

Ac ne vitae quidem genere locum superiorem plerique obtinuerunt.[2]) Namque mercatores atque opifices permulti seviratum adepti sunt. Verbi caussa etiam cocum inter seviros invenimus. Quin etiam praeconibus et histrionibus, quod utrumque genus a muneribus publicis per legem arcebatur, Augustalitatem contigisse supra docui exemplisque confirmavi. Omnino igitur ei, quibus ab initio hic honos videtur destinatus esse, quamvis divitiis praepollerent, tamen ex opinione vetere et traláticia per se ipsi parum habuerunt auctoritatis. Quae cum ita De vitae genere.

[1]) Etsi concedo priorem spuriae auctoritatis certius convinci quam alterum.

[2]) Tamenvero milites quoque inter seviros reperiri, nimirum inter ingenuos, contra Henzenum p. 316 supra animadverti p. 105.

De sevirum auctoritate.

sint, consentaneum est eos primo quidem avide seviratum captavisse. Nam cum ipsa dignitas muneribus insignibusque, quae ad eam pertinebant, seviros redderet honoratiores, tum vel maxime sodalitatis coorientis vis ac splendor plurimum potuit ad singulorum quoque auctoritatem augendam et amplificandam. Veluti alias quoque imprimis coniunctione effectum esse videmus, ut homines plebeii supra multitudinis humilitatem longe se efferrent et valde conspicuum in civitate locum occuparent. Ita modo Mercuriales, modo vinarios, modo collegia fabrum et dendrophorum, modo tria collegia (fabrum, centonariorum, dendrophorum) in sportularum divisione plus accipere et maiore honore affici videmus quam reliquum populum.[1]) Atque in Gallia Narbonensi non solum seviris sed etiam aliis collegiis in spectaculis loca seorsum adsignata esse scimus.[2]) Praeterea in urbe apparitoribus quantum de consociatione accreverit auctoritatis periti non ignorant.[3]) Sed seviri Augustales in municipiis ceteris collegiis facti sunt superiores et tamquam alterum ordinem decurionibus proximos se adiunxerunt, non quo soli servirent publicae utilitati, cum ceterorum collegiorum caussa esset mere privata — quam dixi esse opinionem Herzogi,[4]) — verum tamen illi ad multo maiora munera subeunda obstricti erant quam ceterorum collegiorum, quae ad communem usum essent instituta, socii. Itaque oneris gravitati honoris splendorem respondisse nemo admirabitur. Atque inde simul elucet, divitiis quoque seviros inter cives fere praestitisse, ut etiam tamquam auro potentes cum decurionibus et generis nobilitate et munerum administratione praecipue pollentibus possint conferri. Ceterum ut temporibus ita locis diversis etiam sevirum auctoritatem fuisse diversam consentaneum est. Quam ob rem in nonnullis titulis, in quibus ex usu aliunde cognito certo crederes fore ut eorum mentio fieret, praetermissi sunt[5]); in multis

---

[1]) cf. I. N. 445. 189. 2530. Or.-H. 7101. Grut. 489, 1. V, 7905. 7920.

[2]) cf. Herzog l. l. p. 204.

[3]) cf. Mommsen. Statsr. I, 326.

[4]) l. l. p. 202.

[5]) cf. Egger. I. 386. — Etiam in Histria et parte Venetiae sevirum auctoritas minor fuisse videtur. Contra fabri et centonarii ibidem mirum quantum pollent.

manifesto decurionibus posthabentur; in compluribus denique cum primo ordine ita conferuntur atque consociantur, ut eo non ita multo inferiores esse videantur.[1])

Nec vero specie externa quin opes ordinis Augustalium sese indicarent exhiberentque fieri potuit. Ita certe in multis oppidis eis erant scholae, in quibus convenirent, atque triclinia, in quibus epularentur, cum instrumento et ministerio lautissimo[2]); erat cella vinaria copiis repleta[3]), erant praedia, quorum fructus ab ordine consumebantur in eisque sibi et suis monumenta facere ordinis sociis haud raro permittebatur. Legata aliaque benificia ut eis saepe contingebant, ita ipsi viris vel de suo ordine vel de patria in universum bene meritis gratiam referebant, modo soli modo cum ceteris ordinibus, statuis dedicatis aut ex aere conlato aut ex cenis remissis.[4]) In magistratibus creandis eorum suffragia videntur fuisse magni momenti ideoque studiosissime ambita.[5]) Usus aquae publicae nescio an Augustalibus in quibusdam municipiis liberalius fuerit permissus quam multitudini plebis.[6]) Mortuis autem praeter ceteros funeris honores etiam locus sepulturae insignis saepe videtur publice decretus esse. Certe Pompeiis sepulcretum ad ipsam urbis portam situm M. Cerrinio Augustali concessum esse apud Nissenum cognoscas.[7]) Quin etiam statuae vel clupei non solum sevirorum decreto[8]) sed etiam publice decurionum decreto tam vivis[9]) quam mortuis[10]) posita sunt.

Quae cum ita sint, quaestio potest moveri, cur isti libertini potentissimi et honoratissimi posteriore praesertim aetate etiam decurionalium honorum claustrum vi perfringere vel

Seviri Aug. a primo ordine semper separati.

[1]) Or. 1167: *ordo decurionum et Augustalium.* I. N. 5598: *ordo decurionum et sexvirum.* Wilm. 752: ..*praesentibus decurionib. et sevir. discumbentib. in publico aequis portionibus fieret divisio.* Or.-H. 7101: *decur. et VI vir. et Aug.* [*den.*] *IIII.* I. N. 5166: *decur. August. sing. HS VIII.*

[2]) cf. Zumpt. p. 43 ss. [3]) cf. I. N. 79. V, 985.

[4]) cf. II, 1046.

[5]) cf. IV, 1731: *Rustium Verum duumvirum i. d. rogamus Aug.*

[6]) cf. I. N. 4040. II, 1643.

[7]) pomp. stud. p. 396 cf. Overb. l. l. II p. 40 s.

[8]) cf. Herz. 49. 51. [9]) II, 1066. 2026. I. N. 2430. Or. 1167.

[10]) II, 2116. I. N. 4886.

scalis, ut ita dicam, Augustalitatis admotis expugnare non sint conati. Revera enim decurionales a libertinorum ordine usque ad ultima tempora videmus separatos firmissimis cancellis, quos ut transsiliret, nulli usquam contigit. Quid igitur eos prohibuit, qui quidem sua modestia mehercle non arcerentur, ne etiam in publicos honores et in decurionatum aut irrumperent aut irreperent? Utrum ipsorum decurionum decreta tali incepto obstiterunt an potius leges publicae? — Quam quaestionem nequaquam est, quod in medio relinquamus. Etenim priore aetate, ne libertinorum sordibus primus ordo macularetur, ipsorum decurionum superbiam atque ambitionem satis providisse arbitror. Quae quanta fuerit, docet illud Ciceronis, qui *cum ab hospite suo P. Mallio rogaretur, ut decurionatum privigno eius expediret, dixit: Romae, si ius habebis, Pompeiis difficile est.* At sane posterioribus temporibus, cum munera vitari ac respui coepissent, mihimet persuasum est decuriones ultro illa Augustalibus fuisse oblaturos, si modo eis licuisset suscipere. Exempli gratia videas, quanto gaudio Tergestini affecti sint, cum Antoninus Pius Carnos Catalosque eorum rei publicae iam pridem attributos ad honorum communionem atque in curiam admisisset, et quam libenter *munera decurionatus iam ut paucis onerosa* cum eis partiti sint.[1]) Sed ut Romae non solum libertini, sed etiam libertinorum filii ad honores publicos accedere semper per legem vetiti sunt[2]), ita etiam in municipiis non quidem libertinorum filiis, tamen vero ipsis libertinis magistratus ex legis praescripto negatos esse constat. Nam in legis Malacitanae reliquiis etiamsi id caput casu requiritur, in quo de candidatorum genere copiosius cautum comprehensumque erat, tamen ex ingenuis eos utique esse eligendos expressis verbis dicitur.[3]) Ceterum res ipsa, quod nullus libertus unquam ad decurionatum pervenit, secundum ea, quae exposui, satis demonstrat leges id prohibuisse.

De ordinis sevirum iuribus.

Quoniam in societate civili quae fere fuerit Augustalium

---

[1]) V, 532. [2]) cf. Mommsen. Statsr. I. 459 s.

[3]) c. 54 cf. Bruns, fontes iuris R. ant. 1876. p. 125: . . *ex eo genere ingenuorum hominum, de quo h. l. cautum comprehensumque est.*

condicio aliqua ratione adumbravi, restat ut iuris publici praecepta quaenam ad eos maxime pertinuerint demonstrem. Ac primo quidem, quoniam e sacerdotio Augusti Augustalitas exordium cepit, in seviros mutatis mutandis eadem fere iura valebant atque omnino in sacerdotes. Postea autem cum numerus sexvirorum munere annuo defunctorum succrevisset et iustus ordo constitisset, secundum totam suam rationem et in civium societate condicionem cum decurionibus ille quidem optime poterat conferri. Attamen legitime permagno discrimine ab eis erat secretus. Nam cum decurionibus ex lege potestas esset ac summum in rebus gerendis momentum, contra seviris in iure publico omnino nullus locus erat. Immo hoc in genere cum ceteris collegiis ei plane congruunt. Sed multum afuit maxime priore aetate, ut ceteris collegiis opinio popularis illos adnumeraret. Quare ordinis nomine satis mature eos invenimus appellatos, contra collegii vocabulum ut omnino raro ita serius demum de eis usurpatur.[1]) Deinde autem, cum etiam instituta ceterorum collegiorum propria multis in oppidis adoptassent et magistratibus, patronis, arca communi, familia, bonorum possessione[2]) eis facti essent simillimi, eadem sane iura, quibus illa tenebantur, etiam in seviros Augustales rata erant.[3]) Perversissime igitur Zumptius censet privilegio speciali opus fuisse,

---

[1]) cf. V, 8818. III, 3487 [Mommseno iudice a. p. Chr. 138 scriptus; at videas titulum Wilm. 944. Videtur igitur Eckheli praeceptum, quamvis verum sit in numis, non utique valere in titulis cf. doctr. numor. VII, 3: . . „*Pii appellationem deinceps in numis constanter duraturam recipit . . ann. u. c. 891* (= *138 p. Chr.*) *haud multo posteaquam mortuo Hadriano* (*a. d. VI Id. Iul.*) *imperium solus tenuit.*“] — *corpus*: III, 3016. I. N. 79 alibi.

[2]) Ceterum de his rebus hic latius disserere consulto omisi, quia potius ad collegia universa quam ad singularem Augustalium naturam spectant. Itaque earum disceptatio meo proposito non multum lucis attulisset.

[3]) Herzogius l. l. 203 id interfuisse dixit inter seviros Aug. et reliqua collegia, quod qui et sevir Aug. et corporatus alicuius collegii opificum esset, non teneretur ea lege, quae vetabat quemquam plus unum habere collegium (L. 1 § 1 Dig. de coll. et corp.) Sed haec lex, opinor, non spectat nisi ad collegia funeraticia. Nam qui percurret v. c. titulos Lugdunenses, inveniet aliorum collegiorum simul complurium socios haud paucos.

quotiescunque Augustales civitas voluisset instituere. Immo seviri sacerdotes primum a decurionibus facti sunt consensu, opinor, pontificis maximi: quo ex sacerdotio ordo Augustalium quasi necessario evasit. Qui sicubi iura petebat collegiis veris propria, tum demum fortasse privilegio opus erat. Nihilo tamen setius ne posteriore quidem aetate seviri cum ceteris collegiis plane sunt confusi aut uno numero habiti. Etenim tantum valuit sacerdotalis eorum indoles et continua corporis ex sacerdotio origo. Erat igitur Augustalium natura in universum fere media inter ordinis rationem, qualis conveniebat decurionibus et populo, et inter rationem collegiorum, quae fuit propria fabris vel centonariis atque imprimis tenuiorum corporibus. Illis ex opinione populari, his secundum iuris praecepta magis erant affines. Unde etiam explicandum est, quod in iuris antiqui libris, qui ad nostram aetatem pervenerunt, sevirum Augustalium nusquam deprehenditur mentio aperta, cum tamen in decuriones ab una et in collegia ab altera parte saepius incidat oratio.[1]) Ceterum animadverto eo tempore, quo lex de collegiis principalis[2]) nata est, Augustalium ordinem certe nondum fuisse. Neque vero dubito, quin posthac in leges municipiorum de Augustalium creatione, muneribus, insignibus cet. praecepta sint inserta, id quod supra[3]) fusius illustravi.

Seviri medii inter ordinis et collegiorum rationem.

Caput alterum.

De sevirum Aug. origine et tempore originis.

§ 26.

Quid de hac quaestione priores iudicaverint.

Postremo loco, ex quo tempore Augustalitatis primordia repetenda essent, me expositurum promisi. Hac autem cum quaestione artissime cohaerere, ne dicam congruere, notum est

---

[1]) Secundum haec corrigenda sunt, quae de hac re exposuit Herzog. l. l.

[2]) Dico legem Iuliam de collegiis, quae nescio an circa a. 7 a. Chr. promulgata sit cf. Henzen., bull. 1871 p. 149. Etiam macellum Liviae eodem anno dedicatum est, de cuius notione vid. Nissen., pomp. stud. p. 284. [3]) p. 24. cf. 67 s.

alteram etiam atque etiam ab hominibus doctis tractatam, cuiusnam instituti Romani imaginem seviratus imitatus sit sive expresserit. Cum enim antiquiores inde a Norisio[1]) usque ad Morcellium[2]) *sodales Augustales* in honorem Divi Augusti a Tiberio primo institutos *sevirum Augustalium* exemplum esse existimassent, Eggerus et Marquardtus (ut iam Orellius)[3]) hac opinione reprobata potius a *vicimagistris*, quibus Larum publicorum et Genii sui cultum Augustus ipse demandaverat administrandum, illorum originem ducendam esse censuerunt. Atque seviros Augustales quia a municipiorum *magistris Augustalibus* non diversos existimaverunt, modo *seviros magistros Larum*, modo simpliciter *magistros Larum Augustalium* vel *magistros Augustales*, modo simplicius *Augustales* eosdem illos nominatos esse docuerunt.[4]) Contra Zumptius et Henzenus ad priorem sententiam se retulerunt. Quorum alter rationibus ac documentis suis, quibus Zumptii expositiones tamquam fundamento supplevit, tantum effecit, ut etiam Marquardto non quidem omnes dubitationes tolleret[5]), attamen in universum sententiam suam probaret.[6]) Itaque omnino inde ab illo tempore haec sententia regnat et per libros saltem quasi sit confessa atque explorata propagatur.[7]) Verbi caussa apud Nissenum in studiis Pompeianis hoc ipso anno editis p. 275 legimus: „*Dass das collegium der Augustalen dem hauptstädtischen priestertum (der sodales Augustales) nachgebildet und für den dienst der gens Iulia eingesezt sei, wird gegenwärtig von den meisten gelerten anerkant.*“ Neque Henzenus ipse usque ad annum quidem 1872 de hac re aliter sentire videtur coepisse.[8]) Quodsi ego, qui huic sententiae adversor, paullo accuratius totam quaestionem retractabo, nemini, opinor, id superfluum videbitur.

Egger-Marquardt.

Zumpt-Henzen.

---

[1]) cenot. Pis. diss. I cp. VI. [2]) opp. epigr. vol. I p. 18.
[3]) II p. 197. [4]) cf. Egger. I, 380. Marqu. 510.
[5]) cf. Statsverw. I, 514 maxime adn. 6. [6]) ibid. p. 513 s.
[7]) Quamquam non ignoro nonnullos, quorum iudicium in his rebus debeat summi esse momenti, iam aliter de hac quaestione sibi persuasisse.
[8]) cf. annal 1872. p. 64: .. „*corporazione degli Augustali originata dopo la morte del Divo Augusto per il culto di lui* ..“

Egger. et Marquardt. Eggerus et Marquardtus duabus imprimis rationibus usi sunt ad iudicium suum confirmandum: una, quod idem fuisset propositum et magistris vicorum urbanis et seviris Augustalibus; altera, quod utrique etiam eiusdem fuissent condicionis civilis.[1]) Praeterea insignium similitudinem attulerunt ad sententiam suam comprobandam.[2]) Adversariis autem haec fere opposuerunt: primum seviros Augustales si non ex libertinis, tamen ex volgari municipiorum plebe plerumque electos esse, cum inter sodales Augustales soli primores civitatis creati essent adiectis quibusdam ipsius domus divinae propinquis. Quo loco memoratu dignum esse, quod flamines Augusti municipales, qui quin ad instar flaminis Augustalis urbani essent instituti dubitari nequiret, sicut ille ex nobilissimis civibus usque essent sumpti.[3]) Deinde dixerunt iam ante Augusti mortem Augustales inveniri.[4]) Nimirum titulos magistrorum Augustalium, quorum complures vivo Augusto scripti iam tunc noti erant, cum sevirorum titulis, ut dixi, confuderunt.

Zumpt-Henzen. Nunc quae Zumptius et Henzenus contradixerunt et quibus argumentis suam sententiam defenderint, adumbrabo. Ac duo quidem argumenta ex eis, quae Zumptius ad Eggerum refutandum attulit, levissima sunt; unum, quod vicimagistri Romani numquam sicut Augustales in collegium coissent, alterum, quod Augustales in municipiis multo magis fuissent conspicui quam magistri vicorum in urbe.[5]) Utrumque enim magno discrimine, quod inter res municipales et urbanas intercedit, satis explicatur. Namque ius coeundi municipibus liberalius concessum esse, contra in urbe aetate imperatoria priore angustissimis terminis conclusum fuisse notum est.[6]) Nec minus in amplitudine urbis locum tam insignem, quam seviri in municipiis sunt assecuti, vici magistros obtinere non potuisse manifestum

---

1) cf. Egger. I, 375 ss. II, 644 ss. Marq. p. 513: *„der innere zusammenhang beider institute ist mindestens sowol durch iren gleichen zweck als durch den stand der beteiligten personen erwisen."*

2) cf. Egger. II, 647.

3) cf. Egger. II, 781. 785. Marq. 501 s. cf. Statsverw. I, 514 adn. 6.

4) Vid. Egger. II, 636. 783. I, 375 s.

5) Zumpt. p. 10 cf. Egger. II p. 775 s.

6) cf. Mommsen. Statsr. I, 326.

est. At amplius — quod fuit gravissimum — Zumptius pronuntiavit, Henzenus documentis confirmavit a magistris Larum Augustorum seviros Augustales utique esse separandos. Quae res cum nunc sit omnibus probata, nihil attinet Henzeni argumentationem omnem repetere. Satishabeo animadvertisse his imprimis titulis Henzenum testibus usum esse: Or. 2424. 3956. 2467 (= I. N. 309) Or.-H. 7165. Or. 3959 (= Or.-H. 7115. Wilm. 2099) Or.-H. 6062 (= I. N. 5238) 6093. Nec vero omittam adnotare haud paucos titulos praeterea aeque idoneos esse ad hanc rem comprobandam, e. g. II, 4297: *L. Flavio Chrysogono seviro mag. Larum Aug. L. Flavius Silvinus lib. sevirum mag. Larum Aug. et Q. Cornelius Silvicus sevirum* .. vel V, 7604: *P. Castricius Saturn[in] . . mag. Aug. Pollen[t.], Aug. Bagienn(is)* . . vel Wilm. 2126: *Q. Iulius Alexander VI vir Aug. mag. Aug. bis* . . vel Or.-H. 7116: *P. Horatio Chryseroti seviro Augustal. idem quinq. et immuni Larum Aug.*[1]) .. et alios plures. Verumtamen cave credas hoc argumento solo confici seviros Augustales non ad vicimagistrorum urbanorum exemplum esse institutos. Uti enim iuxta *magistros Larum* etiam *vicimagistri* ab eis diversi nonnunquam in eodem municipio inveniuntur (Wilm. 2099 = Or.-H. 7115), quod utrumque genus ab urbanorum vicimagistrorum imitatione repetendam esse apparet, nihil obstat, quominus etiam tertiam illorum imitationem exstitisse statuamus, id quod infra melius demonstrabitur. — Iam vero hoc fundamento nisi id Zumptius et Henzenus sibi visi sunt pro certo affirmare posse, post Augusti mortem demum seviros Augustales commemorari. Nimirum magistrorum quidem Augustalium, sed non sevirum titulos Augusto vivo conscriptos Eggerus et Marquardtus exhibuerant. Atqui hic continuo animadverto ne hanc quidem rationem sufficere ad id quod volunt probandum. Nam etiamsi revera Augusto vivo Augustalitatis institutum pervolgari coeperit, nihilo setius exspectare non possumus ante Augusti mortem ita frequentes sevirum Augustalium titulos positos esse. Cum enim hi fere esse potuerint aut sepulcrales aut ad operum publicorum dedica-

[1]) Nam *immunis Larum Aug.* certe idem valet ac *mag. Larum Aug. gratis factus.*

tiones spectantes aut honorarii: non est verisimile tam multos ex sacerdotibus in Augusti vivi honorem institutis tam mature mortuos esse, ut huius generis titulos Augusto vivo scriptos nunc inventos esse necesse sit. Dedicationes autem operum publicorum ut a seviris fieri solerent, paullatim demum usu venit. Denique tituli honorarii seviris positi cum omnino non ita saepe obvii sint, tum vel maxime rari esse debuerunt eo tempore, quo illi locum, quem posthac in municipiis obtinent, certe nondum adsecuti erant. Ergo optimo iure possumus cogitare casu factum esse, si ex his titulis omnino rarissimis nullus adhuc in lucem prodiisset. — Postremo Zumptius[1]) et Henzenus[2]) eo putant contineri opinionis suae commendationem, quod ut *sodales Augustales Claudiales, sodales Antonini,* ita etiam *seviri Augustales Claudiales* vel *Flaviales* occurrunt. Iam vero omnia fere complexus sum, quae hi viri docti tam ad adversarios refellendos quam ad suam sententiam comprobandam attulerunt. Ceterum Henzenus[3]) consulto adicit satis libere seviros Augustales sodalium exemplar imitatos esse, ita ut eorum instituta quamvis in universum similia tamen etiam multifariam varient et inter se discrepent. At enimvero hanc discrepantiam minime tantam esse quantam Henzenus putaret, supra in multis rebus demonstravi.[4])

§ 27.

Auctor sententiam suam exponit.

Seviri Aug. non imitantur sodales Aug.

Nunc ipse quid de hac controversia sentiam explicabo. Ac primum quidem Eggeri et Marquardti argumentum a diversitate condicionis sodalium et sevirum Augustalium repetitum adversarii nullo modo potuerunt frangere vel dissolvere. Nam quae p. 22 Zumptius contra dicere conatus est, a Marquardto p. 501 ss. satis refutata sunt.[5]) Ad hoc reputes, id quod Marquardto tunc non ut hodie nobis cognitum erat, in compluribus

---

[1]) p. 10. [2]) p. 290 s. [3]) p. 291 ss.

[4]) cf. maxime p. 33 ss. 54 ss.

[5]) Quanta e contrario collegium sodalium Aug. fuisset dignitate, nuperrime Dessavius etiam luculentius illustravit eph. epigr. III, 205 ss. praecipue 208.

provinciis neminem omnino ingenuum inter Augustales inveniri. Itaque ipse quoque Marquardtus in novissima sua huius quaestionis retractatione in hac saltem dubitatione merito perstitit.[1])

Deinde sodalium sacerdotia ut omnino et ab initio[2]) spectant ad homines post mortem consecratos et in deorum numerum relatos, ita imperatoribus quoque sodales numquam videmus institui nisi defunctis atque rite consecratis. Contra per seviros Augustales imperatores iam vivos honoratos esse firmissime probat titulus Veronensis V, 3429, in quo L. Stlanius Homuncio adpellatur *IiiiiIvir Aug. et Neronien(us)*. Is enim quin scriptus sit imperante Nerone per se non est dubium; neque obstat, ut Mommsenus adnotat, litteratura, quae pulcherrima est. Unde quis nolit colligere, seviris cum sodalibus nullam intercedere necessitudinem?

Tum Nervae sodales non esse dedicatos notum est.[3]) Nihilo tamen setius seviri et illum coluerunt. Cuius rei testes sunt tituli III, 1768 et 1835 in p. 61 transscripti. Unde non minus elucet seviros sodalium exemplum non sequi.

Porro singulis imperatorum gentibus sodales separatos institutos esse cum iampridem Borghesius [4]) tum in nonnullis eum corrigens nuper Dessavius[5]) demonstravit. Contra seviros Augustales equidem probare studui cultum posterorum imperatorum deinceps omnium simul suscepisse et cum Caesaris vel Divi Augusti cultu coniunxisse.[6]) Hac igitur in re rursus utrique discrepant.

Deinde frequentes sevirum titulos Augusto vivo scriptos hodie superesse, etiamsi hoc imperante illi sint instituti, tamen non esse consentaneum modo exposuimus. Atqui revera nonnulli praesto sunt eique idonea auctoritate defensi, quos a vivi Augusti aetate originem ducere appareat:

1. C. Iulius Caesaris Augusti l. Dosa sexvir vivus sibi et Numisiai T. f. uxori V, 3404 (= Wilm. 2156.) Veronae.

---

[1]) Statsverw. I p. 514. adn. 6.
[2]) Testimonio sunt sodales Titii.
[3]) cf. Dessav. l. l. p. 213.
[4]) memorie dell'inst. 1832. p. 261 ss.
[5]) l. l. [6]) cf. p. 61 ss.

Si enim post mortem Augusti titulus esset exaratus, certe *Divi Augusti* foret dictum.

2. Aug. sacr. C. Iulius Macrini lib.
Martialis IIIIl vir m. M. . . . III, 1769 Naronae.

Quem Augusto vivo positum esse, praesertim cum compararveris III, 1770 una repertum (*Divo Aug. sacr.* . .) non minus concedes.[1] Accedit tamquam tertium documentum illustris illa ara Narbonensis[2], cuius inscriptionem ad sevirum Augustalium institutionem spectare, ut antiquiores omittam, Herzogius Marquardtus dixerunt, Eggerus Zumptius[3]) Henzenus negaverunt. Sed quae ad suam sententiam tuendam Zumptius imprimis attulit, nullius sunt momenti.[4] Quod enim dicit Augustales ab ordine factos, contra hanc aram a plebe Narbonensi sine decurionibus dedicatum esse, quicunque norit municipiorum qualis tunc erat statum et ipsam huius dedicationis caussam bene reputaverit, ei persuasum erit, quamvis uti dedicationis consors ordo in titulo non commemoretur, tamen ne eam quidem sine eius auctoritate factam esse. Maxime vero sex illi sacerdotes — et hic rei cardo est — etsi a quo sint facti aperte non dicitur, tamen vix ab ullo potuerunt fieri nisi ab ordine, praesertim cum inde ab initio, ut qui in perpetuum duraret, hic seviratus annuus institueretur. Itaque non opus est excusatione Marquardti[5]) quamvis per se haudquaquam contemnenda, qui creationis rationem aliquanto postquam exstiterunt seviri demum ad regulam revocatam esse putat.

De ara Narbonensi.

Deinde Zumptius affert numquam eam Augustalium rationem fuisse, ut aequaliter essent ingenui et libertini. At id mihi paullo audacius iste videtur affirmasse. Nam cum verbi caussa inter Mediolanienses sevirum titulos fere totidem sint ingenuorum quot libertinorum, quidni liceat statuere ibi aliquamdiu seviros annuos ex utroque ordine aequaliter sumptos esse? Ac facile fieri potuit, ut huius urbis exemplum vel alius cuiusdam, in qua tunc idem esset sevirum status, Narbonenses in seviratu instituendo imitarentur. At sane paullo post ita

---

[1]) Eadem est Mommseni sententia ad h. t.
[2]) Herz. n. 1 = Wilm 104. [3]) p. 12.
[4]) cf. Marquardt. p. 506. [5]) ibid.

constat Narbone normam immutatam esse, ut libertini soli seviratum susciperent. Nam in titulis adhuc illic repertis seviri ingenui praeterea nulli inveniuntur. Verum tamen haec res non impedit, quin sex illos arae Narbonensis sacerdotes primos seviros Augustales vere esse credamus.

At fortasse quispiam miretur, quod Narbonenses conieci huius instituti exemplum ab alia urbe repetivisse. Nonne enim Herzogius Narbone seviratum ortum et inde in cetera Galliae municipia ceterasque provincias propagatum esse probabilius docuit? [1]) Tamen cave credas me inconsiderate illam opinionem proposuisse. Immo iure mihi videor statuere eas provincias vel regiones quasi seviratus cunas esse, in quorum titulis ordinis sevirum ex sacerdotio annuo paullatim orti et exculti vestigia etiamnunc deprehendantur; dico eas, in quibus aut *seviros Augustales perpetuos* aut *seviros et Augustales* inveniri supra retuli: Hispaniam, Italiam superiorem quae nunc dicitur et mediam, Dalmatiam. Contra eas regiones, in quorum titulis huiusmodi vestigia nulla praesto sunt, institutum alibi natum et ibidem iam aliquatenus excultum atque inveteratum accepisse et imitatas esse crediderim. Denique, ut haec mittamus, quoniam ante Augusti mortem seviros Augustales fuisse duobus documentis confirmatum est, etiam aram Narbonensem ad eos referre secundum ea quae dixi quis diutius dubitabit?

Num a vicimagistris urbis sevirum origo repetenda sit.

Quae cum ita sint, sodalium Augustalium sacerdotium seviratu non esse expressum mihimet est exploratissimum. Sumusne igitur coacti eorum partes sequi, qui ad instar *magistrorum vicorum urbis* seviros Augustales institutos esse voluerunt? Sed huic opinioni non mediocres videntur obstare difficultates. Cum enim in municipiis inveniantur et *magistri Larum Augustorum* et *vici magistri* nonnumquam certe ab eis diversi [2]), quorum utrosque sacerdotii urbani, de quo nunc agimus, imitationem esse liquet: num est verisimile in municipiis etiam tertium institutum illis non ita dissimile iuxta illa a vicimagistris urbanis originem cepisse? Atqui necessitate nequaquam compellimur ad hanc sententiam adoptandam. Quod enim hucusque semper solum quaesitum est, utrum sodales Augustales an vicimagistros

Haec opinio per se non est necessaria.

---

[1]) p. 198 s. [2]) cf. Or.-H. 7115.

Romanos seviri Aug. imitati sint, ne stultitiae ipse se convincat non est quod timeat, qui tandem aliquando quaestionem movet, num ad neutrius instituti urbani similitudinem potius seviri facti sint. Nam quamvis permulta instituta urbana in suis civitatibus municipes vere exprimerent, tamen in hac re facile fieri potuit, ut ipsi urbem praecurrerent. Etenim cum in urbe Augustus honore proprie divino pertinacissime abstineret [1]), contra in municipiis numini suo aras et templa dedicari et sacerdotes institui non invitus passus est. De qua re Marquardtus tam copiose egit [2]), ut ad eum legentes liceat revocare. In satis multis igitur oppidis imperante Augusto ut templa ita flamines seu sacerdotes illius invenimus. Ergo quidni quis statuat, ad numerum et exemplum pontificum coloniarum, qui commemorantur a Cicerone [3]), municipes ultro et suo consilio hoc sacerdotium de plebe vel ex libertinis Augusto creare constituisse, cum decurionibus flamonium Augusti reservaretur? Hac igitur ratione fortasse quispiam cogitaverit ex illis, quas monstravi, angustiis evadere.

Attamen vera est ista opinio.

Sed cum eo equidem non faciam. Nam mihi persuadere nequeo, municipes in principis honorem ex infimo hominum genere sacerdotes legere ultro fuisse animum inducturos, nisi Augustus ipse magistris vicorum Romae institutis hoc consilium eis suppeditasset. Accedit magna quae seviris cum magistris vicorum intercedit similitudo. Quam cum priores operam dederunt, ut demonstrarent [4]), tum nuper Mommsenus agnovit. [5]) Nec potuerunt scholiastae Horatii ad serm. II, 3, 281 cum Augustalibus magistros vicorum confundere, nisi adeo utrique se aequassent. Certe vero ita hanc similitudinem explicare non licet, quasi Augustus, cum Larum et Genii sui religionem conderet, seviros municipales ad imitandum sibi proposuerit. Itaque existimo, dum per urbem vicimagistrorum sacerdotium instituitur, quod certe non intra

---

[1]) Sueton. Oct. 52. cf. Dio. Cass. 52, 35. — Scilicet Genii cultus in eo numero non est habendus cf. Mommsen. Statsrecht II, 733. adn. 3.

[2]) Handb. d. r. A. IV (1856.) p. 424 ss.

[3]) de leg. agr. c. 35 § 96. cf. Marquardt. 509.

[4]) Egger. I, 375 ss. II, 644 ss. Marq. 509 ss.

[5]) Statsr. I, 326 adn. 7.

unum annum perfectum est[1]), municipes sua sponte alios alio modo iam illud imitari coepisse. Quo factum est, ut hic *vici magistri*, illic *magistri Larum Aug.* instituerentur. Quia enim municipia maximam partem erant minora quam quibus vicorum divisio conveniret, nomen vicimagistrorum cum altero nomine saepius mutaverunt.[2]) . Re tamen utrosque opinor non discrepasse. Cui opinioni non obstat, quod nonnullis in civitatibus utrumque genus simul invenitur. Nam cum dies festos in Augusti et domus divinae honorem iam tunc haud paucos celebrare in usum venisset, ne eidem nimis onerarentur, praeter *vicimagistros* antea adoptatos etiam *magistros Larum*, quos aliae civitates ab initio praetulerant, ad sacra ludosque certis diebus facienda inducere eis conveniens videri potuit. At enimvero utraque instituti urbani imitatio imperfecta esse debuit neque ullo modo potuit exempli amplitudinem assequi. Namque cum in urbe plus mille essent tales magistri in ducentos sexaginta quinque vicos distributi, municipiorum pleraque plus uni vel duobus quattuor hominum collegiis fere non respondebant. Quod quia perspexerant, nonnullorum oppidorum cives accurata urbis aemulatione abiecta, ut tamen quam plurimum possent honoris principi tribuerent, ad pontificum coloniarum imaginem sex viros Augustales ei creasse conicio. Namque in Zumptio refellendo, quippe qui ab equitum Romanorum seviris numerum sevirum municipalium repetierit, ne verbum quidem consumam, quoniam id commentum iam antea Borghesius[3]), tum Marquardtus[4]), Henzenus[5]) satis superque castigarunt. Iam vero istam rationem, quia perquam, puto, civitatibus placuit, studiosissime plurimae amplexae sunt. Neque minus Caesarem Augustum, pontificem maximum, cum cultu urbano satis ordinato

---

[1]) cf. Henzen. bull. 1871 p. 149. Nissen. pomp. stud. p. 183.

[2]) In hoc sequor Marquardtum p. 512. Nam si revera, ut Henzenus mavolt p. 197 s., vici et vicimagistri ubicunque exstitissent, exspectaremus multo maiorem esse numerum titulorum, quibus illorum memoria servaretur.

[3]) bull. 1842, p. 106. [4]) p. 505. 508.

[5]) p. 293. — Errorem Borghesii, qui a sodalium Aug. magistris sevirum numerum voluit repetitum esse, (bull. 1842 p. 107) Henzenus correxit. p. 289 s.

ad municipiorum res divinas animum advertisset, sevirum sacerdotio pervolgando operam dedisse arbitror. Nam illum hanc rem non curasse, quanto opere paene cogitari non posset, iam supra illustravi. Quam ob rem nescio, an scholiastae Horatii loco modo laudato verius dixerint quam adhuc plerique opinati sunt. Atque ad plebem municipiorum imperatori obstringendam magis idoneum vix quidquam potuit reperiri, si quidem locupletissimus quisque, quamvis obscuro loco natus et a nobilibus usque ad id tempus despectus, iam eis paene exaequabatur Augusti sacerdotio suscepto. Praeterea manifestum est, quanto opere principis gratiam huic instituto conciliare debuerit studium omnia exaequandi principatui quasi natura insitum et ab hominibus doctis iam saepe disceptatum [1]. Denique, id quod non mediocris est momenti, hac ratione etiam ad onerum civitatis partem capessendam libertini pecuniosi advocabantur et ita aerario municipiorum penuria saepe laboranti subveniebatur. Itaque accidit, ut etiam ea municipia, in quibus aut *vicimagistri* aut *magistri Larum* antea instituti erant, nihilominus *seviros Augustales* his collegiis adiungerent. Neque enim dubito, quin talis fuerit huius rei progressus. Nam inter *magistrorum* municipalium titulos omnino non frequentes complures sunt perantiqui.[2] Praeterea, si e contrario ad *seviros* posthac *magistri* accessissent, id foret indicium municipes seviratu non acquievisse, ideoque crederes magisterium magno studio ab eis receptum esse. At iam adnotavi pro sevirum multitudine magistros perraro in titulis deprehendi. Quae res etiam concurrit ad comprobandum sevirum originem a vicimagistris urbanis recte duci. Si enim in municipiis *magistri Larum* vel *vicimagistri* essent sola illius sacerdotii urbani imitatio, certe a pluribus recepti essent. Semel etiam haec tria collegia ad vicimagistrorum Romanorum similitudinem expressa in eodem municipio una inveniuntur.[3] Contra in multis oppidis, cum primum *seviratus* inveteravit, *magisterium* puto prorsus abolitum esse, sci-

---

[1]) cf. Egger. I p. 405 et supra p. 44.

[2]) v. c. Wilm. 793. II, 1133. 3563. 2181. Herz. 607.

[3]) Or.-H. 7115 = Wilm. 2099. Nam *compitales Larum Aug.* (cf. Or. 3958) certe eidem sunt, qui alibi *magistri Larum Aug.* fere appellantur.

licet non sufficiente numero eorum, qui his muneribus responderent. Tum seviris etiam magistrorum munera iniuncta esse coniecerim. Ubi autem *magistri* et *seviri Augustales* una nominantur, arta videntur necessitudine coniuncti, id quod novum est eiusdem originis testimonium. Ita in titulo saepius commemorato Or.-H. 7115 (= Wilm. 2099) *VIviri Aug.* et *compit. Larum Aug.* et *mag. vicorum* coniunctim summam accipiunt, ex cuius reditu quotannis in publico vescantur. Quo loco moneo magistros etiam collegia tamquam seviros formasse; cf. Wilm. 2112 ubi etiam *patronus* collegii vicimagistrorum appellatur. Deinde huc cadunt fragmenta illa fastorum[1]), quae magistrorum Augustalium esse Henzenus bene coniecit.[2]) Ibi enim seviri dicuntur quendam rogavisse, ut eo honore scil. magisterio Augustali fungeretur. Quod certe non fecissent, nisi eorum praecipue interfuisset, qui magistri fierent. Porro adnotatur magistros Augustales quattuor[3]) natali Iuliae Augustae in publico cenam decurionibus et Augustalibus dedisse, atque additur eorum seviros — quasi ad referendam istis gratiam — munus familia gladiatoria edidisse. Tum in II, 3563 sevir Augustalis magistro, qui Huebnero auctore est Augustalis, templum tradit de sua pecunia exstructum. Quarto loco moneo utrumque honorem, dico magisterium et seviratum, saepe eisdem hominibus contigisse.[4]) Haec satis sunt ad probandum *magistros* et *seviros Augustales* non modo muneribus similibus functos sed omnino arte inter se coniunctos et quasi cognatos fuisse. Denique uno verbo commemoro, Eggerum sagaciter coniecisse[5])

Seviri et magistri Aug. arte coniuncti.

---

[1]) Or.-H. 7165. [2]) p. 195.

[3]) *IIII primi*, qui hic nominantur, adhuc similiter intellecti sunt atque alias *sex primi*, *decem primi*. At vereor, ne in hunc locum huius modi interpretatio non quadret. Immo cum quinque homines antea enumerentur, in ludis quidem edendis his universis partes fuisse, contra cenam tantum quattuor primos dedisse suspicor, ut *T. TREBVLANVS FELIX PRAEC.* huius muneris expers esset. Cuius rei quae fuerit caussa, coniecturae me non deficiunt, quas explicare longum est.

[4]) In praesenti mihi haec exempla in promptu sunt: II, 4306. 4307. 4290. 4303. 4297. 4293. 4304. 4289. V, 336. 6775. 7604. Wilm. 2126. Don. 261. Or.-H. 71116. 6093. 6062. I. N. 1971. 309. —

[5]) I. p. 408.

provincias Graecas Augustalitatem propterea non esse amplexas, quod cum Larum cultu eius primordia cohaesissent. Hunc enim a Graeca religione fuisse alienum. Quae Eggeri opinio si sit vera, novum inde oritur originis sevirum quam ego demonstravi argumentum.

Atque hic finis sit commentationis meae. Ipse quidem non ignoro nonnulla quae ad hanc quaestionem pertinent me aut omnino non tetigisse, aut non tam copiose quam debebam tractasse. Ac vellem mihi licuisset imperatorum in Graecis provinciis venerationem accurate perquirere atque cum occidentis institutis eo spectantibus, maxime cum seviratu, comparare. Sed hanc curam aliis vel alii occasioni relinquam in praesenti necesse est. Porro de ordinis Augustalium iuribus iusto brevius disserui. De eis autem, quae praestiterim, quoniam penes alios est iudicium, ipse taceo.

Addenda et corrigenda.

p. 4 in inscriptione leg. *prius* pro *primum*.

p. 22. v. 1. in voce *seviros* littera ultima *s* intercidit.

p. 41. Numero titulorum, in quibus inveniuntur Augustales perpetui, adiciendus est etiam II, 1721: *Q. Valerius Optatus Augustalis perp. Huic ordo municipii Flavi Sôson. Eglianorum cenas publicas decrevit et locum, in quo statuas sibi uxori liberisque poneret, loco adsignato ponendas curavit.* Qui idem est atque Gruterianus p. 479, 7. Itaque erravi, cum dicerem in p. 41 hunc titulum Gruterianum esse ficticium. At aliqua ratione excusor eo, quod Gruterus in ed. 1. secutus est exemplum pessimum „ex Ant. Augustini adversariis" repetitum, qui rursus pendet ex Ioh. Alphonso Franco. Si enim ab initio incidissem in exemplum Ramberti, quod sequitur Huebnerus sicuti Muratorius et ipsius Gruteri editio altera, puto me non fuisse in errorem istum delapsurum. — Praeterea animadverto me, dum huius ipsius commentationis materiam compararem, demum didicisse titulis et titulorum collectionibus uti. Atque corp. inscript. vol. II primum omnium tractavi.

p. 41. in adn. leg. *alioquin* pro *aliquin*.

p. 55 n. 16 et 17. leg. *Carsiolis* pro *Cassioiis*.
in adn. 2. leg. *Calatia* pro *Galatia*.

p. 58. De Romanorum aedituis, quorum naturam universam, cum de *Augustalibus aedituis Tusculi* iudicium facerem, parum cognoveram, nunc videas (praeter Momms. Statsr. I, 315 s.) Marquardt., commentat. philol. in honor. Theod. Mommseni 1877 p. 378 ss. Attamen — id quod mea plurimum intererat — Tusculanos istos aedituos cum ipsis seviris non esse confundendos etiamnunc obtines.


p. 67. in margine leg. *prohibiti* pro *probiti*.

p. 78 et 86: Seviros cum praetexta elatos esse luculentissime apparet ex Petronii cap. 78. (Buech. 1862. p. 92.)

p. 113. De titulis illis Torr. 2, 4 et 11, 24 via ac ratione quaestionem instituere in praesenti non potui, quia *Gudii antiquae inscript.* sicut multi alii libri necessarii nostrae urbis bibliothecas deficiunt.

Denique adnoto, mensuram, quam tabulae curavi adiungendam, nimirum qua veram eius magnitudinem tibi posses proponere, esse „metrorum“ quae dicuntur duorum.

Typis expressit E. Karras Halensis.


ANEROS·A
SIBI·ET·VALERI
VXORI·ET·PH


S·M L P S L
IATICVS·VI·VIR
E·C·L·TRYPHERAE
ETO · LIBERTO

M. BAEGE:

DE PTOLEMAEO ASCALONITA.

M. BAEGE:

DE PTOLEMAEO ASCALONITA.

Otiosum vereor ne cui videatur et inutile in eis qui inde a Didymo usque ad Apollonium fuerunt grammaticis Graecis operam consumere, praesertim cum nomina eorum in scholiis vel etymologicis dispersa raro tantum occurrant. Hi enim viri quidquid praestiterunt, principum illorum Alexandrinorum vestigia tantum secuti admirabilem, ut illis temporibus, grammaticae rationem ac disciplinam ab Aristarcho excultam et paene absolutam, ut universam iam non poterant promovere, ita exiguis tantum et levibus in rebus corrigere, emendare, accuratius definire vel restringere, argumentis firmare, denique prorsus ex magistri sui animo et sententia expolire solebant; quare fieri non potuit, quin, cum parum libero uterentur iudicio suo, eorum existimationi magistri nomen officeret famaque Aristarchi, quem aequare non poterant, discipulos obscuraret. Iam vero hoc eis contigit, ut post eos, structis ab Apollonio fundamentis, is exsisteret grammaticus, qui ipse quoque Aristarcheus omnia, quaecunque antea in grammatica erant elaborata et effecta, insigni ingenio et industria ingenti complexus plenam atque omnibus numeris absolutam conderet artem grammaticae Aristarcheae. Quae cum etiam in postera tempora valeret una, consentaneum erat, eorum grammaticorum libros, qui per se fortasse saepe haud spernenda assiduitate et sollertia tamen Herodiani ingenti operi suppares non erant, cum praesertim, quidquid invenerant, ab Herodiano in usum suum versum et adhibitum esset, non ita longum temporis spatium manere et mox in oblivionem venire atque aboleri. Obstitit gloriae eorum et Aristarchi ingenium et Herodiani sedulitas. Itaque cum ipsius Herodiani operum exiguae tantum reliquiae ad nostram memoriam pervenerint, multorum minoris notae grammaticorum ipsa nomina plane interciderunt, multorum vix aliud quidquam nisi nomen et pancae disiectae omnique ex conexu avulsae

sententiae feruntur, paucorum largiora frusta imaginem ipsorum operaeque eorum sane velut per nebulam quandam vix pellucentem adumbrare sinunt. Nam hoc semper tenendum est, sententiae alicuius auctores ab Herodiano plerumque tum afferri, cum aut ipse dissentiat aut alius nobilis grammaticus controversias moveat; in eis autem praeceptis, quae aetate eius consensu grammaticorum accepta firmataque videbantur, vix uno alterove loco nomen eius commemorat, qui primus rem stabiliverat. Nec potuit, opinor, cum paulatim sensimque grammatica excoleretur praeceptaque quasi per manus tradita et aucta essent. Sed hac ipsa re evenit, ut quid ante Herodianum singuli praestiterint, quid novi invenerint aut contulerint, aegre diiudicare recteque aestimare possimus. Occurrunt enim nomina eorum in controversiis plerumque exiguis et minutis; longe plurimis locis quid a quo mutuatus sit Herodianus obscurum latet. Statuamusne, illis in rebus eis cum Herodiano in universum convenisse? neque vero hac opinione ad singulos eorumque progressus iuste aestimandos adiuvamur. Sed quamvis difficile sit et lubricum ex paucis reliquiis de illorum grammaticorum ratione et dignitate iudicium ferre, tamen utique necesse est illas reliquias quamvis parvulas diligenter colligere et disponere. Nam, ut non dicam aequitate id postulari, postulat certe et flagitat ipsa necessitas, si modo tandem eam grammaticae Graecae historiam nobis contingere volumus, quae a vagis coniecturis fluxisque opinionibus aeque atque ab exilitate et lacunis libera certis tantum et demonstratis rebus contineatur explorataque severe secernat ab eis, quae sola coniectura nituntur, historiam denique vere, ut dicunt, criticam. Hac ex parte spectari velim hanc dispersarum Ptolemaei reliquiarum collectionem, quam et ad totum scriptorum corpus restituendum parum sufficere et novitate inventorum vel explicationum prorsus carere ipse sentio; conquisivisse, examinasse, explicasse satis habui.

De vita Ptolemaei paucissima constant. Atque in ipso disputationis limine iam moramur de tempore dubitantes, de quo cum tacente etiam Suida nullum certum testimonium exstet, ex interioribus, ut ita dicam, indiciis iudicandum est. Certum testimonium nobis deesse dixi; aliquod enim testimonium suppeditare Stephanus Byzantius nobis primo certe obtutu

videtur, qui v. Ἀσκάλων Ptolemaeum 'γνώριμον Ἀριστάρχου' fuisse profiteatur. Stephanus igitur eum fine secundi a. C. saeculi fuisse opinatus est; vix enim statui potest, vocem γνώριμος proprio sensu paulatim in ampliorem et latiorem transeunte in significationem assectatoris abisse, ita ut temporis plane ratio non haberetur. Refragatur enim constans grammaticorum usus, quo γνώριμος ipsum discipulum auditoremque significat: ut de Agallia, qui Aristophanem Byzantium audiverat,[1]) schol. Σ 490 Ἀγαλλίας ὁ Ἀριστοφάνει γνώριμος, neque aliter Phot. bibl. c. 190. p. 151 b 21 Satyrus ille cognomine ζῆτα insignitus, ipsius Aristarchi discipulus, Ἀριστάρχου γνώριμος appellatur.[2]) Itaque Stephano fisus Beccard,[3]) quem sequuntur Osann[4]) et La Roche,[5]) Ptolemaeum ante Didymum fuisse affirmat. Errore ductus, opinor, nimium auctoritatis Stephano tribuit. Scrupulus enim primum inicitur animadvertentibus nobis, Herodianum schol. I 6 Ptolemaei opinione commemorata pergere: πολὺ δὲ πρότερον οἱ περὶ Ἀρίσταρχον κτλ.; ex qua oppositione aliquantum temporis inter eos et Ptolemaeum intercessisse suspiceris. Iam aliquid momenti habere puto, quod nomen Ptolemaei permultis locis coniunctum est cum nomine Alexionis: cf. schol. I 6. I 426. O 309, maxime autem O 10 Ἀρίσταρχος . . . ὁ Ἀσκαλωνίτης καὶ Ἀλεξίων, et K 134 ὁ Ἀσκαλωνίτης καὶ Ἀλεξίων καὶ Ἀρίσταρχος, Λ 503. Λ 652 ὁ Ἀρίσταρχος καὶ Ἀλεξίων καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης, e quibus locis effici mihi videtur, ut Herodianus, nisi forte eum permira ratione citandi usum esse putamus, Alexionem et Ptolemaeum fere aequales fuisse crediderit. Alexionem autem post Didymum primo p. C. saeculo fuisse constat; excerpsit enim Didymi Συμμίκτων librum.[6]) Quibus indiciis cum certe suspicio in

---

[1]) cf. Gräfenhan, Geschichte der klassischen Philologie, I, p. 395 A. 42.

[2]) Suid. v. γνώριμοι · φοιτηταί.

[3]) de scholiis Homeri Venetis, p. 71.

[4]) quaestt. Homericae, partic. IV p. 12.

[5]) Homerische Textkritik, p. 72 cll. p. 3, ut ordo institutus demonstrat.

[6]) cf. Beccard. l. l. p. 77. Et. Gud. 124,3. Ammon. de diff. v. γέρων: Ἀλεξίων δηλοῖ ἐν τῇ ἐπιτομῇ τῶν Διδύμου Συμμίκτων.

Stephani fidem moveatur, augetur ea vel potius Stephani opinio refellitur his argumentis. Citant Ptolemaeum primi Apollonius Dyscolus et Nicanor; in scholiis, quae ex Aristonici et Didymi doctrina profecta sunt, nusquam occurrit; Aristonicum omitto; sed Didymi silentium urgeo. Didymum enim prorsus credibile non est pro diligentia sua et subtilitate in commentariis aut in libris, quos de Aristarchi recensione Homerica composuit, grammaticum tantae auctoritatis tantaeque dignitatis, quanta Ptolemaeum floruisse infra patebit, plane neglecturum omissurumque fuisse, si Ptolemaei scripta ante eum in lucem edita essent. Neque hoc cogitari potest, cum pauca et exilia (si genuinam operis indolem spectas) Didymi operae in Homero positae supersint frusta, forte accidisse, ut Ptolemaei nomen olim commemoratum intercideret: esset hoc nimium casui tribuere, quam ut ulla veritatis species remaneat, cum illis reliquiis quamvis angustis tot nomina vel minorum grammaticorum etiamnunc contineantur, ipsi Ptolemaei homonymi, Epitheta et Pindario, saepius occurrant. Accedit aliud, quo etiam magis Didymi silentium mirum videretur: vulgavit Ptolemaeus librum de Aristarchi recensione Odysseae, qui cum magnam partem in eo ipso versaretur, quod Didymus tractandum sibi sumpsit, nullo modo ei praetermittendus fuit. Vim igitur hoc argumentum e silentio petitum habere existimo. Beneque accidit, quod uno documento hoc firmare possumus: schol. *Υ* 234 Herodianus Apollonium Theonis filium in scriptura *ἀνηρείψαντο* offendisse dicit causamque affert, qua ille motum se esse profitetur; pergitque: *πρὸς δὲ ταῦτα ὑγιῶς ἀπεφήναντό τινες καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης ὡς ὅτι κτλ.*, unde luculenter apparet Ptolemaeum non ante Apollonium fuisse. Atqui cum Theonem, Apollonii patrem, eum fuisse verisimillimum sit, qui hypomnemata in Homerum,[1]) Lycophronem, Apollonium Rhodium, alios[2]) scripsit Didymi aequalis, etiam hac re apparet aliquid firmamenti illi de Ptolemaei aetate post Didymum statuenda sententiae accedere. Haec igitur documenta unius Stephani auctoritate elevari non possunt,

---

[1]) La Roche, Textkr. p. 57. A. 94.

[2]) Cf. C. Giese, de Theone grammatico eiusque reliquiis (Monast. 1867) p. 38 sqq.

et possunt eo minus elevari, cum unde Stephani error natus sit facile explicari liceat: invenit scilicet apud Herodianum, cui enixe eum operam dedisse constat, Ptolemaei nomen tam crebro cum Aristarcho coniunctum, tam saepe Ptolemaeum Aristarchi vestigia prementem, vidit — id quod maximum est — tam saepe ab Herodiano ad sententiam firmandam solos testes adhiberi Aristarchum et Ptolemaeum, ut facillime eo delaberetur, ut quos ratione et doctrina arte conexos videbat, eos etiam vitae tempore coniunctos opinaretur.[1]) — Iam quoniam ultra Didymi tempora regredi nos prohiberi exposuimus, restat, ut in alteram partem tempus circumscribamus. Atque primum — neque enim inde, quod Eustathius saepius (e. gr. *E* 887. *Ξ* 351) Ptolemaei sententias Apione et Herodoro auctoribus (*ὥς φασιν Ἀπίων καὶ Ἡρόδωρος*) affert, colligi potest, ante Apionem Ptolemaeum fuisse, cum Lehrsius quid de 'Apionis et Herodori' (nunc scimus Herodori nomen apud Eustathium falso pro Heliodore irrepsisse) commentariis iudicandum sit certis argumentis demonstraverit[2]) — ab Herodiani temporibus eum satis longe distare intellegimus, si Herodiani rationem schol. *T* 357. *Y* 53 respicimus: *οὕτως ὁ Ἀσκαλωνίτης καὶ ἐπείσθη ἡ παράδοσις.* Deinde ratio habenda est illius, quam supra attuli, crebrae Ptolemaei cum Alexione collationis. In longa autem Ammonii de *σταφυλή* disputatione, ubi Ptolemaei et Heraclidae '*τοῦ ἡμετέρου*' sententiae perpenduntur, Heraclides in refutandis adversariis clare Ptolemaeum spectat;[3]) is Hera-

[1]) Est igitur '*γνώριμος Ἀριστάρχου*' ab ipso Stephano additum, non est referendum ad Philonem Byblium. — Nihil valet, quod Beccard l. l. 71 dicit alterum argumentum et quo Stephanus defendatur, in eo positum esse, quod Ptolemaeus de Aristarchea recensione Odysseae scripsit. Quasi Didymus propterea, quod Aristarchi lectiones recensuit, ipsum Aristarchum audisse putandus sit!

[2]) Lehrs, de Aristarchi studiis Homericis, [2] p. 370 sqq. cll. Naber, Phol. lexic. p. 119 sq.

[3]) Hoc cum ex tota disputationis indole apparet tum maxime ex extremis verbis: *τὸ μέντοι προκείμενον τοῦ Ἡρακλείδου ἰσχυρὸν, καθα παραγγέλλεται .... ἀλλὰ καὶ ἡ Πτολεμαίου ἀθετεῖται παρατήρησις.* Recte Ammonium exscripsit Et. M. p. 742, 44; sed, ut assolet, Eustathius B 765, qui omnino totam de *σταφυλή* disputationem mire confudit, rem invertit, cum, si eum sequimur, Heraclides Ptolemaeo maior videatur esse.

clides quin idem sit, qui *καθολικῆς προσῳδίας* scriptor ab eodem Ammonio v. *νῦν* laudatur, dubitatio exsistere nulla potest; fuit autem Heraclides Milesius — is enim intellegitur —, cum et citetur ab Apollonio [1]) et commemoret Tyrannionem, Dionysium Sidonium, initio primi p. C. saeculi.[2]) Haec fere sunt, quae ad rem disceptandam adhiberi oportet; quae si coniuncta considerabimus, verisimillimum nobis videbitur, Ptolemaeum aetate paulo inferiorem fuisse Didymo, sub ipsum igitur primi p. C. saeculi limen fuisse vel paulo infra.[3])

Natus est Ascalone[4]), unde postea, ut ab aliis discerneretur, nomen, sub quo longe saepissime citatur, accepit Ascalonitae. In ipsa patria, ut erat tum temporis civitatis condicio, mirum non est, quod animus eius liberalium artium litterarumque studio imbutus est. Satis enim multa indicia declarant, etiam in litteris tum non infimum locum Ascalonem tenuisse. Nam cum iam antiquitus mercatura floreret, quae etiam Romanorum sub imperio latius propagabatur ita, ut opulentissimas civitates aemularetur[5]); cum cultu vetusto et insigni, religione celebri, artificum et opificum industria et sollertia inter omnes illius orae civitates insignis esset et vix Gazaeorum antiquae potentiae cederet[6]); denique cum opum et divitiarum copia cum florentissimis Asiae urbibus certaret: consentaneum erat etiam litterarum sedem haud spernendam et hellenismi, qui dicitur, propugnaculum eam civitatem exsistere, etiam ingenii armis cum Alexandriae, Pergami, Antiochiae gloria certare incipere. In variis litterarum generibus exstitere, quorum nomina etiamnunc temporum spatium nondum oblitteravit: ibi nati sunt stoicorum doctrinae addicti Sosus, Antibius, Eubius, quos laude non exigua

---

[1]) v. Nicolai, Griech. Litt.-Gesch. II[2] 340. 270.

[2]) quod docuit Osann, quaestt. Homer., partic. IV, p. 13.

[3]) Recto igitur sensu iam Graefenhan III p. 37 ductus eum Augusti et Tiberii temporibus assignaverat, immerito reprehensus a Beccardo.

[4]) Steph. Byz. v. *Ἀσκάλων*.

[5]) cf. K. B. Stark, Gaza u. d. philistäische Küste, Jena 1852, p. 561—564.

[6]) ibid. p. 589—591.

floruisse Stephanus testis est [1] (*στωϊκοὶ ἐπιφανεῖς*); ibi natus Antiochus Cycnus Philonis discipulus, is cuius consuetudine cum multos Romanorum nobiles [2]) tum ipsum Ciceronem diligentissime usum esse constat, is qui stoicorum praecepta cum Platonis Aristotelisque doctrina confundere et conciliare conatus veram ac genuinam philosophiam academicam restituisse sibi videbatur, cum novam plane et quintam academiam conderet, Ciceronis certe iudicio, qui ipse profitetur Athenis sex menses auditorem eius se fuisse, illius aetatis nobilissimus et prudentissimus veteris academiae philosophus summusque auctor et doctor. [3] Inde originem duxerunt Apollonius et Artemidorus historici, quorum hic Bithyniae res scripsisse fertur, uterque sane nobis parum aliunde cognitus. Ipsa grammaticae studia non iacuisse inculta argumento est, quod praeter Ptolemaeum etiam alterum grammaticum Ascalon tulit Dorotheum. Is, qui post Aristonicum et Tryphonem fuit, [4] quamvis ingenio et grandi rerum perceptione, quod ex paucis quae supersunt vestigiis iudicare liceat [5], haud ita instructus videatur fuisse, tamen industria et in minimis rebus subtilitas vix ei abrogari potest, qui opere plus triginta librorum [6] *Ἀττικὰς λέξεις* conquisivit; etiam in Homero interpretando operam consumpsit maiore scientiae apparatu et mole, quam ut posteris probaretur: longus enim et nimius et loquacitate molesta infectus eorum grammaticorum imaginem refert,

---

[1]) v. *Ἀσκάλων : πολλοὶ δὲ ἐξ αὐτῆς κεχρηματίκασι, φιλόσοφοι μὲν Ἀντίοχος ὁ Κύκνος καὶ Σῶσος καὶ Ἀντίβιος καὶ Εὔβιος στωικοὶ ἐπιφανεῖς, γραμματικοὶ δὲ Πτολεμαῖος Ἀριστάρχου γνώριμος καὶ Δωρόθεος, ἱστορικοὶ Ἀπολλώνιος καὶ Ἀρτεμίδωρος ὁ τὰ περὶ Βιθυνίας γεγραφὼς καὶ ἄλλοι.*

[2]) Cic. de fin. V, 1, 1.

[3]) Cic. Brut. 91, 315: cum venissem Athenas, sex menses cum Antiocho veteris academiae nobilissimo et prudentissimo philosopho fui studiumque philosophiae numquam intermissum a primaque adoescentia cultum et semper auctum hoc rursus summo auctore et doctore renovavi.

[4]) schol. *K* 252 *Δωρόθεος . . . . ἀποτεινόμενος πολλὰ πρὸς Ἀριστόνικον καὶ Τρύφωνα.*

[5]) cf. Nicolai II² p. 317. 381. Gräfenhan III p. 193 sq.

[6]) *Δωρόθεος ἐν τριακοστῷ πρώτῳ τῆς Ἀττικῆς λέξεως.* schol. *K* 252.

qui summas res et maximas parum spectantes in quisquilias et minutias magna doctrinae iactatione sese abdunt. Tale certe iudicium feremus, si Porphyrium sequemur, qui languidam et verbosam explicandi rationem aperte spectans non sine aliqua irrisione Dorotheum commemorat, cui *ὅλον βιβλίον ἐδέησεν εἰς ἐξήγησιν τοῦ παρ' Ὁμήρῳ κλισίου.* [1]) Sed utut id se habet, hoc certe intellegimus Ascalonitarum civitatem studia impigre coluisse satisque doctrinae subsidia in ipsa urbe fuisse, quibus iuventus aleretur et ad litteras incitaretur.

Unum de reliqua eius vita constat: Romam eum emigrasse ibique artem grammaticam — suam scholam eum habuisse probabile est — docuisse. [2]) Ex discipulis eius nemo inclaruit. [3]) Quidquid praeterea de Ptolemaei vita prodiderunt, prorsus coniectura continetur; pleraque ne verisimilia quidem sunt. Alexandriae, in ipsa Aristarcheae doctrinae sede ac domicilio, aliquantum temporis in studia eum incubuisse, ut vult Beccardus [4]), per se veri speciem habet; sed quod idem vir doctus inde, quod librum de schola Cratetea Ptolemaeus conscripsit, sequi putat etiam Pergami eum versatum esse, hoc certe ut potest cogitari, ita demonstrari nullo modo potest; de Createte enim eiusque discipulis etiam extra Pergamum scribi potuisse elucet. Omnino ex illo libro nimium et quod omnibus argumentis, imo omnibus indiciis prorsus careat, collegerunt: socium Crateteae sectae eum fuisse finxerunt. [5]) Quasi vero hoc ex ipsa libri in-

---

[1]) schol. *Θ* 328. *I* 90.

[2]) Suid. *Πτολεμαῖος ὁ Ἀσκαλωνίτης, γραμματικός, ὃς ἐπαίδευσεν ἐν Ῥώμῃ.*

[3]) Ne eo quidem, quod nonnusquam *οἱ περὶ τὸν Ἀσκαλωνίτην* laudentur, sectam eius fuisse demonstrari, vix est quod post Lehrsii (quaestt. epicae, p. 28 sq. nota) disputationem moneatur.

[4]) l. l. p. 71, quamquam ex eis, quae supra de Stephani *γνώριμος* diximus, apparet hinc nihil concludi posse.

[5]) Sic Beccard, l. l. Assentitur ei La Roche, homer. Textkr. p. 72 „inde, quod Romae docuit et de Cratetea schola scripsit, non immerito concluserunt, postea eum Pergamenae scholae addictum fuisse“. Totum Ptolemaei cursum vitae uberius depingit Gräfenhan III p. 37: „verisimile est, cum primo litterarum studiis Pergami imbutum esse — cf. I 418, ubi Ptolemaeum quasi re explorata inter Cratetis sectatores enumerat —, quo factum est, ut de illa disciplina librum com-

scriptione concludi liceat aut haec inscriptio significet, defensum esse Cratetem a Ptolemaeo! Nonnullos sane grammaticos credibile est transfugas ad adversariorum partes transisse, si Demetrii Ixionis exemplum spectamus, quem Aristarcheam scholam deseruisse constat.[1]) Sed Ptolemaeum quoque '*μεταθέμενον*' fuisse ut nullis externis firmatur indiciis[2]), ita in praeceptis eius grammaticisque rationibus, quod infra clarius elucebit, nec vola nec vestigium est. Proinde iam desinamus coniectare, quod scire non possumus.

Iam ad scripta Ptolemaei tractanda transeamus. Qua in re unum fere auctorem habemus Suidam, cui tamen pro bonitate fontium, quibus in grammaticorum vitis usus est, et cum homonymos hoc loco diligentissime discernat, utique fides habenda est. *Ἔγραψε* (Suidae verba sunt) *προσῳδίαν Ὁμηρικήν, περὶ ἑλληνισμοῦ ἤτοι ὀρθοεπίας βιβλία ιέ, περὶ μέτρων, περὶ τῆς ἐν Ὀδυσσείᾳ Ἀριστάρχου διορθώσεως, περὶ διαφορᾶς λέξεων, καὶ ἕτερα γραμματικά.* Quid singulis libris Ptolemaeus tractaverit, tituli ipsi in universum satis declarant; accuratius, quomodo libri compositi dispositique fuerint, ex paucis reliquiis et aliorum similium operum comparatione suspicari magis quam demonstrare licet paucisque absolvi potest.

Atque primum '*prosodiam Homericam*' notissimum Ptolemaei et celeberrimum fuisse opus nescio an inde summo iure colligi liceat, quod longe pleraque, quae aetatem tulere, frusta ad hunc librum referenda videntur; nam omnia fere prosodiacas

---

poneret; Alexandriam inde profectus ad Aristarcheam scholam transiit." Fabulam Romanensem audire mihi videor. Quam nullis argumentis illi vv. dd. nitantur, vel inde apparet, quod ille Ptolemaeum primo Aristarcheum, tum Crateteum, hic primo Crateteum fuisse imaginatur.

[1]) cf. Graefenhan I 421, III 37 sqq. Sed quod idem I 399 sq. Demetrium Scepsium primo Crateteum fuisse tum Aristarcho se aggregasse probabile habet, prorsus hariolatur.

[2]) Nam quod La Roche l. l. alterum indicium putat — nempe quod *Romae* artem professus sit —, nihil est. Romae docebant etiam Trypho, Didymus, Tyrannio, Ptolemaeus Aristonici pater, Aristonicus, alii (cf. Gräfenhan I 348. Suid. s. vv.), omnes vere Aristarchei.

spectant quaestiones. Erat opus, ut ipsa res poposcit, in duas divisum partes, quae propriis sub titulis laudantur: altera inscribebatur *περὶ τῶν ἐν Ἰλιάδι προσῳδιῶν*, altera *περὶ τῶν ἐν Ὀδυσσείᾳ προσῳδιῶν*. Genuinos hos esse titulos, Ammonii loco (v. *σταφυλή*) demonstratur, qui cum ipsa Ptolemaei verba se afferre profiteatur, ipsum librum inspexisse videatur.[1]) Alterius partis mentio exstat etiam apud Eustathium *B* 765: *ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν Ὀδυσσείᾳ προσῳδιῶν*, qui locus tamen ex Ammonio sive ipso sive per ambages fluxit. Herodianus, quamquam hoc potissimum libro, ubi de Ptolemaei sententiis disserit, usus est, nominat tamen hodie eum uno loco, schol. *Φ* 38, ubi *Ὀδυσσειακὰς προσῳδίας* laudet. Compositum igitur erat opus in commentarii magis quam continuae tractationis modum, ut postea Herodianus quoque libros de prosodia Homerica instituit. Singulos locos ordine perlustrans Ptolemaeus lectiones eorum, qui antea in prosodiam inquisiverant — elaboraverant autem in eo genere post Aristarchum cum alii tum Tyrannio minor (*Ὁμηρικὴ προσῳδία*[2])), Dionysius Thrax (*περὶ ποσοτήτων*[3])), aequalis fere Ptolemaei Trypho (*περὶ προσῳδίας Ἀττικῆς*[4]) et maxime *περὶ τῆς ἀρχαίας ἀναγνώσεως*,[5]) h. e. de antiqua scriptura quoad ad prosodiam spectat[6])) — eorum inquam lectiones attulisse, illustrasse, examinasse putandus est. Bis ab Herodiano ut testis Aristarcheae lectionis commemoratur.[7]) Qua in re utrum ipsa Aristarchi scripta adhibuerit necne etiamsi certo diiudicari non potest, verisimilius est eum auctoritate superiorum grammaticorum et traditione nisum esse. Vix enim,

---

[1]) *Πτολεμαῖος ἐν δευτέρᾳ περὶ τῶν ἐν Ὀδυσσείᾳ προσῳδιῶν ... ὁ αὐτὸς πάλιν ἐν δευτέρᾳ τῶν ἐν Ἰλιάδι προσῳδιῶν κατὰ λέξιν φησὶν οὕτως*. Ipsum hoc demonstrat, Ptolemaeum singulas rhapsodias ordine secutum esse neque grammaticis rationibus aut generibus librum disposuisse.

[2]) Suid. v. *Τυραννίων*. cf. La Roche, Textkr. p. 108.

[3]) schol. A *B* 111.

[4]) cuius tertius liber laudatur Ammon. v. *ἁρπαγή*. huc pertinet etiam liber *περὶ πνευμάτων*, cf. Velsen, Tryphonis grammatici Alexandrini fragmenta, Berol. 1853.

[5]) schol. *Γ* 122. *E* 299 etc.

[6]) La Roche, Textkr. p. 109.

[7]) schol. *N* 246. *B* 662.

si illius aetatis grammatici aliter egissent, dissensio de Aristarchi scriptura oriri potuit, quae saepe orta est; ut etiam Ptolemaeum (*B* 662) et Tryphonem plane diversa de Aristarchi lectione tradere videmus. Neque id mirum est, cum ne 'Chalcenterum' quidem illum Didymum ipsius Aristarchi recensionem in manibus habuisse, sed Aristarcheorum libris contentum fuisse negari vix possit.[1]) Tractaverat autem Ptolemaeus, quaecumque ad prosodiam veteres referebant, accentum (maxime anastrophae et inclinationis legibus operam dedit), spiritum, quantitatem; praeterea de coniungendis disiungendisve vocabulis iudicaverat et ne orthographiam quidem neglexerat. Etiam quae nonnullis locis Ptolemaei de interpunctione sententiae servatae sunt, sine ulla dubitatione ad hunc de prosodia librum revoco; disertis enim verbis schol. *E* 297 affirmatur Herodianum ipsum quoque eandem de interpunctione quaestionem tractasse in prosodia sua.

Quindecim *περὶ ἑλληνισμοῦ ἤτοι ὀρθοεπίας* librorum nisi apud Suidam nusquam alibi memoria servatur. *Ἑλληνισμὸν* rectam Graecorum consuetudinem loquendi vocabant, a soloecismis (h. e. 'impari et inconvenienti compositura partium orationis'[2])) et barbarismis purgatam[3]); illis igitur *περὶ ἑλληνισμοῦ* libris accuratius inquirebant, quis vocabulorum eorum, de quibus dubitatio oriri poterat, quis formarum rectus usus sit; itaque versabantur etiam in synonymis acute distinguendis, propria eorum significatione constituenda, quam ratio et veterum usus postulabat, ita ut saepe hi libri 'ad librorum *περὶ διαφόρων λέξεων* naturam prope accederent.[4]) Ducem in his rebus diiudicandis grammatici sequebantur et optimorum Graeciae poetarum scriptorumque consuetudinem, ex quibus exempla ad firmandam suam sententiam desumebant,[5]) et — id quod ma-

[1]) cf. La Roche, Textkr. p. 102.

[2]) Gell. N. A. V, 20.

[3]) Et. M. p. 331, 37: *τὸ καθ' Ἕλληνας διαλέγεσθαι, τουτέστι τὸ ἀσολοικίστως καὶ ἀβαρβαρίστως διαλέγεσθαι.*

[4]) Argumento sunt Tryphonis reliquiae, quae nominatim huic libro assignantur; ut Ammon. v. *χλαῖναν*, quid inter *χλαῖνα* et *χλανίς* optimorum scriptorum usus interesse velit, v. *δίσκος*, quid inter *δίσκος* et *σόλος*, exponit.

[5]) cf. Tryphon. ap. Ammon. ll. ll.

xime in formis rarioribus et remotis usu veniebat — analogiam. Hanc apud analogeticos quosdam saepe etiam plus vulgari usu valuisse, ita ut prae legibus ab ipsis confictis ipsam consuetudinem loquendi neglegerent, et ἑλληνίζειν apud eos fuisse 'secundum analogiae normam conformatam loqui' inter omnes constat.[1]) In eisdem exponendis rebus praeter Tryphonem operam collocaverunt Seleucus, Philo vel Philonides, Philoxenus, Irenaeus, alii.[2])

Nec accuratius definire possumus, quae commentationis περὶ μέτρων fuerit indoles. Hoc tamen per se elucet, Ptolemaeum non esse egressum fines illos exiguos exiles, steriles aridos, quibus tum metricae studium continebatur. Fuerat illa ampla et subtilis doctrina, ab Aristoxeno fundata, quae in intimis harmoniae et rhythmi legibus et principiis posita erat: grammatici rhythmum metrumque iam non ex ipsa eorum natura explicare et comprehendere studebant; nulla canendi aut declamandi ratione habita, cum legerentur tantum versus, eam artem constituerunt, quae ad solum usum accommodata hoc spectabat, ut versus facile legi et in certas classes redigi possent; versabantur in rebus prorsus externis, extrinsecus observabant singulorum pedum versuumque varias formas et colligebant, causas tamen explicare nec studebant, nec, si studuissent, potuerunt. Quo factum est, ut libris eorum metricis nihil fere ageretur, nisi ut variae formae extraneo ordine necterentur exemplisque ex poetis desumptis congestisque probarentur. Vix enim, si universam spectas rationem, multum illius aetatis metricorum libri distabant ab eo, qui unus ad nostram memoriam pervenit, Hephaestionis dico enchiridion. Scripsisse autem iis fere temporibus, quibus Ptolemaeus erat, de metris traditum est etiam Soteridam Pamphilae patrem Epidaurium,[3]) Philoxenum Alexandrinum[3]), Astyagem grammaticum[3]), quorum tamen omnium librorum nisi inscriptiones περὶ μέτρων nihil servatum est. Unum Ptolemaei libri nescio an exstet vestigium: schol. L. V. *E* 500 Πτολεμαῖος τοὺς δωδεκασυλλάβους στίχους

---

[1]) cf. Steinthal, Geschichte der Sprachwissenschaft, p. 484.
[2]) Suid. s. vv.
[3]) Suid. s. v.

ἐκτιθείς φησι καὶ τοῦτον οὕτω γράφεσθαι "εὖτ' ἂν ξανθὴ Δημήτηρ." Quam adnotationem, quamquam, ad quem auctorem revocanda sit, prorsus in obscuro est — si esset Herodiani, omnis dubitatio sublata esset[1]) — ad Ascalonitam pertinere valde verisimile est: nam librum de metris scriptum a scholii auctore intellegi ipsa verba significant; atqui ex Ptolemaeorum numero haud exiguo unum Ascalonitam talem librum composuisse memoriae proditum est. Itaque vix in errorem delabemur, quod illud scholion in nostrum usum convertemus.[2]) Tractaverat igitur Ptolemaeus (inter alia) singulas hexametri formas ac genera exemplisque illustraverat, etiam scripturae diversitatis, quoad pertinebat ad metrum, ratione habita. Diligentiam et curam ei non defuisse illud ipsum exemplum docet. Talia autem metricis scriptis exposita esse, et ipsa res declarat et indicium habemus in Hephaestionis scholiis B, ubi c. 7 (Westph. p. 171) περὶ εἰδῶν τοῦ ἡρῴου agatur, sex genera enumerentur, inter quae etiam ἰσόχρονος qui vocatur, ὁ τὰ μεγέθη τῶν συλλαβῶν καὶ τοὺς πόδας ἀπὸ τῶν πρώτων μέχρι τῶν ἐσχάτων τὰ αὐτὰ ἔχων, ἤγουν ἐξ ὅλων σπονδείων συγκείμενος, ὡς τὸ φ 15.[3])

Hoc loco pauca adiungere liceat de libro περὶ συναλοιφῆς, qui schol. B *B* 461 laudatur. Ne ibi quidem propriis verbis Ascalonita commemoratur; sed dubitationi locus non est, cum ab Herodiano Ptolemaeus citetur.[4]) Etiam hoc libro, ut ex scholio apparet, leges de synaloephe constitutae exemplis poetarum illustratae erant. Quid plerique veterum vocabulo συναλοιφῆς comprehenderint, constat: tria discernebant genera, ecthlipsin, crasin, synaeresin, quae et per se separata et inter

---

[1]) v. infra p. 23 sq.

[2]) Iam Gräfenhan III p. 106 hunc locum ad Ascalonitam retulit.

[3]) Haud ignoro scholiorum B collectione maximam partem nihil nisi pravam Byzantinorum doctrinam contineri; fluxit tamen quamvis latis ambagibus ex veterum libris; et vix meliore iudicio, quamvis maiore fortasse apparatu usus sit, Ptolemaeus talia tractasse putandus est.

[4]) v. infra p. 23 sq. Nam quod est in scholio: οὕτως Ἡρωδιανὸς ἐν τῇ καθόλου καὶ Πτολεμαῖος ἐν τῷ περὶ συναλοιφῆς sic intelligendum esse, ut excerptor Ptolemaeum ab Herodiano in catholica prosodia laudatum invenerit, clarum est.

se coniuncta occurrunt, ita ut septem synaloephae species numerarentur.[1]) Sed praecepta de synaloephe sitne singulari atque pleno libro Ptolemaeus amplexus, valde dubito; immo partem operis 'de metris' fuisse crediderim. Ipso in Hephaestionis brevi et astricto enchiridio uno capite (2. Westph. p. 10—12) de synizesi agitur; in uberioribus libris hanc partem fusius explanatam et synaloephen quoque tractatam fuisse videtur credibile; comprobatur enim scholiis A ipsius Hephaestionis, quippe quibus largiore tractatione quid inter synizesin et synaloephen intersit exponatur; nam haec scholia ex aliis et copiosioribus de metris libris excerpta esse satis constat. Sed diiudicari ea res vix poterit.

Sequitur liber *περὶ τῆς ἐν Ὀδυσσείᾳ Ἀριστάρχου διορθώσεως*. Fragmentum eius libri exstat nullum; nam quod bis Ptolemaeus Aristarcheae lectionis testis affertur (*B* 662. *N* 246), hae notae, cum ad Iliadem pertineant, ad 'prosodiam' referendae videntur esse. Quam ob rem, quid Ptolemaeus sibi proposuerit, coniectura tantum assequi possumus. Quaeret aliquis, quid tandem talis liber sibi voluerit, postquam Didymi opera quidquid de Aristarchi scripturis erui potuit, esset conquisitum; vix enim cogitari potest Ptolemaeum Didymi vitia aut neglegentiam corrigere voluisse. Sic res expedienda videtur: Ptolemaeus, ut omnino in minutis et subtilibus prosodiae quaestionibus libentissime versabatur, etiam hoc libro animi inclinationi videtur indulsisse; attulit igitur Aristarchi scripturas maxime eas, quae in accentu, spiritu, ceteris prosodiae partibus, in orthographia versabantur, et iudicium tulit; Didymus contra, quamquam has partes non omisit, minore tamen copia tractavit, cum lectionum apparatui congerendo maxime operam daret. Supplevit igitur quodammodo Didymum Ptolemaeus, si illud recte iudicatum est.[2]) In afferendis autem Aristarchi lectioni-

---

[1]) schol. A. Hephaest. c. 2 (Westph. p. 119 sq.): *διαφέρει δὲ συνεκφώνησις συναλοιφῆς τούτοις· ἑνὶ μέν, ὅτι ἡ συναλοιφὴ κατὰ τρόπους ἑπτὰ γίνεται, ἁπλοῦς μὲν τρεῖς· ἔκθλιψιν ... κρᾶσιν ... συναίρεσιν ..., συνθέτους δὲ τέσσαρας κτλ.* Idem tradit grammaticus ap. Cramer A. O. IV 343, 27.

[2]) Hac in re prorsus Lehrsium secutus sum, qui ut universae grammaticae Graecae historiae viam muniit, ita etiam in levioribus

bus rationibusque quibus e fontibus hauserit, non magis hic diiudicari potest quam supra, ubi de prosodia Homerica sermo erat. Ptolemaei autem adnotationes similes videntur fuisse atque illa, quae ex prosodia Iliaca sumpta ad *B* 662 servata est. Ibi cum Tyrannio Aristarchum *κατέκτα* producta ultima syllaba legisse asseveraret, Ascalonita corripuisse eum ᾰ contendit exemploque id fulcire studuit; uter recte censeret, ne Herodianus quidem certis documentis demonstrare, sed ex similium locorum comparatione conicere potuit. Rectius iudicavit Ptolemaeus, ut ex scholio *O* 432 apparet, ubi Aristonicus: *ὅτι ἀπόδειξις τοῦ συνεσταλμένως ἐκφέρειν τὸ κατέκτα· καὶ ἐν Ὀδυσσείᾳ* (*ι* 409) "*ἔκτα σὺν οὐλομένῃ ἀλόχῳ*"; tamen incertum est, unde illud Ptolemaeus deprompserit. Hoc certe ex illo loco colligere licet, Ptolemaeum in tradendis Aristarcheis lectionibus non unius Didymi aut Aristonici libris[1]) usum esse, sed altius scrutatum: nam aut exstabant Didymi et Aristonici ad illum locum adnotationes; tum dissensio quomodo oriri potuerit, cum illorum libri etiam Herodiano ante oculos essent, explicari non potest; aut tacuerant Didymus et Aristonicus: tum Ptolemaeum etiam aliis auctoribus usum esse aut ex aliis indiciis conclusisse sequitur.

Paulo longiore disputatione opus erit de eo libro, qui Suida teste *περὶ διαφορᾶς λέξεων* inscribebatur, non quo, quale fuerit argumentum, in dubio sit, sed quia eius libri sive partem sive reliquias quae putantur etiamnunc nonnullos fefellisse video. In discriminibus affinium vocabulorum explicandis

---

rebus rectissime sensit: Aristarch.[2] p. 25 nota: "Contra [sc. ac Didymi liber de Aristarchi recensione, "in quo lectionum apparatus summum locum habebat"] Ptolemaei Ascalonitae librum *περὶ τῆς ἐν Ὀδυσσείᾳ Ἀριστάρχου διορθώσεως* putaverim in diudicandis Aristarchi orthographia et accentibus maxime versatum fuisse." — Neque tamen hac, quam inter Didymi et Ptolemaei libros statuimus, differentia infirmatur illud argumentum, quod e Didymi silentio de Ptolemaei aetate supra petivimus. Neque enim in generibus plane diversis agebant; sed quam Didymus minus fuse tractaverat provinciam, eam Ptolemaeus maxime administravit. Unde sequitur Didymum Ptolemaei librum neglegere non potuisse, si eum novisset.

[1]) id quod Lehrs Arist.[2] p. 28 sq. probabile censet esse.

Graecos iam inde a Prodico, qui eius artis parens praedicatur, enixe operam posuisse satis constat [1]; eisdem fere temporibus eiusmodi librum Seleucus Alexandrinus, qui Tiberio imperante Romae fuit, composuit. [2]) Exemplum talis operis habemus Ammonii *περὶ διαφόρων λέξεων* librum. Tractabantur et ea vocabula, quae significatione inter se proxime accedebant forma diversa vulgique in ore facile miscebantur, cum optimorum scriptorum consuetudine severe discernerentur, et ea, quae dissimiles notione formas fere easdem praebebant, accentu tantum aut spiritu inter se discreta. Huic generi Ptolemaeum operam navasse, etiamnunc exstant exempla quibus demonstretur: discrimina statuebat inter *δῆμος δημός*, *ἀλύω ἁλύω*, *σκύμνος σκυμνός*, *τρίετες τριετές*, *σταφύλη σταφυλή*; illius generis exempla servantur nulla. Haberemus sane multa, si Fabricius vera referret, qui (bibl. Gr. VI p. 157 Harl.) "hoc *περὶ διαφορᾶς λέξεων* scriptum a Suida memoratum sive fragmenta eius" e bibliotheca Gudiana nactum se esse gaudet et edidit. Quae frusta, quamquam iam ipse Fabricius "pleraque omnia apud Ammonium legi eisdem verbis" animadvertit, quamquam Valckenaer, nimia fortasse brevitate usus ut in re manifesta, praefracte affirmavit [3]), "ea quae sub Ptolemaei nomine vulgasset Fabricius, certissima praeferre recentioris aevi vestigia (Ammonius enim — ita ratiocinatur — accuratae diligentiae studiosus, nuspiam non solum istius Ptolemaei libri meminit, sed et differentias, quae istuc leguntur, ex Ptolemaei Prosodia Homerica enotavit") — recentioris aetatis grammaticos Valckenari observatione aut prorsus neglecta aut non examinata partim sine ulla dubitatione pro genuinis accipere, partim cautis et ambiguis verbis rem operire magis quam diiudicare video. Et tamen illa 'recentioris aevi vestigia' adeo sunt manifesta, ut vel qui obiter causam perlustrat, Valckenari iudicio non assentiri non possit. Primum enim ipsum Ptolemaeum Am-

---

[1]) Synonymorum scriptores enumeravit Maur. Herm. Ed. Meier, opusc. acad. II p. 34.

[2]) cf. Suid., qui ei librum *περὶ τῆς ἐν συνωνύμοις διαφορᾶς* tribuit.

[3]) Valckenaer, praefatio in Ammonium (ed. Lips. 1822) p. XXXI sq.

monius duobus locis (v. τρίετες. σταφυλή) nominatim laudat, et altero quidem (v. σταφυλή) ipsum Ptolemaei librum, unde hausit, citat Prosodiam Homericam; ibi re vera Ptolemaeum illam, de qua agit Ammonius, causam tractasse, scholiorum ad *B* 765 etiamnunc reliquiae satis significant. Atqui eaedem Ptolemaei observationes, quas ex Prosodia Ammonius petisse se profitetur, occurrunt in eis schedis, quibus Ascalonitae librum 'de differentia vocabulorum' contineri opinantur. Jam vero duo cogitari possunt: *Aut* is, qui apud Fabricium fertur, liber περὶ διαφορᾶς λέξεων jure Ascalonitae assignatur illamque de voce σταφυλή differentiam duobus in libris Ptolemaeus attigit; quod si est, cum omnia fere (et pleraque ad verbum) etiam apud Ammonium reperiantur, hic Ascalonitae librum non modo quam latissime adhibuisse, sed totum in suum transtulisse putandus est atque ne nominasse quidem librum. Quod cum per se parum probabile possit esse ei, qui accuratam Ammonii in indicandis auctoribus suis diligentiam et religionem consideraverit, prorsus refellitur eo, quod Ptolemaei Prosodiam l. l. allegat; quid enim? si quis universum Ptolemaei librum non excerpsit sed exscripsit neque usquam eum fontem nominat, uno autem loco Ptolemaei praecepta, quae et ipso eodem de synonymis libro continebantur et alio eiusdem libro de prosodia, propriis verbis e libro de prosodia se sumpsisse asseverat, necessitate quadam nonne ad eam opinionem adducimur, eum de industria dataque opera legentium animos fallere velle et facere, ut illum de synonymis librum prorsus non adhibuisse videatur? *Aut* Ammonius Ptolemaei de synonymis librum non exscripsit, sed in Prosodia tantum verba illa invenit: quae vero feruntur Ascalonitae de vocum differentia libro tributa, spuria sunt et supposita, ex ipso demum Ammonio subrepta. Utrum probabile sit, per se intellegitur. — Suffragatur huic iudicio universa Fabricianarum schedarum indoles: pleraque, ut saepius dixi, aut plane cum Ammonii praeceptis consentiunt aut — quod tamen rarius est — exiguis in rebus, quae ad ipsum sensum non pertinent sed ad unum alterumve verbum, mutata sunt; perpauca sunt, in quibus minus copiosus videtur Ammonius Pseudo-Ptolemaeo; at omnia fere, quae hic addit, eiusmodi sunt, quae neque requirantur et a stultissimo quoque facillime addi

potuerint;[1]) eis autem locis, ubi revera melius quiddam Fabricii schedae exhibent aut plenius, res sic expedienda est, ut nostra Ammoniani libri exemplaria aliquantulum differre statuamus ab eo, quo qui Ptolemaei nomen mentitur usus est.[2]) Eodem modo nescio an hoc explicationem habeat, quod nonnulla Pseudo-Ptolemaei praecepta apud Ammonium non inveniuntur; ea autem omnia, sive exciderunt casu apud Ammonium sive ab initio non erant scripta, non tantam doctrinae speciem prae se ferunt, quin vel ab indoctissimo magistello proprio iudicio ad Ammonium adici potuerint; certe nihil ad maiorem vetustatem diiudicandam valent.[3]) Valet autem quam plurimum illud, quod, cum

---

[1]) cf. *ἄληθες*, ubi post Ammonii verba *ἄληθες δὲ προπαροξυτόνως τὸ κατ' ἐπερώτησιν λεγόμενον* Pseudo-Ptolemaeus addit: *σημαίνει τὸ ὅμως καὶ τῷ ὄντι*, vel quod Ps.-Ptolemaeus ad Ammonii (v. *ἀποφορά*) *εἰσφορά δὲ τὰ ὑπὸ τῶν πολιτῶν* (sc. *παρεχόμενα χρήματα*) addit: *δημοσίας ἕνεκα χρείας ἐπιδιδόμενον τῇ πόλει.* Nec maioris momenti est, quod ad discrimen inter *ἐπίκουροι* et *σύμμαχοι* illustrandum, de quo Ammonius ad Homerum provocat, Fabricii Ptolemaeus ex ipso Homero duo exempla affert vilia. Ne hoc quidem quidquam valet, quod Ps.-Ptolemaeus § 14 ad vocem *ἀκταί* etymologiam in aperto sitam addit: *ἀπὸ τοῦ ἄγνυσθαι τὰ κύματα ταῖς πέτραις προσαρασσόμενα* (Fabric. *προσαρμασσόμενα*), quae apud Ammonium v. *ἀκταί* desunt sed hercle non desiderantur. (cf. ex. gr. Etym. m. p. 54, 21). Una fortasse alicui doctrinae particula Fabriciano Ptolemaeo superesse videatur, qua caret Ammonius: nempe quod ille § 3, ut *δαιτύμων* significare *τὸν ἑστιώμενον* ostendat, auctorem affert Platonem. Magnam sane doctrinam et quae ipsa recentem originem prodat. Recte enim iam Valckenaer ad v. *ἑστιάτωρ*: 'postrema in Ammonio desiderari monuit Fabricius, quae libenter suo relinquo auctori; Homerum potius advocasset noster Ammonius.' Homerum, opinor, advocasset etiam genuinus Ptolemaeus. Haec sunt, quae in censum veniunt.

[2]) Ut genuinam lectionem servavit Ps.-Ptolemaeus v. *αἰδώς: ὧν σεβασμίως τὶς ἔχει* pro Ammonii *ὡς σεβομένως τὶς ἔχει;* item *ἀνδραγαθία* pro Ammonii *ἀνδραγάθημα* (s. v.) scribendum ex Ptolemaei schedis videtur; item v. *ἀποκήρυκτος* Ptolemaei *ᾧ λέγεται εἰσποιητὸς γεγονέναι* pro Ammonii *ὃ λέγουσιν, εἰσποίητος γέγονεν;* item v. *ἀνάμνησις* ex schedis *ἀφ' ἑαυτοῦ* Ammonio reddendum esse iam Valckenaer vidit. Cetera tamen, quae huc pertinent, vel minoris notae sunt. Omnino multo pluribus locis Ptolemaeus corruptelas contraxit, quam meliorem lectionem servavit.

[3]) Ecce additamenta: *ἀμφί-ἀμφίς, ἀπαράσκευον-ἀπαρασκεύαστον, οὐδέποτε-οὐδεπώποτε, ἡσυχάζειν-σιγᾶν, ἱππεῖς-ἱππέας.*

Ammonius ad illustrandas, quas statuit, differentias exempla ex optimis scriptoribus petita afferat, Ptolemaeus, quem ferunt, differentias nude positas nusquam fere [1]) illustrat; quod, si universum grammaticorum studiorum cursum et ordinem contemplabimur, quae ex copia et exemplorum ubertate paulatim ad exilitatem delabebantur, certum indicium habebimus, quo ieiunas illas notas a grammatico primi saeculi utique abhorrere declaratur. Maxime vero urgeo, quod Ammonius permultis locis, quibus auctoribus praecepta debeat, diligenter et religiose indicat, Fabricianus Ptolemaeus nusquam, quo fonte usus sit, fatetur; unum ex magno exemplorum numero afferre satis erit: Ammonius ubi, quid inter *γέρων*, *πρεσβύτης*, *προβεβηκώς* discriminis intercedat, exponit, ex Alexionis epitoma miscellaneorum Didymi hausisse se profitetur, qui eandem rursus hauserit *ἐκ τῶν Ἀριστοφάνους* (cod. *Ἀρίστωνος*, vide Valcken. animadvv. lib. I., cap. XII. Nauck, Aristoph. Byz. p. 88 sq.) *περὶ ἀνθρώπου γενέσεως καὶ αὐξήσεως ἄχρι γήρως* (spectat Aristophanis grammatici notissimum librum *περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν*, qui partem amplissimi operis *λέξεων* explebat); iam vero apud fictum Ptolemaeum, cum eadem de singulis aetatum nominibus proferat, frustra auctoris nomen requiris. Idem permultis locis usu venit. Nimirum Ammonius Ptolemaei libellum exscripsit et fontes, quos hic tacuerat, investigavit et adiecit! Bene accidit, quod suspicio, quam universa libelli natura movet, etiam singulis rebus firmatur: Quid enim? si in Fabricii schedis nonnullae eaedem corruptelae exhibentur, quas Ammoniani libri mss. contraxerunt, et eae graves et quae miro casui aut fortunae lusui tribui nullo modo possint, unum hoc nonne relinquitur, ut Fabriciana ex Ammonii codice depravato fluxisse statuamus? In censum veniunt primum de *ῥίς* et *μυκτήρ* praeceptum, cum apud utrumque *μυκτῆρες δὲ αἱ τῆς ῥινὸς κατατρήσεις, δι' ὧν ἔξεισιν* [addit Ammon. *τὸ ὑγρὸν*] *ἀπομασσόμενον* vitiose scriptum sit pro *ἀπομυσσόμενον* [2]), deinde illud de *ἄντικρυς*

[1]) Uno loco (v. *ἄρνες*) versum ex Homero citat, uno loco (v. *ἐπίκουροι*) Homerum spectat, uno loco (v. *δαιτύμων*) *κατὰ Πλάτωνα* addit (v. supra).

[2]) Ad scripturas Ps.-Ptolemaei cognoscendas sola in editione Fabricii nitimur; liber ms., quo ille usus est, aut latet aut interiit.

praeceptum: ἀντικρύ μὲν τὸ ἐπ' εὐθείας [καὶ ἐξ ἐναντίας, χωρὶς τοῦ σ, ὡς καταντικρύ addit Ammon.] · ἄντικρυς δὲ τὸ διαῤῥήδην καὶ φανερῶς καὶ τὸ [τὸ omittit Ammon.] ἐπ' εὐθείας τοπικόν, ubi extrema illa καὶ τὸ . . . τοπικόν, quae apud utrumque exstant, delenda sunt 'a sciolo quodam introducta', ut recte Valckenaer iudicat.[1]) Vides vitia illa esse talia, quae aliter ac nos fecimus explicari non possint. Maneat igitur fixum immotumque illud, quod iam Valckenaer iudicavit, magistellum quendam Ammonii librum, vulgo forsan minus cognitum, in usum puerorum descripsisse et veteris grammatici nomine suas merces commendare voluisse. Neque vereor, ne quis eo hoc iudicium labefactari opinetur, quod duobus locis differentiam ab Ammonio diversam fictus Ptolemaeus statuit: nam quod de ἀγροῖκος et ἄγροικος prorsus contrarie censet, fortasse de industria fecit Ammonium se corrigere ratus, cum etiam aliunde grammaticorum sententias hac in causa discrepuisse constet;[2]) quod autem discrimen inter ἀπολογίζεσθαι et ἀπολογεῖσθαι plane invertit, aut stultitiae aut neglegentiae imputandum est.[3]) —

Sed quamquam Ptolemaei libellum qui ferebatur spurium esse pro explorato habemus, tamen non sequitur, Ptolemaeum omnino de vocum differentia non scripsisse; quod sequi Valcke-

---

"Nactum" se eum esse Fabricius profitetur e bibliotheca Gudiana. Neque tamen erat inter eos libros mss., qui mortuo Gudio in bibliothecam ducalem Guelferbytanam asciti sunt; ibi neque nunc eum exstare neque umquam fuisse, ita ut Fabricius librum non reddidisse putandus sit, praecipua comitate viri doctissimi O. de Heinemann, cui summa bibliothecae cura erat, edoctus sum.

[1]) Huc referendum esse puto etiam, quod v. αἶνος uterque vitium praebet: Amonius αἶνός ἐστι λόγος κατὰ ἀναπόλησιν μυθικήν, Ps.-Ptolemaeus κατὰ ἀπόλυσιν. Utrumque corruptum; emendandum cum Valckenario κατὰ ἀνάπλασιν. Apparet iam in eo libro ms., ex quo Ps.-Ptolemaeus notas suas furatus est, vocabulum depravatum fuisse et illum sciolum imprudenter ἀπόλυσιν recepisse aut correxisse.

[2]) cf. Valckenaer ad Ammon. v. ἀγροῖκος. Stephanus thesaur. s. v.

[3]) Etiam de voce εὐθύς ab Ammonio dissentit. Deprehendimus eius calliditatem: nempe partes induit veterum nonnullorum, quorum sententiam Ammonius improbat (τινὲς μέντοι τῶν ἀρχαίων φασί); ut omnino etiam alibi eas sententias profert, quas Ammonius τοῖς παλαιοῖς tribuit.

naer sibi persuaserat.[1]) Vetat Suidae in his rebus auctoritas. Satis enim hodie constat Suidam in vitis scriptorum Hesychii Milesii onomatologo opere illustrissimo usum esse; ipsum autem Hesychium ut commentationes de poetis musicisque prolatas Dionysio Halicarnassensi debebat, ita in vitis oratorum, sophistarum, grammaticorum, historicorum, philosophorum, qui inde a primo a. C. saeculo usque ad Hadriani tempora fuerunt, ex Philonis Byblii libris hausisse veri simile est.[2])

Inter illa *ἕτερα γραμματικά*, quae Ascalonitae Suidas tribuit, unus aliunde nobis cognitus est liber *περὶ τῆς Κρατητείου αἱρέσεως*,[3]) scholio A *Γ* 155 laudatus. Dolendum est, quod unum illud fragmentum superest, praesertim cum ad argumentum libri noscendum non ita multum inde lucremur. *Πτολεμαῖος ὁ Ἀσκαλωνίτης ἐν τῷ περὶ τῆς Κρατητείου αἱρέσεώς φησιν "ὦκα γράφει ἀντὶ τοῦ ἦκα". καὶ ἀπολογούμενός φησιν, ὅτι μετ᾽ αὐτὸ διασταλτέον, ἵν᾽ ᾖ Ἑλένην ἐπὶ πύργον ἰοῦσαν ὦκα. πρὸς δὲ τῷ κτλ.* Scholium est Nicanoris. Dissentiunt de explicatione: nam cum Duentzer[4]) Cratetem *ὦκα* pro *ἦκα* scripsisse perhiberi putet, Friedländer[5]) adnotat: '*αἱρέσεώς φησιν* sc. Nicanor; nisi ante *φησιν* excidit *Ζηνόδοτος*, quem *ὦκα* scripsisse docemur a Didymo' (imo ab Aristonico, cf. id. Aristonici reliquiae p. 55); Wachsmuth[6]) autem nihil eorum aliqua cum confidentia amplecti se audere fatetur. Prior explicatio cur comprobari nequeat, equidem non video; facillime subiectum *ἡ Κρατήτειος αἵρεσις* vel *Κράτης* suppletur, et vix aliter eum qui primum verba legit sentire persuasum

---

[1]) praefatio p. XXXI: "Suidae sine ulla formidine me obicio, qui Ptolemaeum Ascalonitam scripsisse tradit *περὶ διαφορᾶς λέξεων*, recentioris magistri fraude deceptus."

[2]) cf. A. Daub, de Suidae biographicorum origine et fide, Jahrb. f. klass. Philol., XI. Supplb. 1880, p. 403 sqq.

[3]) Dormitat Nicolai, Gr. Litt. II² p. 347, qui censet hunc librum melius analogetico Ptolemaeo aut Ptolemaeo Aristonici filio assignandum esse quam Ascalonitae, quamquam propriis verbis Nicanor nominat Ascalonitam. Gratiam ei haberem viro, si unum miri sui scrupuli argumentum afferre voluisset.

[4]) de Zenodoti studiis Homericis, p. 134.

[5]) Nicanoris *περὶ στιγμῆς Ἰλιακῆς* reliquiae, p. 168.

[6]) De Cratete Mallota, p. 35.

habeo.[1]) Neque offendere licet in eo, quod Aristonicus Zenodotum *ὦκα* scripsisse narrat, aut inde Zenodoti nomen Nicanoris scholio obtrudere. Immo hoc ipsum quodammodo nostrae interpretationi suffragatur, cum Cratetem saepissime Zenodoti lectiones recepisse constet.[2]) Subiectum enuntiati *καὶ ἀπολογούμενός φησιν* est Ptolemaeus. Videtur igitur, si haec vera sunt, illo libro Crateteorum lectiones perlustrasse et recensuisse, fortasse in universas illius sectae rationes et praecepta diligentius inquisivisse, quae in Homero explicando ab eis adhibebantur; et videtur id fecisse sine ira et studio, nullis praeoccupatis opinionibus suae sectae praestrictus. Neque enim veretur occasione data Aristarchi magistri adversarium defendere eiusque lectionem sequi. Honestum sane liberi iudicii documentum. Ceterum ex Ptolemaei studiorum reliquiis elucet, si summam spectas, librum in refutandis et impugnandis Pergamenorum sententiis versatum esse; itaque necessitudinem quandam verisimile est ei intercessisse cum eo libro, qui a Dionysio Thrace conscriptus erat '*πρὸς Κράτητα.*'[3])

In Et. Gud. tribus locis[4]) ad orthographicas quaestiones disceptandas recurritur ad 'canonem qui dicitur Ptolemaei' (*κανὼν* sive *λόγος Πτολεμαίου*). Videtur igitur, nisi omnia me fallunt, Ascalonita — vix enim de alio Ptolemaeo cogitare licet — etiam in orthographia diligenter versatus esse et, cum vocabula illa, de quarum scriptura Ptolemaeus allegatur, *Ἴβυκος Ἶβις Ἰλίων* ab Homero aliena sint, probabile est, non tantum in Prosodia Homerica eum talia tractasse data occasione, sed peculiarem *περὶ ὀρθογραφίας* librum composuisse. Quae studia eius aetate maxime floruisse, Tyrannionis, Draconis, Didymi, Tryphonis, postea Ori Milesii exemplis satis demonstratur.[5]) Probabile, inquam, videtur: ad veritatem res propterea

[1]) Ceterum de collocatione verbi *φησί* cf. e. gr. schol. *M* 193 *Φ* 38.

[2]) Wachsmuth Crat. p. 20 sq. "haud improbabiliter, ni fallor, animi suspicatus sum posse inde colligi, Cratetem, ubicumque servasset vulgatam et ab Aristarcho ob inaequalitatem explosam lectionem, saepe obsecutum esse Zenodoto", cll. Nauck, Aristoph. Byz. p. 55 nota 75.

[3]) schol. A *I* 464.

[4]) p. 268, 47. 268, 52. 276, 14.

[5]) cf. Suid. s. vv. Velsen, de Tryphone p. 56. La Roche, homerische Untersuchungen p. 170.

adduci nequit, quod nusquam talis liber citatur et etiam Didymum constat non ex professo de orthographia scripsisse, sed per varia sua scripta observationes ad orthographiam pertinentes dispersisse.[1])

Suspicio est etiam alius libri vestigia etiamnunc reperiri, de qua tamen infra dicendum est.[2])

Operae pretium videtur esse exponere, quinam grammatici illis libris usi sint sive ad quosnam auctores ea, quae supersunt fragmenta, si primum fontem quaerimus, referenda videantur, denique quibus fontibus nostra de Ptolemaei praeceptis notitia contineatur. Simplicissima res est. Usi sunt eis Apollonius Dyscolus, Nicanor; etiam Ammonius, cum Ptolemaei verba κατὰ λέξιν (v. σταφυλή) se afferre praedicet, ipsum Ascalonitam adisse, non secundis fontibus usus esse putandus est. Fortasse Ptolemaeum inspexit Sextus Empiricus.[2]) Sed pauca illis auctoribus ad nostram memoriam permanarunt. Plene autem et accurate libri Ascalonitae excussi sunt ab Herodiano, quod magna etiam nunc copia locorum, quibus ille a technico citatur, clare demonstratur. Hic est nobis longe gravissimus et uberrimus fons. Praeter illos nemo, quantum nos videmus, ex ipso Ptolemaeo hausit. Ad Herodianum enim revocanda sunt, quaecumque apud Stephanum Byzantium, Eustathium, in Etymologicis Anecdotisque occurrunt fragmenta. Ab homonymis[3]) plerumque facile discerni potest: in censum veniunt tres, Epitheta, Pindario, Aristonici filius. Longe plerisque locis noster Ascalonitae cognomine insignitur; paucis quod nude ponitur 'Ptolemaeus' dubitationem movere potest. Quod tamen si in *Herodianeis* scholiis fit[4]), cum Ascalonitam persaepe laudet Herodianus, vix uno alterove loco Pindarionem ceteros, vel per se verisimile est Ascalonitam dici; quod universa singularum adnotationum indoles, si cum eis, quae Ascalonitae nominatim

---

[1]) cf. O. Schneider, Zeitschrift für Altertumsw. 1855, p. 237 sq., qui docet falso iudicasse Schmidtium Didym. p. 335.

[2]) v. infra p. 31 sqq.

[3]) Ptolemaeorum conspectum Fabricius bibl. Gr. I 520 (Harl.) dedit.

[4]) *A* 396. 464. 465. 554. *B* 162. 368. 427. 461. 523. 592. *Δ* 243. *E* 39. *Z* 465. *K* 373. *N* 140. *Ψ* 523.

tributa sunt, comparamus, quam certissime confirmat.[1]) Itaque quae Herodianeis scholiis[2]) 'Ptolemaeo' tribuuntur — sunt autem paucissima — ea sine ulla dubitatione Ascalonitae vindico; nec minus ea, quae Herodiano auctore in Etymologicis etc. sub nudo Ptolemaei nomine afferuntur. *Didymi* scholiis 'Ascalonitae' nomen ignotum est; mentionem facit Didymus nominatim Ptolemaei Epithetae (*B* 111. 196. *Ξ* 37), Pindarionis (*E* 136. 695. *Θ* 23. 389); iam si scholia *B* 258 (A quod tamen apud Dindorfium deesse video) et *Π* 21 (V), in quibus nude 'Ptolemaeus' citatur, a Schmidtio iure Didymo vindicantur, sequitur, ut Ascalonitam ibi intellegere non liceat; sed cum scholia illa, ut sunt brevissíma et exilia, non tam perspicue Didymeam doctrinam resipiant, ut de origine eorum dubitationi nullus locus sit, cogitari etiam potest ea non esse Didymi : tum quisnam sit ille Ptolemaeus diiudicare non licet. Restant paucissima scholia, quorum *origo in incerto* est, quae 'Ptolemaei' nomen exhibent: *Λ* 334 (A), *E* 500 (L. V.), *Ξ* 229 (V), *ν* 352 (Q), *δ* 228 (M. V.) Ex quibus, quod extremo loco memoravi, statim omittendum est, cum ex libro citato (*ἐν τῷ πρώτῳ χρόνων* [cod. *χρόνῳ*]) haud ambigue Mendesius, rerum Aegyptiacarum scriptor et Apionis principalis fons, indicetur; schol. *Λ* 334 argumentum plane diversum ab eis, quae alibi Ascalonitae tribuuntur, exhibet (praeconum cognomen '*Διὸς ἄγγελοι*' fabulosa narratione explicatur); nec magis schol. *ν* 352, ubi ipse poeta reprehenditur ob inversum sententiarum ordinem, quidquam in Ascalonita simile habet; schol. *Ξ* 229 vel per se levis momenti est et ad Didymum fortasse referendum.[3]) Quae cum ita sint, rectius esse iudico dubias illas adnotationes prorsus neglegere; decerni causa vix umquam poterit. Schol. *E* 500 Ptolemaeus quidam traditur versus ex meris spondeis compositos exposuisse; quod Ascalonitae, cuius unius ex Ptolemaeis liber

---

[1]) Conferas quaeso e. gr. *B* 162 (Ptolemaeus) et *B* 839. *Ψ* 718 (Ascalonita); maxime *B* 839 (Ascalon.) et *B* 877 (Ptolem.)

[2]) Si solum testem haberemus codicem B, id quod uno loco *B* 461 usu venit, magis res in suspenso esset; certe Ptolemaeum, qui schol. B *Δ* 423 laudatur, Aristonici esse filium ex accuratiore scholio A discimus.

[3]) Omissum tamen a M. Schmidtio est.

de metris commemoretur, merito vindicatur.[1]) Haesitare possumus in *Nicanoris* scholiis, ubi bis 'Ptolemaeus' nullo cognomine definitus occurrit, qui in interpunctione versatus est: *A* 211. 216. Sed cum Nicanor in eis, quae servata sunt, nusquam alibi ullius Ptolemaei mentionem faciat nisi semel *Γ* 155 ipsius Ascalonitae, et cum Ascalonitam interpunctionis quoque rationem habuisse ex hoc scholio appareat, nescio an etiam illis duobus Nicanoris locis noster grammaticus sit intellegendus.

Jam accingimur ad universam rationem, quam Ascalonita in grammaticae studiis sequebatur, et singula eius praecepta, quoad in rem est, explicanda. Consentaneum est e dispersis et parvulis reliquiis omnino fieri non posse, ut totam eius artem eruamus aut ad unguem dolemus materiam. Tamen fragmenta sufficiunt ad perspiciendum, quid in universum spectaverit. Singulorum praeceptorum ea fusius exponere satis erit, quae eius propria videntur fuisse, h. e. maxime ea, quae postea ab Herodiano repudiata reiectaque esse constat.

Quanta autem *auctoritate,* ut hoc praemittam, inter grammaticos floruerit Ascalonita, compluribus indiciis demonstratur. Neque enim solum, quod apud Herodianum eius nomen longe saepius quam ullius grammatici citatum invenitur, argumento est; ipsum illud, quomodo laudetur, consideremus: nam ubi omnes fere grammaticos Herodianus consentientes vidit, tamen propriis verbis etiam Ptolemaeum inter eos esse profitetur et quasi principem et signiferum eis opponit;[2]) deinde vel hoc magni momenti est habendum, quod permultis locis, ubi Ptolemaeus ab Aristarchi auctoritate discesserat, Herodianus quoque illius sententiam summi grammatici sententiae anteposuit;[3]) quod quanti sit aestimandum, is facile intelleget, qui superstitiosam illam et paene ridiculam verecundiam et dignitatem recordabitur, qua apud sectatores "*ὁ ἀνήρ*" utebatur quaque illi (interque

---

[1]) cf. supra p. 13.

[2]) Inde *ὁ Ἀσκαλωνίτης καὶ οἱ πλείους, ὁ Πτολεμαῖος καὶ οἱ πλείους* *Ψ* 561. *Ψ* 523 alibi; maxime cf. *M* 137 *βαρυτονοῦσιν οἱ πλείους. Νικίας δὲ ὀξύνει . . . . ὁ δὲ Ἀσκαλωνίτης βαρύνει.*

[3]) cf. *Δ* 212. *E* 656. *Z* 239.

eos etiam Herodianus), etiamsi falso magistrum iudicasse intellegerent, tamen cum Aristarcho errare potius quam contra eum agere malebant.[1])

Haec tanta apud Herodianum Ptolemaei auctoritas inde potissimum manavit, quod acerrimum *analogiae propugnatorem* et auctorem se praestiterat. Celebrata illa inter analogiam et anomaliam contentio, Aristarchi et Cratetis nominibus summa olim severitate et acerbitate expressa et repraesentata, discipulis quasi hereditate accepta non minore studio continuabatur. Nec tamen res, de qua agebatur, ardori illi et irae, quibus contendebant, respondebat. Rem enim si spectas, discrimen, quod olim inter Pergamenorum et Alexandrinorum scholas erat, paulatim minus acre fieri et magis magisque minui et evanescere facile erat intellectu; mirari licet, ipsos adversarios hoc fefellisse et ipsos eos, qui analogiae defensionem susceperant, non alio modo suas partes tueri potuisse, quam aliquantum ab adversariis mutuantes i. e. severam atque constantem analogiam omittentes, neque ipsos id sensisse. Nempe id usu venit, quod saepe, cum in litteris prorsus contraria summa violentia statuuntur et defenduntur, accidere videmus, ut veritas in medio posita sit et verbis etiamtum pugnetur, postquam causae disceptationis interierunt; hoc sane analogeticis laudis manet, quod, revera analogiam non pertinaciter secuti, artem grammaticam mire promoverunt, cum anomaliam qui amplectebantur, temporibus et litterarum progressui parum sese accommodantes nihil fere magni videantur ad litteras augendas contulisse nisi hoc ipsum, ut adversarios, vitia eorum detegentes, sua corrigere cogerent. Aristarchei enim quo diligentius totam linguam perscrutabantur materiamque conquirebant, eo magis a simplicibus praeceptis ad implicata, multiplicia, tortuosa

---

[1]) *Α* 272. *Β* 316. *Δ* 235. *Θ* 527. cll. *Α* 396. (*Θ* 349).

In principum grammaticorum numero Ptolemaeum a veteribus esse habitum, indicium in fragmentis de comoedia fortasse resedit, ubi (Cramer A. P. I 7, 3. Dübner, schol. in Aristoph. prolegg. IX a 47 p. XIX) nomen eius inter clarissima grammaticae lumina exstat: *ὕστερον δὲ ταύτας ἁπάσας σκηνικάς τε καὶ ποιητικὰς πλεῖστον ἐξηγήσαντο Δίδυμος, Τρύφων, Ἀπολλώνιος, Ἡρωδιανὸς, Πτολεμαῖος Ἀσκαλωνίτης* .... quamquam nomen prorsus perverso loco positum est.

transeundum esse intellegebant. Augebatur igitur in immensum paene canonum illorum numerus, quibus singula vocabula similia comprehendebant; accuratissima vel levissimorum discriminum in littera aut accentu positorum observatione minutissimarumque rerum ratione habita facillimum erat quodlibet vocabulum, quod universa forma aliorum simile tamen simili declinationi vel accentui vel quidquid vis refragabatur, ipso ab initio ex canone ut prorsus alienum excludere et ali canoni subiungere; *ἀνώμαλον* vocem apparet hac ratione omnino locum habere non posse. Adde, quod iam inde ab Aristarcho ad causas diiudicandas praeter analogiam nonnumquam *παράδοσιν* et *ἱστορίαν* adhibitas et respectas esse constat. Ad extremum *λέξεις μονήρεις*, vocabula singularia et omni similitudine carentia, statuebantur. Sic verae analogiae vim solutam concidisse clarum est. Perlustra Herodiani opera: profiteri audebis, si eadem qua technicus utitur ratio admittatur, analogiae te in lingua defensorem exstiturum, etiamsi omnia anomaliae plena videantur. Omne denique inter Crateteos et Aristarcheos discrimen — scilicet si diversam interpretandi rationem nunc omittimus — eo rediit, ut illi canones aspernarentur, quippe qui omnino versari in eo grammaticae genere infra suam 'criticorum' dignitatem existimarent, hi linguae inaequalitates in certas redigerent regulas.

Sed ad Ptolemaeum revertor. In controversiis plerumque eum ad analogiam recurrere videmus: *οἰῶν* bisyllabum contra Aristonicum, qui *οἴων* praetulerat, scribi iubet, *ὅτι ἡ εὐθεῖα μονοσύλλαβός ἐστιν, οἶς ὡς αἶξ.*[1]) Habes plenam et perfectam analogeticorum rationem, quattuor membrorum proportionem, qua ex tribus membris cognitis quartum ignotum concluditur: *αἶξ : οἶς = αἰγῶν : οἰῶν.*[2]) *Ἄμυδις*, a Nicia et Pamphilo etymologiam (*ἅμα*) spectantibus aspero insignitum, cum Aristarcho leni spiritu scribit, *καθότι φιλεῖ πως τὰ ἀπὸ δασέων πολλάκις μετασχηματιζόμενα ψιλοῦσθαι, ἡμέρα ἦμαρ, ἡδονὴ ἦδος.*[3]) Occurrunt alii canones ab Ascalonita statuti vix minus

---

[1]) schol. *Γ* 198.

[2]) cf. Steinthal, Geschichte der Sprachwissenschaft bei Gr. und R., p. 468.

[3]) schol. *I* 6.

uberes, implicati, ad minutissima expoliti, quam postea Herodianei: *Μέγην* e. gr. perispomenon esse vult, *τὰ γὰρ εἰς ης λήγοντα, βαρύτονα, δισύλλαβα, ἀπὸ βραχείας ἀρχόμενα περισσοσυλλάβως κλίνεται, λέβητα Λάχητα. εἰ δ' οὐχ οὕτως ἐκλίθη, δῆλον ὅτι περισπασθήσεται.*[1])

Hanc analogiae rationem consentaneum est, nisi moderatio, loquendi consuetudinis verecundia, ipse recti sensus et iudicium simul adhibebantur, plenam aleae et discriminis fuisse, multosque grammaticos adductos esse, ut ex legibus ab ipsis repertis etiam contra usum loquendi causas diiudicarent et dominari in linguam quam eius tractui et inclinationi cedere mallent. Ex iis grammaticis Ascalonita erat et erat fortasse huius perversae et nimis intentae analogiae gravissimus auctor. Primum enim persaepe ab Herodiano disertis verbis affirmatur, contra usum aut paradosin eum analogiae indulsisse: *ἐύξου*, quamquam paroxytonon consuetudine iam tritum erat, perispomenon esse iubet, ut ex *ἐυξόου* contractum;[2]) idem *ἀθροῦς* praecipit, quamquam usu *ἄθρους* sancitum sit, quippe quod natum sit ex *ἀθρόος*.[3]) *ζώς* ob similitudinem vocis *σῶς* circumflectit[4]), in hoc quoque ab Herodiano dissentiens. *νεήκεσι* paroxytonon esse tradit ὡς *εὐγενέσι*, ut cum voce *ἀκή* compositum; *τὰ δὲ παρὰ τὰ εἰς η λήγοντα θηλυκὰ συντιθέμενα καὶ εἰς ης περατούμενα ἐπιθετικὰ τότε ὀξύνεσθαι θέλει, ὅταν ἔχῃ οὐδετέρου παρασχηματισμὸν καὶ τὴν γενικὴν εἰς ους περατουμένην;*[5]) agnoscit etiam Herodianus hunc canonem, sed cum secundum paradosin barytonon sit *νεήκης*, usui magis obtemperandum censet. *Ἑέρσαι*, non usitatum *ἕερσαι*, scribit Ascalonita, quia singularis sit *ἑέρση*, neglegitque, ut recte Herodianus monet, *ὅτι τὸ ἑνικὸν διὰ τὴν μετάληψιν τοῦ α εἰς η πρὸ τέλους ἔσχε τὸν τόνον ὁμοίως τῷ ἄελλα ἀέλλη.*[6]) Nec minus traditi accentus incuriosus *λίτεσθαι* proparoxytonon putat, cum Herodianus rursus rationem Ptolemaei probans tamen usui merito cedat.[7]) Parem traditionis contemptorem se praebet, cum *ἀκαχῆσθαι*[8]) et *ἀλαλῆσθαι*[9]) circumflexo notari iubeat solam formam et

[1]) schol. *Ο* 302. [2]) schol. *Κ* 373. [3]) Eustath. *α* 27.
[4]) schol. *Ε* 887. [5]) schol. *Ν* 391. [6]) schol. *Ξ* 351.
[7]) schol. *Π* 47. [8]) schol. *δ* 806. [9]) schol. *μ* 284.

similitudinem perfectorum πεποιῆσθαι etc. respiciens.[1]) Huc pertinet illud quoque, eiusdem constantiae indicium, quod vocativum φίλε, ubi paenultimam produci metrum docet, non gravi sed circumflexo notari iubet.[2]) — Etiam clarius, quam in analogia persequenda nimis sibi constiterit Ptolemaeus et quam non veritus sit vel extrema inde sequentia accipere, tres declarant loci, ubi ex aliorum vocabulorum similitudine et comparatione eas formas statuat, quae omnino non exstabant. Quaeritur nominativus dativi ἀλκί; Herodianus, ut est cautus et prudens, cum nominativus casus, quem exspectamus, nusquam occurrat, metaplasmo ex ἀλκῇ ortum ἀλκί putat; Ptolemaeus autem ἀλκί cum simili forma σαρκί conferens, cum hoc nominativum exhibeat σάρξ, etiam illud ex ἄλξ declinatum esse censet.[3]) Eadem ratione, ubi de φύγαδε agitur[4]), Στύγα Στύξ ad comparandum advocans nominativum φύξ assequitur; idem denique λῖτα et λιτί formas ex nominativo λίς derivat.[5]) Quodammodo, si cum grano salis ut aiunt accipiatur, hanc Ptolemaei rationem reprehendendam non esse apparet; sed videtur ita illos nominativos finxisse, ut re vera eos exstare et vivere contenderet; sic Herodianus certe eum intellexit. Herodianus autem a talibus ingenii lusibus prorsus abhorrebat, qui quid de eis grammaticorum quamvis subtilibus inventis fictionibusque, quibus in vivo sermone nihil respondebat, censeret ipse proprie significat περὶ μονήρ. λ. p. 17: ὡς οὐχ ὑγιῶς τὸ τοιοῦτο παραλήψεται, οὗ πίστιν ὀφείλει ἐξ ἄλλων πτώσεων παραθέσθαι, προείπομεν δὲ ὅτι κατὰ χρῆσιν τῶν Ἑλλήνων, οὐχὶ καθ' ὑπόστασιν λέγομεν ἅπαντα.

Jam vero Ptolemaeus verum analogeticum se praebuit in homonymis discernendis. Constat enim Aristarcheos, cum animadverterent ipsa lingua saepe eas voces, quae in eadem forma diversas significationes habebant, quasi ad distinguendum diversa prosodia pronuntiari, legem aliquam et normam inde desumere

[1]) Videtur nonnumquam canones invenisse pro arbitrio, cum, quod ex paucis exemplis collegerat, in cetera omnia valere vellet: exstat unus mirus locus (schol. Φ 38): ὅσα ὀνοματικῶς σχηματίζεται ἀπὸ ψιλῶν ῥημάτων, ταῦτα δασυνθήσεται ὡς ἀπὸ τοῦ ὀρούει ὅρπηξ!

[2]) Eustath. Ε 359. [3]) schol. Ε 299. [4]) schol. Π 697 cll. Π 657.

[5]) schol. Σ 352.

studuisse — flagitabat id nimirum analogia — atque ita multa accentuum aut spiritus discrimina invenisse, quae ipse sermo ignorabat. Hinc fluxerunt Aristarcheorum περὶ διαφορᾶς λέξεων libri. Hinc etiam quae Ptolemaei feruntur: internoscebat σταφύλη et σταφυλή [1]), σκύμνος et σκυμνός [2]), τρίετες et τριετές [3]); distinguebat, id quod luculentissime severi analogetici arbitrium et libidinem significat, plane inepte inter ἀλύω et ἁλύω [4]), illud de dolore, hoc de laetitia intellegendum ratus, qua in re eum contra loquendi usum iudicasse hoc ipsum satis declarat, quod duae illae significationes, quas voci tribuit, re vera ad unam referendae sunt. Quid multa? satis demonstratum est, Ascalonitam fuisse inter eos, "qui Gottschedii simili studio nihil non certa quadam regula astringi volebant (a quo sermo ingenioso homini similis abhorret), qui inauditos nec a paradosi vel a modestis grammaticis receptos accentus excudebant." [5]) Quam ob rem dubitari omnino non potest, quin Ptolemaeus "ὁ ἀναλογητικός", quem semel Apollonius [6]) laudat, Ascalonita sit intellegendus. Analogetici enim cognomine is tantum insigniri poterat, qui summo rigore et severitate analogiam sequebatur; atqui neminem scimus — ac ne cogitari quidem id potest — maiore constantia in analogiam incubuisse quam Ascalonitam. [7]) Et convenit illud 'analogetici' fragmentum

---

[1]) Ammon. s. v. [2]) schol. Σ 319. vide infra de hoc loco disputationem. [3]) Ammon. s. v. [4]) schol. E 352.

[5]) Lehrs. Aristarch.², p. 252.

[6]) Apollon. de coniunct. 508, 6 (Bekker A. Gr.)

[7]) Miror Gräfenhanium, qui I 432 magna fiducia Pindarionem 'analogeticum' esse asseverat: 'Ptolemaeus Pindarion, der Analogetiker, Sohn des Oroandas, so genannt wegen seiner Schrift.' Neque librum neque aliud indicium video. Rectius iam Lersch (die Sprachphilosophie der Alten, dargestellt an dem Streite über Analogie und Anomalie der Sprache, Bonn 1838, p. 73 sq.) analogeticum a Pindarione distinxit. De Pindarione omnino cogitari non potest; is enim medium quendam inter contraria contendentes locum tenuit; censebat enim, analogiam et usum non ita magnopere differre, cum usus loquendi probatus et acceptus nihil aliud quam analogia sit. cf. Sext. Empir. adv. mathem. I § 202 = p. 645 Bekk. ἡ δὲ ἀναλογία οὐκ ἰσχυροποιεῖται, εἰ μὴ συνήθειαν ἔχοι τὴν βεβαιοῦσαν · τῇ ἄρα συνηθείᾳ ἐκβάλλοντες τὴν συνήθειαν (sc. οἱ γραμματικοὶ) τὸ αὐτὸ πιστὸν ἅμα καὶ ἄπιστον ποιήσουσιν. ἐκτὸς εἰ μή τι φήσουσι μὴ τὴν αὐτὴν συνήθειαν ἐκβάλλειν, ἅμα καὶ

quam maxime illius rationi, qua consuetudinem prae canonum et regulae auctoritate neglegebat: ex canone enim, qui vocabula in *ρ* desinentia ultima syllaba correpta gravi notari iubet, particulae *αὐτάρ* circumflexum tribuit.

Sed quamvis persaepe rationi quam usui plus perverse tribuerit, multa ei debet Herodianus; multum contulit — colligi licet, quod etiamnunc saepissime a technico citatur — ad fundamenta ingentis illius et admirabilis molis iacienda, quam postea summa arte et assiduitate exstruxit Herodianus, licet hunc nimiam Ptolemaei severitatem leniisse et ad iustum modum redegisse concedendum sit.

Si ea, quae servata sunt, fragmenta perlustramus, in magnis gravibusque rebus nusquam Ptolemaeum auctorem adhiberi videmus. Insigne ingenium ei abiudicabimus; sed diligentissimi et minutissimas levissimasque quaestiones sedulo perscrutantis grammatici laudem non detrahemus. Sane etiam in gravioribus rebus eum versatum esse, unum vestigium etiamnunc haberemus quo declararetur, si nostro iure *grammaticae definitionem*, quae exstat apud Sextum, ad Ascalonitam referre liceret. Sextus enim adv. gramm. § 60 (p. 612, 16 Bekk.) Ptolemaeum 'Peripateticum' quendam inducit Dionysio Thraci adversantem, quod is grammaticam *ἐμπειρίαν* esse velit: *ἐγκαλεῖ δὲ αὐτῷ Πτο-*

προσίεσθαι, ἀλλ' ἄλλην μὲν ἐκβάλλειν, ἄλλην δὲ προσίεσθαι. ὅπερ καὶ λέγουσιν οἱ ἀπὸ Πινδαρίωνος. ἀναλογία, φασὶν, ὁμολογουμένως ἐκ τῆς συνηθείας ὁρμᾶται· ἔστι γὰρ ὁμοίου τε καὶ ἀνομοίου θεωρία, τὸ δὲ ὅμοιον καὶ ἀνόμοιον ἐκ τῆς δεδοκιμασμένης λαμβάνεται συνηθείας. δεδοκιμασμένη δὲ καὶ ἀρχαιοτάτη ἐστὶν ἡ Ὁμήρου ποίησις· ποίημα γὰρ οὐδὲν πρεσβύτερον ἧκεν εἰς ἡμᾶς τῆς ἐκείνου ποιήσεως· διαλεξόμεθα ἄρα τῇ Ὁμήρου κατακολουθοῦντες συνηθείᾳ.

Talem virum *κατ' ἐξοχὴν* analogeticum non esse nec nominari posse, per se elucet. — Sed utut de Apolloniano illo loco iudicamus, hoc constat Ascalonitam analogiae utique deditum fuisse et gravi errore duci Graefenhanium, qui III p. 38 eum 'praecipue Crateteum' fuisse sibi persuasit. Ecce eius argumenta: Sext. Emp. p. 612, 16 Ptolemaeus Peripateticus quidam grammaticam *τέχνην*, non *ἐμπειρίαν* definit; pro *Περιπατητικός* fortasse scribendum est *Περγαμηνός*; scripsit igitur Ascalonita librum *περὶ τῆς Κρατητείου αἱρέσεως*, grammaticam contendit esse artem — nam 'Pergamenum' esse nostrum Ptolemaeum statim concludit Graefenhan! —, cognomen denique habuit *Περγαμηνοῦ*: igitur fuit Crateteus. Eximium paralogismum!

λεμαῖος ὁ Περιπατητικὸς, ὅτι οὐκ ἐχρῆν ἐμπειρίαν εἰρηκέναι τὴν γραμματικὴν (αὐτὴ μὲν γὰρ ἡ ἐμπειρία τριβή τίς ἐστι καὶ ἐργάτις ἄτεχνός τε καὶ ἄλογος, ἐν ψιλῇ παρατηρήσει καὶ συγγυμνασίᾳ κειμένη, ἡ δὲ γραμματικὴ τέχνη καθέστηκεν). Quis sit ille Peripateticus, dubitatur; nam unum novimus illo nomine appellatum, qui tamen cum post Sextum fuerit, in censum non venit.[1]) Omnino ipsum *περιπατητικός* suspicionem movet, cum inde ab altero a. C. saeculo peripatetici a grammaticae studiis diligentissime olim cultis plane recessisse videantur, neminem certe nos quidem eo in genere versatum noverimus.[2]) Corruptum igitur illud cognomen plerisque videtur esse.[3]) Nonnulli de Ascalonita cogitaverunt, ut Fabricius bibl. Gr. V p. 296. VI p. 157 et Graefenhan III p. 38; hic *Περιπατητικός* in *Περγαμηνός* mutat opinaturque hoc cognomen Ascalonitam ut Crateteum facile potuisse accipere; quam coniecturam non opus est refellere. Hoc addam: si revera sub Peripatetico illo Ascalonita latet, tamen inde immerito Graefenhan colligit, Crateteorum a partibus eum stetisse; satis enim constat illa aetate iam analogeticos, qui antea *ἐμπειρίαν* grammaticam esse contenderant, Crateteorum fortasse argumentis et contradictionibus cedentes, a pristina sententia descivisse et iam eam amplexos esse, cuius summi auctores Apollonius et Herodianus postea exstiterunt; quod eo minus mirum est, cum ne conditor quidem grammaticae Dionysius utros sequeretur exploratum habuisse

---

[1]) cf. de Ptolemaeo Peripatetico Zumpt, über den Bestand der philosoph. Schulen in Athen und die Succession der Scholarchen, Berlin 1843, p. 74. cf. Harles in Fabric. bibl. Gr. III 504 nota. Fallitur Nicolai, gr. Litteraturg. II² p. 619.

[2]) Quod recte observavit Graefenhan III, 38, ubi antea (I 437) falso se iudicasse profitetur.

[3]) Hoc si recte iudicatum est, cum idem nomen eadem in re occurrat in scholl. in Dionysii Thracis grammaticam (Bekker A. Gr. p. 730, 22: '*γραμματική ἐστιν ἐμπειρία.*' *Ἐνταῦθα γενόμενος Πτολεμαῖος ὁ Περιπατητικὸς καὶ ἄλλοι τινὲς ἐγκαλοῦσι Διονυσίῳ ἐμπειρίαν εἰρηκότι τὴν λογικωτάτην γραμματικὴν, ἥτις — ἐμπειρία φημὶ — τῶν ὡσαύτως ἐχόντων πραγμάτων ἐστὶ τήρησίς τε καὶ μνήμη ἄλογος*), certissimo sequeretur, inter scholiorum illorum fontes etiam Sextum esse numerandum.

videatur, si quidem — ut recte monet L. Preller [1]) — "in ipso exordio operis grammatica primum ponitur esse ἐμπειρία, deinde vero leguntur haec: ὃ δὴ κάλλιστόν ἐστι τῶν ἐν τῇ τέχνῃ, quibus patet grammaticam subici notioni artis." An scribendum est *Πτολεμαῖος ὁ ἀναλογητικός*, quod ipsum quoque Ascalonitam spectaret?

Sed ex intuta et lubrica regione ad certa et solida me revoco. In *Homericis lectionibus* recensendis verum Aristarchi discipulum Ptolemaeus se praebuit: diligenter enim hanc, quae ab Aristarcho ut summa norma inducta et tradita erat, secutus est, ut ex Homero Homerum interpretaretur; accurate ob eam rem Homeri consuetudinem loquendi observasse et perquisivisse videtur cautioremque se praestat, quam ex analogetici rigore suspiceris. Ut in disceptatione, *πόλις* per *ε* flecti oporteat an per *ι*, monet *ὅτι καὶ διὰ τοῦ ε οἶδεν ὁ ποιητὴς τὴν χρῆσιν καὶ διὰ τοῦ ι.* [2]) Eos, qui *ἀνηρείψαντο* duo vocabula *ἂν ἠρείψαντο* scribi iubebant, recte refutat observando, *ὅτι ὁ ποιητὴς τῷ ἠρείψαντο οὐδέποτε ἐχρήσατο ἄνευ τῆς προθέσεως.* [3]) Eadem ratione Demetrio Ixioni, qui *Γ* 35 *παρειά* dualem numerum intellegi volebat, hoc opponit, nusquam apud Homerum talem dualem nominum feminini generis inveniri. [4]) Hoc quoque Homerici usus observationem indicat, quod *K* 246 et *σπόμενος* et *ἑσπόμενος* formis Homerum usum esse profitetur, cum Herodianus, hic Ptolemaeo severius agens (incertum an cum Aristarcho), unam formam *ἑσπόμενος* tueatur; neque enim id *ε*, quod in indicativo aspero spiritu notetur, abici posse. In *prosodia* constituenda, quo in genere maximam operam consumpsit, primum et praecipue analogiam sequitur, ut supra vidimus, secundo demum loco consulit *παράδοσιν* et *ἱστορίαν* et etymologiam. [5]) In nominibus propriis, de quorum prosodia ipsum Herodianum certam normam statuere non potuisse saepeque vacillasse constat, diverse agit: plerumque illud amplectitur, quod plurimum valere grammatici putabant, ut nomen proprium

---

[1]) quaestiones de historia grammaticae Byzantinae, in 'ausgewählte Aufsätze aus d. Gebiete der classischen Altertumswissenschaft' ed. Köhler, Berlin 1864, p. 72.

[2]) schol. *Δ* 308. [3]) schol. *Y* 234.

[4]) Epim. Hom., Cramer A. O. I p. 373, 16. [5]) schol. *Φ* 262.

ab appellativo diverso accentu et spiritu discernerent εἰς διαστολήν; quod etiam maiore quam Herodianus constantia vel potius pertinacia tenuisse videtur, si quidem hanc regulam certae traditioni praetulit;[1]) ubi appellativum eiusdem formae deerat, historiae et originis rationem habuit.[2]) — Jam ut in hoc genere aequalium doctrinae fines nusquam excessit, ita in multis rebus suae aetatis signa prae se fert Quod facillime inde perspicitur, quod non minus quam aequales ad explicandas formas statuit miras saepe et incredibiles fere *vocum affectiones*: δήρ ortum est ex δή, quod ἐπλεόνασε τῷ ρ;[3]) in φύγαδε δε syllaba nihil significans adiecta est;[4]) quid? quod ἐνδίεσθαι verbum idem esse quod ἐνίεσθαι putat pleonasmum litterae δ statuens[5]), et δάμνα tertiam medii personam existimat esse ἀποκοπῇ τοῦ δάμναται?[6]) Nec minus indulget opinioni illi perversae, quasi tota vocabula ad sensum prorsus nihil valeant et otiose a poeta adiecta sint, unde creberrima illa grammaticorum et certe vilissima adnotatio fluxit 'παρέλκει'.[7]) Sed ut Herodianum constat tum demum ad hanc explicationem descendisse, cum aliam explicandi rationem sibi non praesto esse intellexerat — id quod inde clare elucet, quod, ubi alii παρολκῇ vel ἐπιτάσει locum aliquem expedire studebant et ipse diversam explicationem praeferebat, illorum rationem plerumque hoc uno argumento refutat: ad illud statuendum οὐδὲν ἐπείγει, cf. schol. *Ξ* 183. *H* 63. —, ita etiam Ptolemaeus illam viam desperatione demum alius auxilii videtur ingressus esse: ut *A* 465 cum vulgo τ' ἄλλα legeretur, τἄλλα commendabat.

Eae lectiones, quarum auctor in scholiis fertur Ptolemaeus, longe maximam partem ipsum textum quem dicimus non tangunt; continentur accentu, aspiratione, interpunctione, orthographia, quantitate, vocabulis disiungendis vel coniungendis, denique eis, quae pro aetatis illius scriptura plane in grammaticorum arbitrio posita erant. Rarissime *verae et gravis diversitatis* scripturae auctor nominatur: *T* 384 δὲ οἱ praefert, cum alii

---

[1]) schol. *E* 39. *E* 76. [2]) schol. *K* 266. *M* 193.
[3]) schol. *E* 334. [4]) schol. *Π* 697. [5]) schol. *Σ* 584.
[6]) schol. λ 221.
[7]) De Ptolemaeo cf. scholl. *I* 7. *I* 236. *N* 450. *T* 90. *Ψ* 561. *Σ* 100. Et. M. 138, 14.

δέ οἱ, Zenodotus δ' ἑοῦ, Aristarchus δ' ἕο scriberent; num *E* 500 eam lectionem, quam ipsam quoque ferri dicit "εὖτ' ἂν ξανθὴ Δημήτηρ" pro vulgata "ὅτε τε ξανθὴ Δ." probaverit, obscurum est. Neque diiudicari potest (cf. supra p. 24), scripseritne Ascalonita *B* 258 κιχείομαι pro κιχήσομαι, et *Ξ* 229 ἐπὶ πόντον pro ἐς πόντον; sed suspiceris, cum duobus tantum his locis unus Ptolemaeus a vulgatis lectionibus discessisse videatur, Ascalonita alibi nusquam unus textum mutavisse feratur, multa autem exempla novatae lectionis de Pindarione [1]) tradantur, ne hos quidem locos ad Ascalonitam esse revocandos sed ad Oroandae filium. *A* 464, *B* 427 cum Aristarcho monstruosum illud μῆρε κάη pro μῆρ' ἐκάη Ascalonita probavit. Licetne statuere eisdem rationibus, quibus Aristarchum, eum esse adductum? Neque enim illam, quam scholia ferunt, causam fuisse opinor, ἵνα ἰαχώτερον ἐκδέξηται τὸ κάη. Aristarchus certe quin metricas in hac re secutus sit rationes, post La Rochii subtilem disputationem dubitari iam nequit. Augmentum enim syllabicum post tertii pedis caesuram, ubi fieri poterat, non admittebant; nempe ut iniucundam, quae eis videbatur, elisionem effugerent.[2]) Satis mirum est hanc superiorum grammaticorum rationem, quam plurimum ad textum constituendum valuisse nunc scimus, in scholiis nusquam commemorari; ipsi Herodiano plane ignota videtur fuisse. Quod nescio an uno hoc modo explicari possit, ut ipsum Aristarchum alios putemus nusquam in scriptis suis propriis verbis metricae mentionem fecisse; ipsi non certas et accurate definitas in metrica rationes praeceptaque habuisse existimandi sunt, sed nativo quodam iudicio et sensu instructi tales res tam subtiles et tenues auribus magis, ut ita dicam, quam ratione et scientia iudicasse. Haec metrica ratio quam late apud Ptolemaeum pateat, frustorum exiguitate prohibemur perspicere. Fortasse tamen merito suspicamur, nonnumquam inde causam repetendam esse, cur praepositionem a verbo modo distingui modo cum eo coniungi velit; crebro enim in hac re versatur saepeque nos quidem, quibus

---

[1]) cf. Didymi schol. *E* 136. *E* 695. *Θ* 23. *Θ* 389. *β* 222.

[2]) La Roche, homer. Textkr. p. 424. homer. Untersuch. Lpzg. 1869, p. 67 sqq.

causis ductus sit, prorsus nec docemur ab Herodiano nec ipsi cernimus. Ecce unum exemplum: constat Aristarchum caesuram bucolicam quae vocatur in Homeri carminibus fovisse et, ubi facillime disiungendis vocabulis restitui poterat, utique esse amplexum.[1]) Itaque quod Ptolemaeus *E* 332 *πόλεμον κάτα κοιρανέουσιν*, non *κατακοιρανέουσιν* scripsit, nonne versus causa eum id fecisse est credibile?[2])

Sed iterum iam ad coniecturas delapsum me esse sentio. Singula Ascalonitae praecepta omnia enumerare nolo; communia enim plurima habet cum aliis, maxime Aristarcho; neque igitur fructus ad ingenium eius aestimandum inde redundaret. Duo tamen necesse est separatim paucis attingere, quippe quibus a vulgo grammaticorum et ab ipso Aristarcho discrepare eum videamus: unum, quod ad pronomina[3]), alterum, quod ad praepositionum anastropham[4]) pertinet. Atque primum cum in summa de enclisi *pronominum personalium* inter veteres constaret, nempe pronomen enclisin admittere, ubi *ἁπλῆ ἐστι καὶ οὐκ ἔχει ἀντιδιαστολήν*, difficultatem praebebant ei loci, ubi cum *αὐτός* coniunctum exstabat. Legem invenerant grammatici, quam Herodianus utique valere censet, ut, ubi pronomen epitagmaticum post personale ponitur, hoc accentum servet, ubi epitagmaticum praecedit, res in dubio sit . cf. schol. *I* 680 Herodiani: *ἄλλως τε αἱ πρὸ τῆς αὐτός εἰσιν αἱ ὀρθοτονούμεναι, οὐχ αἱ μετὰ τὴν αὐτός.*[5]) Quam legem, quae prorsus, ut in externa re nixa, perversa est — neque enim ex sola

---

[1]) La Roche, homer. Untersuch. p. 86 sqq.

[2]) Valere hoc suspiceris etiam in *K* 242, ubi Ptolemaeus *κελεύετε μ' αὐτὸν ἑλέσθαι* (Alexio *κελεύετ' ἐμ' αὐτὸν ἑλέσθαι* vitiosa caesura versum deformans). Neque id eo infirmatur, quod *I* 426 ex contrario *ἐμεῦ ἀπομηνίσαντος* scribit, quamquam ibi quoque ipsa vocum distinctione caesura illa restitui possit; praevaluit ibi alia ratio, aliorum locorum similitudo.

[3]) De pronominibus personalibus Ptolemaeus agit *A* 396. *E* 252. *I* 342. *I* 680. *K* 242. *O* 226. *Π* 90. *T* 384. *Y* 105. *Φ* 159. Cramer A. P. III 6, 27. Apollon. de pron. p. 101 A. Bekk. = p. 78, 31 Schneider.

[4]) Loci, quibus Ptolemaei adnotationes de praepositionum anastropha sive admissa sive repudiata exstant, hi sunt: *B* 877. *B* 162. *B* 523. *B* 839. *E* 308. *K* 335. *Π* 669. *K* 18. *Π* 497. *Y* 53. *Ψ* 561. *Ψ* 718.

[5]) cf. Lehrs, quaestiones epicae, p. 112 sqq.

positione, sed ex sensu iudicandum erat — et cuius ipsi veteres quattuor exceptiones apud Homerum statuere cogebantur [1]), hanc inquam legem Ptolemaeus recte non agnoscit. Ob id reprehenditur ab Herodiano schol. *I* 680. Unum hoc (l. l.) observat: 'plerumque amare personalia cum appositivo coniuncta formam rectam' (Lehrs l. l.) In singulis locis diligenter circumspicit et argumenta e sensu et conexu iure repetit; itaque *O* 226 *ἀλλὰ τόδ' ἡμὲν ἐμοὶ πολὺ κέρδιον ἠδέ οἱ αὐτῷ* per enclisin *οἱ* proferri iubet, idque summo iure, sententiam spectans, cum Herodianus normae suae obsecutus *οἷ* scribendum censeat. — Sed hoc levius; illud vero gravius et quod libero iudicio semper usum esse Ptolemaeum ne Aristarchi quidem auctoritate praestrictum indicet: plerique, sicut etiam Apollonius et Herodianus, quemadmodum ab Aristarcho statutum erat, reflexiva pronomina *ἐμαυτοῦ σεαυτοῦ ἑαυτοῦ* nusquam apud Homerum coniuncta, sed disiuncta tantummodo occurrere asseverabant. [2]) Pauci dissentiebant, ut Zenodotus, qui *Α* 271 *ἐμωυτόν*, *Ξ* 162 *ἑωυτήν*, Diodorus Aristophaneus, qui *δ* 18 *καθ' αὑτούς* scripsisse traduntur. Eorum sententiam etiam Ptolemaeum amplexum esse Herodianus schol. *I* 342 et Apollonius de pron. p. 101 testes sunt. Scripsit enim is *αὑτόν μιν δ* 244, *αὑτόν δ* 247, *αὑτοῦ I* 342, *αὑτῆς β* 125. [3]) Fueritne Ascalonita etiam ex eis — suspiceris, si Apollonii verba spectas: *ἀλλὰ καὶ ἐφ' ἑνικῶν, ὡς ἂν ἀπαιτοῦντος τοῦ λόγου, ὑπὸ τῶν περὶ τὸν Ἀσκαλωνίτην ἐκεῖναι προσεπνεύσθησαν* —, qui eodem loco ab Apollonio notantur, qui illud vulgaris sermonis in Homerum inferebant, *αὑτῶν* de prima persona dictum: *αὑτῶν γὰρ ἀπωλόμεθ' ἀφραδίῃσιν* (*κ* 27) et *ὅς δέ μοι οἷος ἔην . εἴρυτο δὲ ἄστυ καὶ αὐτούς* (*Ω* 499), diiudicare non ausim.

Jam vero Ptolemaei de *praepositionum anastropha* doctrina duobus praeceptis ab Herodiano discrepat. Praepositio ei vocabulo, ad quod pertinet, postposita communi omnium grammaticorum consensu accentum retrahit. Retinet tamen accentum

---

[1]) exstant re vera multo plures, quas grammatici neglegentia omisisse videntur. cf. La Roche, homer. Unters. p. 140.

[2]) Lehrs, quaestt. ep., p. 114.

[3]) Ascalonitae rationi maxime *δ* 244 suffragari poterat, v. La Roche hom. Unters., p. 139.

— sic Herodianus et plerique praecipiebant —, si inter praepositionem et vocabulum, quod inde pendet, alia vocula intercedit.[1]) Hanc regulam Ptolemaeus ignoravit; admisit enim *E* 308 anastropham *ὦσε δ' ἄπο*, item *K* 335 *κρατὶ δ' ἔπι*, ubi bis Herodianus eum reicit, "*μεταξὺ γὰρ πέπτωκεν ὁ δέ.*" Consentit in hac re cum Ptolemaeo Nicias grammaticus (*K* 95). — Jam dissensio erat inter veteres de accentu, ubi praepositio inter duo substantiva vel inter substantivum et adiectivum posita erat. Aristarchus enim *τοῖς κυριωτέροις συνέταττε τὰς προθέσεις:* itaque cum inter nomen proprium et appellativum praepositio intercedit, proprio praecedente accentum retrahebat, praecedente appellativo retinebat; scripsit igitur *ποταμοῦ ἀπὸ Σελλήεντος* (schol. *B* 839). Idem praepositione inter substantivum et adiectivum posita, ubi substantivum sequitur, retinet, ubi adiectivum sequitur, retrahit accentum: *ποταμὸν πάρα δινήεντα*, schol. *ζ* 89. cll. *B* 877. *Γ* 240. Herodianus patrem secutus, utrumcumque vocabulum praecedit, utique accentum retrahendum censet, *ἵνα τῆς ὅλης συντάξεως προηγήσηται* (sc. *ἡ πρόθεσις*).[2]) Ptolemaeus autem, vel hac in re consentiente Nicia (cf. schol. *B* 839), "*πρὸς τὰ προσηγορικώτερα ποιούμενος τὰς συντάξεις*" (ibid.), ubi nomen proprium praecedit sequente appellativo vel substantivum sequente adiectivo, anastropham respuit: scribit igitur *Ξάνθῳ ἐπὶ δινήεντι, μάχῃ ἐνὶ κυδιανείρῃ* (schol. *B* 839), *Νέστορ' ἐπὶ πρῶτον* (*K* 18), *τρίποδος περὶ ποιητοῖο* (*Ψ* 718), *Ξάνθου ἀπὸ δινήεντος* (*B* 877); sed scribit *ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος* (*B* 839), *φίλης ἄπο πατρίδος αἴης* (*B* 162). Quibus rationibus haec grammaticorum nobilissimorum diversa praecepta niterentur, solita perspicuitate Lehrsius docuit.[3]) Ptolemaeus, ut Apollonius et

---

[1]) Lehrs, quaestt. ep., p. 75 sqq.

[2]) Io. Al. p. 26, 25. schol. *B* 839 *εἰ γὰρ δύο ὀνόματά ἐστι καθ' ἑνὸς ὑποκειμένου λαμβανόμενα καὶ σχεδὸν ἕν ἐστι τὸ ὅλον καὶ θέλει ἡ πρόθεσις προηγεῖσθαι* ('h. e. si proprium est praepositionis praeponi' Lehrs), *μέση δὲ παρείληπται καθ' ὑποταγήν, ὡς ὑποτεταγμένη ἀναστραφήσεται.* In breve contractum in schol. *B* 877: *πᾶσα πρόθεσις μεταξὺ κυρίου καὶ ἐπιθετικοῦ τῷ κυρίῳ ἕπεται κατὰ Ἀρίσταρχον, κατὰ δὲ Πτολεμαῖον τῷ προσηγορικῷ, κατὰ δὲ Ἀπολλώνιον πάντως ἀναστρέφεται.*

[3]) quaestt. ep. p. 81. 83 sq.

Herodianus, genuinam et propriam verborum collocationem hanc existimabat, ut adiectivum substantivo, appellativum nomini proprio antecederet: ἐνὶ κυδιανείρῃ μάχῃ, ἀπὸ ποταμοῦ Σελλήεντος. Contrarie Aristarchus. Jam ut Herodianus, ubi naturalis ordo mutatus erat, sive hoc sive illud vocabulum 'per hyperbaton' translatum erat, praepositionem praepostere positam esse censebat ob eamque rem retrahendum accentum: ita suo iure Ptolemaeus collegit, non praepostere poni praepositionem nisi post vocabulum προσηγορικώτερον poneretur neque, nisi id fieret, anastropham admitti posse. Praepositionem inter genetivum praecedentem et substantivum, e quo pendet ille genetivus, positam cum Herodiano retinere accentum statuebat.[1])

Restat, ut Ptolemaei reliquias colligam. In lectionibus eius afferendis sic egi, ut eas tantum commemorarem, quarum certa exstant documenta, omitterem eas multas, quas ex Ptolemaei praeceptis coniectare licet. Ea scholiorum frusta, de quorum auctore non propriis verbis monui, ex Herodianeis scholiis desumpta sunt.

I. Fragmenta libri περὶ προσῳδίας Ὁμηρικῆς.

A 41 τόδέ μοι: Πτολεμαῖος ἓν ποιῶν (i. e. τόδε) ἐπὶ τὸ το τίθησι τὴν ὀξεῖαν. Cramer A. P. III 121, 1.

cf. schol. h. l. Ἀρίσταρχος δύο μέρη λόγου τὸ τό δέ, Ἡρωδιανὸς ἕν. cf. *A* 228. 239. *Z* 146. *Λ* 409. La Roche, Textkr. 362 sqq.

A 93 οὔτ' ἄρ' ὅγ': οὐχ ὡς ὁ Ἀσκαλωνίτης μερίζει οὐ τε ἄρ, ἀλλὰ οὐ, εἶτα ταρ παραπληρωματικός. διατί; ἐπιφέρεται γὰρ ὁ δέ "οὐδ' ἑκατόμβης", οὐχὶ ὁ τε. Cramer A. Ox. I (Ep. Hom.) 415, 21.

cf. schol. h. l. Eandem rationem invenies schol. *A* 65. De particula ταρ cf. Lehrs quaestt. ep. p. 131. Cobet Mnemos.

---

[1]) schol. *Y* 53. *B* 523.

n. s. III p. 90. Scripseritne Ptolemaeus *τ' ἄρ* etiam duobus ceteris locis, ubi eadem dissensio fuit, *A* 8. *A* 65. in dubio est. La Roche, Textkr. p. 36a.

A 211. Πτολεμαῖος καὶ Σέλευκος ἐπὶ τὸ ὀνείδισον στίζειν ἀξιοῦσι καὶ ὑποστίζειν κατὰ τὸ τέλος τοῦ στίχου, ἵν' ᾖ τὸ λεγόμενον· ὥσπερ γὰρ ἔσται, οὕτω καὶ ἐρῶ. schol. A.

Scholion est Nicanoris. Ptolemaei interpunctionem commendat schol. B h. l. Nicanor duo huic sententiae obsistere censet: *τό τε ὑπέρβατον τοῦ γάρ* et *τὸ διλογεῖσθαι τὰ ἡμιστίχια ταῦτα.* Alia quoque affert Krauss, Rh. M 28, 489. Ceterum, quod Friedlaender Nican. p. 145 offendit in verbis: *μήποτε οὖν ἄμεινον στίζειν ἐπὶ τὸ τέλος τοῦ στίχου, ἵνα μὴ μόνον συμβουλεύῃ ἀλλὰ καὶ μαντεύηται* — quam offensionem Krauss removere studet frustra —, sic expediendum: Nicanor dicit — et dicit de versu 211, non de v. 211 et 212, quod Friedlaenderum fugit — Minervam non modo monere (*ὀνείδισον*) sed etiam vaticinari (*ὡς ἔσεταί περ*) hortationem suam expletum iri. Hoc alterum in Ptolemaei interpunctione non evenit.

A 216 sq. γελοῖος ὁ Πτολεμαῖος, ὅς αἰτίαν ἡγεῖται τῶν διαστολῶν (sc. post *κεχολωμένον* et *ἄμεινον*, ita ut v. 218 *ἀσυνδέτως* sequatur) *ἐνθάδε τὸ γνωμικῶς λέγεσθαι τὸν τελευταῖον στίχον.* A.

Est Nicanoris. Ptolemaei sententiam sequitur Herodianus, cf. schol. *A* 217 *γνωμικώτερον γὰρ τὸ τοιοῦτον εἴρηται.*

[*A 334 ἄσυλον καὶ θεῖον τὸ γένος τῶν κηρύκων. Ἑρμῆς γὰρ μιγεὶς Πανδρόσῳ τῇ Κέκροπος θυγατρὶ ἔσχε παῖδα ὀνόματι Κήρυκα, ἀφ' οὗ τὸ τῶν κηρύκων γένος, ὡς ἱστορεῖ Πτολεμαῖος.* A.

Cuius auctoris sit scholion et quis Ptolemaeus, incertum. cf. supra p. 24.]

A 396 Πτολεμαῖος συγκατατίθεται μὲν τῇ ἐγκλιτικῇ ἀναγνώσει, οὐ μὴν τῇ προκειμένῃ αἰτίᾳ [*σέο* orthotonumenon Aristarchus possessivum putaverat, ab hoc loco alienum], *εἴ γε ἤδη καὶ αὐτὸς ὁ Ἀρίσταρχος τὸ τοιοῦτο, φησί, παρεφύλασσεν, ὡς ὅτι ταῖς μὲν πρωτοτύποις οὕτως χρῆται κατὰ γενικήν, ἐμέο ἐμεῖο ἐμεῦ ἐμέθεν, ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ δευτέρου καὶ τρίτου, ταῖς δὲ κτητικαῖς ἤτοι ἐμοῖ*

ἢ ἐμοῖο, σοῦ σοῖο. ἐγίνετο οὖν, εἴπερ ἦν κτητική, σοῖο, ὥστε κἂν ὀρθοτονήσωμεν τὴν σέο, οὐ δύναται ἀμφίβολος καθίστασθαι. ἡ γὰρ γραφὴ διελέγχει ὅτι πρωτότυπός ἐστιν. ἐγένετο οὖν ἐγκλιτικὴ ἡ ἀνάγνωσις, ἐπειδήπερ ἁπλῆ ἐστι καὶ οὐκ ἔχει ἀντιδιαστολήν. A.

Tota est Ptolemaei disputatio. schol. B Aristarchum et Ptolemaeum confundit.

A 464 Πτολεμαῖος τὸ ε̄ τελευταῖον λαμβάνει τοῦ μῆρε, ἵνα ἰακώτερον ἐκδέξηται τὸ κάη. A.

Idem Et. M. 585, 23. Miller, mélanges p. 179. Et. Gud. p. 304, 55 plenius: Πτολεμαῖος ἐν τελευταίῳ [lege τὸ ε̄ τελευταῖον] παραλαμβάνει τοῦ [om. cod.] μῆρε, ἵνα ἰωνικῶς ἐκάη [an κάη?], μεταπλασμὸν γὰρ λέγει ἐκ τοῦ μῆρα μῆρε, ὡς τὸ ὄσσα ὄσσε καὶ ὀψά ὀψέ. Item Et. M. 1417, 31 (E). Alii ὄσσε non metaplasmum sed dualem ex ὄσσεε κατὰ ἀφαίρεσιν pronuntiatum crediderunt, cf. schol. B *A* 104; inter quos etiam Herodianus videtur fuisse: Eustath. 1446, 24. Lentz Herod. II p. 245 fr. 213a.

A 465 Πτολεμαῖος ὡς τἄργα τἄλλα (cod. τἄργ' ἄλλα). A. Herodianus scilicet et paradosis τ' ἄλλα legebant, τε expletivum accipientes.

A 554 ὁ μὲν Πτολεμαῖος δασύνει (sc. τὸ ἅσσ'), τρία λέγων σημαίνειν τὸ ασσα, τό τε ἅτινα καὶ ὅσα καὶ τινά. καὶ ὅτε μὲν ἰσοδυναμεῖ τῷ ἅτινα, δασύνεται. ἀλλὰ καὶ ὅτε τῷ ὅσα, ὡς ἐπὶ τοῦ "ἅσσ' ἂν ἐμοί περ αὐτῇ" ε 188. ψιλοῖ δὲ ὅτε ἐπὶ τοῦ τινά παραλαμβάνεται. A.

Easdem tres significationes iam Aristarchus statuerat: Et. M. 157, 45, et statuit Herodianus, qui tamen putabant ὅτι ἀεὶ ψιλοῦται πλὴν τοῦ ὅτε δηλοῖ τὸ ἅτινα. Itaque hoc loco falso scribunt ἄσσα leni spiritu, quod δηλοῖ τὸ ὅσα, cf. schol. B.

A 579 ὁ Πτολεμαῖος ἡμῖν ἀντὶ τοῦ ἡμῶν, ὁ δὲ Ἀρίσταρχος ἥμιν. Cramer A. P. III 6, 27. ἥμιν scripsi pro ἡμῖν. La Roche, Textkr. 275. cf. schol. A h. l. πιθανώτερον ὀξύνειν τὴν πρώτην τοῦ ἥμιν καὶ ἐκτείνειν τὴν τελευταίαν.

B 162 φίλης ἀπὸ πατρίδος αἴης: οὐκ ἀναστρεπτέον τὴν πρόθεσιν, ὡς Τυραννίων καὶ Πτολεμαῖος. A.

cf. supra p. 38. De Herodiani praecepto τότε γὰρ

οὐκ ἀναστρέφεται ὅτι δηλοῦσα τὴν ἄποθεν συντάσσεται γενικῇ, μὴ πιπτουσῶν μεταξὺ ἄλλων λέξεων (schol. Σ 64) cf. Lehrs, qu. ep. 94.

B 368 Πτολεμαῖος περισπᾷ τὸν ῆ, διαπορητικὸν ἐκδεχόμενος. A. B.

cf. § 149. Lehrs qu. ep. p. 51. 61.

B 427 Πτολεμαῖος ἀπὸ τοῦ κ τὴν ἀρχὴν ποιεῖται, μῆρε παραλαμβάνων, εἶτα κάη, ἵνα, φησὶν, ἰωνικώτερον γένηται. A.

cf. schol. *Α* 464.

B 523 πηγῆς ἔπι: Πτολεμαῖος ἀναστρέφει καὶ Πάμφιλος. A. cf. supra p. 38.

B 592 ἐύκτιτον Αἰπύ: Πτολεμαῖός φησι μὲν κύριον εἶναι τὸ αἰπύ, οὐ μὴν συγκατατίθεται τῷ τόνῳ (sc. barytonesei), φάσκων ὡς ὅτι πολλαὶ πόλεις ὁμοφωνοῦσι προσηγορικοῖς, Ἕλος Αἰγιαλός. A.

Aristarchus oxytonon id esse voluerat, Herodianus rem in dubio relinquit. cf. Lehrs, Arist.[2] p. 292 sqq. Gravari id iubet Et. M. 37, 28.

B 662 κατέκτα: Πτολεμαῖός φησιν ὁ Ἀσκαλωνίτης Ἀρίσταρχον ἀνεγνωκέναι ὁμοίως τῷ "ἔκτα σὺν οὐλομένῃ ἀλόχῳ" (λ 410) κατὰ συστολήν, Τυραννίων δὲ κατ' ἔκτασιν. A.

Herodianus Tyrannioni assentitur: nam verisimile esse Aristarchum aeque scripsisse ac *Δ* 319 κατέκταν producta littera ᾱ, cf schol. l. l. At Ptolemaeus recte iudicasse putandus est, si spectas Aristonici adnotationem *O* 432 (cf. supra p. 15). Multi enim apocopam esse formae ἔκτανε volebant: schol. B h. l. *Z* 205. α 300. Ceterum Aristarchus sibi non constitit, modo ut videtur imperfectum oblitterati cuiusdam verbi κτῆμι modo aoristum esse ratus: Lobeck elem. II 274 sq. schol. α 300. Curtius Verbum I[2] p. 192.

B 765 οἰέτεας proparoxytonon Ptolemaeus esse iusserat. v. schol. *Ψ* 266.

B 765 σταφυλήν ὀξυτονηθὲν ὡς ἀλκήν, καὶ σταφύλην βαρυτόνως ὡς Μελίτην, διαφέρειν φησὶ Πτολεμαῖος ἐν δευτέρᾳ (?) περὶ τῶν ἐν Ὀδυσσείᾳ προσῳδιῶν. τὸ μὲν γὰρ βαρυτονούμενόν φησιν ὄνομα ἐπὶ τῆς καθιεμένης μολύβδου παρὰ τοῖς ἀρχιτέκτοσι τίθεται · τὸ δὲ ὀξυτονούμενον

ἐπὶ ὀπώρας. ὁ αὐτὸς πάλιν ἐν δευτέρᾳ τῶν ἐν Ἰλιάδι προσῳδιῶν κατὰ λέξιν φησὶν οὕτως. 'σταφύλῃ ἐπὶ νῶτον ἐΐσας.' Σταφύλη βαρυτόνως ὡς Νιόβη, οὐ γάρ ἐστιν ὅμοιον τῷ συκῇ. τοῦτο γὰρ διαιρεῖται, συκέη· ἐκεῖνο δὲ οὐ διαιρεῖται. Ammon. v. σταφυλή.

Hinc Et. M. 742, 44 fluxit. Eustath. h. l. addit λέγει δ' ὁ Πτολ. τοῦτο διὰ τὸ μηδὲ τὴν ὀπώραν τὴν σταφυλήν δεῖν ὀξύνεσθαι ἀλλὰ περισπᾶσθαι; quae aut corrupta sunt aut sic tortuose explicanda: dicit hoc Ptolemaeus respiciens aliorum sententiam, qui σταφυλή perispomenon esse putant. Omnino quae sequuntur apud Eust., prorsus falsa sunt, errore ut videtur ipsius Eustathii.

B 839 ποταμοῦ ἀπὸ Σελλήεντος: Πτολεμαῖος ὁ Ἀσκαλωνίτης ἀναστρέφει, πρὸς τὰ προσηγορικώτερα ποιούμενος τὰς συντάξεις, ὁμοίως καὶ Νικίας. οὐκέτι μέντοι ἐπὶ τοῦ "Ξάνθῳ ἐπὶ δινήεντι" (*E* 479), "μάχῃ ἐνὶ κυδιανείρῃ" (*Z* 124), ἐπιφέρετο γὰρ τὰ προσηγορικώτερα. A.

cf. p. 38.

B 877 πᾶσα πρόθεσις μεταξὺ κυρίου καὶ ἐπιθετικοῦ τῷ κυρίῳ ἕπεται κατὰ Ἀρίσταρχον, κατὰ δὲ Πτολεμαῖον τῷ προσηγορικῷ, κατὰ δὲ Ἀπολλώνιον πάντως ἀναστρέφεται. A. B. Eust. h. l.

Γ 1 αὐτάρ: τὰ εἰς ρ̄ λήγοντα μετὰ βραχείας μόρια βαρύτονά ἐστι καὶ διὰ τοῦτο τοῦ πατήρ ἡ κλητικὴ ἐβαρύνθη ἐν τῷ πάτερ καὶ τοῖς παραπλησίοις, καὶ οὐκ ἄλογος ἡ ἀνάγνωσις Πτολεμαίου τοῦ ἀναλογητικοῦ ἐν τῷ "αὔταρ ἐπεὶ κόσμηθεν" βαρύνοντος τὸ τέλος. Apollon. de coni. p. 508, 6 Bekker = 241, 14 Schneider.

De significatione ἀναλογητικός v. supra p. 30. cf. schol. h. l., ubi Callimachus ὀξυτόνως legisse traditur, οἱ δὲ βαρυτόνως λόγῳ τῷδε. πᾶσα λέξις εἰς ᾱρ λήγουσα βαρύνεται. Opponit Herodianus suum canonem, qui praecipit: καθόλου οἱ συμπλεκτικοὶ ὀξύνονται excepto ἤτοι. cf. Et. Gud. 94, 4. Et. M. 272, 27. Jam eadem dissensio, quae in αὐτάρ, erat in ἀτάρ, quod Tyrannio gravabat: Cramer Epim. Hom. 67, 15. A. Par. III 8 15. La Roche Textkrit. p. 212.

Γ 35 οὐδέτερόν ἐστι τὸ παρειά. ὁ δὲ Ἴξίων δυϊκῶς ἀναγινώσκει καὶ ἐκτάσει τοῦ ᾱ παρειά. λέγει δὲ ὁ Ἀσκαλωνί-

της · οὐκ ἔστιν εὑρέσθαι ἐπὶ θηλυκῶν ὀνομάτων παρὰ τῷ ποιητῇ τοῦτο δυϊκόν. προσέθηκε δὲ ἐπὶ ὀνομάτων διὰ τὸ "γηθήσει προφανεῖσα ἀνὰ πτολέμοιο γεφύρας" (*Θ* 378). Cramer A. O. I (Epim.) 373, 16.

Neutrum igitur putavit cum Herodiano, metaplasmo ortum. schol. *Γ* 35. Et. M. 653, 26. De tota quaestione cf. La Roche, Textkr. 332 sq.

Γ 198 οἴων: Ἀρίσταρχος δισυλλάβως ὡς αἰγῶν, καὶ Πτολεμαῖος ὁ Ἀσκαλ. . . . . . ὁ μέντοι Πτολεμαῖος οὐχ ὑγιὲς αἴτιον ἐπιφέρει τῆς δισυλλάβου ἀναγνώσεως · φησὶ γὰρ ὅτι ἡ εὐθεῖα μονοσύλλαβός ἐστιν, οἷς ὡς αἶξ. A.

Ad verbum recurrit ap. Et. M. 620, 24. Idem fere Zonar. p. 1431.

Cramer Ep. Hom. 321, 11 *Ἀρίσταρχος καὶ Πτολεμαῖος ὁ Ἀσκαλ. ὁ μὲν ἐν διαστάσει* (sc. *οἰῶν*), *ὁ δὲ ἐν συλλήψει.* Quae prorsus scholio *Γ* 198 repugnant, ubi Aristarchum *δισυλλάβως* legisse Herodianus tradit. Scribendum igitur *Ἀριστόνικος*, cll. schol. h. l. *Ἀριστόνικος δὲ τρισυλλάβως.* Putabat Aristarchus poetam ob metrum solum usurpare trisyllabas formas, sed si optio data esset, revertisse ad usum loquendi patrium, i. e. Atticum. Lobek el. II 18 sq.

Δ 212 Νικίας καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης κυκλόσε, ὡς "πόσε φεύγετε." A. La Roche Textkr. 304.

Δ 235 Ἀρίσταρχος ἀναγινώσκει ψευδέσσι ὡς σαφέσσι, ... οὕτως δὲ καὶ Πτολεμαῖος ὁ Ἀσκαλ. συγκατατιθέμενος (Bekker, cod. *-τίθεται*) *Ἀριστάρχῳ.* A.

Δ 243 ἔστητε: Πτολεμαῖος ψιλοῖ, ἐπεὶ γίνεται στῆτε, τὸ δὲ ἀποπῖπτον ε̄ ψιλοῦται. A.

Δ 308 πόλεας: οὕτως Ἀρίσταρχος προπαροξύνει καὶ ἐπὶ τῶν πόλεων τὸ σημαινόμενον ἐκδέχεται, ᾧ συγκατατίθεται ὁ Ἀσκαλωνίτης λέγων, ὅτι καὶ διὰ τοῦ ε̄ οἶδεν ὁ ποιητὴς τὴν χρῆσιν καὶ διὰ ῑ. A.

Δ 452 χείμαῤῥοι: Πτολεμαῖος ὁ Ἀσκαλ. παροξύνει, ἐπεὶ τὸ ἑνικόν ἐστι χειμάῤῥους. A. cf. Eust. 496, 31.

De forma vocis cf. Fritzsch, Curtius' Studien VI, 107, 6. Veterum de voce doctrinam exposuit Lobeck el. I 316 cll. II. 137.

Δ 539 ὁ Ἀσκαλωνίτης βαρύνει τὴν οὔ ἀπόφασιν, οὐκέτι, ἵνα ᾖ τὸ ἑξῆς ἀρχὴ ἔτι. A.

Videtur mihi post ἑξῆς aliquid excidisse, fortasse tale quid: ἀρχὴν μὲν ἂν ὀνόσαιτο, νῦν δὲ οὐκέτι. Fortasse Ptolemaeus propterea vulgatam σὔ μέ τι repudiabat, ut κε particulam iniucunde repetitam vitaret.

E 31 Ἆρες Ἄρες: ὁ Πτολεμαῖος καὶ ἡ παράδοσις διὰ μείζω ἔμφασιν κύριον καὶ τὸ δεύτερον Ἄρες παραλαμβάνει. Eustath.

Scilicet Ixio, cum nusquam vocativus geminetur, alterum ἀρές pro adiectivo βλαπτικέ accipi iusserat. (cf. schol. h. l.) Cui immerito assentitur J. Bekker, homer. Blätter I 194 sq.

E 39 Ὀδίον: Πτολεμαῖος κἂν τῇ Ὀδυσσείᾳ (*ϑ* 370) ἀνεγίνωσκεν „Ἀλκίνοον δ' Ἀλίον", πρὸ τέλους ποιῶν τὴν ὀξεῖαν. A.

Scripsit igitur Ὀδίον, cum Herodiano consentiens; qui tamen traditioni cedens Ἄλιον proparoxytonon esse vult, schol. *ϑ* 119. Eust. 1538, 33. cf. Lehrs Arist.[2] p. 269.

E 76 Εὐαιμονίδης: ψιλοῖ ὁ Ἀσκαλωνίτης (sc. Εὐαίμονίδης), ἵνα κύριον γένηται ὥσπερ καὶ τὸ Φίλιππος καὶ τὸ Μελάνιππος. A.

cf. Eust. h. l. Lehrs Herod. p. 227. Lehrs Arist.[2], p. 317.

E 138 ὑπεράλμενον: ὁ Ἀσκαλωνίτης ἓν ἐποίει. A.

E 142 Ptolemaeus scripsit ἐξ' ἅλλεται. v. schol. *λ* 134.

cf. schol. A h. l.: ἔνιοι τὸ ἐξ ἀντὶ τοῦ ἔξω ἀκούουσιν· ἔξω ὢν βαθέης αὐλῆς ἅλλεται εἰς τὸ ἐντός.

E 158 χηρωσταί: ὡς ἀθληταί· οὕτως καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης. A.

De Herodiani canone v. praeter h. l. Et. M. 436, 8. Aliter sentiebat Heraclides teste Eust. 1724, et, ut videtur, Tyrannio: is certe ὠμῆσται et ἑεδνῶται scripsisse fertur: *X* 67. *Δ* 454. *N* 382. Ceterum de hac voce cf. Nauck, Arist. Byz. p. 150 et ibid. nota 51.

E 252 οὐδὲ σέ: ὁ Ἀσκαλωνίτης τὸν δέ ὀξύνει, ἵνα ἐγκλιτικῶς ἀναγνῷ. A.

Recte contra dicit Herodianus: ἀλλ' ὀρθοτονεῖν, καὶ γὰρ δύναται συνδεδέσθαι, h. l. potest pronomen epitagmaticum αὐτός adici, unde apparet urgendum esse σέ.

E 269 θήλεας: τρίτη ἀπὸ τέλους ἡ ὀξεῖα, ἵν' ἀπ' εὐθείας

τῆς θῆλυς ἢ κεκλιμένον . . . . οὕτως Ἀρίσταρχος καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης. A.

Hellanicus malebat *θηλέας*, cf. Aristonic. ad h. l. De formatione cf. schol. *I* 97. Herod. *π. μονήρ. λ.* 32, 33· v. *πολύς*. Cramer Epim. 147. Lentz I 237, 1.

E 297 ὁ Ἀσκαλωνίτης συνάπτει, ὥστε ἐπὶ τοῦ Αἰνείου κεῖσθαι τὸ σὺν ἀσπίδι δορί τε μακρῷ. A.

E 299 ἀλκί ὡς σαρκί . . . . εἴτε ἀπ' εὐθείας τῆς ἄλξ πεποίηται ὡς οἴεται ὁ Ἀσκαλωνίτης. A.

ἄλξ habet etiam Apollon. Soph., Hesych. v. *ἀλκί*. Et. M. 66, 3 (ubi res in incerto relinquitur), Eust. p. 1136, 19. 1254, 6. Zonar. p. 127. Cramer Ep. 65, 11 (Lentz II 205.)

E 308 ὦσε δ' ἀπό: οὐχ ὡς οἴεται ὁ Ἀσκαλωνίτης, ἀναστραφήσεται ἡ πρόθεσις. A.

cf. supra p. 38.

E 332 πόλεμον κατακοιρανέουσιν; ὁ Ἀσκαλωνίτης ἀναστρέφει, ἵνα γένηται κατὰ πόλεμον. A.

E 334 τὸ πλῆρές ἐστι δή ῥα, οὐχ ὡς οἴεται ὁ Ἀσκαλωνίτης ὅτι τὸ δή ἐπλεόνασε τῷ ρ̄ · διὸ βαρύνει. A.

E 352 ἀλύουσ': ὁ Ἀσκαλωνίτης δασύνει τὸ ἀλύεις τὸ ἐπιχαίρεις (σ 333), *τὸ δὲ ἀλύουσα ἀντὶ τοῦ λύσιν οὐχ εὑρίσκουσα τῶν δεινῶν.* LV.

Hic igitur leni spiritu scripsit. Eustath. h. l. Occurrit ridicula Ptolemaei etymologia etiam Et. M. v. *ἀλύω*. *Συναγωγὴ λέξ. χρησ.* ap. Bachmann An. Gr. I p. 71 (Bekker A. Gr. I 380, 20). Herodianus ubique lenem spiritum videtur praetulisse. La Roche, Textkr. p. 187.

E 359 τὸ φίλε ἐκτείνει καὶ ἐνταῦθα τὸ τῆς ἀρχούσης δίχρονον . . . . διὸ καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης, φασί, περιέσπα τὸ φι. Eust. h. l. cf. Et. M. 794, 12.

E 461 ἡ κοινή, ᾗ συντίθεται καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης, Τρῶας ὡς Κᾶρας καὶ τὸ ἑξῆς οὕτως· Τρῶας δὲ Ἄρης ὤτρυνε στίχας μετελθών, ἀντὶ τοῦ περιβὰς τὰς τάξεις. ἢ οὕτως· τοὺς Τρῶας μετελθὼν ὁ Ἄρης τὰς στίχας ὤτρυνε. LV.

La Roche, Textkr. 227. homer. Unters. 214 sq.

E 465 ἐς τί ἔτι: οὐχ ὡς οἴεται ὁ Ἀσκαλωνίτης ἓν ἐστιν. Et. M. 382, 12.

cf. schol. h. l., ubi idem perversae scripturae ἔστι vestigium exstat.

E 479 scripsit Ξάνθῳ ἐπὶ δινήεντι, anastropham respuens. v. schol. *B* 839.

E 656 ἁμαρτῇ: περισπᾷ καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης. A.

Aristarchus ex ἁμαρτήδην id mutilatum putans acuto notat et ι subscriptum eicit. Herodianus Ptolemaeum sequitur ob tralaticiae scripturae auctoritatem et canonem adverbiorum in ῆ. schol. *Φ* 162. Et. M. 78, 20. Et. Gud. 42, 7. Zonar. 164. cf. La Roche Textkr, 188 sq. Zeitschrift für österr. Gymnasien 1863 p. 327. homer. Unters. 180 sq. Lehrs Arist.[2] p. 301.

E 887 τὸ ζῶς ὁ Ἀσκαλωνίτης ἀξιοῖ περισπᾶν, οὐχ ὑγιῶς ..... εἰ δὲ ὁ Ἀσκαλ. περισπώμενον (περισπώμενον add. Lehrs) ἀξιοῖ αὐτὸ ἐκ τοῦ ζωός, ἴστω ὅτι τὸ μὲν προκείμενον (sc. σάος) βαρύτονον ἦν, ἔνθεν περιεσπᾶτο τὸ σῶς· τὸ δὲ ζώς ἐξ ὀξυνομένου, ὥς φησι, τοῦ ζωός γενόμενον δεῖ (Lehrs, cod. δὲ) ὀξύνειν. A.

Transiit in Et. M. 413, 30. Eust. 618, 11. Mirum est argumentum Ptolemaei ex contractione sumptum; ignorasse eum incredibile est tritum illud praeceptum, ὅτι τὰ ἐκ βαρείας καὶ ὀξείας πάλιν ὀξύνονται (cf. Sylburg ad Et. M. l. l.) Plurimum nimirum valuit vocis σῶς similitudo. De recta scriptura ζώς et ζών cf. Mangold, Curtius' Studien VI 200 sq. Alia testimonia, quibus per syncopam aut per synaloephen ζώς natum esse dicunt, v. ap. Lobeck. el. I 301 sq. II 120. paralipp. 88. — La Roche Textkr. 264.

Z 124 Ptolemaeus μάχῃ ἔνι κυδιανείρῃ, anastropha non admissa. v. *B* 839.

Z 239 ἔτας: ὁ Ἀσκαλωνίτης ψιλοῖ, ἐφ' οὗ ἂν τάσσηται, φησί, σημαινομένου. πολλὰ γὰρ ἡ λέξις σημαίνει· εἰ δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἑταίρων, φησί, πάλιν ψιλωτέον, ἐπεὶ συγκοπὴ ἐγένετο ὡς ἀπὸ τοῦ ἥλατο ἆλτο· πιθανώτερον δέ ἐστι, φησίν, ἐνθάδε ἀκούειν ἐπὶ τῶν συγγενῶν. A.

Eust. h. l.: Alexio aspero notat ὡς ἀπὸ τοῦ ἑταῖρος συγκοπέν. Aristarchus vacillat. Herodianus lenem spiritum commendat. Et. M. 386, 44. Et. Gud. 170, 22. schol. *δ* 3, *δ* 16. Quod Ptolemaeus de syncopa ex ἑταῖρος argutatur,

rem prorsus invertit. Sed est hoc usitatum veterum vitium; ut Et. M. 687, 3 πρέσβα ἀπὸ τοῦ πρέσβειρα ortum voluerunt; cuius rationis multa exempla ap. Lobeck. el. II 273 sqq. Immo pluralem ἔται etiam facilius derivari posse veteres intellexerunt, cum simpliciter ἑταῖροι ultimam syllabam abiciat: schol. *I* 464!

Z 260 *δέ κ' αὐτός: ὅσοι ἡγοῦνται ἐγκεῖσθαι τὸν κε ἐγκλιτικὸν, ῥωννύουσι τοῦ δέ τὴν ὀξεῖαν, ὡς καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης· οὕτως γὰρ καὶ ἐν τῇ Ὀδυσσείᾳ* (γ 255) *ἀναγινώσκει.* A.

cf. Aristonic. ad *Y* 311. Herod. γ 255. Herodianus Ptolemaeum sequitur, κε, non καί, inesse vatus. Falsa 'sed est hic sive error sive opinio omnium Aristarcheorum', Polak, ad Odysseam eiusque scholiastas curae secundae, p. 49 sq. — La Roche, Unters. 285.

Z 268 *εὐχετάασθαι: Ἀρίσταρχος τὸ δεύτερον ᾱ συστέλλει καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης.* A.

Idem sentit Herodianus, analogiam λέγεσθαι ἵστασθαι secutus. Quod mireris, cum prorsus diverse de activi formis distractis verborum in αω censeat, cf. *E* 256. Lentz II p. 307 fin.

Z 319 *οἱ μὲν διαιροῦσιν, ἔχεν, εἶτα δεκάπηχυ· οἱ δὲ ἐνδεκάπηχυ. ὁ μὲν οὖν Ἀσκαλωνίτης οὐδεμίαν προκρίνει.* A.

Z 357 *οἷσιν ἐπὶ Ζεὺς θῆκε: ὁ Ἀσκαλωνίτης ἀναστρέφει, ἵν' ᾖ ἐφ' οἷς.* A.

Z 465 *πρίν γέ τι: οὐχ ὑγιῶς ὁ Πτολεμαῖος οἴεται συναλοιφὴν εἶναι* (h. e. γ' ἔτι). A.

H 63 *πόντον ἔπι φρίξ: ὁ Ἀσκαλωνίτης ἀναστρέφει πόντον ἔπι.* A.

H 64 *μελάνει: ὡς οἰδάνει ὁ Ἀσκαλωνίτης, ἐκ γὰρ τοῦ μελαίνω, φησίν, ἐνδείᾳ τοῦ ῐ ἐγένετο.* A.

Similia schol. B h. l. schol. *I* 554. η 221. *Ξ* 73. Lentz II 277. Lobeck Rhem. 235 de μελάνω cum Herodiano facit, cui non assentitur Curtius Verbum I², 265. cf. id. I² 369. 264.

H 177 *ὁ Ἀσκαλωνίτης διαστέλλει ἰδὲ χεῖρας ἀνέσχον ὡς "ἰδὲ κλέος ἐσθλὸν ἄροιτο"* (*E* 3), *ἵνα γένηται καὶ χεῖρας ἀνέσχον.* A.

Alii θεοῖσι δέ. Ptolemaeus θεοῖσι ad ἠρήσαντο refert.

Θ 233 *ἀνθ' ἑκατόν: ὁ Ἀσκαλωνίτης ἀντὶ ἑκατόν ἐκδέχεται*

τὸ πλῆρες. λέγει μὲν οὖν· τότε μὲν ἀνθ' ἑκατὸν, νῦν δὲ οὐδενὸς λόγου ἄξιοι εἰ μὲν Ἕκτορος (scribe οὐδ' ἑνὸς ἄξιοί εἰμεν sive ἔσμεν Ἕκτορος). Cramer A. Ox. II 466, 18. Lehrs Arist.[2] p. 114. La Roche, Unters. 120.

Θ 240 δημόν Ἀρίσταρχος κατ' ὀξεῖαν τάσιν ἐπὶ τοῦ λίπους· τὸ γὰρ ἐπὶ τοῦ πλήθους βαρύνεται. οὕτως καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης, λέγων τὸ μὲν παρὰ τὸ δέμας γεγενῆσθαι, οἱονεὶ σῶμά τι τυγχάνον, ἢ παρὰ τὸν δασμόν· τὸ δὲ ἐπὶ τοῦ λίπους παρὰ τὸ δαίω· εὔκαυστον γὰρ τὸ λίπος. A.

cf. Hesych. s. v. Et. M. 264, 41. 265, 3. Mangold, Curtius' Studien VI 403 sq. Curtius Etymol.[5] p. 231.

Θ 328 χείρ: ὁ Ἀσκαλωνίτης ὀξύνει καὶ εὐθεῖαν παραλαμβάνει (alii scilicet χεῖρ'), ἵνα καὶ σχῆμα γένηται. A.

Θ 378 scripsit προφανεῖσα. v. Cramer Ep. 373, 16 (supra ad *Γ* 35). cf. La Roche, Textkr. 387.

I 6 ἄμυδις: ὁ Ἀσκαλωνίτης καὶ οἱ περὶ Ἀλεξίωνα ψιλοῦσιν, πολὺ δὲ πρότερον καὶ οἱ περὶ Ἀρίσταρχον, καθότι, φασὶ, φιλεῖ πως τὰ ἀπὸ δασέων (cod. add. πως, quod delet Lehrs) πολλάκις μετασχηματιζόμενα ψιλοῦσθαι, ἡμέρα ἦμαρ, ἡδονή ἦδος. A.

cf. Et. M. 420, 24. Et. Gud., Et. Or. s. v. Zonar, p. 165. schol. *Α* 576. *Υ* 114. *δ* 659.

I 7 παρέξ: ἐνθάδε ἡγεῖται ὁ Ἀσκαλωνίτης παρέλκειν τὴν παρά, ἵν' ᾖ ἔξαλος (Lehrs, cod. ἐξ ἁλός). A.

Recte colligit Lehrs, Ptolemaeum ἔξαλα adverbiali significatione positum voluisse.

I 206 κρεῖον: ὁ Πτολεμαῖος (sc. λέγει αὐτὸ εἶναι) τὸν ἀπὸ στέατος πλακοῦντα. Et. Gud. 344, 11.

Idem exstat Et. M. 536, 54. Duobus in etymologicis Πτολέμαχος nomen exhibetur; qui grammaticus ignotus est; sine dubio cum Lentzio Πτολεμαῖος scribendum. ceterum cf. schol. h. l.

I 236 ἐνδέξια: ὁ Ἀσκαλωνίτης κατὰ παρολκὴν παραλαμβάνει τὴν ἐν πρόθεσιν, ὥστε εἶναι δεξιὰ σήματα φαίνων. A.

Scripsit igitur ἐν δεξιά, Aristarchus et Herodianus ἐνδέξια. cf. *Η* 184. Et. M. 338, 43. Hesych. s. v. schol. *ρ* 365. Similiter de περιδέξιος *Φ* 163.

I 321 ὁ Ἀσκαλωνίτης δύο ποιεῖ, περὶ, εἶτα κεῖται, καὶ προπερισπᾷ, σημαίνει δὲ, φησὶ, τὸ περισσῶς κεῖται. A.

I 342 τὴν αὐτοῦ φιλέει: ὁ Ἀσκαλωνίτης δασύνει [νομίζων τὸ πλῆρες εἶναι ἑαυτοῦ, ἀγνοῶν ὅτι Ὅμηρος οὐδέποτε συνδέτῳ κέχρηται ἀντωνυμίᾳ recte addit V codex] σύνδετον ἐκδεχόμενος τὴν ἀντωνυμίαν. A.

cf. supra p. 37. Apoll. de pron. p. 101 A.

I 393 σόωσι: ἡ πλείων χρῆσις, ὧν ἐστι καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης, ὡς σώζωσι · καὶ δῆλον ὅτι τοῦ σώωσι συστολὴν αὐτοὺς δεῖ παραδέξασθαι. A.

cf. Didymum ad *I* 681. La Roche, Textkr. p. 359. Verbum σόω a grammaticis inventum est: Curtius Verbum II 372 sq. Mangold Curtius' Studien VI, 199 sq.

I 426 ἀπομηνίσαντος: ἕν ἐστιν ὡς ἀπομανέντος · καὶ γὰρ τὴν εὐθεῖαν οὕτως οἶδεν *B* 772. οὕτως οἶδε καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης καὶ Ἀλεξίων. A.

I 614 ὁ Ἀσκαλωνίτης ἀναγινώσκει ἵνα μὴ 'μοὶ, τὰς δύο βαρυτόνως, οἷον ἵνα μὴ ἐμοὶ κατ' ὀρθὴν τάσιν. συγκριτικὴ γάρ ἐστι, φησὶν, ὡς πρὸς τὸν Ἀγαμέμνονα. A.

Lehrs quaestt. ep. 112, ubi alia talis craseos exempla afferuntur. Nos potius scriberemus μὴ ἐμοὶ et per synizesin legeremus; cf. autem de hac crasi Aristarchi notissimum illud Πηλειδῆθελε (*A* 277). Alia vide ap. La Roche, Unters. 282.

I 680 αὐτόν σε: ὁ Ἀσκαλωνίτης ὀρθοτονεῖ τὴν σέ, ἐπεὶ, φησὶν, ἀεὶ μετὰ τῆς ἐπιταγματικῆς αἱ πρωτότυποι φιλοῦσιν ὀρθοτονεῖσθαι. A.

v. p. 37. La Roche, Untersuch. 143.

K 18 Νέστορ' ἐπὶ πρῶτον: πιθανώτερόν ἐστι τὸ ἀκόλουθον φυλάττοντες ἀναγινώσκειν ἐπὶ πρῶτον Νέστορα. οὕτως ὁ Ἀσκαλωνίτης. A.

v. p. 38 sq.

K 25 αὐτῷ: ὁ Ἀσκαλωνίτης τὸν αὖ σύνδεσμον παραλαμβάνει καὶ τὸ τῷ ἰσοδυναμοῦν τῷ τούτῳ, ὁμοίως τῷ "τοῦδ' αὖ τοῦ λυκάβαντος" (ξ 161). A.

K 134 οὔλη ὡς κούρη . . . . . τούτῳ συγκατατίθεται καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης. A. Cramer A. O. II 461, 16. I 442 nota.

cf. Et. M. 392, 49. 640, 48. schol. *I* 26. Lehrs Arist.[2] p. 298.

K 242 *κελεύετέ μ' αὐτόν:* ὁ *Ἀσκαλωνίτης καὶ Ἀρίσταρχος ἐγκλιτικῶς ἀνεγνώκασιν, ἐπὶ τὴν τε συλλαβὴν* (Bekk., cod. *τὸν τε σύνδεσμον*) *ποιοῦντες τὴν ὀξεῖαν, ἵνα μὴ ὡς ἀκατάλληλον φανῇ τὸ ἐμαυτὸν ἑλέσθαι.* A.

K 246 *ἑσπομένοιο: δύναται καὶ σπομένοιο, ὥς φησιν ὁ Ἀσκαλωνίτης.* A.

K 266. *Ἐλεῶνος: ὁ Ἀσκαλωνίτης φησὶ δασύνεσθαι.* A.

Historiae obsecutus, cf. Lehrs, Arist.[2] p. 262 § 6.

K 335 *ἐπί: ὁ Ἀσκαλωνίτης ἀναστρέφει, ἵνα γένηται ἐπὶ κρατί.* A. v. p. 37. Ascalonita etiam spectatur schol. *K* 351: *ἐπί : οὐδὲ ἐνθάδε ἀναστρεπτέον · μεταξὺ γὰρ πάλιν σύνδεσμος.*

K 373 *ἐύξου: Πτολεμαῖος περισπᾷ, λέγων ἐκ τοῦ ἐυξόου συνηλεῖφθαι* (cod. *συνειλῆφθαι*). A.

v. p. 28. Lobeck el. II 62. schol. *Δ* 452. Lobeck el. II 137 nota 32.

Λ 192 *ἄλεται: ψιλοῦται, εἴτε ἐπὶ τοῦ ἐκκλίνειν τάσσηται, ὥς φησιν ὁ Ἀσκαλωνίτης, εἴτε κτλ.* A.

Idem Et. M. 59, 3. Cramer A. P. IV 5, 25. De forma verbi cf. La Roche, Textkr. 185. Curtius Verbum II 58.

Λ 395 *περίπλεες: ὁ Ἀσκαλωνίτης κατὰ παράθεσιν* (h. e. *περὶ πλέες*), *λέγων λείπειν τὴν αὐτόν, ἵν' ᾖ περὶ αὐτὸν πλέες.* A.

De parathesi quae vocatur cf. Lentz Herod. p. XLVI. Et. M. 649, 33. De Herodiani rationibus La Roche Textkr. 340. De *πλέες* Cramer Epim. 338. 350. schol. *Δ* 80. *B* 129 (B.)

Λ 503 *νεῶν: ὁ Ἀρίσταρχος καὶ Ἀλεξίων καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης περιέσπασαν, ἵνα ἀπὸ τοῦ "τῶν νέες ὠκεῖαι"* (*η* 36) *ᾖ, ἐπεί, φησί, νοῦν οὐκ ἔχει τὸ βαρυνόμενον, τὸ μέντοι περισπώμενον* (sc. *νοῦν ἔχει*) *τοιαύτης ὑπαρχούσης τῆς διανοίας, τὰς πρὸ τῶν νεῶν τάξεις.* A.

Λ 636 *ἄλλος: ὁ Ἀσκαλωνίτης ψιλοῖ καί φησιν ὅτι ἐπὶ τοῦ γέροντος* (Lehrs; cod. *Νέστορος*) *κεῖται · ἄλλος μὲν γὰρ ἄν τις μόγις ἐκίνησε γέρων* (add. Lehrs), *Νέστωρ δ' ὁ γέρων ἀμογητὶ ἄειρεν.* A.

Λ 652 *πάλιν ἄγγελος: κατ' ἰδίαν τὸ πάλιν · οὕτως Ἀρίσταρχος καὶ Ἀλεξίων καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης.* A.

Lentz p. XLIX sq. Lobeck el. I 591 sq.

Λ 754 *ὁ Ἀσκαλωνίτης δι' ἀσπιδέος, ἐπεὶ ἐπιφέρει "ἀνά τ'*

ἔντεα καλὰ λέγοντες", τοιοῦτό τι λέγων τοῦ πολλὰς ἔχοντος ἀσπίδας. A.

cf. Passow, lexic. s. v. Lobeck paralipp. 161.

M 55 sq. τὸ μὲν πρότερον ἕστασαν δασύνει ὁ Ἀρίσταρχος . . . . τὸ μέντοι δεύτερον ψιλοῖ . . . . συγκατατίθεται δὲ καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης τῇ τοιαύτῃ ἀναγνώσει. A.

M 137 αὖας: ὁ Ἀσκαλωνίτης βαρύνει. A.

M 157 ζαής: ὡς ὑγιής · οὕτως καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης. A.

cf. μ 313. Herodian π. μονήρ. λ. 17, 1. Lehrs. qu. ep. p. 154 sq. Lobeck parall. 158.

M 193 Ἰαμενόν: ὁ Ἀσκαλωνίτης φησὶν, ἐὰν μὲν ἀπὸ τῆς ἰάσεως, ψιλωτέον · ἐὰν δὲ ἀπὸ τῆς ὁρμῆς (h. e. ἵεσθαι), δασυντέον. A. Idem Et. M. 463, 32.

M 297 τὸ περίκυκλον ἄμεινον δύο ποιεῖν, περί καὶ κύκλον . . . . οὕτως καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης. A.

Qui περίκυκλον ὑφ᾽ ἕν scribebant, adiuti sunt eo, quod adverbii loco saepius occurrit περικύκλῳ. Lobeck el. I 626 sq.

M 337 γεγωνεῖν: ὁ Ἀσκαλωνίτης βαρύνει ὡς ἀνύειν. A.

cf. La Roche, Textkr. 217. Unters. 89. Rationem Ptolemaeus nimirum habuit formae γέγωνε, quae Ξ 469, Ω 703, ϑ 305 perfectum non est; rationem etiam vulgaris usus; nam ipse Herodianus testatur apud posteros γεγώνω usurpari.

N 137 ὀλοοίτροχος; Κωμανὸς καὶ Πτολεμαῖος ὁ Ἀσκαλ. ψιλοῦσι καὶ παροξύνουσιν, ἀκούοντες τὸν ἐπὶ τὸ τρέχειν ὀλοὸν καὶ δεινόν. A.

Idem Et. M. 622, 39. Cramer A. P. III 285, 25. De Comano dissentit a scholio Apollon. lex. s. v.: ὁ Κωμανὸς ἰδίως ἀποδίδωσιν ὅλος τρέχων; scribebat igitur ὁλοοιτρόχος? De formatione cf. (Lobeck el. I 471 errat) Curtius Etymol.[5] p. 358 No. 527. Fritzsch Curtius' Studien VI 339. Brugman ibid. VII 334.

N 140 ὕψι ὡς οἴκοθι καὶ ἄγχι, ὥς φησι Πτολεμαῖος. A. Et. M. 169, 31. Lentz I 505, 11. II 464, 8.

N 246 θεράπων ἐύς: ὁ Ἀσκαλωνίτης φησὶν, ὅτι Ἀρίσταρχος δύο ποιεῖ, θεράπων καὶ ἐύς. A.

N 391 νεήκεσι: ὁ Ἀσκαλωνίτης ὡς εὐγενέσιν, ὅπερ καὶ ἐχρῆν. A.

v. p. 28. Lehrs qu. ep. 152. schol. Π 768.

N 450 *Κρήτῃ ἐπίουρον: ὁ Ἀσκαλωνίτης παρέλκειν ἡγεῖται τὴν ἐπί· διὸ καὶ τὸν τόνον φυλάσσει* [*τῆς προθέσεως* addit cod., delevit Pluygers], *ὁμοίως τῷ "βοῶν ἐπιβουκόλος ἀνήρ"* (γ 422). A.

τῆς προθέσεως falso irrepsit, ut exemplum allatum *ἐπιβουκόλος* significat. Nam composita nomina cum praepositione, ubi nihil novae significationis accedit, servant accentum suum: Lehrs Arist.² p. 110.

Polak (ad Odyss. eiusque scholiastas curae secundae p. 88) *προθέσεως* in *προσθέσεως* mutandum censet; falso: *πρόσθεσις* enim grammaticorum usu nihil est nisi *προσθήκη στοιχείου* in initio vel fine vocabuli; neque ullo modo *οὖρος*, principalis compositi pars, *πρόσθεσις* vocari potest. cf. Hesych. s. v. schol. θ 405. Velsen de Tryphone p. 67.

Ξ 48 *ἄμεινον, ὡς καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης φησί, τὸ τώς εἶναι ὁμοίως τῷ "τὼς δέ σ' ἀπεχθήρω"* (Γ 415). A.

Ξ 183 *μορόεντα: οὕτως Ἀρίσταρχος ἀπὸ τοῦ μ̄ ποιεῖται τὴν διαστολὴν καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης.* A.

Hesych. v. *μορόεντα· μετὰ πολλοῦ καμάτου πεπονημένα.* Et. M. 591, 10. 473, 2. Lobeck el. I 72 nota 3.

[Ξ 229 *Ἀρίσταρχος ἐς πόντον· Πτολεμαῖος δὲ κατάδυσίν φησι δηλοῖ τὸ εἰς πόντον.* A.

Scripsit igitur *ἐπὶ πόντον*. Sed quis Ptolemaeus, incertum, cf. supra p. 24.]

Ξ 265 *ὁ Ἀσκαλωνίτης βαρύνει τὸν ἥ.* A.

Rectissime Lehrs qu. ep. p. 62: Ptolemaeus hoc voluerat: "cur, Somne, id cogitas vel dicis (dixerat enim) hanc rem aeque Jovi cordi fore atque Hercules fuit?" Post *μενοινᾷς* igitur non distinxerat.

Ξ 340 *τὸ εὔαδεν ὁ Ἀσκαλωνίτης ψιλοῖ λέγων, ὡς ὅτι τὰ δασυνόμενα ἐν τῇ ἐπενθέσει τοῦ ῡ ψιλοῦται, ὡς ὅλος οὖλος· οὕτως οὖν καὶ τὸ ἕαδεν εὔαδεν γένοιτο ψιλούμενον.* A.

Choerob. 516, 4. Et. M. 388, 22. Et. Gud. 216, 51. Herodiani sententia exstat schol. π 28.

Ξ 351 *ὁ Ἀσκαλωνίτης ἀξιοῖ παροξύνειν τὸ ἑέρσαι, ὁμοίως τῷ Εὐτέρπαι. καὶ γὰρ τὸ ἑνικὸν ἑέρση ἐστὶ* (ε 467), *τὰ*

δὲ εἰς η λήγοντα θηλυκὰ μονογενῆ ὁμότονα ἔχει τὰ πληθυντικά, Ἑλένη Ἑλέναι· οὕτως εἰ ἑέρση, καὶ ἑέρσαι. A.

Cum Lehrsio ubique spiritu aspero ἑέρση notavi: cf. Et. M. 317, 45. 614, 36. Eandem Ptolemaei sententiam habet Eust. 991, 24.

Ξ 387 δάι: ὁ Ἀσκαλωνίτης βαρύνει ὡς Θέτι. A.

Lobeck paralipp. p. 88—90. el. I 375 sq.

Ξ 509 ἀνδράγρια: Πτολεμαῖος σκῦλα ᾑρημένα παρὰ ἀνδρῶν. Et. M. 102, 34. cf. schol. h. l. Hesych. v.

O 10 Ἀρίσταρχος τὸ κῆρ οὐδετέρως ἐκδέχεται καὶ μετοχὴν τὴν ἀπὸ τοῦ ᾱ ἀρχομένην (sc. ἀπινύσσων) . . . . τούτῳ συγκατατίθεται καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης. A.

O 226 οἱ αὐτῷ: ὁ Ἀσκαλωνίτης ἀξιοῖ ἐγκλιτικῶς ἀναγινώσκειν, ἐπεὶ ἀπὸ προσώπου ἐπὶ πρόσωπον ἡ ἀναφορὰ καὶ εἰς ἁπλῆν ἡ μετάληψις· ἀντὶ γὰρ τῆς αὐτῷ δισυλλάβου. A.

cf. p. 37. La Roche, Unters. 141.

O 302 Μέγην: ὁ Ἀσκαλωνίτης καὶ ἄλλοι περισπῶσιν ὡς Ἑρμῆν καὶ Ποδῆν. τὰ γὰρ εἰς ης λήγοντα, φασί, βαρύτονα, δισύλλαβα, ἀπὸ βραχείας ἀρχόμενα περισσοσυλλάβως κλίνεται, λέβητα Λάχητα. εἰ δ' οὐχ οὕτως ἐκλίθη, δῆλον ὅτι περισπασθήσεται. ἄλλως τε εἰ εὑρέθη αὐτοῦ ἡ αἰτιατικὴ ὡς ἀπὸ βαρυτόνου "Φυλείδην τε Μέγητα" (T 239), ὅτε μὴ οὕτως ἔχει, περισπασθήσεται ὡς Θαλῆν καὶ Θάλητα, καὶ Φαλῆν καὶ Φάλητα. A.

Est plena Ptolemaei disputatio. Idem ap. Eust. h. l. Choerob. 140, 8. cf. Lehrs Arist.[2] p. 299.

O 309 ἀμφιδάσειαν: οὐχ, ὡς οἴεται ὁ Ἀσκαλωνίτης καὶ Ἀλεξίων σύνθετόν ἐστιν, ἀλλὰ παρασύνθετον. A.

De causis huius opinionis coniectare tantum licet, cum Herodiani disputatio, qua fusius de ἠριγένεια egerat, interierit. Vocabulum παρασύνθετον, h. e. aut decompositum aut ex composito derivatum, duobus potissimum indiciis veteres deprehendere sibi videbantur: primum accentu non retracto sed eodem servato, quem simplex exhibebat; cf. Apollon. de syntax. p. 324, 20 αἱ τάσεις τῶν τε ἁπλῶν καὶ τῶν δοκούντων συνθέτων εἶναι τὸν αὐτὸν ἐπέχουσι τόνον, ἐπεὶ τὰ ἁπλᾶ καὶ παρασύνθετα μιᾶς ἔχεται ἀναλογίας . . . . σύνθετον γοῦν φαμεν τὸ ἐξ ὀξυτόνου εἰς βαρεῖαν τάσιν

μετεληλυθός, ἐπὶ τῶν εἰς ος πάνσοφος, νεάοιδος [hanc regulam non utique valere docet Lobeck parall. p. 495], *παρασύνθετον δὲ τὸ μὴ ἀναβιβάσαν τὸν τόνον.* Inde e. gr. *διαμετρητός* parasyntheton, parasyntheton *ἐκλεκτός* ut ex *ἐκλέγω* deflexum, syntheton autem *ἐπίλεκτος* ut ex *ἐπί* et *λεκτός* compositum ducebant; cf. Et. M. 269, 4. 474, 18. 643, 7. schol. *Γ* 344. Alterum indicium cernitur ex Et. M. 794, 20 *φιλοστοργότερος ἀπὸ τοῦ φιλόστοργος· οὐ γάρ ἐστι σύνθετον ἀλλὰ παρασύνθετον· εἰ γὰρ ἦν σύνθετον, ὤφειλεν εἶναι κοινὸν τῷ γένει ὡς τὸ φιλότεκνος;* cll. Et. M. 11, 16. schol. V *Π* 428. Ascalonita igitur compositum *ἀμφιδάσειαν* putavit ex *ἀμφί* et *δασεῖα,* fortasse mutati accentus quoque ratione habita; Herodianus illi rationi hoc obsistere putabat, quod feminini formam peculiarem vox haberet; itaque *παρασύνθετον* esse volebat.

Ο 555 ὁ Ἀσκαλωνίτης οὐκ ἀναστρέφει τὴν περί· εἶναι γὰρ τὸ ἑξῆς περιέπουσα. A.

Π 41 ὁ Ἀσκαλωνίτης κατὰ ἀφαίρεσίν φησιν εἶναι τοῦ ε̅ τὶ ἴσκοντες. A.

Lobeck el. II 13. parall. 37.

Π 47 λίτεσθαι: ὁ Ἀσκαλωνίτης ἀξιοῖ ὁμοίως τῷ λίσσεσθαι, ἐπεὶ ἐνεστῶτος χρόνου ἀπὸ ὁριστικοῦ τοῦ λίτομαι (cod. *λίττομαι*). A.

Π 90 ὁ Ἀσκαλωνίτης ἀπόλυτον καὶ μονοσύλλαβον ἐξεδέξατο τὴν με ἀντωνυμίαν (alii *δ' ἐμέ*) *· διὸ καὶ ἐγκλιτικῶς ἀνέγνω· οὐ γὰρ πρὸς ἕτερον πρόσωπόν ἐστιν αὐτῷ ἡ διαστολή.* A.

Π 117 κόλον: ὡς λόγον ὁ Ἀσκαλωνίτης. A.

Canonem v. ap. Lentz. I 153, 30.

Π 497 ἐμεῦ περιμάρναο: δύναται, ὡς ὁ Ἀσκαλωνίτης ἀξιοῖ, φυλάσσειν τὸν τόνον, ἀντὶ τῆς ὑπέρ κειμένη, ἀντὶ τοῦ ὑπερμάχει. A.

Scribebat *περὶ μάρναο*. cf. schol. *Α* 258 *πρόθεσις γὰρ ἀντὶ ἑτέρας προθέσεως παραλαμβανομένη τὸν ἴδιον τόνον φυλάσσει,* de quo miro praecepto cf. Lehrs qu. ep. 90.

Π 657 φύγαδ': ὁ Ἀσκαλωνίτης τὸ φύγα ἀπὸ τῆς εὐθείας κλίνει τῆς φύξ, ὡς Στύξ Στύγα. A.

v. p. 29. schol. *Π* 697. Et. M. 802, 46. Lobeck parall. 108.

Π 669 *πολλὸν ἀποπροφέρων: τινὲς τὴν ἀπό ἀναστρέφουσιν, ἵνα σημαίνῃ τὸ ἄπωθεν ὥσπερ καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης.* A.
Lehrs qu. ep. 95 sq. La Roche Textkr. 200.

Π 697 *φύγαδε: ὡς οἴεται ὁ Ἀσκαλωνίτης ἀπ᾽ εὐθείας τῆς φύξ, ὡς Στύξ Στύγα, τοῦ δὲ ἐνθάδε παρέλκοντος.* A.
Lehrs qu. ep. 41.

P 174 *μέ φης: ἀξιοῖ ὁ Ἀσκαλωνίτης ἀναγινώσκειν δισυλλάβως ἐπὶ ἀορίστου χρόνου.* A.

P 240 *νέκυος πέρι δείδια: ὁ Ἀσκαλωνίτης ὑφ᾽ ἕν.* V.
Etiam *K* 93, ubi eadem differentia commemoratur, Ptolemaeus *περιδείδια* videtur scripsisse. De veterum doctrina cf. La Roche Textkr. 337—341.

P 392 *κυκλόσ᾽: ἐπίῤῥημα· οὕτως δὲ ὁ Ἀσκαλωνίτης παροξύνει.* A. cf. *Δ* 212.

P 465 *ἐπισχεῖν: οἱ περὶ τὸν Ἀσκαλωνίτην κατὰ ἀόριστον ὡς λαβεῖν.* V.

Σ 77 *ὁ Ἀσκαλωνίτης ἀέκηλια, οἷον οὐχ ἥσυχα οὐδὲ εἰρηνικά, ἐπεὶ ἕκηλος ὁ ἥσυχος, ὥστε στέρησιν αὐτὸν* (Lehrs; cod. *αὐτῶν*) *ἐκδέχεσθαι.* A.
Hesych., Apollon. lex. s. v., Et. M. 19, 37.

Σ 100 *τινὲς περιέσπασαν τὸ ἀρῆς, ἵνα σημαίνῃ τὸ βλάβης· οὕτως καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης.* A.
Non cernitur, cur Ptolemaeus traditum *Ἄρεω* (sic Aristarchus) non sit passus: Kayser, Philol. 1855 p. 375. La Roche Textkr. 203.

ibid. *Πτολεμαῖος ὁ Ἀσκαλ. περισσὸν τὸ ἔδησε φησίν.* A.
Idem Et. M. 138, 14. Versus etiamnunc corruptus est. Ptolemaeus, si *ἔδησεν* supervacaneum putabat, *γενέσθαι* cum *ἐπεὶ οὐκ ἄρα μέλλον* coniunxisse videtur, verba *ὁ μὲν μάλα κτλ.* parenthesis loco accipiens. Sane vix *ἐμεῖο* legit.

Σ 211 *ἐπήτριμοι: ὁ Ἀσκαλωνίτης ὀξύνει ὡς πολεμικοί.* A.
Idem Eust. h. l. Causa latet.

Σ 319 *σκύμνος ὡς ὕμνος εἰς ἰδιότητα ἀνεγνώσθη· τὸ μέντοι ἀνδρωνυμικὸν ὀξύνεσθαι ἀξιοῖ ὁ Ἀσκαλωνίτης πρὸς διαφοράν.* A.

Opinantur Ascalonitam voluisse *Σκυμνός* nomen proprium. Quamquam 'nec scribitur nomen proprium *Σκυμνός* nec intellegi potest, cur potius hoc vocabulum accentu ab

appellativo distingui debeat quam *Κύκνος Λύκος* etc.' Lehrs Arist.[2] p. 267. Inclinat enim sermo Graecus ad retrahendum accentum, non inclinat ad promovendum. Tamen Ptolemaeo ut loquendi usus parum respicienti analogiae causa hoc conamen perversissimum imputant omnes (praeter Lehrsium vide Nauck Aristoph. Byz. p. 113 nota 35. Lobeck prolegg. p. 65. ad. Soph. Ai. 416, Lentz, qui fragmentum recepit inter reliquias libri Herodianei *περὶ κυρίων καὶ ἐπιθέτων καὶ προσηγορικῶν*). Immerito, opinor. Neque enim Ptolemaeus in nomine *Σκύμνος* hoc in se admittere potuit, de cuius accentu a nullo alio dubitatum est nec dubitari poterat, cum nomen etiamtum in usu fuisse videatur (cf. Benseleri lex.; de Scymno geographo cf. Rohde Rhein. Mus. 34 p. 153). Neque causam video, cur hoc Homerico loco Ptolemaeus de proprio nomine egerit aut cur Herodianus hoc commemoraverit, quod nomen rarissimum nec apud Homerum nec apud ceteros poetas occurrit. Omnis haec de Ptolemaei errore disceptatio — nititur uno hoc loco — nescio an falsa interpretatione contineatur. Quid enim? si omnino non de appellativo et proprio accentibus distinguendis agit Ptolemaeus, sed de variis appellativi *σκύμνος* significationibus? *ἀνδρωνυμικόν* h. l. non esse 'nominis proprii vice', demonstratur voce *εἰς ἰδιότητα;* quod est aut 'nominis proprii vice' (cf. schol. *Ι* 150. Steph. Byz. v. *Θετταλία.* schol. *Η* 167. *β* 157) aut 'proprio sensu'; prior significatio h. l. omnino fingi non potest; iam altera admissa oportet oppositionem esse 'translate'; 'translatus' autem non potest dici is usus, si quod vocabulum usum nominis proprii induit. *ἀνδρωνυμικός* est 'de hominibus dictus', 'a feris, quae est propria significatio, ad homines translatus.' Flagitatur hoc oppositione *εἰς ἰδιότητα* . cf. Passow lex. s. v. Defenditur quodammodo haec explicatio Et. M. 720, 21, unde similem differentiam etiam ab aliis statutam esse appareat: *σκύμνος · τῶν λεόντων ἔκγονον .... σκύμνος λέγεται ἐπὶ λέοντος, σκυμνός δὲ ἐπὶ τῶν ἄλλων ζώων,* cll. Et. Gud. 505, 35. Censebat Ptolemaeus, *σκύμνος* de animalibus, *σκυμνός* de homine dici. Ceterum cf. Lobeck ad Soph. Ai. p. 416.

Σ 352 παραιτητέον τὸν Ἀσκαλωνίτην οἰόμενον ἀπὸ τῆς

λίς εὐθείας κεκλίσθαι τὴν λιτὶ δοτικὴν καὶ τὴν λῖτα αἰτιατικήν. A. Et. M. 567, 45.

cf. *Ξ* 387. *Ψ* 254. Cramer A. P. III 288, 15. Lobeck paralipp. 86. el. II 292.

Σ 410 αἴητον: ὁ Ἀσκαλωνίτης προπαροξύνει, ἐκδεχόμενος πλεονασμὸν τοῦ ῑ παρὰ τὸ "θάρσος ἄητον ἔχουσα" (*Φ* 395), *οἷον ταχὺ καὶ κινητικόν.* A.

Σ 584 ἐνδίεσαν: οὐ προσεκτέον τῷ Ἀσκαλωνίτῃ δασύνοντι τὸ ῑ καὶ πλεονασμὸν τοῦ δ̄ δεχομένῳ. A.

Petitur Ascalonita in eadem causa *Σ* 162. Similiter quidam *δ̄* insertum esse putabant in *εὐδείελος*, composito ex *εὖ* et *εἵλη*, cf. Buttmann lexil. II 191.

Τ 4 ἡμῖν δοκεῖ, ὥσπερ ἔτι καὶ τοῖς πλείοσι καὶ τῷ Ἀσκαλωνίτῃ, ἓν εἶναι τὸ περικείμενον· ἔμφασις γὰρ μείζων νοεῖται. A. De maiore emphasi cf. schol. *Ε* 332.

Τ 62 ἀπομηνίσαντος: ὁ Ἀσκαλ. ὡς ἀποφοιβήσαντος. A.

Τ 90 διὰ πάντα τελευτᾷ: ὁ Ἀσκαλωνίτης περισσὴν ἡγεῖται τὴν διά πρόθεσιν εἶναι· τὸ γὰρ ἑξῆς· θεὸς πάντα τελευτᾷ. A. B.

Τ 357 ταρφειαί: Ἀρίσταρχος ἀνέγνω ὡς πυκναί· οὕτως δὲ καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης. A.

De trito hoc errore cf. Nauck Aristoph. Byz. 225. Lehrs Arist.[2] 259.

Τ 384 πειρήθη δ' ἓο αὐτοῦ: τὴν οἷ ἀντωνυμίαν περισπᾷ ὁ Ἀσκαλωνίτης καί φησι κεῖσθαι δοτικὴν ἀντὶ γενικῆς. A.

Legit *δὲ οἷ*. La Roche, Unters. 141.

Υ 30 ὑπὲρ μόρον: Ἀριστοφάνης ὡς ὑπέρβιον, ἓν μέρος λόγου ποιῶν· καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης, ἐπεὶ ἀντὶ ἐπιρρήματος τοῦ ὑπερμόρως παρείληπται. A.

Animadverterunt enim etiam pluralem *ὑπέρμορα* adverbii loco usurpari. *Β* 155. Cramer Ep. 422, 32. Et. M. 779, 34. — La Roche, Textkr. 370 sq.

Υ 53 θεῶν ἐπὶ Καλλικολώνῃ: οἱ περὶ τὸν Ἀσκαλωνίτην οὐκ ἀνέστρεψαν, ἀλλὰ συνέταξαν τῇ ἑξῆς λέξει. A.

ἡ ἑξῆς λέξις enim esset *ἐπὶ Καλλικολώνῃ θεῶν.* cf. schol. *Β* 523. Lehrs qu. ep. 84 sq.

Υ 105 καὶ δὲ σέ: ὁ Ἀσκαλωνίτης ὀρθοτόνησε τὴν ἀντωνυμίαν, τὸν δέ σύνδεσμον ἀντὶ τοῦ γάρ παραλαμβάνων. A.

Υ 234 ἀνηρείψαντο: πρὸς ταῦτα (sc. Apollonius Theonis duo vocabula intellegi voluerat) *ὑγιῶς ἀπεφήναντό τινες καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης, ὡς ὅτι ὁ ποιητὴς τῷ ἠρείψαντο οὐδέποτε ἐχρήσατο ἄνευ τῆς προθέσεως· δεύτερον ὡς εἰ ἦν ὁ ἂν σύνδεσμος, ἐχρῆν τινα αἰτίαν ἐπενεχθῆναι ὥσπερ ἐπὶ τοῦ "οὐδ' ἄν πω χάζοντο κελεύθου δῖοι Ἀχαιοί, εἰ μὴ κτλ."* (*Δ* 504). A.

Υ 357 τόσσους δ': ὁ Ἀσκαλωνίτης προπερισπᾷ, ἐπεί, φησί, κατὰ δεῖξιν λέγεται καὶ τὸ "τοσσῆσδ' ὑσμίνης" (359). A. Cramer A. P. III 291, 21.

cf. La Roche, Textkr. 364—366.

Υ 390 ἔνθα δέ τοι: ἕν ἐστι τὸ ἐνθάδε, ὡς καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης. A.

Υ 464 ἡ εὖ ἀντωνυμία ἐν τῇ συντάξει ἐνέκλινε τὸν τόνον· ἔστι γὰρ ἀπόλυτος. οὐχ ὃν τρόπον δ' οἴεται ὁ Ἀσκαλωνίτης τὸ πως πάντως ὀξυτονηθήσεται, ἐπεὶ ἤδη ἐμελέτησε καὶ ἄλλων ἐγκλιτικῶν ἐπιφερομένων τὸ πω καὶ τὸ πως τοῦτο μὴ πάσχειν. A.

Disputabatur, si particulas *πως* et *πω* encliticae voces subsequerentur praecedente vocabulo oxytono, reciperentne illae particulae accentum. Totam rationem illustrat Lehrs qu. ep. 128 sq. cll. La Roche, Textkr. 414 sq.

Φ 38 ὁ Ἀσκαλωνίτης ἐνθάδε γενόμενος ἀξιοῖ ψιλοῦσθαι τοὺς ὄρπηκας, ἐπεί, φησί, παρὰ τὸ ὀρούειν ἐγένετο, ἐπιλαθόμενος ἑαυτοῦ· ἐν γὰρ ταῖς Ὀδυσσειακαῖς προσῳδίαις φησίν, ὅσα ὀνοματικῶς σχηματίζεται ἀπὸ ψιλῶν ῥημάτων, ταῦτα δασυνθήσεται, ὡς ἀπὸ τοῦ ὀρούει ὅρπηξ. A.

Ascalonitae etymologiam invenies Et. M. 632, 59. Et. Or. 113, 15 cll. 120, 7. aliam Et. Gud. 436, 21. cf. Curtius Etymol.[5] 265.

Φ 141 Πηλεγόνος: ὡς Σαρπηδόνος· οὕτως καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης, ἐπεί, φησίν, ἡ εὐθεῖα ὀξύνεται, Πηλεγών. A.

Sed fuit ei quaerendum, cur nominativus acuendus sit!

Φ 159 τὸν δέ μέ φασι: ὁ Ἀσκαλωνίτης ἐκ πλήρους λαμβάνει τὴν ἀντωνυμίαν καὶ ὀρθοτονεῖ. A.

Φ 262 προαλεῖ: ἄμεινον ψιλοῦν, ὡς καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης, φάσκων ἀπὸ τοῦ ἀλίζεσθαι γεγενῆσθαι, τουτέστι ἀθροίζεσθαι, ὥστε σημαίνεσθαι τὸ καταφερῆ. A.

cf. Lehrs Herod. h. l.

Φ 323 τυμβοχοῆσ'; τὸ πλῆρες τυμβοχοῆσαι ἐστί . . . . διὸ περισπαστέον τὸ ῆ. οὕτως καὶ Ἀρίσταρχος καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης καὶ οἱ πλείους. D. Cramer A. P. III 27, 30.

Hoffmann, *Φ* u. *X* der Ilias p. 280 sq.

X 328 ἀσφάραγος: Πτολεμαῖος ὅτι οἱονεὶ ἀσπαίρει. Et. Gud. 87, 52.

Ψ 266 ἑξετέ': ὁ Ἀσκαλωνίτης ἐνθάδε προπαροξύνει ὁμοίως τῷ "ὄτριχας οἰέτεας" (*B* 765). A.

Similiter Eust. h. l.

Ψ 319 δασυντέον τὸ ὅς, ἔστι γὰρ ἄρθρον. οὕτως καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης. A.

Ψ 361 προπαροξυτονητέον τὸ μεμνέῳτο· γράφεται δὲ καὶ σὺν τῷ ῑ τὸ ῶ. οὕτως δὲ καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης, ἐκ τοῦ μεμνέοιτο ἡγούμενος αὐτὸ εἶναι. A.

Lobeck el. I 425 sq. Curtius Verbum II 226. Ascalonitam sequitur Et. M. 578, 57; verbi μεμνέομαι autem nullum vestigium est, cf. Lobeck el. II 132 sq.

Ψ 387 οἱ δέ οἱ: ὁ Ἀσκαλωνίτης ἐκδέχεται τὸ πλῆρες εἶναι ἑοί καὶ μεταλαμβάνει εἰς τὸ ἴδιοι. A.

Apollon. de pron. 129.

Ψ 523 Πτολεμαῖος καὶ οἱ πλείους δίσκουρα ὡς λίπουρα. A.

Ψ 561 ᾧ πέρι: ὁ Ἀσκαλωνίτης καὶ οἱ πλείους κατὰ παρολκὴν ἐξεδέξαντο κεῖσθαι διὰ τὸ ἀμφιδεδίνηται· διὸ οὐκ ἀναστρέφουσιν. A.

Superfluae enim praepositiones accentum retinent suum: Lehrs qu. ep. 92 sq.

Ψ 718 τρίποδος πέρι ποιητοῖο: ὁ Ἀσκαλωνίτης ἐνθάδε οὐκ ἀναστρέφει. A. v. p. 38.

Ω 202 ἔκλε': τὴν κλε συλλαβὴν ὀξυτονεῖ ὁ Ἀσκαλωνίτης, ἡγούμενος τὸ πλῆρες εἶναι ἐκλέου. A.

cf. Lobeck el. I 273 sq. Fritzsch, Curtius' Studien VI p. 128.

Ω 213 ὁ Ἀσκαλωνίτης ἄντιτα παραλαμβάνει, μεταλαμβάνων εἰς τὸ ἀντέκτιτα (Lehrs; cod. ἀντέκτιστα). A.

Idem Hesych. s. v. Rectius schol. ρ 51. cf. Lobeck parall. 50.

Ω 316 τὸ περκνός ὀξύνεται ὁμοίως τῷ πυκνός. οὕτως καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης, μεταλαμβάνων εἰς τὸν μέλανα. A.

Aristarchus περκνός aquilae speciem significare censebat et gravabat, paradosi non sequente. Pendet fortasse quaestio e diversa περκνός interpretatione, ut quisque id pro substantivo aut pro adiectivo accepit, nota ista lege, ut adiectiva acuantur, graventur substantiva. Magnum numerum eorum collegit Lobeck paralipp. 340 sq.

Ω 318 Ἀρίσταρχος εὐκλῆις ὡς ἐυκνήμις, σύνθετον ποιῶν τὴν λέξιν· οὕτως καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης. A.

Lehrs qu. ep. 47 sq. Velsen, de Tryphone p. 69. schol. *B* 175. Et. M. 518, 32.

Ω 453 ἐπιβλής: ὁ Ἀσκαλωνίτης ὀξύνει ὡς ἀδμής. Et. M. apud Miller mélanges p. 120.

cf. schol. B h. l. Et. M. 358, 2. Eust. h. l. schol. *Π* 44. Lentz Herod. I 80, 5 nota.

α 27 τοῦτο (sc. ἄθρους) ὁ Ἀσκαλωνίτης ἀξιοῖ περισπᾶν ἀτόπως, ἐπεί, φησίν, ἡ διαίρεσίς ἐστιν ἀθρόος. Eustath. h. l.

Unus Ptolemaeus tralaticiam scripturam ἄθρους analogiae causa videtur reiecisse; neque enim usquam alibi de accentu contracti vocabuli ἄθρους dubitatur. Dubitabatur sane de dissoluta forma: Et. Gud. 13, 15. Cramer Epim. 19, 13, schol. *M* 391. *Ξ* 38. *α* 27. *γ* 34. cf. La Roche Textkr., 180 sq. Lehrs Aristarch.[2] 331. Lobeck el. I 45. Hoffmann, *Φ* und *X*, p. 125.

β 106: τρίετες βαρυτόνως καὶ τριετές ὀξυτόνως διαφέρει, φησὶ Πτολεμαῖος ὁ Ἀσκαλωνίτης. ἐὰν μὲν γὰρ βαρυτονήσωμεν, ἔσται ἐπὶ χρόνου. διὸ καὶ ὁ ποιητής φησιν· "ὣς τρίετες μὲν ἔληθε δόλῳ" (*β* 106). ἐὰν δὲ ὀξυτονήσωμεν τριετές ὡς εὐφυές, ἔσται ἐπὶ ἡλικίας· οἷον τριετὲς τὸ παιδίον· ὅθεν τὸ "ἑξετέ' ἀδμήτην" (*Ψ* 266). Ammon. v. τρίετες.

cf. schol. E V h. l. Veterum de vocabulis cum ἔτος compositis praecepta collegit Lehrs qu. ep. p. 135 sqq., qui demonstrat (Byzantinorum, qui veterum praecepta male intellexissent, praeceptis omissis) composita ab ἔτος, quae exeunt in ετης, oxytona fuisse, solos Atticos accentum retraxisse. Itaque quod supra *Ψ* 266 Ptolemaeus ἑξέτε' scribi iussit,

recte opinatur Lehrs eum ita dixisse, formam Atticam debere etiam Attico accentu notari. Simul apparet, locum Ammonianum, ubi nunc Ptolemaeus ἑξετέ scripsisse traditur, corruptum esse in fine. Sic fere Lehrs (p. 147) explendum putat: ὅθεν τὸ ἑξετε ἀδμήτην ἔδει παροξυτονεῖσθαι, πλὴν ὅτι Ἀττικόν· χρὴ οὖν ἀναγινώσκειν ὡς ἀξιοῖ ὁ Ἀσκαλωνίτης.

β 125 scripsit αὐτῆς: καὶ ἐφ᾽ ἑνικῶν, ὡς ἂν ἀπαιτοῦντος τοῦ λόγου ὑπὸ τῶν περὶ τὸν Ἀσκαλωνίτην ἐκεῖναι (sc. ἑαυτούς σὺν ταῖς συζύγοις ἀντωνυμίαις) προσεπνεύσθησαν. "αὐτόν μιν πληγῇσιν" (δ 244), ἵνα μὴ ὑπ᾽ ἄλλου πεπληγμένος νοῆται· καὶ "ἄλλῳ δ᾽ αὐτὸν φωτὶ κατακρύπτων" (δ 247) καὶ "τὴν αὐτοῦ φιλέει καὶ κήδεται" (*I* 342) καὶ "μέγα μὲν κλέος αὐτῆς ποιεῖται" (β 125). Apollon. de pronom. p. 101 A Bekk. = p. 78, 31 Schneider.

v. p. 37.

γ 255 τόδε κ᾽ αὐτός, ratus ἐγκεῖσθαι τὸν κε ἐγκλιτικόν. v. schol. *Z* 260.

δ 221 ἐπίληθον: ὁ Ἀσκαλωνίτης προπερισπᾷ (Lentz; cod. περισπᾷ) μετοχὴν ἀκούων. H. Q.

δ 244 scripsit αὑτόν } v. β 125.
δ 247 scripsit αὑτόν }

δ 665 τόσσων δὲ: ὁ Ἀσκαλωνίτης προπερισπωμένως (cod. περισπωμένως) κατ᾽ ἐπέκτασιν (cod. ἐπίτασιν). P. Q.

cf. La Roche Textkr. 364 sq. ἐπέκτασιν iure restituit Lentz, Philol. XVII (1861) p. 491. cf. Polak, ad Odyss. eiusque schol. p. 177.

δ 806 ἀκάχησθαι: ὁ Ἀσκαλωνίτης ὡς πεποιῆσθαι. H. P.

cf. μ 284. *T* 335. La Roche Textkr. 182 sq. Et. M. 56, 26. J. Bekker, hom. Blätter, I 70.

ε 188 ἅσσα spiritu aspero distinxit ut ὅσα significans: v. *A* 554.

ζ 149 τὸν ἢ ὁ Ἀσκαλωνίτης περισπᾷ, ἐρωτηματικὸν νομίζων. P.

ϑ 370 scripsit Ἁλίον: schol. *E* 39.

λ 134 ἐξ ἁλός: ὁ Ἀσκαλωνίτης τὸ πλῆρες ἔξω ἡγεῖται, ἵν᾽ ᾖ ἔκθλιψις τοῦ ω, ὡς ἐν τῷ "βαθέης ἐξάλλεται αὐλῆς" (*E* 142). H. Q.

λ 221 ὁ Ἀσκαλωνίτης βαρύνει δάμνα, ἵν' ᾖ (Lentz; cod. συνεδάμνα ᾗ) τοῦ δάμναται ἀποκοπή. H.

cf. Lentz, Philol. XVII p. 518 cll. id. Herod. II, p. 211 nota. Perverse Buttmannus ad h. l.; fallitur etiam Lobeck el. II 308. 123.

λ 597 κραταιίς: ὁ Ἀσκαλωνίτης τὸ πλῆρες κραταιὰ ἴς, οἷον ἰσχυρὰ δύναμις. B. H. Q.

Ptolemaeo assentitur Eust. 1702, 30. cf. Dion. Hal. de comp. verb. XX p. 280 ed. Schaefer. Scripsit igitur κραταΐ' ἴς, cf. Lobeck paralipp. 198. De Aristarchi et Herodiani κραταιίς cf. *μ* 124. *Λ* 677. Bekker A. Gr. 1319. Cramer A. Ox. II 163.

μ 284 ἀλάλησθαι: ὁ Ἀσκαλωνίτης προπερισπᾷ, ἵν' ᾖ παρακειμένου χρόνου ἀπὸ τοῦ ἀλῶ, ὡς πεποιῆσθαι. H. Q.

cf. *δ* 806. Lentz, Herod. II p. 154.

[*ν 352* σκέδασ' ἠέρα: τούτου (Polak l. l. p. 48; cod. τοῦτο) ἐπιλαμβάνεται Πτολεμαῖος· ἔδει γὰρ πρῶτον σκεδάσασα, φησὶ, τὸν ἀέρα εἶτα δεῖξαι. Q.

Num Ascalonita? cf. p. 24.]

ξ 161 Scripsit τοῦδ' αὖ τοῦ λυκάβαντος: v. *K* 25.

π 305 καί κε τέο δμώων: ὁ Ἀσκαλωνίτης ἐτεοδμώων, τῶν ἀγαθῶν θεραπόντων. H. Q.

cf. Lentz, Herod. II p. 159.

ρ 231 ἀμφὶ κάρη: ὁ Ἀσκαλ. ἀμφικαρῆ (Dind., H ἀμφικάρη, BQ ἀμφὶ κάρη) σφέλα, τὰ μικρὰ ὑποπόδια διὰ τὰς βάσεις. BHQ.

Eustath. 1818, 47 ἕτεροι δὲ ἀμφικαρῆ γράφουσιν ἐν ἑνὶ μέρει λόγου καὶ περισπωμένως, ἵνα ᾖ σφέλα, τουτέστιν ὑποπόδια, ἀμφικαρῆ, τὰ ἀμφικέφαλα, ὡς οἷον κεφαλὰς ἀμφοτέρωθεν ἔχοντα τὰς ἐν αὐτοῖς ἐξοχὰς καὶ λαβάς. οἱ δ' αὐτοὶ γράφουσι (v. 232) πλευρὰς ἀποτρίψουσι [quod metro tamen non convenit; an πλευρά τ'? Nauck]. cf. Hesych. v. Cramer A. P III 500, 27.

σ 333 ὁ Ἀσκαλωνίτης δασύνει τὸ ἀλύεις: schol. *E* 352.

ψ 3 ὑπερικταίνοντο: ὁ Σιδώνιος καὶ ὁ Πινδαρίων (cod. Πινδάριος) δασέως ἀνέγνωσαν, ὥστε εἶναι ὑπερικνοῦντο· ὁ δὲ Ἀσκαλωνίτης ψιλῶς φησιν· οἱ δὲ πόδες διϊκνοῦντο διὰ τὴν χαρὰν ὑπὲρ τὸ μέτρον τῆς δυνάμεως. Et. M.

apud Miller mélanges p. 293 cf. Et. M. 779, 9. schol. ψ 3. Hesych., Apollon. v. Lehrs Arist.[2] p. 311. Singulorum de interaspiratione rationes non iam perspicimus, ne Ptolemaei quidem. Neque enim, si explicat *διίχνοῦντο*, lenem spiritum unde deducat cernitur. Immo aut *διιχνοῦντο* corruptum est aut verba *ὁ δὲ Ἀσκαλωνίτης ψιλῶς φησιν* post *δυνάμεως* sunt ponenda ita ut deinde aliquid exciderit.

II. Fragmenta libri *περὶ μέτρων*.

Πτολεμαῖος τοὺς δωδεκασυλλάβους στίχους ἐκτιθεὶς φησι καὶ τοῦτον οὕτως γράφεσθαι "εὖτ' ἂν ξανθὴ Δημήτηρ." schol. L V *E* 500.

v. p. 12 sq.

Ἀσίῳ: οἱ μὲν τῷ ἄσιν ἔχοντι. ἀξιοπιστότερον δέ ἐστι τοῦτο κύριον αὐτῷ περιτιθέναι ὄνομα. ἐν γενικῇ δὲ αὐτὸ ἐκληπτέον καὶ χωρὶς τοῦ ῑ, ὡς τὸ "ἐυμμελίω Πριάμοιο". οὕτως Ἡρωδιανὸς ἐν τῇ καθόλου καὶ Πτολεμαῖος ἐν τῷ περὶ συναλοιφῆς. schol. B *B* 461.

v. p. 13 sq. Cramer A. P. III 7, 30: *ἄλλοι δὲ Ἀσίου ὀνοματικῶς ἀπὸ Ἀσίου τοῦ Λυδῶν* (lege *Λυδοῦ* cll. Et. M. p. 153 nota ad 42), *ὃς κατὰ προχοάς, ὥς φησι Πτολεμαῖος, πηλώδη τὸν τόπον ἐργάζεται.* Vides, *ἐτυμολογεῖν* Ascalonitam, fluminis nomen inde ductum esse ratum, quod *ἄσιν* efficit. *ἄσις γάρ ἐστι κατὰ διάλεκτον ἡ ἰλύς:* Cramer l. l. Hesich. v.

Ceterum de synaloephe agit Ptolemaeus etiam *A* 465. *Z* 465. *I* 614. *E* 142. *λ* 134, quae tamen ad Prosodiam referenda visa sunt.

III. Fragmentum libri *περὶ τῆς Κρατητείου αἱρέσεως*.

Πτολεμαῖος ὁ Ἀσκαλωνίτης ἐν τῷ περὶ τῆς Κρατητείου αἱρέσεώς φησιν· ὦκα γράφει ἀντὶ τοῦ ἦκα. καὶ ἀπολογούμενός φησιν ὅτι μετ' αὐτὸ διασταλτέον, ἵν' ἡ Ἑλένην ἐπὶ πύργον ἰοῦσαν ὦκα. schol. A *Γ* 155.

Est Nicanoris. Explicationem v. supra p. 21 sq.

IV. Fragmenta incertae sedis.

Et. Gud. 268, 47 Ἴβυκος· ἔστιν ὄνομα κύριον καὶ γράφεται διὰ τοῦ ῑ· ὑπάγεται δὲ τῷ κανόνι τοῦ Πτολεμαίου. cf. Et. M. 464, 43. Cramer A. O. II 221, 18.

Et. Gud. 268, 52 Ἶβις: διὰ τοῦ ῑ γράφεται τῷ λόγῳ τοῦ Πτολεμαίου τῷ εἰρημένῳ ἐν τῷ Βιθυνία (sic scripsi pro τῷ εἰρηκέναι ἐν τῷ βοθυνία). cf. Cramer A. O. II 221, 14.

Et. Gud. 276, 14 Ἰλίων .... διὰ τοῦ ῑ γράφεται καὶ κατὰ τὴν ἀρχὴν καὶ κατὰ τὴν παραλήγουσαν, τῷ λόγῳ τοῦ Ἀμφίων, κατὰ δὲ τὴν ἀρχὴν τῷ λόγῳ τοῦ Πτολεμαίου. Hinc corrigendum Pollux γ 32 εἰλίονες in ἰλίονες. cf. Et. M. 470, 168. Cramer A. O. II 221, 23. Canonem igitur Ptolemaeus statuit, quo utrum per ῑ an per εῑ dubia vocabula scribenda essent, diiudicaretur. Canon exstat v. *Βιθυνία:* τὰ ἀμφιβαλλόμενα κατὰ τὴν γραφὴν, ἔχοντα δὲ ἐν τῇ δευτέρᾳ συλλαβῇ τὸ ῑ ἢ τὸ ῡ, διὰ μόνου τοῦ ῑ γράφονται. cf. Choerob. Cramer A. O. II 183, 27.

Haec tria fragmenta sintne ad librum de orthographia referenda, incertum est: v. supra p. 22.

Steph. Byz. v. Ἐρυσίχη: ὁ τεχνικός φησιν (sic Bergk ad Alcm. frg. 20. Lentz Herod. p. XII; cod. τεχνικὸς καὶ Ἡρωδιανός φασιν) ὅτι σεσημείωται τὸ Ἐρυσίχαιος προπαροξυνόμενον ἐν τοῖς ἐθνικοῖς .... διχῶς οὖν ἔσται, ὥς ἐστι δῆλον παρ' Ἀλκμᾶνι ἐν ἀρχῇ τοῦ δευτέρου τῶν παρθενείων ᾀσμάτων· φησὶ γὰρ

οὐκ ἧς ἀνὴρ ἄγροικος οὐδέ
σκαιὸς οὐδὲ παρὰ σοφοῖσιν, οὐδὲ Θεσσαλὸς γένος,
οὐδ' Ἐρυσιχαῖος (οὐδὲ ποιμήν).

εἰ γὰρ τῷ „Θεσσαλὸς γένος" συναπτέον, ἐθνικόν ἐστι καὶ προπερισπάσθω, Ἡρωδιανὸς ἐν ταῖς καθόλου προσῳδίαις καὶ Πτολεμαῖος ἔφη· εἰ δὲ τῷ „οὐδὲ ποιμήν" συνάψειέ τις λέγων ἢ ἐρυσιχαῖος τὸ οὐδὲ ποιμήν [verba corrupta; proponit Meineke λέγων τὸ „οὐδὲ ποιμὴν ἢ ἐρυσίχαιος"?], πρόδηλον ὡς προπαροξυνθήσεται καὶ δηλοῖ τὸν βουκόλον ἢ τὸν αἰπόλον, πρὸς ὃ τὸ ποιμήν ἁρμόδιον ἐπαχθήσεται.

Ascalonitam dici inde verisimile est, quod una cum

Herodiano memoratur; nempe Stephanus Ptolemaeum ab Herodiano citatum vidit. Ceterum est hoc indicium, quo Ptolemaeum non in uno Homero acquievisse significetur.

Herodian. *περὶ διχρόνων* p. 285: *Πτολεμαῖος ὁ Ἀσκαλωνίτης φησὶν ὡς τῆς πέρδικος καὶ χοίνικος γενικῆς ἡ μέση συστέλλεται, πεισθεὶς Ἀριστοφάνει τῷ γραμματικῷ καὶ τοῖς οὕτω χρησαμένοις ποιηταῖς διὰ μέτρον.*

HENRICUS JUNGBLUT:

QUAESTIONUM DE PAROEMIOGRAPHIS PARS PRIOR.

DE ZENOBIO.

Cum in comparandis inter se singulis paroemiographis fontibusque eorum investigandis iam aliquantum temporis consumpsissem, mens. octobr. a. 1881 Gryphiswaldiae publicata est dissertatio Warnkrossii, quae inscribitur: De paroemiographis capita duo. Agit autem V. D. de natura et fontibus singularum collectionum Zenobii. Quam rem uniuscuiusque quaestionis de paroemiographis instituendae fundamentum esse, qui leviter tantummodo hanc litterarum partem attigerit, libenter concedet. Neque tamen, quae Warnkrossius disseruit[1], omnia recta aut certis argumentis confirmata esse persuadere mihi potui. Itaque quae res ab illo non satis recte mihi tractata esse visa est, eam retractare quam labente hoc fundamento in perscrutandis ceteris paroemiographis tempus conterere satius esse duxi.

Paroemiographorum Graecorum corporis a Schneidewino et Leutschio editi primum locum obtinet collectio, quae inscribitur: *Ζηνοβίου ἐπιτομὴ ἐκ τῶν Ταρραίου καὶ Διδύμου παροιμιῶν συντεθεῖσα κατὰ στοιχεῖον.* Haec nobis tradita est duobus libris manu scriptis, codice Parisino [P. n. 3070b] et codice Harleiano Musei Britannici [H. n. 5663]. Praeterea codicis instar habetur editio Iuntina a. 1497. Florentiae vulgata. Quibus libris genuinam Zenobii farraginem e libris Didymi et Tarrhaei compilatam nobis traditam esse Schneidewino persuasum erat. Neque tamen eum effugit nonnullis locis eam valde decurtatam, aliis inprimis ex Apollodori bibliotheca interpolatam esse. Itaque ad verba Zenobii emendanda adhibendas esse putavit collectionem quandam Vaticanam a Schotto, Bodleianam Parisinamque (A) a Gaisfordio vulgatas. Qui libri, etsi dimidio plus proverbiorum continent quam codices Zenobiani, tamen his in singulis proverbiis explicandis tam similes sunt, ut Schneidewinus indicet eos gemellos esse Zenobianorum librorum quamvis alienis pannis conspicuos.

A sententia Schneidewiniana plane diversa sunt, quae Millerus et Warnkrossius de collectionibus illis sentiunt. Millerus enim quattuor collectiones Paroemiographorum edidit in libro, qui inscribitur „Mélanges de littérature Grecque, Paris 1868" (p. 349—384). Quae collectiones inventae sunt in codice, quem Millerus cum in praefatione ipsius proverbiorum editionis tum litteris descripsit ad Fresenium datis, quas hic in libro suo, qui inscribitur: „De *Λέξεων* Aristophanearum et Suetonianarum excerptis Byzantinis, Aquis Mattiacis 1875" publici iuris fecit. Cuius descriptionis quantum ad proverbia pertinet Warnkrossius in dissertatione sua repetit.

Codici Milleri (M) simillimum esse codicem Laurentianum 80,13 (L) Fresenius ostendit. Inveniuntur enim et in codice M et in L haec: cod. L loco XII: Catonis carmina paraenetica a Maximo Planude ... in Graecum translata = Mill. p. 348,3, loco XIII: Provv. coll., quae incipit ab *οἶκοι τὰ Μιλήσια* desinit in *ὁ ἐν Τεμέσῃ ἥρως* = Mill. coll. III inde a *β'—ρε'*. l. XV: excerpta Zenodorea, Suetoniana, Aristophanea = Mill. p. 399—406. l. XVIII: alia proverbia in tres sectiones divisa. Prima sectio incipit ab *Ἅβρωνος βιοῖ βίον* desinit *βατταρίζειν* = Mill. prov. coll. IV. p. 376—384. Secunda incipit a *Καδμεία νίκη* des. *ἐπὶ τῶν οὕτως χαριζ.* = M. I p. 349—359. Tertia inc. a *Φρονεῖν ἢ πλουτεῖν* des. *τὸ παρὰ δρῦν σκότος* = M. II p. 359—369. Proverbiorum, quae in cod. L leguntur, ea tantummodo collectio typis expressa est, quae loco XIII. invenitur. Ea legitur in corp. Paroem. I p. 321 sqq., ubi inscribitur: *Πλουτάρχου παροιμίαι αἷς Ἀλεξανδρεῖς ἐχρῶντο.*

Cum autem codicis L locos descriptos vel typis expressos cum codice M compararet Fresenius, hanc fere rationem inter eos intercedere invenit: „L eadem eodem ordine disposita eisdem verbis expressa eisdem vitiis inquinata praebet ac M nisi quod permulta omittit, servata in angustum cogit mutilatque. Uberiores doctioresque animadversiones magis mutilatae sunt quam exiles glossae, scriptorum testimonia constanter fere omissa."

Eosdem codices, quamquam artissime inter se cohaereant, tamen non alterum ab altero pendere sed archetypum communem habere Warnkrossius probavit.

Tertiam denique proverbiorum collectionem a. 1878 publici

iuris fecit Carolus Graux in annalibus qui vocantur: Revue de philologie, de littérature et d'histoire anciennes (II p. 219 sqq.). Edidit enim e codice Scorialensi (Σ 1—20) excerptum farraginis, quae amplius quam 1200[1]) proverbia continet. Ea inscribitur: *Συναγωγὴ τῶν Ταρραίου καὶ Διδύμου καὶ τῶν παρὰ Σούδᾳ καί ἄλλοις διαφόροις παροιμιῶν συντεθεισῶν κατὰ στοιχεῖον.* Titulo igitur discimus eam ex Tarrhaei Didymique (h. e. ni fallor Zenobii) Suidae aliorumque quorundam collectionibus compilatam esse.

Quaeritur, qui sint illi *ἄλλοι διάφοροι*, quos in usum vocatos esse titulus nos docet. Graux, qui solus totam collectionem inspexit haec profert: „Les deux auteurs, que le compilateur a surtout mis à contribution sont Zénobius et Suidas. Tous les autres parémiographes du Corpus de Schneidewin-Leutsch à savoir Diogénien, le Pseudo-Plutarque, Michel Apostolius, Arsenius, Macarius Chrysocephale ainsi que les manuscrits qui ont fourni la matière de l'Appendix et de la Mantissa Proverbiorum du Corpus, puis d'autre part les lexiques de Phrynichos [dans les Anecdota de Bekker] d'Harpocration, d'Hésychios, scoliastes d'Aristophane et de Platon etc. tels sont les principaux recueils, dans lesquels se retrouvent littéralement un nombre plus ou moins considérable de proverbes et d'explications contenus dans la collection de l'Escurial." Praeterea autem adhibitum esse librum quendam codici M simillimum, quem Graux „*α*" nominat. Grauxium valde erravisse contendit Warnkrossius. Hic enim codicem Σ praeter Zenobium et Suidam nihil aliud complecti quam codicem illum *α* sibi persuasit. Idem codicem *α* artius coniunctum fuisse cum L quam cum M contendit. Sed Warnkrossium non recte iudicare Graux ipse nuper ostendit (in Rev. de phil. etc. 1882 No. 4). Habemus igitur duos vel — si recte codicem quendam archetypum *α* in codice Σ contineri Graux censuit — tres codices, quorum uterque quattuor proverbiorum collectiones complexus est. Quos codices ex eodem archetypo fluxisse Fresenio et Warnkrossio concedendum est. Neque quisquam negabit quartam earum

---

[1]) 1600 mendo typographico pro 1200 in Rev. de phil. etc. 1878 irrepsit.

collectionum, quae in M inveniuntur a ceteris et ordine et consilio diversam ideoque segregandam esse.

Quaeritur, unde tres reliquae collectiones Millerianae ortae sint. Quibus inscriptum est: (Ζηνο)βίου ἐπιτομὴ τῶν Ταρραίου καὶ Διδύμου παροιμιῶν. Praeterea apud Suidam s. v. Ζηνόβιος legimus tres proverbiorum libros a Zenobio confectos esse. Itaque a verisimilitudine non abhorret, quod Millerus has tres collectiones trium Zenobii librorum reliquias esse arbitratur. Milleri sententiam Warnkrossius argumentis confirmare studet. Ac primum demonstrare conatur, tres codicis M collectiones divelli non posse, sed singulas unius corporis esse partes.

Cuius rei gravissimum argumentum ei videtur esse, quod in tribus collectionibus nullum proverbium bis legatur. Huic tamen argumento vereor ne nimium tribuat. Primum enim nescimus, num in codice L. proverbium nullum repetitum inveniatur. Quid? Nonne codicis M compilator ea proverbia inducere potuit in alia collectione, quae in alia iam invenerat.[1])

Deinde Warnkrossius dicit, rationem, quae in singulis proverbiis tractandis insit, omnino diversam esse ab ea ratione, quam secuti sint librarii ceterorum codicum Zenobii, quales a Schneidewino et Leutschio sunt adhibiti. Quae sit illa ratio in singulis proverbiis tractandis diversa a libris corporis paroemiographorum, Warnkrossius ita interpretatur (p. 12): „In unaquaque" inquit, „trium collectionum, quae fere totae in nostro Corpore Zenobiano eisdem enarrationibus instructae inveniuntur, maximus est numerus eorum proverbiorum, quae multo maiore adparatu et verborum et testium exornata, quantus est Zenobio Schneidewiniano, in omnibus partibus perinde praestant nostri Zenobii proverbiis." Si re vera praestantia singularum collectionum codicis M tanta esset, quantam eam esse Warnkrossius nobis persuadere conatur, num ob eam rem tres collectiones arte

---

[1]) Singula proverbia facilius perlustrari potuerunt, quod unicuique collectioni index proverbiorum praemissus est. Cfr. Miller Mél. p. 343.

[2]) Ad ea proverbia quae Warnkrossius binis locis exstare invenit addendum est Πζδ' = Πργ'.

cohaerere dicere debemus? Nonne consentaneum est, etiamsi segregantur, singularum collectionum compilatores, cum multo minus proverbiorum, quam quae apud Zenobium Schneidewinianum exstent, unusquisque excerpserit, maiorem explicationum apparatum retinuisse, quam Schneidewinianarum collectionum excerptorem, cuius plus intererat maiorem numerum proverbiorum congerere? At praestantia singularum collectionum tanta non est, quanta Warnkrossio videtur. In prima enim codicis M collectione tribus omnino locis testimonia afferuntur, ubi libri Schneidewiniani eis carent, nempe:

M I. μη′ = Zen. IV 65
ξβ′ = „ IV 15
οϑ′ = „ III 15.

In altera cod. M collectione undecim testimonia inveniuntur, quae in eisdem Zenobii proverbiis frustra quaeruntur. Haec exstant:

M II. λε′ = Zen. I 48
ξβ′ = „ IV 53
ξη′ = „ II 59
ο′ = „ II 62
οη′ = „ VI 7
πε′ = „ V 10
ϛβ′ = „ I 82
ϛς′ = „ V 71
ρβ′ = „ II 92
ρδ′ = „ III 95
ρζ′ = „ I 47.

In tertia denique collectione cod. M testimoniis allatis praestant explicationes provv.:

M III. α′ = Zen. I 79
ε′ = „ III 96
ιγ′ = „ IV 80.

Quae cum ita sint, in codice M omnino septendecim proverbiorum explicationes testimonia praebent, quae desunt in libris Schneidewinianis. Codex autem P VI 28 Menandrum citat quo caret M I ξϑ′, idem V 30 Alcaeum, quem in M II ιζ′ frustra quaerimus. Quo iure igitur Warnkrossius dicat *maximum* esse numerum eorum proverbiorum, quae testium apparatu ex-

ornata sint, non intellego. Aliis autem rebus codicem M libris Schneidewinianis praestare, cum eos inter se compararem, non inveni. Quae igitur causae a Warnkrossio ad sententiam suam defendendam afferuntur, non magni momenti mihi videntur esse.

Quamquam autem, quae Warnkrossius attulit argumenta non certa sunt, tamen de sententia Milleri comprobanda minime desperandum esse arbitror. Si enim collectiones Millerianae genuinam Zenobii formam retinuerint, in eis singula proverbia eodem ordine sese excipere oportet atque in archetypo librorum Schneidewinianorum nondum litterarum ordine disposito. Si igitur codicis M collectionum proverbia litterarum ordine digerentur, eandem proverbiorum seriem orituram esse expectabimus, quae in libris Schneidewinianis invenitur. Qua in re tamen caute progrediendum est. In codicibus enim PH et BV proverbia ita disposita sunt, ut primae tantummodo litterae ratio habita sit. Hic tamen ordo nonnusquam perturbatus est. In codice enim Bodleiano[1]) sub littera A proverbia 1—21 et 62—138, s. *Γ* 277—310, s. *Δ* 319—330, s. *E* 402—435, s. *K* 533—567, s. *Λ* (nonnullis exceptis) 592—617, s. *M* 625—637 s. *N* 684—698, s. *P* 823—831 s. *Σ* (exceptis 840—843 et 850) 833—851 etc.[2]), non solum primam, sed etiam alteram litteram respiciunt. Quae cum ita sint, non nimium sibi sumit, qui arbitratur aliis quoque locis ordinem genuinum proverbiorum codicum BVPH turbatum esse. Itaque non expectabimus nos in codice M litterarum ordine ita disposito, ut prima tantum littera respiciatur, ubique eandem seriem inventuros esse atque in libris Schneidewinianis, sed si in utraque codicum familia hic illic eundem ordinem inveniemus, nihil aliud exigentes ea re acquiescemus. Ac primum quae proverbia sub litteris *A, B, Γ, Δ, Θ, Λ, M,* inveniuntur alium ordinem observant in cod. M alium in PB. Si vero reliqua proverbia codicis M eodem modo digerimus atque Schneidewiniana, oritur haec series:

---

[1]) Ordo proverbiorum fere idem est in PHVB et in codicibus Diogeniani.

[2]) Cfr. Verisimilium capita duo inclutae Viadrinae etc. gratulabundus obfert M. Schmidt. Jenae MDCCCLXI.

E.

M II.	ια'	Κύρβεις κακῶν	P. IV 77.	B. 570
	κϛ'	Κρωβύλου ζεῦγος	IV 69.	560
	λα'	Κριὸς τροφεΐ κτλ.	IV 63.	556
	λζ'	Κυλλοῦ πήραν	—	571
	μβ'	Κακὴ πρόδοσις	—	572
	μϛ'	Καὶ γὰρ Ἀργείους ὁρᾷς	—	585
	μη'	Κεῖται δὲ ὁ τλήμων	—	—
	ξβ'	Κιλίκιος ὄλεθρος	IV 53.	541
	πζ'	Κλαίει ὁ νικήσας κτλ.	IV 78.	586
	ϛγ'	Κοινὰ τὰ φίλων	IV 79.	573
M III.	ξ'	Κλειτοριάζεις	—	574
	ι'	Κεστρεὺς νηστεύει	IV 52.	539
	ιγ'	Κέλμις ἐν σιδήρῳ	IV 80.	575
	λ'	Κάκιον Βάβυς αὐλεῖ	IV 81.	—
	νζ'	Κυθνώλει συμφοραί	IV 83.	—
	ϛη'	Κινήσω τὸν ἀφ' ἱερᾶς	—	522
	ρδ'	Καρικὸν θῦμα	—	523
	ρη'	Κωφότερος κίχλης	IV 66.	524
	ρθ	Κορδύλης οὐκ ἄξιος	—	525
	ρκϛ'	Κυσὶ κανθαρὶς	—	—
	ρκζ'	Κέρδος αἰσχύνης ἄμεινον	IV 67.	—
	ρκη'	Κυρνία γῆ	—	514
	ρκθ'	Κουφότερος τοῦ Τορωνέων κτλ.	—	—
	ρνϛ'	Κράδης ῥαγείσης	—	515
	ρο'	Κριὸς τροφεῖα κτλ.	(IV 63).	—

Ο.

M I.	ιβ'	Οὐδὲν ἱερὸν ὑπάρχεις	V 47.	—
	κα'	Οὐκ ἄνευ γε Θησέως	V 33.	731
	κγ'	Οὐδὲ τὰ τρία τῶν Στησιχ. κτλ.	—	732
	κε'	Οὐδὲ πυρφόρος ἐλείφθη	V 34.	733
	κζ'	Οὐ παντὸς ἀνδρὸς κτλ.	V 37.	734
	κη'	Οὐδ' ἐγγὺς ἱππικοῦ κτλ.	—	735
	λβ'	Οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον	V 40.	736
	λζ'	Ὅταν δι' ἅρματος ἀστράψῃ	—	—
	λη'	Οἵῳ μ' ὁ δαίμων τέρατι κτλ.	V 45.	737
	λθ'	Ὅσα Μῦς ἐν Πίσσῃ	7V 46.	738

M I.	ξδ'	Ὁ περιφόρητος Ἀρτέμων	P. —	B. 739
	ο'	Ὄνου παρακύψεως	V 39.	740
	π'	Ὁ Καρπάθιος τὸν λαγὼν	—	730
	πα'	Οἰνόη τὴν χάραδραν	V 29.	701
	πγ'	Οὐ νυκτιπλοεῖς	V 32.	741
	πδ'	Οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ	V 31.	742
M II.	β'	Οὐδ' ἐν τοῖς Ἰώρου	—	718
	ζ'	Οἱ Κρῆτες τὴν θυσίαν	V 50.	719
	ιδ'	Οὐχ ὅτι Κόνωνα Τιρίβαζος κτλ.	—	—
	ιζ'	Ὁ Κρὴς τὴν θάλατταν	V 30.	702
	ιη'	Ὁ Σικελὸς τὴν θάλασσαν	V 51.	720
	κβ'	Ὅπου αἱ ἔλαφοι τὰ κέρατα κτλ.	V 52.	721
	κζ'	Οὔθ' ὕεται, οὔθ' ἡλιοῦται	V 53.	722
	λ'	Ὄϊς τὴν μάχαιραν	—	723
	μ'	Οὐδ' ἐν σελίνοις	—	714
	μγ'	Οἱ περὶ ἅλα καὶ κύμινον	—	—
	νθ'	Οὐδ' ἴκταρ βάλλειν	V 55.	724
	πδ'	Ὄρτυξ ἔσωσεν Ἡρακλῆ κτλ.	V 56.	725
	πη'	Οἰδίποδος ἀρά	V 43.	—
	ϛα'	Ὀβολὸν εὗρε Παρνύτης	—	753
M III.	β'	Οἶκοι τὰ Μιλήσια	V 57.	726
	δ'	Ὀπισάμβων	—	754
	ιδ'	Ὁ Κερκυραῖος μαστιγούμενος κτλ.	—	—
	κβ'	Ὁ παῖς τὸν κρύσταλλον	V 58.	727
	κε'	Οὐκ ἔστι δούλων πόλις	—	—
	λζ'	Οὐκ εἰμὶ τούτων τῶν κτλ.	V 60.	729
	ο'	Ὁ Λέσβιος πρύλις	—	—
	πα'	Ὁ φαλλὸς τῷ θεῷ	—	743
	πβ'	Οὐ δικάβου κάβος	—	—
	ρ'	Οἰταῖος δαίμων	V 44.	—
	ριη'	Οὐχ ἱππονεκτὰς περισσὰς κτλ.	—	—
	ρκδ'	Οὐκ ἐπαινεθείης οὐδ' κτλ.	V 28.	744
	ρλδ'	Οὐδὲν ἦν ἄρα τἆλλα κτλ.	—	700
	ρμ'	Ὁ σκνὶψ ἐν χώρᾳ	V 35.	745
	ρμβ'	Οὐ μάλα κυκᾷς	—	—
	ρμγ'	Οἶδε Πυλαία ταῦτα κτλ.	V 36.	—
	ρμζ'	Ὁ Κάριος αὗος	—	—

M III. ρξζ΄	Οὐχ ἡ Γλαύκου τέχνη	P. —	B. —
ροϛ΄	Ὁ ἐν Τεμέσῃ ἥρως	—	—

Φ.

M II. ιε΄	Φρουρεῖν ἢ πλουτεῖν	VI 32.	831
μδ΄	Φρουρῆσαι ἐν Ναυπάκτῳ	VI 33.	932
οα΄	Φιλοξένου λόγου τέτευχεν	—	933
M III. ρβ΄	Φωκαέων ἀρά	VI 35.	936
ργ΄	Φασηλιτῶν θῦμα	VI 36.	334
ρξδ΄	Φώκου ἔρανος	VI 37.	—

Similis est ordo proverbiorum, quae sub litteris *Π*, *Σ*, *T*, *Υ*, *X* leguntur. Proverbia igitur collectionum Milleri litterarum ordine disposita eodem ordine se excipiunt atque ea, quae in libris corporis Paroemiographorum inveniuntur.

Quamquam igitur Millero concedendum est trium librorum a Zenobio conscriptorum formam retinuisse codicem M, tamen nimium sibi sumit Warnkrossius, qui integrum Zenobium codice M servatum esse contendit et quaecunque proverbia in libris Schneidewinianis inveniuntur, in M desunt, ea Zenobio abiudicanda esse arbitratur. Dicit enim p. 46: Nos fundamentum aliquantum certius substruximus, cum ex collectionibus Zenobianis codicum PBV multa proverbia vero Zenobio i. e. eius fontibus abiudicaverimus, quin etiam adhuc posuerimus ipsius Zenobii libros codice Milleri contineri. Atque de proverbiorum numero perstabo in hac sententia etc.“ In singulorum autem proverbiorum narrationibus multa nullam aliam ob causam Zenobio abiudicat, quam quod in codice M ea non inveniuntur. Argumentis vero hoc fundamentum totius fere dissertationis non confirmavit. Itaque profero, quod huic sententiae obstare videtur. Zenobii enim fontes traduntur Didymi et Lucilli Tarrhaei proverbiorum farragines. Neque causam esse, cur dubitemus quin re vera Zenobius ab illis profectus sit, postea videbimus. Ante Didymum et Lucillum Aristoteles, Theophrastus, Clearchus, Chrysippus, Dionysodorus Troezenius, Demo, Aristophanes Byzantius, Aristides proverbiis colligendis operam dederunt. Qui si paulum modo diligentiae in hac re posuerunt, permagnum proverbiorum numerum coacervare potuerunt. Quam late enim usus proverbiorum apud Graecos pa-

tuerit, qui unum Platonem perlegerit, facile cognoscet. Itaque qui eandem post eos operam suscepit, ei non tam copia quam modus in constituendo suo opere quaerendus fuit. Chalcenterus igitur quin permagnam proverbiorum molem congesserit, quis dubitat? Tarrhaeum autem non solum alios excerpsisse, sed ipsum proverbiis explicandis operam dedisse, e fragmentis eius, quae ad proverbia pertinent, concludi potest. Itaque ne eius quidem collectionem exiguam fuisse elucet. Quam ob rem etsi constat amplissimos libros interdum a compilatoribus in modum exiguum redactos esse, tamen mihi persuadere non possum, Zenobium qui Hadriani temporibus floreret et primus Didymi et Tarrhaei farragines compilaret, tam tenues eas reddidisse, quam ad nostram aetatem collectiones Millerianae pervenirent. Praeterea proverbia ipsa, quae codices PHBV soli retinuerunt, non ea sunt, quae iure in suspicionem vocentur. Nonnulla enim ab eisdem auctoribus profecta sunt, quorum copias Zenobiana collectione receptas esse cod. M ipse testimonio est. Itaque Zen. IV 50 *κερκωπίζειν* explicatur: *ἡ παροιμία ἀπὸ τῶν πρὸς τῇ κέρκῳ ζώων μετενήνεκται.* Apud Suidam autem s. v. *Κέρκωπες* legimus: *ἡ δὲ παροιμία κερκωπίζειν· ἥν ὁ Χρύσιππος ἀπὸ τῶν σαινόντων τῇ κέρκῳ ζώων φησὶ μετενηνέχθαι.* Chrysippum autem in usum vocatum esse ab eis, quos Zenobius compilaverit, testimonio sunt M I *πγ'*, I *πε'*, I *πη'* alia.

Zenob. I, 13 *Ἀγαμέμνονος θυσία· ἐπὶ τῶν δυσπειθῶν καὶ σκληρῶν. Ἀγαμέμνονος γὰρ θύοντος ἐν Τροίᾳ ἔφυγεν ὁ βοῦς καὶ μόλις ληφθεὶς ἤχθη.* Macarius autem I, 9 tradit: *Ἀγαμέμνονος θυσία: ἐπὶ τῶν δυσπειθῶν καὶ ἀνυποτάκτων. Δήμων γὰρ ἱστορεῖ, ὡς Ἀγαμέμνονος θύοντος ἐν Τροίᾳ ἔφυγεν ὁ βοῦς καὶ μόλις ληφθεὶς ἤχθη.*

Bodl. 911 autem Demo ipse citatur. Praeterea Bodl. 706 et 935 a Demone profecta esse, testis est Photius s. v. *ὄνος ἄγων μυστήρια* et s. v. *Φοινίκων συνθῆκαι.* Demoni quoque tribuenda est explicatio proverbii *Μυσῶν λεία,* quod legitur apud Zen. I, 15. Contractius enim hoc loco Zenobius idem tradit, quod legitur apud Harpocrationem s. v.: *Μυσῶν λείαν· Δημοσθένης ἐν τῷ ὑπὲρ Κτησιφῶντος. παροιμία τίς ἐστιν οὕτω λεγομένη, ἥν φησι Δήμων ἐν τεσσαρακοστῇ περὶ*

παροιμιῶν τὴν ἀρχὴν λαβεῖν ἀπὸ τῶν καταδραμόντων ἀστυγειτόνων τε καὶ λῃστῶν τὴν Μυσίαν, κατὰ τὴν τοῦ Τηλέφου τοῦ βασιλέως ἀποδημίαν. κέχρηνται δὲ τῇ παροιμίᾳ ἄλλοι τε καὶ Στράττις ἐν Μηδείᾳ καὶ Σιμωνίδης ἐν Ἰάμβοις. Demonem autem adhibitum esse ad proverbia explicanda ab auctoribus Zenobii permultis locis codicis M ostendi potest.

Quae cum ita sint, de collectionibus proverbiorum, quae in codicibus M et L inveniuntur, tribus prioribus, longe aliter sentio atque Warnkrossius. Ac primum quidem dubitari nequit, quin hae tres collectiones artissime inter se cohaereant. Neque minus certum est, eas a Zenobio profectas esse. [In singulis enim proverbiorum explicationibus tantus est consensus eorum cum libris corporis Paroemiographorum, ut etiam vitia inter se communia habeant]. Sed violentius Warnkrossius agit, qui Zenobium omnibus eis proverbiis privat, quae in codice M desiderantur. Codicis M enim collectiones Zenobii copias retinuerunt non integras, sed valde recisas et decurtatas.

Reliqui codices Zenobiani, quibus Schneidewinus et Leutschius usi sunt, proverbia continent litterarum ordine digesta. Hos omnes ex eodem archetypo fluxisse vitia omnibus communia convincunt. Dividuntur autem in partes duas. Ab altera parte stant codices PH (F), qui ex bibliotheca Apollodori interpolati sunt, ab altera BVA. Schneidewinus (Praef. p. XXV) ostendit in libris PHF interpolationes nonnullas inveniri. Praeter eas, quae ex Apollodoro petitae sunt, ei videtur furtim infartum esse proverbium (I, 17) Ἀνενδεὴς ὁ θεός, quod librario christiano fortasse debetur. Praeterea proverbiorum, quae exstant V 25 et IV 32, explicationes alienis additamentis auctae sunt. Atque etiam codices BV alienis pannis conspicuos esse Schneidewinus arbitratur. Quaecunque autem et in BV et in PH inveniuntur, non dubitat Zenobio ipsi tribuere. Itaque archetypus codicum PH et BV ei non interpolatus esse visus est. De ratione autem, quae intercedat inter codices BV et PH Schneidewinus (p. XXX) haec dicit: „Manum Zenobii maxima fide refert collectio ipsius nomine insignis: assutis alienis conspicui sunt codices ABV, qui et ordinem proverbiorum de suo immutaverunt. Noster autem Zenobius decurtatus et ipse est; et

ita quidem, ut omiserit Epitomator haud pauca in ABV relicta. Contra auctores alterius collectionis retinuerunt illi quidem permulta apud Zenobium nunc omissa — nisi alienos pannos assuisse pones —, sed ut explicationum amplitudinem ubicunque videretur circumciderent.“

Longe aliter Warnkrossius de ea re sentit. Is enim (p. 13) „quis est“, inquit, „quin concedat in enarrandis singulis proverbiis codices BV multo ampliora et rectiora praebere quam deterrimos codices PH?“ Unde hoc sibi sumpserit, intellegere non possum. Cum enim codices M, PH, BV comparavissem, codices PH longe praeferendos esse codicibus BV inveni. Quoniam autem Warnkrossius ipse in singulis codicibus recensendis magnam vim tribuit testimoniis vel auctoribus allatis, unumquemque spero miraturum esse, quod, qui codices a V. D. deterrimi vocantur, nullo testimonio carent, quod in codicibus BV invenitur, multis autem locis testimonia servaverunt, quae in BV frustra quaeruntur. Inter proverbia enim CXXV, quae in M et in P et in B inveniuntur, testimonia afferuntur in M et P, quae in BV omissa sunt his locis:

M I.	νβ′	Zen. IV 18	B 476
	νζ′	III 8	338
	νη′	II 17	148
	ξζ′	III 87	366
	ξϑ′	VI 28 [1])	926
	ο′	V 39	740
	οε′	II 55	56
	πε′	II 18	149
M II.	λα′	IV 63	556 [2])
	λβ′	V 97	852
	με′	V 72	769
	νβ′	V 98	853
	νϑ′	V 55	724
	οε′	V 74	771
	ος′	V 75	772

[1]) His locis Schneidewinus non adnotavit testimonia omissa esse in B.

[2]) B 556 nihil legitur nisi: Ἐπὶ τῶν ἀχαρίστων. Τύπτουσι γὰρ οἱ κριοὶ τοὺς τρέφοντας. Hoc quoque adnotare omisit Schneidewinus.

M II.	οη'	Zen. VI 7[1])	B 867
	οθ'	V 20	641
	πα'	V 26	441
	πδ'	V 56	725
	ϛγ'	IV 79[1])	573
	ϛζ'	VI 43[1])	951
M III.	ιϛ'	V 67	762

Quales autem se praebeant codices PH et BV in enarrandis explicationibus, nonnulla proverbia ex P et B et M apposita ostendant.

I. M I. ιγ': *Τὰ ἐκ τρίποδος: Ἐπὶ τῶν ἀληθῶς λεγομένων εἴρηται ἡ παροιμία, ἐπειδή τινι πονηρῷ χρωμένῳ πολλὰ ἄτοπα ὁ θεὸς ἀνεῖλε καὶ τέλος ἐπεῖπε·*

Ταῦτά τοι ἐκ τρίποδος τοῦ Δελφοῦ ἐφράσατο Φοῖβος.

Zen. VI 3: *Τὰ ἀπὸ τρίποδος: παροιμία ἐπὶ τῶν ἀληθῶς λεγομένων, ἤτοι ἀπὸ τοῦ Δελφικοῦ τρίποδος ἢ ἀπὸ τοῦ Πυθαγορικοῦ. Τινὶ γὰρ πονηρῷ χρωμένῳ πολλὰ ἄτοπα ὁ θεὸς ἀνεῖλε καὶ τέλος ἐπεῖπε·*

Ταῦτά τοι ἐκ τρίποδος τοῦ Δελφικοῦ ἐφράσατο Φοῖβος.

B 863 = Zen. VI 3; sed in B desunt verba inde ab *Τινὶ γὰρ πονηρῷ* usque ad .. *ἐφράσατο Φοῖβος.*

II. M II. οϛ': *Πολλοὶ θριοβόλοι, παῦροι δέ τε μάντιες ἄνδρες· Φιλόχωρός φησιν ὅτι Νύμφαι κατεῖχον τὸν Παρνασσὸν τροφοὶ Ἀπόλλωνος, ἀφ' ὧν αἵ τε μαντικαὶ ψῆφοι θρίαι καλοῦνται καὶ τὸ μαντεύεσθαι θριᾶσθαι. Ἄλλοι δὲ λέγουσι τὴν Ἀθηνᾶν εὑρεῖν τὴν διὰ ψήφων μαντικήν· ἧς εὐδοκιμούσης μᾶλλον τῶν Δελφικῶν χρησμῶν, τὸν διαχειριζόμενον* (sic) *τῷ Ἀπόλλωνι ψευδῆ καταστῆσαι τὴν διὰ τῶν ψήφων μαντείαν. Πάλιν οὖν τῶν ἀνθρώπων ἐπὶ τοὺς Δελφικοὺς ἐρχομένων χρησμοὺς τὴν Πυθίαν εἰπεῖν·*

Πολλοὶ θριοβόλοι, παῦροι δέ τε μάντιες ἄνδρες.

Zen. V 75: *Πολλοὶ θριοβόλοι, παῦροι δέ τε μάντιες ἄνδρες: Φιλόχορός φησιν ὅτι Νύμφαι κατεῖχον τὸν Παρνασὸν τροφοὶ Ἀπόλλωνος τρεῖς, καλούμεναι Θριαί,*

---

[1]) His locis Schneidewinus non adnotavit testimonia omissa esse in B.

ἀφ' ὧν αἵ τε μαντικαὶ ψῆφοι θριαὶ καλοῦνται καὶ τὸ μαντεύεσθαι θριᾶσθαι. Ἄλλοι δὲ λέγουσι τὴν Ἀθηνᾶν εὑρεῖν τὴν διά τῶν ψήφων μαντικήν· ἧς εὐδοκιμούσης μᾶλλον τῶν Δελφικῶν χρησμῶν, τὸν Δία χαριζόμενον τῷ Ἀπόλλωνι ψευδῆ καταστῆσαι τὴν διὰ τῶν ψήφων μαντικήν. Πάλιν οὖν τῶν ἀνθρώπων ἐπὶ τοὺς Δελφικοὺς ἐρχομένων χρησμοὺς τὴν Πυθίαν εἰπεῖν·
Πολλοὶ θριοβόλοι, παῦροι δέ τε μάντιες ἄνδρες.

B 772: *Πολλοὶ θριοβόλοι, παῦροι δέ τε μάντιες ἄνδρες: Θρίαι αἱ μαντικαὶ ψῆφοι· καὶ θριεύεσθαι τὸ μαντεύεσθαι.*

III. M III. *ι': Κεστρεὺς νηστεύει: Αὕτη λέγεται ἐπὶ τῶν δικαιοπραγούντων μὲν οὐδὲν δὲ πλέον ἐκ τῆς δικαιοσύνης ἐπιφερομένων. Ὁ γὰρ κεστρεὺς τῶν ἄλλων ἰχθύων ἀλληλοφαγούντων μόνος ἀπέχεται τῆς σαρκοφαγίας· νέμεται δὲ τὴν ἰλὺν ταλαιπωρούντων* (corr. post.), *ὥς φησὶν Ἀριστοτέλης ἐν τῇ η' Περὶ ζώων.*

Zen. IV 52: *Κεστρεὺς νηστεύει: παροιμία ἐπὶ τῶν πάνυ λαιμάργων. Τοιοῦτον γάρ ἐστιν ἄπληστον ὁ κεστρεύς, ὡς ἐκ τούτου τοὺς κεχηνότας καὶ πίνοντας κεστρεῖς ἔλεγον ὡς λαιμάργους.*

Ἄλλοι δὲ φασὶ τὴν παροιμίαν ἐπὶ τῶν δικαιοπραγούντων μὲν, οὐδὲν δὲ πλέον ἐκ τῆς δικαιοσύνης ἀποφερομένων. Ὁ γὰρ κεστρεὺς τῶν ἄλλων ἰχθύων ἀλληλοφαγούντων μόνος ἀπέχεται τῆς σαρκοφαγίας· νέμεται δὲ τὴν ἰλὺν ταλαιπωρῶν, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης περὶ ζώων.[1])

B 539: *Κεστρεὺς νηστεύει: Ἐπὶ τῶν λαιμάργων. Ἄλλοι δὲ ἐπὶ τῶν δικαιοπραγούντων εἰρῆσθαι φασίν. Ἰλὺν γὰρ ἐσθίει μόνην κεστρεὺς ὥς φησὶν Ἀριστοτέλης ἀλλ' οὐκ ἀλληλοφαγεῖ ὥσπερ τὰ λοιπά.*

Eodem modo plurimis locis proverbiorum explicationes in codicibus BV eadem praebent atque codices PH sed decurtata et in angustum contracta. Quamquam autem codices PH omnino meliores et ampliores sunt, tamen sunt loci, ubi codices

---

[1]) De codicis B varia scriptura nihil adnotat Schneidewinus.

BV nonnulla ad singula verba emendanda vel quamvis pauca ad universas explicationes augendas afferant.

Eidem archetypo atque codices BV et PH tribuenda est ea collectio, quae Diogeniani nomine fertur. Apud Diogenianum enim et series proverbiorum fere eadem est atque in codicibus Zenobianis et explicationes singulorum proverbiorum cum Zenobio consentiunt. Neque tamen universam hanc farraginem Zenobiano codici deberi sed inesse in ea vestigia farraginis Diogeniani Warnkrossius putat. Haec igitur colletio videtur ei confluxisse e Zenobio et Diogeniano; eodem modo codices BV et Zenobii et Diogeniani copias continere coniunctas. Videamus quibus causis sententiam suam confirmaverit. Ac primum „neque saepissime intellegimus“, inquit, „cur cod. P proverbia quaedam omiserit, nisi negamus ea in archetypo fuisse sed ex exemplari Diogeniani in cod. B inlata esse, praeter talia videlicet, quae, si complures eandem conlectionem transscribunt, unus alterve non potest non omittere. Sic e proverbiis, quae in cod. B leguntur 162^a—192, nullum in cod. P invenitur, pleraque in Diogeniano etc.“ (p. 21). Quamquam autem omnino difficile est intellectu, quibus rationibus compilatores posterioris aetatis in libris decurtandis ducti sint, tamen quo factum sit, ut cod. B proverbia 162^a—192 in P desint, facile intellegitur. Omnino enim sub littera A exstant in cod. B proverbia 1—207, in P I, 1—II, 59; Proverbia autem codicis B 162^a—207 omnia desunt praeter 169 = P V, 43, 193 = I, 60, 201 = II, 36.

Itaque codicis P compilator, quod credidit se satis multa proverbia sub littera A contulisse, quae ultima sub hac littera in archetypo exstabant, consulto omisit. Idem accidit ultimis eorum proverbiorum, quae in archetypo sub litteris *B, Γ, H, K, M, Π, Φ, X* legebantur.

Neque in ea re cum Warnkrossio consentio, quod dicit: „Sane multa insunt — scil. in collectione Diogenianea, — quae cum Bodleianus solus e ceteris codicibus Zenobii servet, *idque e Diogeniani libro expilaverit*, quis est qui vero Diogeniano abnuere ausit? (p. 23). Neque enim V. D. demonstravit, codicem B e Diogeniano expilatum esse. Nam inter ea proverbia, quae et in collectione Diogeniani et in B inveniuntur

eadem ratio intercedit, atque inter ea, quae cum in B et Diog. tum in P inveniuntur: omnes fere proverbiorum narrationes codex B praebet meliores et ampliores quam Diogenianus.

Nonnulla deinde proverbia Warnkrossius Zenobio abiudicat, quod lemmatum formae aliae sunt in P, aliae in B et apud Diogenianum. Ita e. g. in P I, 49 invenitur: *Ἀκαρπότερος εἶ Ἀδώνιδος κήπων*, B 18 et Diog. I, 14 *Ἀδώνιδος κῆποι*. Hoc alterum igitur proverbium Warnkrossio videtur a vero Diogeniano profectum esse. Sed *Ἀδώνιδος κῆποι* etiam a Platonis scholiasta ad Phaedr. (275) explicatur. Hunc autem eosdem auctores secutum esse atque codicis P compilatorem ipse Warnkrossius demonstravit. Ceterum cum Zenobius Didymum et Tarrhaeum compilaverit, qui ipsi complures auctores in usum vocaverint, mirum esset, si apud Zenobium saepius idem proverbium variis verbis non esset traditum. Singulorum autem codicum scriptores, cum eiusdem proverbii formae variae in archetypo exstarent, nonnunquam alius aliam expilaverunt.

Longius quam Warnkrossius in libro supra citato M. Schmidtius progreditur. Hic enim et in codicibus PHBV et in codicibus Diogenianeis continua proverbia invenit ita disposita, ut non solum primae cuiusque litterae rationem haberent, sed accuratiorem litterarum ordinem observarent. Cum autem Hesychius in epistula ad Eulogium data dicat: *προέθηκε δὲ* — scil. *Διογενιανὸς* — *κατ' ἀρχὴν ἑκάστης λέξεως τριῶν ἢ τεσσάρων στοιχείων τάξιν,* idem a Diogeniano factum esse in peculiari sua proverbiorum collectione Schmidtio verisimile esse visum est. Itaque proverbiorum illa agmina accuratiore litterarum ordine digesta genuinae collectionis Diogenianeae quamvis recisae reliquias esse arbitratur. Neque tamen deest, quod Schmidtii sententiae obstet. Ac primum in epistula ad Eulogium data legimus Diogenianum lexicographum in vocabulis disponendis priores tres vel quattuor litteras respexisse. Haec autem non neglegenter ab Hesychio prolata sed vera esse, lexicon Hesychii ipsum docet. Si igitur Diogenianus collectionem proverbiorum conscripsit eamque eodem modo atque lexicon suum litterarum ordine disposuit, eum non duarum sed trium vel quattuor priorum litterarum ordinem observasse ex-

spectamus. Hunc vero ordinem frustra quaerimus in Schmidtii reliquiis Diogenianeis. Praeterea nonnulla proverbia, quae a Schmidtio tributa sunt genuino Diogeniano, inveniuntur eodem modo explicata in codice M. Hunc autem e Diogenianea collectione interpolatum esse nemo contendet. Sic eorum proverbiorum, quae sub A in serie illa Schmidtiana leguntur, haec in cod. M inveniuntur:

M I. ξ' Αἰάντειος γέλως
ξε' Ἀβυδηνὸν ἐπιφόρημα
II. λε' Αἰγιέες οὔτε τρίτοι οὔτε τέταρτοι
λη' Ἄκουε τοῦ τέτταρα ὦτα ἔχοντος
ϟβ' Ἄμες ποθ' ἦμες
III. α' Ἀμουσότερος Λειβηθρίων
λβ' Ἅιδε τὰ Τέλληνος
ξζ' Ἀρχύτου πλαταγή
ϟς' Ἀκκώ
ρζ' Ἀκάνθιος τέττιξ
ρλς' Ἀκεσίας ἰάσατο
ρξ' Ἀμελὴς γωνία[1]).

Quae cum ita sint, longe aliter sentio de illis proverbiorum ordinibus atque Schmidtius. Is enim, qui archetypum et codd. PHBV et codd. Diogeniani composuit, primum quidem accuratiore litterarum ordine in proverbiis digerendis uti conatus est, deinde autem neglegentior factus, nisi ubi facile fieri potuit, alterius litterae rationem non habuit. Haec sententia ea quoque re confirmatur, quod initio collectionum sub littera A permagnus numerus proverbiorum legi illi a Schmidtio inventae oboedit, sub reliquis autem litteris pauca modo proverbia inveniuntur, quae Schmidtius Diogeniano tribuere potuit.

Quae cum ita sint, neque Schmidtio neque Warnkrossio concedo, in collectionibus eis, quae Diogeniani nomine feruntur, genuinae collectionis Diogenianeae vestigia inveniri. Si vero

---

[1]) Qua in re considerandum est in collectionibus proverbiorum adhuc superstitibus non integras servatas esse Didymi et Tarrhaei copias. Itaque si quis dicit, Diogenianum et Zenobium ex eisdem fontibus hausisse, ei opus est explicare, quomodo factum sit, ut ex fontibus amplissimis et apud Zenobium et Diogenianum eadem misera fragmenta relicta sint.

eam collectionem Diogenianeam, quam e codice Vindobonensi in corp. vol. II. Leutschius edidit, cum Diogeniano prioris voluminis et cum Zenobio conferimus, archetypum earum collectionum, quae Diogeniano tribuuntur, simillimum fuisse Zenobio invenimus. Huc accedit, quod Diogeniani proverbiorum collectio nusquam commemoratur, nisi ab Apostolio. Schottum enim, qui Suidae sub. v. *Διογενειανὸς* proverbiorum memoriam obtrudere voluit, refutaverunt C. F. Ranke[1]), Welcker[2]), Weber[3]) alii.

Jam quaeritur, quo factum sit, ut collectionibus proverbiorum Pseudo-Diogenianeis Diogeniani potissimum nomen praeponeretur. Cui percontationi respondere non est difficile. Inscriptum est enim eis: *Παροιμίαι δημώδεις ἐκ τῆς Διογενιανοῦ συναγωγῆς*. Hic titulus iam Schneidewinum (Praef. p. XXVIII) adeo offendit, ut eum a Diogeniano ipso collectioni proverbiorum adscriptum esse negaret. Cum autem codicis Bodleiani nomine auctoris carentis proverbia inscribantur „*Παροιμίαι δημώδεις*“ suspicio oritur libros Pseudo-Diogenianeos ex archetypo ductos esse, qui eandem inscriptionem atque c. Bodleianus in fronte gesserit. Praeterea Diogeniano Leutschiano in corp. Par. I. p. 177 sq. praemissa est praefatio *Διογενιανοῦ περὶ παροιμιῶν*. Haec edita est ex codice Parisino 1773, codici Bodleiano simillimo. M. de Nolhac[4]) qui nuper hunc codicem inspexit haec invenit: „Le recto du f. 34 porte à l'encre rouge le titre *Διογενιανοῦ περὶ παροιμιῶν* et contient le petit traité, qui occupe encore les deux tiers du verso. A la fin du traité commence d'une autre plume le recueil des proverbes, séparé du texte du traité par une ligne vide et le titre rouge: „*παροιμίαι δημώδεις κατὰ στοιχεῖον*“. Tout en haut du verso est un autre titre à l'encre rouge, qui paraît avoir été oublié en tête du recueil des proverbes et avoir été porté après coup en haut de la page: *Ζηνοβίου ἐπιτομὴ τῶν Ταρραίου καὶ Διδύμου παροιμιῶν συντεθεῖσα κατὰ*

---

[1]) C. F. Ranke, De lexici Hesychii vera origine etc.

[2]) Welcker, Mus. Rhen. Nov. 1834 p. 470 (kl. Schr. II. p. 587).

[3]) Weber, Philolog. III. suppl. 1878.

[4]) Et huic viro doctissimo et Henr. Weilio, viro illustrissimo gratias quas debeo, hoc loco ago quam maximas.

στοιχεῖον. Les proverbes finissent au f. 61 v. par une souscription à l'encre rouge du copiste Bartholomaeus Comparinos." Verba *Ζηνοβίου ἐπιτομὴ κτλ.* nullius momenti videntur esse. Nam manifestum est, ea posteriore tempore collectioni anonymae adiuncta esse ab homine quodam, qui Zenobii libros non ignoravit. Huius igitur collectionis inscriptio eadem est atque codicis B. Tractatus vero de proverbiis compositus et proverbia ipsa neque uno titulo comprehenduntur neque tam arte connexa sunt, ut unius operis altera pars tractatus Diogeniani, altera proverbia ipsa esse videantur. E libro autem cod. Parisino simillimo archetypus codicum Pseudo-Diogeniani descriptus est. Quo in archetypo tractatus inscriptio: *Διογενιανοῦ περὶ παροιμιῶν* et verba *παροιμίαι δημώδεις κατὰ στοιχεῖον* ita in unum coaluerunt, ut titulus oreretur: *παροιμίαι δημώδεις ἐκ τῆς Διογενιανοῦ συναγωγῆς.*

Postquam de singulis libris Zenobianis dictum est, de fontibus eius disseram. Quam quaestionem nonnulla etiam allaturam esse spero ad variorum Zenobii codicum naturam illustrandam.

Quibus fontibus Zenobius usus sit et qua ratione opus suum instituerit tribus locis discimus. Ac primum apud Suidam s. v. invenimus eum scripsisse „*ἐπιτομὴν τῶν παροιμιῶν Διδύμου καὶ Ταρραίου ἐν βιβλίοις τρισίν.*" In prima deinde cod. M collectione titulus legitur: *(Ζηνο)βίου ἐπιτομὴ τῶν Ταρραίου καὶ Διδύμου παροιμιῶν.* Cod. P autem inscribitur: *Ζηνοβίου ἐπιτομὴ ἐκ τῶν Ταρραίου καὶ Διδύμου παροιμιῶν συντεθεῖσα κατὰ στοιχεῖον.* Verba *συντεθεῖσα κατὰ στοιχεῖον* non genuinae collectionis fuisse sed ab eo apposita esse, qui posteriore tempore Zenobii proverbia litterarum ordine disposuit, apparet e cod. M. Mirum enim esset, si quis librum, in quo proverbiorum series litterarum ordinem observavit, ita excerpsisset, ut collectio excerpta nec volam nec vestigium prioris ordinis praeberet. Itaque cum Warnkrossio fidem habemus Suidae, qui Zenobianam collectionem in tres libros divisam fuisse dicit. Didymus autem tredecim libros proverbiorum, Tarrhaeus tres scripsit. Cum igitur numerus librorum Tarrhaei idem est atque Zenobianus, hoc quoque Warnkrossio concedendum est, verisimile esse, Zenobium in proverbiis disponendis

non Didymum sed Tarrhaeum secutum esse. Pergit autem Warnkrossius ita (p. 26): „Quomodo autem Lucilli libris tribus etiam Didymi tredecim libros inseruerit, id quod tituli illi nos docere videntur, fingere mihi non possum, nisi sumere licet, iam Lucillum ipsum Zenobio rationem proverbia adornandi praecepisse cum ipse Didymi libros in brevius coegisset suisque copiis diligenter congestis auxisset. Hanc opinionem confirmare videtur testis quidam antiquitatis, quem solum Zenobii librum laudasse Schneidewinus concedere debebat, anonymus Scholiasta Aristot. Rhetor. (II p. 42) cum citat ὡς ὁ Κρατερός φησιν ἢ Δοῦρις ἐν τῷ βιβλίῳ τῶν παροιμιῶν Ζηνοβίου ἀπὸ τοῦ Ταρραίου (scil. Zen. II 28 = M III ϛ')."

At cur oportet Lucillum ipsum Didymi libros in brevius coegisse? Nonne potuit Zenobius eadem ratione ac Tarrhaeus proverbia digerere hisque proverbiis in tres libros divisis Didymea proverbia inserere eiusque explicationes adiungere? Deinde quod affert V. D. testimonium mea quidem sententia nullius est pretii. Illum enim Zenobii librum per neglegentiam ita citare censeo, ut inscriptionis verba Ζηνοβίου ἐπιτομὴ τῶν Ταρραίου κ. Διδύμου παροιμιῶν in angustum contrahat.

Obstare autem Warnkrossii sententiae aliud videtur. Quaeritur enim, num verba ἐπιτομὴ τῶν Ταρραίου καὶ Διδύμου παροιμιῶν omnino significare possint: compendium Tarrhaei collectionis, quae ipsa excerpta est ex Didymi farragine. Quam rem ut diiudicemus, Naberi quoque sententia respicienda est. Ille enim in praef. lexici Photii p. 42 suspicatus est Zenobii librum compendium esse Didymeae collectionis, qui ipse Tarrhaei libros in usum vocasset. Haec sententia nititur in observatione, quam antea (p. 10) explicavit dicens: „Photius v. ῥόμβος interpretatus in fine addit οὕτως Εὔπολις· Schol. autem Apoll. Rhod. α. 1138 qui paulo plenior est: Ἄλλοι δὲ ῥύμβον καλοῦσιν ὡς Εὔπολις ἐν Βάπταις καὶ Δίδυμος. Vides quid hoc sit. Didymus confirmat scripturam ῥύμβον testimonio Eupolidis: Εὔπολις καὶ Δίδυμος h. e.: Eupolis apud Didymum. Sic Θέων καὶ Δίδυμος significat: Theo secutus Didymum, Theo qui utitur testimonio Didymi, Didymus apud Theonem. Est haec loquendi ratio fere perpetua apud

Grammaticos. Sed intelligo, quid contradicas: Hesychium dicere debuisse inverso ordine *Δίδυμος καὶ Θέων*. Immo perinde est quomodo dicas. Habes apud Athenaeum XI. 487 C: *Δίδυμος καὶ Πάμφιλος·* at schol. Arist. Av. 58 *Σύμμαχος καὶ Δίδυμος;* uterque tamen Pamphilus et Symmachus Didymo iuniores sunt. Schol. Arist. Lysistrat. 313 *Δίδυμος καὶ Κράτερος,* Didymus tamen usurpavit Craterum non contra. In Etym. Gud. 73, 28 *Δίδυμος καὶ Τρύφων*, sed in Etym. M. 148, 8 *Ἡρωδιανὸς καὶ Δίδυμος*. Didymus tamen est utroque antiquior. Imprimis luculentum exemplum est petitum a Stephano Byz. laudato a Schmidtio p. 352, ubi tum *Διόδωρος καὶ Δίδυμος* legitur, tum *Δίδυμος καὶ Διόδωρος*, ut intellegas, nihil interesse, utrius nomen prius ponatur." Itaque hoc quoque loco verba *Ταρραίου καὶ Διδύμου* significare putat: Tarrhaei quem excerpsit Didymus. Hoc tamen V. D. concedere non possum. Permultum enim interest inter locos ab eo citatos et hunc Zenobiani libri titulum. Illis enim locis per neglegentiam quandam citandi dici potuit e. g. *Εὔπολις καὶ Δίδυμος* pro: Eupolis in libro Didymi. Sed mirum esset, si Zenobius in libro suo inscribendo eadem neglegentia usus esset. Itaque ne licet quidem tituli verba interpretari: Zenobii compendium proverbiorum Tarrhaei, qui ea e Didymo petivit. Quamobrem si recte sentiat Warnkrossius Tarrhaeum Didymi libros in angustum coegisse eiusque epitomen excerptam a Zenobio inscriptam esse: *ἐπιτομὴ τῶν Ταρραίου καί Διδύμου παροιμιῶν,* fieri non potest, quin Tarrhaei libri ipsi inscripti fuerint: „*Ταρραίου καὶ Διδύμου παροιμίαι*". Huic tamen rei videtur obstare quod Stephani Byz. auctor[1]) dicit s. v. *Τάρρα ... Λούκιος δ' ἦν ἀπὸ Τάρρας τῆς Κρητικῆς πόλεως. φέρεται δὲ τούτου τὰ περὶ παροιμιῶν τρία βιβλία ἄριστα.* Is igitur Tarrhaei proverbia in libros tres divisa fuisse dicit, libros ipsos optimos esse iudicat. Qui si Didymi nomen cum Tarrhaeo coniunctum in titulo invenisset, hoc silentio vix praeterisset.

Quae cum ita sint, nulla re adhuc Warnkrossii sententia prae ea commendatur, quam ante Naberum omnes viri docti de Zenobianae collectionis auctoribus tulerunt. Iam videamus,

[1]) Cfr. Niese de Steph. Byz. auct. p. 29.

num quid certius e fragmentis Didymi aut Tarrhaei concludi possit. Qua in re sequamur Warnkrossium, qui (p. 27 sq.) primum Didymi fragmenta recensuit. Collecta haec sunt a Schneidewino in praef. p. XIV et M. Schmidtio p. 396 sqq.

Ac primum quod invenitur apud Photium 533[b] 17 (B), sumptum est ex Helladio. Legitur autem: *ὅτι παροιμίαν εἶναί φησι τὸν δεξιὸν ὑποδεῖσθαι πόδα, τὸν δ' ἀριστερὸν νίζειν, φησὶ γὰρ ὁ Πολέμων, ὡς μαρτυρεῖ Δίδυμος, δεξιὸν εἰς ὑπόδημα, ἀριστερὸν εἰς ποδάνιπτρα.* Prellero haec Photius videtur amputavisse, ut quid Polemo de hoc proverbio dixisset, dignosci non amplius posset. Illud enim *δεξιὸν — ποδάνιπτρα* solemnem huius proverbii formulam esse. Warnkrossius se non intellegere confitetur, quid sibi velit Prellerus, ac pergit: „nam ex illo proverbio quod Polemo teste Didymo affert, colligitur, illis etiam verbis quae antecedunt proverbium idem contineri". Qui illud. recte videtur dicere non necesse esse, Photium Polemonis verba amputavisse. Hoc tamen recte animadvertit Prellerus nos nescire, quomodo Polemo proverbium *δεξιὸν εἰς ὑπόδημα, ἀριστερὸν εἰς ποδάνιπτρα* explicaverit. Helladius enim dicit Photio auctore verba *τὸν δεξιὸν — νίζειν* in proverbii consuetudinem venisse. Quod ut demonstret, affert quam proverbii formulam selemnem Polemo apud Didymum tradiderit. Apud Zenobium III, 36 legitur: *Δεξιὸν εἰς ὑπόδημα, ἀριστερὸν εἰς ποδάνιπτρον. ἐπὶ τῶν ἁρμοδίως τοῖς πράγμασι κεχρημένων.* In Suidae lexico autem inveniuntur verba: *Δεξιὸν — ποδανίπτραν· Ἀριστοφάνης ἐπὶ τῶν ἁρμοδίως τὰ πράγματα κεχρημένων.* Itaque Suidae explicationem cum Zenobio arte cohaerere, quis est, quin Warnkrossio concedat? Sed quoniam nescimus, quomodo Didymus proverbium explicaverit, Zenobii explicationem alienam fuisse a Didymo dicere non possumus. Quod autem apud Millerum hoc proverbium omittitur, omnino id a Zenobio neglectum esse non licet contendere. Itaque hoc fragmentum ad rem dignoscendam nullius fere est pretii.

II. Alterum fragmentum Didymi nomine insigne invenitur apud Zenobium II 31: *Αὐτῷ κανῷ· αὕτη τάττεται κατὰ τῶν ἄρδην ὁτιοῦν λυμαινομένων. Φησὶ γὰρ ὁ Δίδυμος ὅτι τὰ δεῖπνα ἐπὶ κανῶν ἐκομίζετο. Καθάπερ ἐν Γρυφὶ λέγει*

καὶ Πλάτων· Ἀνηρπάκασ' ἀπαξάπαντ' αὐτῷ κανῷ. Warnkrossius de hoc loco dicit: „Videtur Zenobius auctorem excerpere, qui Didymum tanquam testem attulerit." Quod V. D. concedere non possum. Neque enim intellego, cur non Zenobius ipse verba antecedentia, quae fortasse Tarrhaeo tribuenda sunt cum Didymeis coniungere potuerit.

III. Zen. IV 20: *Ἡ Ἀμαία τὴν Ἀζησίαν μετῆλθεν: ἱστορεῖ Δίδυμος, ὅτι Ἀμαία μὲν ἡ Δημήτηρ παρὰ Τροιζηνίοις προσαγορεύεται. Ἀζησία δὲ ἡ Κόρη. Ἀπὸ γοῦν τῆς ἱστορίας ἡ παροιμία προήχθη. Λέγεται δὲ ἐπὶ τῶν πολυχρονίῳ ζητήσει χρωμένων. Πλούτωνος γὰρ Περσεφόνην ἁρπάσαντος ἡ Δημήτηρ ἀνὰ πᾶσαν τὴν γῆν περιήει ταύτην ζητοῦσα.* Nec hic quidem est cur negemus, Didymum a Zenobio ipso citari.

IV. Hesych. s. v. *Λιμοδωριεῖς· οὕτως ἐκλήθησαν οἱ ἀπὸ Πελοποννήσου, ἀφορίας χαλεπῆς ἐκεῖ γενομένης, ἀποικισθέντες διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν, καὶ κατοικήσαντες περὶ Ῥόδον καὶ Κνίδον· Δίδυμος δὲ τοὺς περὶ τὴν Οἴτην κατοικοῦντας, οὕτω λέγεσθαι, διὰ τὰ λιμώττειν καὶ μοχθηρὰν ἔχειν ταύτην.* Apud Plut. I 34 leguntur: *Λιμοδωριεῖς: σιτοδείας ποτὲ γενομένης ἐν Πελοποννήσῳ ἐφόδιά τινες λαβόντες ἀπῆραν· πλανωμένους δὲ αὐτοὺς ἀπεδέξατο ἡ ἐν Ῥόδῳ Τρίπολις· ἐκλήθησαν δὲ διὰ τοῦτο Λιμοδωριεῖς.* Gravior hic locus Warnkrossio videtur esse. Zenobium enim priorem tantum sententiam recepisse dicit, quod mirum esset, si Didymi libros in brevius redigere voluisset. Sed alius est Zenobius alius collectionis Plutarchi epitomator. Qui quam valde Zenobii collectionem decurtaverit, statim cognoscet qui eum cum codd. M et PH comparaverit. Praeterea Hesychii locus fortasse ipse e cod. quodam Zenobiano petitus est. Itaque ne hic quidem locus ad sententiam Warnkrossii affirmandam mihi quidquam videtur afferre.

V. Apud Harpocrationem verba leguntur s. v.: *περὶ τῆς ἐν Δελφοῖς σκιᾶς· Δημοσθένης Φιλιππικοῖς. Δίδυμός φησι τὴν περὶ ὄνου σκιᾶς παροιμίαν παραπεποιῆσθαι ὑπὸ τοῦ ῥήτορος περὶ τῆς ἐν Δελφοῖς σκιᾶς, λέγεσθαι δὲ αὐτὴν ἐπὶ τοῖς περὶ τῶν μηδενὸς ἀξίων μαχομένοις.* Warnkrossius negat Didymeae sententiae ullum vestigium apud Zenobium

inveniri. Itaque Zenobii collectionem non esse epitomen collectionis Didymeae. Videamus num recta sint quae V. D. profert. Ac primum Harpocrationis locus aut e Didymi libris proverbiorum petitus est aut alii cuidam libro eius debetur. Si ex alio Didymi libro sumptus est, ad nos non pertinet. Sin autem in Didymi libris proverbiorum hoc fragmentum exstitit, quid sequitur? Warnkrossius Tarrhacum Didymi libros in brevius coegisse suisque copiis diligenter congestis auxisse arbitratur. Quae sententia si vera est, unusquisque exspectabit Didymea verba in Tarrhaci libros recepta esse. Itaque si Zenobius Tarrhaeum solum compilavisse statuimus, eodem iure Didymi vestigia apud eum inveniri exspectabimus, ac si Didymi et Tarrhaei libros in unum coegit.

Praeterea ne constat quidem sententiam Didymeam, quam Harpocratio tradiderit, a Zenobio omnino alienam esse. Verba enim codicis P (Zen. VI 28) inde ab *ἄλλοι δὲ κτλ.* Didymeam sententiam praebent quamvis corruptam et perversam. Ea certe non ita a Zenobio ipso profecta sed a compluribus librariis deinceps male tractata sunt. Neque propterea Zenobio omnino abiudicanda mihi videntur esse, quod apud Millerum et Platonis scholiastam desunt. Didymeam autem sententiam apud Zenobium incipere verbis: *ἄλλοι δέ φασι* non mirum est. Nam apud Zen. V 85 ea verba, quae Tarrhaei esse scholiasta Platonis docet, incipiunt *τινὲς δὲ ἀπὸ Σαρδόνος* vel apud Millerum *Λέγουσι δὲ ὅτι ἐν Σαρδόνῃ κτλ.* Hac re nihil aliud demonstratur, quam quae collectiones Zenobii nomine nunc feruntur, eas omnes valde contractas et decurtatas esse.

Ceterum ne id quidem certe compertum habemus, utrum Harpocratio universam Didymi explicationem receperit an ea tantummodo, quae ad Demosthenis verba *περὶ τῆς ἐν Δελφοῖς σκιᾶς* pertinent. Itaque omnino ignoramus, utrum cetera Zenobii verba Didymo debeantur, an a Tarrhaeo profecta sint. Quamobrem ne hoc quidem fragmentum adhiberi potest ad sententiam Warnkrosii probandam.

VI. Athenaeus II 67 d: *Ὄξος τοῦτο μόνον Ἀττικοὶ τῶν ἡδυσμάτων ἥδος καλοῦσι. κάλλιστον δ' ὄξος εἶναί φησι Χρύσιππος ὁ φιλόσοφος τό τε Αἰγύπτιον καὶ τὸ Κνίδιον. Ἀριστοφάνης δὲ ἐν τῷ Πλούτῳ φησὶν „Ὄξει διέμενος Σφητ-*

τίῳ". Δίδυμος δ' ἐξηγούμενος τὸ ἰαμβεῖόν φησιν „Ἴσως διότι οἱ Σφήττιοι ὀξεῖς" μνημονεύει δέ που καὶ τοῦ ἐκ Κλεωνῶν ὄξους ὡς διαφόρου „Ἐν δὲ Κλεωναῖς ὀξίδες εἰσὶ κτλ.

Append. IV. 29 — cod. BV —: ὄξος Σφήττιον: ἴσως οἱ Σφήττιοι ὀξεῖς ἦσαν. Εἰσὶ δὲ δῆμος Ἀττικῆς. Quae verba plane consentiunt cum Didymo. Cur ea aliunde in codices B(V) fluxisse Warnkrossius arbitretur non intellego.

VII. Schol. Plat. in Cratyl. H. p. 235. (Bekk. p. 369) χαλεπὰ τὰ καλά] παροιμία ἐπὶ τῶν ἐν εὐπραγίᾳ μεταβαλλομένων εἰς ὠμότητα. φησὶ δὲ αὐτὴν Δίδυμος ὑπὸ Σόλωνος ἀναφωνηθῆναι ἐπὶ Πιττακῷ ἱκετεύοντι τὴν ἀρχὴν ἀποθέσθαι, καὶ φάντι χαλεπὸν ἐσθλὸν φῦναι διὰ τὸ τὸν Περίανδρον εἰς ὠμότητα μεταβαλεῖν. ὅθεν οἶμαί φησι καὶ Μένανδρος.

ἀρχὴ μεγίστη τῶν ἐν ἀνθρώποις κακῶν
ἀγαθὰ τὰ λίαν ἀγαθά.

μέμνηται δὲ αὐτῆς καὶ Ἐπίχαρμος καὶ Πλάτων Πολιτείᾳ καὶ Κρατύλῳ.

De hoc scholio Warnkrossius haec dicit: „Si huius sermo ita decurrit ut post Didymi verba auctor opinor scholiastae pergat „ὅθεν οἶμαι φησὶ καὶ Μένανδρος aliique" quis est, quin concedat, hunc auctorem iam Didymi commentarios in suum librum recepisse? Scholiasta igitur apud eum, qui Didymi sententiam amplectebatur, sc. Lucillum invenit ex eiusque libris Didymi verba sumpsit." Dubito num Warnkrossius hunc locum recte interpretatus sit. Huius enim auctor Didymi explicationem referens ex oratione obliqua in orationem directam verbis „ὅθεν οἶμαι, φησὶ, καὶ Μένανδρος videtur transire. Haec verba igitur significant: „unde ni fallor — inquit scil. Didymus — etiam Menander etc." Itaque verba ὅθεν οἶμαι καὶ Μένανδρος κτλ. ipsius Didymi sunt. Subiectum autem enuntiati Μένανδρος verbo finito carere non mirum est. Verbum enim saepissime a grammaticis omittitur, si eiusmodi testimonia ab iis afferuntur. Confer e. g. schol. ad Lys. p. 293 Herm.: λέγεται δέ τις καὶ παροιμία ἀπὸ τούτου οἷον· Χῖος παραστὰς Κῷον οὐκ ἐάσω· ἀφ' οὗ καὶ Στράττις Λιμνοπέδαις· „Χῖος παραστὰς Κῷον οὐκ ἐᾷ λέγειν." ἔπαιζον δὲ κτλ. vel schol. ad Charm. H. 289 s. v. λευκὴ στάθμη.

Sed concedam Didymea non a scholiasta ipso excerpta esse sed per alium quendam in scholia pervenisse, qua re demonstratur hunc alium Lucillum fuisse? Idem proverbium explicatur in schol. ad Hipp. M. (H. p. 327, Bekk. p. 394). Hoc loco quae historia a Didymo profecta esse in schol. ad Crat. traditur ibique oratione obliqua breviter refertur, eadem Didymi nomine omisso accuratius directa narratur. Huc accedunt verba: *οἱ δὲ ἐπὶ ἀδυνάτου τὸ χαλεπὸν ἀκούουσιν. ἐπὶ πάντων γὰρ γενέσθαι ἀγαθὸν ἀδύνατον.* Eadem fere leguntur apud Zenobium VI. 38. Haec cur posteriori interpolatori potius quam Zenobio ipsi tribuam, non video. Zenobium autem Didymea non ipsum excerpsisse sed per alium quendam accepisse ne hoc quidem loco probatur.

Ceterum quae in schol. ad Cratyl. et quae in schol. ad Hipp. M. et apud Zenobium leguntur, ex eodem fonte mihi videntur fluxisse. Alterius autem compilatoris plus intererat historiam accuratius tradere, alterius testimonia scriptorum servare. Praeterea codicis P explicatio initium capit a verbis *παροιμία ἧς μέμνηται καὶ Πλάτων.* Verba autem schol. ad. Crat. ultima sunt *μέμνηται δὲ αὐτῆς καὶ Ἐπίχαρμος καὶ Πλάτων Πολιτείᾳ καὶ Κρατύλῳ.*

Verba igitur cod. P. *καὶ Πλάτων* vestigia mihi videntur esse complurium testimoniorum, quae in archetypo cod. P exstiterunt.

Quae cum ita sint e Didymi fragmentis sequitur, ut Didymea in collectionem Zenobianam recepta sint, non sequitur, ut per alium auctorem Zenobius ea acceperit. Videamus igitur num Tarrhaei proverbiorum fragmenta ea sint, quibus Warnkrossii sententia probetur. Ea autem inesse putat V. D. in Stephani Byzantii ethnicis. Stephani autem non solum grammaticas observationes sed etiam nomina geographica cum originationibus et scriptorum testimonis ex Herodiano petita esse Lentzius contendit. Quem refutavit primus Hillerus (Fleckeisen, annal. philol. CIII p. 524 sqq.). Deinde Niesius (De Stephani Byz. auctoribus Kiliae 1873) demonstravit Hecataeum, Herodotum, Polybium, Strabonem ab ipso Stephano non modo lectitatos sed etiam ita excerptos esse, ut nomina eorum geographica in litterarum seriem reciperentur. Praeterea multa,

quae ad historiam vel geographiam pertineant e Philonis libro *περὶ πόλεων καὶ οὓς ἑκάστη αὐτῶν ἐνδόξους ἤνεγκε* ducta esse. Neque dubium esse, quin Philo, qui claros homines suae quemque patriae addiderit, ne scriptores quidem, qui illorum res gestas narraverint, omisisse. Praeterea Stephanum usum esse urbium quodam indice, qui singulis lemmatis litterarum ordine dispositis urbes cognomines comprehenderit. In eodem suum cuique ethnicum ab auctore anonymo additum esse.

Proverbia quae nonnullis locis explicata apud Stephanum inveniuntur jam Lentzius Herodiano abjudicavit. Warnkrossius p. 39 ea Philoni tribuit his usus argumentis: „.... Herennius Philo Byblius Tarrhaei cum libros provv. tres ita cognovisse videtur, ut eos optimos esse iudicare potuerit, tum prooemium eorum re vera in librum quendam suum recepit et a libro Philonis urbium nomina historiolis quibuslibet, et aliis et proverbiis, exornare minime alienum fuit.“ Iam quo sint pretio haec argumenta recenseamus. Quae s. v. *Τάῤῥα* leguntur apud Steph. Byz. Niesius tribuit Philoni. Quo loco cum Tarrhaei proverbiorum libri optimi indicentur, eos aut a Philone ipso aut ab eo, quem Philo auctorem habuerit, lectos esse apparet. Deinde apud Eustathium p. 855 inveniuntur haec verba: *αἶνος καὶ παροιμία διαφέρουσι καθὸ ὁ μὲν αἶνος λόγος ἐστὶ μυθικὸς ἐκφερόμενος ἀπὸ ἀλόγων ζῴων ἢ φυτῶν πρὸς ἀνθρώπων παραίνεσιν, ὥς φησι Λούκιλλος ὁ Ταῤῥαῖος ἐν πρώτῳ περὶ παροιμιῶν, ἀπὸ μὲν ἀλόγων, ὡς παρὰ Ἀρχιλόχῳ „αἶνός τις ἀνθρώπων ὡς ἄρ᾽ ἀλώπηξ καὶ αἰετὸς ξυνωνίην ἔθεντο“ καὶ Ἡσίοδος „νῦν δ᾽ αἶνον βασιλεῦσ᾽ ἐρέω, ὧδ᾽ ἴρηξ προσέειπεν ἀηδόνα“. ἀπὸ δὲ φυτῶν, ὡς παρὰ Καλλιμάχῳ „ἄκουε δὴ τὸν αἶνον, ἔν κοτε Πύλῳ δάφνην καὶ τὰ ἑξῆς“. καί ἐστιν ὁ αἶνος ἐξηπλωμένη παροιμία. καὶ οὕτω μὲν καὶ τοῦτο κατεστρωμένον οὕτω ῥητῶς ἐν τοῖς Ἐρεννίου Φίλωνος.* Quae cui debeantur verbis *οὕτω ῥητῶς ἐν τοῖς Ἐρεννίου Φίλωνος* elucet. At Valckenarius in praefatione Ammonii hanc sententiam protulit: Eustathium legisse eundem quem habemus Ammonii libellum et simile etiam opusculum sub nomine Herennii Philonis, non veteris istius, grammatici Byblii sed Ammonio longe recentioris, qui multa Ammonio sublegerit et clarum nomen suae opellae praefigere voluerit.“

Contra quem recte Warnkrossius profert se nihil causae agnoscere, cur non in contrarium Valckenari sententiam mutet atque Herennii Philonis Byblii veteris istius librum aliquem fortasse „περὶ διαφόρων σημαινομένων", qui titulus Eustathio aderat, ab Ammonio posteaque ab aliis quibusdam adhibitum statuat. Verisimile est igitur Philonem Tarrhaeum non ignorasse atque ex eiusdem copiis differentiam verborum αἶνος et παροιμία in librum, quem περὶ διαφόρων σημαινομένων conscripsit, recepisse. Sed si in hoc libro Lucillum in usum vocavit Philo, num ob eam rem eodem usus est in constituendo eo libro, qui περὶ πόλεων καὶ οὓς ἑκάστη ἐνδόξους ἤνεγκε inscribebatur. Huc accedit quod eis quoque Stephani locis, qui Philoni non tribuuntur, proverbia adiuncta sunt. Hos Warnkrossius ipse affert p. 32. Cur ea, quae s. Δωδώνη leguntur, a Philone profecta esse arbitretur, non explicat. Niesius (p. 29) hunc locum Philoni non tribuit. Quae sub v. Ἀραβία apud Stephanum exstant ipse Philoni abiudicat. Sed huius proverbii explicationem alienam esse a Zenobiana mihi non persuadebit. Itaque Warnkrossii argumentatio non tam firma est, qua sola confisi proverbia nonnulla apud Stephanum explicata Tarrhaeo tribuamus. Quam ob rem num in proverbiis Stephani Byzantii ipsis quid insit, unde ea e Tarrhaei libris ducta esse eluceat, inquiramus. Ac primum proverbia nonnulla ex eodem fonte fluxisse atque ea, quae in collectionibus Zenobianis leguntur, Warnkrossius recte ostendit. Unus vero locus ei argumento est, ipsius Tarrhaei librum a Stephani auctore adhibitum esse. Leguntur enim in ea Stephani parte, quae integra servata est s. v. Δωδώνη post ea, quae ad rem geographicam spectant, haec: ἔστι καὶ Δωδωναῖον χαλκίον παροιμία ἐπὶ τῶν πολλὰ λαλούντων, ὡς μὲν ὁ Δήμων φησὶν „ἀπὸ τοῦ τὸν ναὸν τοῦ Δωδωναίου Διὸς τοίχους μὴ ἔχοντα, ἀλλὰ τρίποδας πολλοὺς ἀλλήλων πλησίον, ὥστε τὸν ἑνὸς ἁπτόμενον παραπέμπειν διὰ τῆς ψαύσεως τὴν ἐπήχησιν ἑκάστῳ, καὶ διαμένειν τὸν ἦχον ἄχρις ἄν τις τοῦ ἑνὸς ἐφάψηται." ἡ παροιμία δὲ οὔ φησιν εἰ μὴ χαλκίον ἕν, ἀλλ' οὐ λέβητας ἢ τρίποδας πολλούς. προσθετέον οὖν τῷ περιηγητῇ Πολέμωνι ἀκριβῶς τὴν Δωδώνην ἐπισταμένῳ. καὶ Ἀριστείδῃ τὰ τούτου μεταγεγραφότι κατὰ τὴν β' „ἐν τῇ Δωδώνῃ στῦλοι δύο παράλληλοι

καὶ πάρεγγυς ἀλλήλων. καὶ ἐπὶ μὲν θατέρου χαλκίον ἐστὶν οὐ μέγα τοῖς δὲ νῦν παραπλήσιον λέβησιν, ἐπὶ δὲ θατέρου παιδάριον ἐν τῇ δεξιᾷ χειρὶ μαστίγιον ἔχον, οὗ κατὰ τὸ δεξιὸν μέρος ὁ τὸ λεβήτιον ἔχων κίων ἕστηκεν. ὅταν οὖν ἄνεμον συμβῇ πνεῖν, τοὺς τῆς μάστιγος ἱμάντας χαλκοῦς ὄντας ὁμοίως τοῖς ἀληθινοῖς ἱμᾶσιν αἰωρουμένους ὑπὸ τοῦ πνεύματος συνέβαινε ψαύειν τοῦ χαλκίου καὶ τοῦτο ἀδιαλείπτως ποιεῖν, ἕως ἂν ὁ ἄνεμος διαμένῃ." „καὶ κατὰ μέντοι τοὺς ἡμετέρους [χρόνους]" φησὶν ὁ Ταρραῖος, „ἡ μὲν λαβὴ τῆς μάστιγος [διασέσωσται], οἱ δὲ ἱμάντες ἀποπεπτώκασιν. παρὰ μέντοι τῶν ἐπιχωρίων τινὸς ἠκούσαμεν ὡς, ἐπείπερ ἐτύπτετο μὲν [τό χαλκίον] ὑπὸ μάστιγος ἤχει δ' ἐπὶ πολὺν χρόνον, ὡς χειμερίου τῆς Δωδώνης ὑπαρχούσης, εἰκότως εἰς παροιμίαν περιεγένετο." μέμνηται αὐτῆς Μένανδρος ἐν Ἀρρηφόρῳ·

ἐὰν δὲ κινήσῃ μόνον τὴν Μυρτίλην
ταύτην τις, ἢ τίτθην καλῇ, πέρας [οὐ] ποιεῖ
λαλιᾶς τὸ Δωδωναῖον ἄν τις χαλκίον,
ὃ λέγουσιν ἠχεῖν, ἂν παράψηθ' ὁ παριών,
τὴν ἡμέραν ὅλην, καταπαύσαι θᾶττον ἢ
ταύτην λαλοῦσαν· νύκτα γὰρ προσλαμβάνει.

Primum igitur Demonis sententia affertur. Qua refutata pergit explicationis huius auctor: προσθετέον οὖν τῷ περιηγητῇ Πολέμωνι ἀκριβῶς τὴν Δωδώνην ἐπισταμένῳ καὶ Ἀριστείδῃ τὰ τούτου μεταγεγραφότι κατὰ τὴν β' κ. τ. λ. Huic succedit Tarrhaei sententia, quae num Menandri quoque locum amplectatur, dubitari potest. Prellerus Polem. frg. p. 62 de hoc loco dicit: Et suspicor equidem Stephanum B. non solum extrema sed omnia quae habet de proverbio Δωδωναῖον χαλκίον una cum testimoniis Demonis et Aristidis et Menandri ex Lucio Tarrhaeo descripsisse, quippe quem videmus Stephano optime cognitum fuisse etc." Meinekius Menandri locum Tarrhaeo abiudicat. Contra quem Prelleri sententia arrepta Warnkrossius: „Contra hanc (scil. Meinekii)" inquit, „vero opinionem facit primum quod verba Tarrhaei, interiectis φησὶν ὁ Ταρραῖος ipsa sine vinculo adnexa probare videntur hunc auctorem non ab alio quodam e. g. Didymo ceteris additum esse, sed ipsum illam sententiam Polemonis cui subscribit, paucis concludere

velle.“ Sed e verbis Lucilli elucet, eum ipsum Dodonae fuisse et aes illud et columnas vidisse. Nonne mirum est eum, qui ipse locum inspexerit, Demonem refutare eique Polemonis sententiam praeferre verbis: „*ἡ παροιμία δὲ οὔ φησιν εἰ μὴ χαλκίον ἕν, ἀλλ᾽ οὐ λέβητας ἢ τρίποδας πολλούς. προσθετέον οὖν τῷ περιηγητῇ Πολέμωνι ἀκριβῶς τὴν Δωδώνην ἐπισταμένῳ*“? Cur fidem facere studet Polemoni verbis *ἀκριβῶς τὴν Δωδώνην ἐπισταμένῳ*, cum ipse ibi fuerit et rem inspexerit? Verbis deinde Polemonis *ὅταν οὖν ἄνεμον κτλ.* Tarrhaei verba suggeruntur: *παρὰ μέντοι ἐγχωρίων κτλ.* Quid? Si Tarrhaeus hunc totum locum composuisset et ipse sententiam Polemonis paucis concludere voluisset, num ita confirmasset, se idem ab incolis quoque audivisse, quod Polemo narravisset. Quae cum ita sint, totum hunc locum a Tarrhaeo compositum esse, mihi persuadere non possum, sed Tarrhaei verba ab alio quodam auctore cum antecedentibus neglegenter coniuncta esse mihi videntur. Eadem non integra in hunc locum videntur recepta esse, sed nonnulla, quae verba *καὶ κατὰ μὲν τοὺς ἡμετέρους χρόνους κτλ.* apud Tarrhaeum antecederent, omissa esse apertum est.

Concessimus igitur p. 30 Warnkrossio et alia Stephani Byzantii proverbia et id quod s. v. *Δωδώνη* invenitur ex eodem fonte fluxisse atque proverbia Zenobiana. Praeterea prov. s. v. *Δωδώνη* explicatum nos docet, ea proverbia non a Tarrhaeo profecta esse, sed ab alio quodam, qui Tarrhaei copias cum alienis coniungeret. Itaque non dubito, quin haec Stephani proverbia Zenobio tribuam atque eum non solum Tarrhaei sed etiam alterius cuiusdam — scil. Didymi — libris usum esse.

Alterum Lucilli fragmentum invenitur in Platonis scholiis. Quod priusquam tractemus, quid de proverbiis, quae in Platonis scholiis inveniuntur, adhuc prolatum sit, videamus. Artam necessitudinem inter ea et collectiones Zenobianas intercedere iam Schneidewinus cognovit. Ille enim quaecunque in scholiis proverbia inveniuntur ea e Didymi vel Tarrhaei libris ducta esse arbitratus est. Ubi vero scholia a proverbiis Zenobii ita discreparent, ut altera ex altero interprete fluxisse patesceret, Zenobium fortasse Tarrhaeum secutum esse, scholia Didymum vel inversa ratione. Longe alia sententia est Naberi. Ille omnia proverbia,

quae in scholiis inveniuntur Boetho tribuit. Quae sententia eo fundamento nititur, quod substructum est a Cobeto de Boetho Photii auctore in Mnemos. IX. disserente. Cuius dissertationis summa haec fere est. In Photii lexico ubique multa inveniuntur Platonica et in his complura, ubi Platonis nomen omissum est. Haec e commentario quodam Platonico sumpta esse Cobeto verisimile videtur esse. Complures autem exstiterunt olim, qui dedita opera *τὰ παρὰ Πλάτωνι μαθηματικῶς εἰρημένα, τὰ ἰατρικῶς εἰρημένα, τὰ μουσικῶς εἰρημένα* explicarent, sed tres tantum scimus fuisse, qui *τὰς Πλατωνικὰς λέξεις* colligerent, Timaeum, Boethum, Harpocrationem. Ac primum Harpocrationis Platonici memoria omnis fere obsoleta est, neque facile quisquam credet illius *λέξεις Πλάτωνος* a Photio descriptas esse. Timaeum autem et Boethum se legisse Photius ipse in bibliotheca 151 commemoravit. In eodem enim codice et Timaeum et Boethi duos libros se invenisse dicit, quos si quis cum Timaei libro in unum volumen cogeret, eum utile quoddam facturum esse. Cum autem constet Photium Timaei libellum in lexicon suum recepisse, non sine specie veritatis est statui, eodem volumine Boethi duos libros eum complexum esse.

Cobeto concedendum est, Photium Boethi libris duobus usum esse. Quaecunque vero Photii glossae commentarium Platonis resipiant neque ad mathematicam, musicam, medicinam spectent, num hae omnes vel e Timaeo vel e Boetho ductae sint, dubium videri potest. Deinde difficillimum est diiudicatu, quaenam glossae Platonis commentario vel lexico tribuantur. Neque enim ubicunque Plato citetur vel Platonis locus respiciatur ibi Platonis lexicon quoddam vel commentarium in usum vocata esse dici potest. Inprimis autem quae proverbia explicantur apud Photium, ne temere ea a Platonis interprete profecta esse censeamus, valde cavendum est. Primum enim libri Platonis adeo redundant proverbiis, ut mirum esset, nisi, qui proverbia dedita opera colligebant et explicabant, nonnulla Platonica respicerent. Deinde autem omne hoc studium quod in proverbiis colligendis et explicandis positum est, incohatum est ab Aristotele, Platonis discipulo, continuatum primum a peripateticis et stoicis philosophis. Eos autem Platonis philosophi libros proverbiorum fontem uberrimum praeterisse, quis credit? Itaque cum apud

Photium eorum quoque proverbiorum, quae non ad Platonem pertinent, magnus numerus inveniatur, qui Platonica omnia Boetho tribuenda esse putent, in lubrico versari videntur. Longius tamen processit Naberus. Is enim non solum omnia Photii proverbia Platonica e Boetho ducta esse existimavit, sed etiam propter crebrum inter Photium et Platonis scholiastam consensum omnia, quae in scholiis Platonicis proverbia explicata leguntur, Boetho tribuit. Sed valde eum errare Mettauerus[1]) demonstrat. Ille enim nonnulla scholiastae proverbia certe Proclo, Olympiodoro, Hermiae neoplatonicis tribuenda esse ostendit. Deinde Photio cum scholiis Platonicis comparato se invenisse arbitratur: proverbia in scholiis explicata magnam partem aut e libris Didymi et Tarrhaei fluxisse neque Boetho deberi aut ex lexicis quidem stoici hausta esse, Photium autem alios quosdam esse secutum.

Warnkrossius denique accuratius disseruit de ratione, quae inter libros Zenobianos et scholia Platonica intercedit. Ille in hanc pervenit sententiam: in scholiis Platonicis proverbiorum duos fontes cognosci, alterum ipsius Lucilli Tarrhaei librum, fortasse ab ipso scholiorum conglutinatore adhibitum, alterum Boethi librum, quem ipsum quam optimos auctores adisse saepius adparuisset. Eundem ab interpolatore Zenobiani libri non raro adhibitum esse.

Ac primum Warnkrossius ea proverbia comparat, quae et apud Platonis scholiastam et in codice M inveniuntur. Haec omnia ex eodem fonte ducta esse invenit. Ac re vera non dubium est, quin scholiastae et codicis M proverbia eidem fonti debeantur. Iam quaeritur, quis ille auctor communis fuerit. Warnkrossius demonstrare conatur scholiastam non Didymum in usum vocasse sed Tarrhaeum, qui ipse Didymi libris usus fuerit. Quae sententia duobus locis nititur. De altero qui invenitur in schol. ad Phaedr. H. 272 Bekk. 317 iam diximus neque quidquam in eo inesse vidimus, cur a Tarrhaeo potius quam a Didymo eum profectum esse iudicaremus. Locus alter invenitur in schol. ad Reip. l. I p. 332 H. 396 B. Ibi leguntur haec: *ἀνεκάγχασέ τε μάλα Σαρδάνιον*] *παροιμία ἐπὶ τῶν*

---

[1]) De Platonis scholiorum fontibus, Turici 1880.

ἐπ' ὀλέθρῳ τῷ σφῶν αὐτῶν γελώντων. οἱ γὰρ τὴν Σαρδὼ κατοικοῦντες, ὥς φησι Τίμαιος, ἐπειδὰν αὐτοῖς ἀπογηράσκωσιν οἱ γονεῖς καὶ νομίσωσιν ἱκανὸν βεβιωκέναι χρόνον, ἄγουσιν αὐτοὺς ἐπὶ τὸν τόπον ἐν ᾧ μέλλουσι θάψαι, κἀκεῖ λάκκους ὀρύξαντες ἐπ' ἄκρων χειλῶν τοὺς μέλλοντας ἀποθνήσκειν καθίζουσιν, ἔπειτα ἕκαστος αὐτῶν σχίζαν ἔχων τύπτει τὸν ἑαυτοῦ πατέρα καὶ εἰς τοὺς λάκκους περιωθεῖ· τοὺς δὲ πρεσβύτας χαίροντας ἐπὶ τὸν θάνατον παραγίνεσθαι ὡς εὐδαίμονας καὶ μετὰ γέλωτος καὶ εὐθυμίας ἀπόλλυσθαι. ἐπεὶ οὖν γελᾶν μὲν συνέβαινεν, οὐ πάνυ δὲ ὁ γέλως ἐπ' ἀγαθῷ τινι ἐγίνετο, παρὰ τοῖς Ἕλλησι τὴν προκειμένην ῥηθῆναι παροιμίαν. Κλείταρχος δέ φησι τοὺς Φοίνικας, καὶ μάλιστα Καρχηδονίους, τὸν Κρόνον τιμῶντας, ἐπάν τινος μεγάλου κατατυχεῖν σπεύδωσιν, εὔχεσθαι καθ' ἑνὸς τῶν παίδων, εἰ περιγένοιντο τῶν ἐπιθυμηθέντων, καθαγιεῖν αὐτὸν τῷ θεῷ. τοῦ δὲ Κρόνου χαλκοῦ παρ' αὐτοῖς ἑστῶτος τὰς χεῖρας ὑπτίας ἐκτετακότος ὑπὲρ κριβάνου χαλκοῦ, τοῦτον ἐκκαίειν τὸ παιδίον. τῆς δὲ φλογὸς τοῦ ἐκκαιομένου πρὸς τὸ σῶμα ἐμπιπτούσης, συνέλκεσθαί τε τὰ μέλη, καὶ τὸ στόμα σεσηρὸς φαίνεσθαι τοῖς γελῶσι παραπλησίως, ἕως ἂν συσπασθὲν εἰς τὸ κρίβανον παρολίσθῃ. τὸν οὖν σεσηρότα γέλωτα σαρδάνιον ἐντεῦθεν λέγεσθαι, ἐπεὶ γελῶντες ἀποθνήσκουσι· σαίρειν δέ ἐστι τὸ διέλκειν τὸ στόμα καὶ χαίνειν. Σιμωνίδης δὲ ἀπὸ Τάλω τοῦ χαλκοῦ, ὃν Ἥφαιστος ἐδημιούργησε Μίνῳ φύλακα τῆς νήσου ποιήσασθαι, ὃν ἔμψυχον ὄντα τοὺς πελάζοντάς φησι κατακαίοντα ἀναιρεῖν. ὅθεν ἀπὸ τοῦ σεσηρέναι διὰ τὴν φλόγα τὸν σαρδάνιόν φησι λεχθῆναι γέλωτα. ὁμοίως καὶ Σοφοκλῆς ἐν Δαιδάλῳ. ἤκουσα δέ, φησιν ὁ Ταρραῖος, ἐγχωρίων λεγόντων, ὅτι ἐν Σαρδόνι γίγνοιτο βοτάνη σελίνῳ παραπλησία, ἧς οἱ γευσάμενοι δοκοῦσι μὲν γελῶντες, σπασμῷ δὲ ἀποθνήσκουσιν· οὕτω δὲ Σαρδόνιος ἂν λέγοιτο, καὶ οὐ Σαρδάνιος. μήποτε οὖν τὸ Ὁμηρικόν, ὅθεν καὶ ἡ παροιμία ἴσως ἐρρύη, μείδησε δὲ θυμῷ σαρδάνιον μάλα τοῖον, τὸν ἀπ' αὐτῶν τῶν χειλῶν γέλωτα καὶ μέχρι τοῦ σεσηρέναι γιγνόμενον σημαίνει.

Warnkrossius de hoc loco haec dicit (p. 53): „Sed idem quod supra in Steph. Byz. voce Δωδώνη de verbis Tarrhaei adfixis adnotavi, cadit in hunc locum, quoniam Tarrhaei sen-

tentia omnes quae antecedunt quasi reprimuntur atque obscurantur. Explicat enim scholiasta Σαρδάνιος γέλως ἐπὶ τῶν ἐπ' ὀλέθρῳ τῷ σφῶν αὐτῶν γελώντων, refert dein Timaei Clitarchi Simonidis verba quae huc spectant adiecta fabulae cuiusdam Sophocleae mentione; pergit ἤκουσα δέ, φησίν ὁ Ταρραῖος ἐγχωρίων λεγόντων, ὅτι ἐν Σαρδόνι βοτάνη γίγνοιτο σελίνῳ παραπλησία e. q. s., quamobrem Homericum illud μείδησε δὲ θυμῷ Σαρδάνιον, unde fortasse proverbium illud promanaverit, non possit explicari τὸν ἀπ' αὐτῶν τῶν χειλῶν γέλωτα καὶ μέχρι τοῦ σεσηρέναι γιγνόμενον."

Sed vereor, ne V. D. scholiastae verba non recte intellexerit. Neque enim recte iudicat verbis μήποτε οὖν τὸ Ὁμηρικὸν κτλ. repelli eam explicationem, quae sit in verbis τὸν ἀπ' αὐτῶν τῶν χειλῶν κτλ. Nam μήποτε cum indicativo coniunctum non per negationem dicitur, quod Warnkrossius opinari videtur, sed significat apud grammaticos aliosque posteriorum temporum scriptores[1]) idem quod „nescio an" „fortasse". Verba igitur inde a μήποτε οὖν τὸ Ὁμηρικὸν κτλ. sic vertenda sunt: „Itaque nescio an Homericum illud etc. significet." Quae cum ita sint explicatio ex Homeri loco ducta non repellitur sed confirmatur. Praeterea verba inde ab οὕτω δὲ Σαρδόνιος ἂν λέγοιτο κτλ. non Tarrhaei sunt. Neque enim Tarrhaeus incolas illud proverbium ab herba illa letifera ducere contendit, sed nihil nisi se ab illis ea audivisse, quae de natura eius profert. Ad proverbium explicandum ipse Tarrhaeus primus narrationem illam adhibet. Eidem si quae sequuntur verba tribuimus, ab eo explicationem afferri putamus, de qua nemo ante eum cogitaverat, eamque ab eodem repelli!

Deinde Photius documento videtur esse non totum scholion a Tarrhaeo petitum esse. Hic enim eadem eodem ordine affert atque Platonis scholiasta. Sed quae apud scholiastam Tarrhaeo auctore referuntur, ea apud Photium Sileno tribuuntur. Photium non pendere a Tarrhaeo apertum est. Hic enim si narrationem Sileni cognovisset, certe aliter verba fecisset. Apud Photium autem eodem modo atque apud Scholiastam ultimo loco explicatio illa legitur, quae Homeri interpretibus debetur. Itaque

---

[1]) Cfr. e. g. Hultsch ind. in Pappum p. 73.

ab auctore scholii Platonici Tarrhaei sententia eodem modo atque Timaei, Clitarchi, Simonidis narrationes refertur sed non probatur.

Iam videamus, quomodo in Zenobii codicibus res se habeat. Zenobium pauca tantummodo ex fonte suo recepisse Warnkrossius ex cod. M colligit. In cod. M enim leguntur (M. I ξη'): *Σαρδόνιος γέλως· Μέμνηται ταύτης Ὅμηρος καὶ Πλάτων· Εἴρηται δὲ ἡ παροιμία ἐπὶ τῶν μὴ ἐκ καθαρᾶς τῆς διανοίας, μηδὲ χαιρούσης γελώντων. Λέγουσι δὲ ὅτι ἐν Σαρδόνῃ γίγνεται βοτάνη σελίνῳ παραπλησία, ἣν οἱ προσενεγκάμενοι δοκοῦσι μὲν γελᾶν σπασμῷ καὶ ἀποθνήσκουσι. Φιλόξενος δέ φησιν ἐνίους ἱστορεῖν ὅτι ἐν Σαρδοῖ τῇ νήσῳ ξοανόν ἐστι τοῦ Κρόνου προτεῖνον τὰς χεῖρας, ἐφ' οὗ τοὺς οἰκοῦντας ἐπιτιθέναι τὰ βρέφη ταῖς χερσὶ τοῦ ξοάνου, καὶ ἀπογελᾶν εἶτα ἀποθνήσκειν· καὶ διὰ τὸ γελᾶν τοῦτο κεκλῆσθαι τὸν ἐπιθανάτιον γέλωτα.* Ac verba inde ab *μέμνηται* usque ad *γελώντων*, quamquam a scholiasta Platonis omissa sint, Zenobio non abiudicanda esse Warnkrossius ostendit. Neque est, cur nomine Philoxeni offendamur, quod in cod. M pro Clitarcho legitur. Fortasse huius narratiunculae auctores a Didymo Clitarchus et Philoxenus allati, alter a codicis M compilatore alter a Scholiasta omissi sunt. Quam male autem cod. M excerptus sit, cognoscimus, si quae Philoxeno auctore in eo tradita sunt comparamus cum eis, quae scholiasta a Clitarcho accepit.

Multo ampliora et meliora quam in cod. M inveniuntur in cod. P. Hic enim primo loco affert verba: „*Αἰσχύλος ἐν τοῖς Περὶ παροιμιῶν περὶ τούτου φησὶν οὕτως· „Οἱ τὴν Σαρδὼ κατοικοῦντες, Καρχηδονίων ὄντες ἄποικοι, τοὺς ὑπὲρ τὰ ἑβδομήκοντα ἔτη γεγονότας τῷ Κρόνῳ ἔθυον γελῶντες καὶ ἀσπαζόμενοι ἀλλήλους· αἰσχρὸν γὰρ ἡγοῦντο δακρύειν καὶ θρηνεῖν. Τὸν οὖν προσποίητον γέλωτα Σαρδόνιον κληθῆναι.*“ His suggerit Timaei Tarrhai Simonidis narrationes et explicationem ab Homeri verbis petitam. Simonidis narratio suo loco mota est, ut Apollodori verba melius adnecterentur. Warnkrossius ea, quae in P leguntur in M desunt, ab interpolatore aliunde petita esse dicit. Haec sententia in ea re nititur, quod putat codicis P auctorem magis cum Photio consentire quam cum scholiasta Platonis. Photium autem sua a

Pausania accepisse; itaque codicem P e Pausania interpolatum esse. Sed primum adhuc non demonstratum est Photium sua Pausaniae debere. Deinde Photium adeo consentire cum scholiasta vidimus, ut praeter Tarrhaei copias omnia eum ab eodem auctore atque scholiastam accepisse nobis persuaderemus. Scholiastam autem ipsum non omnia, quae exstiterint apud auctorem suum, recepisse, ipse Warnkrossius cum codicem M cum scholiasta hoc loco compararet invenit. Itaque difficile est, diiucatu, quae e fonte communi sumpta sint. Praeterea consensus codicis P cum Photio non is est, ex quo concludi possit, codicem P artius cum Photio cohaerere quam cum scholiasta Platonis.

Ea igitur proverbia, quae et in codice M et in Platonis scholiis leguntur, ab eodem auctore ducta sunt. Eum autem *non Tarrhaeum ipsum fuisse sed alium quendam, qui Tarrhaei copias cum aliis in unum coegerit* e schol. ad Reip. I. *Σαρδ. γελ.* cognovimus. Warnkrossius deinde concessit ea quoque proverbia, quae in codice M omissa et in corpore Schneidewiniano et apud Platonis scholiastam leguntur, e communi fonte hausta esse. Haec tamen non eidem auctori tribuit atque Milleriana. Quae sententia nititur in fundamento, in quo tota eius de scholiis Platonicis disputatio exstructa est. Dicit enim p. 46: „Nos fundamentum aliquod certius substruximus, cum ex collectionibus Zenobianis codicum PBV multa proverbia vero Zenobio *i. e. eius fontibus* abiudicaverimus, quin etiam adhuc posuerimus ipsius Zenobii libros codice Milleri contineri. Atque de proverbiorum numero perstabo in hac sententia quam vehementissime nec contra pugnabunt proverbia Platonica.“ Sed quoniam Warnkrossio non concessimus codicem Milleri integrum Zenobium complecti, non videtur esse, cur ne ea quidem scholiastae proverbia, quae cum Zenobio Schneidewiniano communia habet, tribuamus eidem auctori, atque ea, quae et in cod. M inveniuntur. Contra scholia Platonis ipsa cum non solum Millerianis proverbiis simillima sint, sed etiam eis Schneidewinianis, quibus cod. M caret, mihi documento sunt, codicem M non complecti integrum Zenobium.

Postquam igitur vidimus complura proverbia scholiastae ex eodem fonte hausta esse atque proverbia Zenobiana, ad-

hibeamus ea ad cognoscendam rationem, quae inter singulas Zenobii collectiones intercedat. Neque enim quae in codicibus PHBV librisque Diogenianeis et in scholiis Platonicis inveniuntur, sed desunt in codice M, ea iure Zenobio abiudicabimus. Praeterea ea quoque in fonte Zenobii et scholiorum communi exstitisse credemus, quae in utraque Zenobii codicum familia servata sint. Itaque scholiis adhibitis Zenobii singulas collectiones recensebimus, Zenobii autem codicibus utemur ad cognoscendum quanta religione scholia e proverbiorum collectionibus compilata sint.

Ac primum jam in proverbio *Σαρδάνιος γέλως* explicando vidimus codicem P una cum scholiasta nonnulla servasse, quae in codice M omissa sunt. Idem factum esse invenimus in M II *κθ'*: *Ἢ τρὶς ἓξ ἢ τρεῖς κύβοι.* In codice M enim neglecta sunt verba *Πάλαι γὰρ τρισὶν ἐχρῶντο πρὸς τὰς παιδιὰς κύβοις, καὶ οὐχ, ὡς νῦν δύο. Ἔστι δὲ ὁμωνυμία. Κύβον γὰρ ἔλεγον ἰδίως αὐτὸν τὸν ῥιπτούμενον, ὅτε πλήρης ἐστὶ καὶ μή.*[1]), quae et apud Zen. IV 23 et in Plat. schol. ad Leg. XII. 389 H. (460 B.) leguntur.

Praeterea inveniuntur loci ubi scholiastae verborum altera pars excerpta sit a cod. L scriptore, altera in cod. P.

Itaque in schol. ad Charm. H. 289 (B. 323) leguntur: *λευκὴ στάθμη] παροιμία ἐπὶ τῶν ἄδηλα ἀδήλοις σημειουμένων, κἂν τούτῳ μηδὲν συνιέντων. ἡ γὰρ ἐν τοῖς λευκοῖς λίθοις στάθμη λευκὴ οὐδὲν δύναται δεικνύναι, διὰ τὸ μὴ παραλλάττειν καθάπερ ἡ διὰ τῆς μίλτου γινομένη, ὡς Σοφοκλῆς Κηδαλίωνι·*

τοῖς μὲν λόγοις τοῖς σοῖσιν οὐ τεκμαίρομαι,
οὐ μᾶλλον ἢ λευκῷ λίθῳ λευκὴ στάθμη·

ἔστι δὲ στάθμη σπάρτος τεκτονική· κατ' ἔλλειψιν δὲ εἴρηται ἡ παροιμία· διὸ καὶ ἀσαφὴς ἐγένετο. τὸ δὲ ὅλον ἐστὶ τοιοῦτον· ἐν λευκῷ λίθῳ λευκὴ στάθμη.

Zenobius IV. 89 quae verba in scholio infimum locum obtinent *ἐν λευκῷ λίθῳ λευκὴ στάθμη* coniungit cum primo enuntiato, quod tamen caret verbis *ἄδηλα — τούτῳ.* Prae-

[1]) In cod B 473 verba desunt inde ab *ἔστι* usque ad *καὶ μή*, quod Schneidewinus non adnotat.

terea verba scholiastae in angustum contracta referuntur usque ad *τεκτονική* Sophoclis tamen nomine et versibus omissis.[1])

Plutarchus autem ea scholiastae verba refert quae post *τεκτονικὴ* exstant.

Eodem modo res se habet in schol. ad Phaedon. H. p. 234 (B. p. 381). Quem locum ita describo, ut singulas explicationis partes numeris appositis designem. Legitur autem hoc loco: *Γλαύκου τέχνη*]

1) *ἢ ἐπὶ τῶν μὴ ῥαδίως κατεργαζομένων* 2) *ἢ ἐπὶ τῶν πάνυ ἐπιμελῶς καὶ ἐντέχνως εἰργασμένων.* 3) *Ἵππασος γάρ τις κατεσκεύασε χαλκοῦς τέτταρας δίσκους οὕτως, ὥστε τὰς μὲν διαμέτρους αὐτῶν ἴσας ὑπάρχειν, τὸ δὲ τοῦ πρώτου δίσκου πάχος ἐπίτριτον μὲν εἶναι τοῦ δευτέρου, ἡμιόλιον δὲ τοῦ τρίτου, διπλάσιον δὲ τοῦ τετάρτου, κρουομένους δὲ τούτους ἐπιτελεῖν συμφωνίαν τινά. καὶ λέγεται Γλαῦκον ἰδόντα τοὺς ἐπὶ τῶν δίσκων φθόγγους πρῶτον ἐγχειρῆσαι δι' αὐτῶν χειρουργεῖν, καὶ ἀπὸ ταύτης τῆς πραγματείας ἔτι καὶ νῦν λέγεσθαι τὴν καλουμένην Γλαύκου τέχνην.* 4) *μέμνηται δὲ τούτου Ἀριστόξενος ἐν τῷ περὶ τῆς μουσικῆς ἀκροάσεως,* 5) *καὶ Νικοκλῆς ἐν τῷ περὶ θεωρίας.* 6) *ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα τέχνη γραμμάτων, ἣν ἀνατιθέασι Γλαύκῳ Σαμίῳ, ἀφ' ἧς ἴσως καὶ ἡ παροιμία διεδόθη.* 7) *οὗτος δὲ καὶ σιδήρου κόλλησιν εὗρεν ὥς φησιν Ἡρόδοτος.*

Zenob. II. 91 refert, quae sub 1, 2, 3 leguntur, sed ita ut s. 1, *μὴ* omittat et, quae sub 3 leguntur, ita pervertat, ut Glaucum ipsum invenisse dicat, quae scholiasta Hippaso tribuit.

Diog. IV 8 verbis *ἐπὶ τῶν μὴ ῥαδίως κατεργαζομένων* suggerit quae apud Schol. s. 6 et 7 leguntur contracta in: *Ἀπὸ Γλαύκου Σαμίου ὃς πρῶτον κόλλησιν ἐφεῦρε τοῦ σιδήρου,* quibus ea adnectit, quae sub 2 in schol. et apud Zen. leguntur.

cod. B 313 auctor nihil nisi verba *ἐπὶ τῶν πάνυ ἐπιμελῶς καὶ ἐντεχνῶς εἰργασμένων* compilavit.

Plut. II. 25 primis duabus Scholiastae explicationibus pau-

---

[1]) B 597 ignorat verba *ἐν. λ. λ. λ στάθμη*, quod integrum proverbium esse e schol. discimus.

lum contractis verba adjungit *Γλαῦκος γάρ τις ἐγένετο Σάμιος δημιουργὸς ὃς πρῶτος σιδήρου κόλλησιν ἐξεῦρεν.*

Neque tamen scholiasta, quod Schneidewinus sibi persuasit (praef. XV), Zenobii fontes fere ad verbum excerpsit. Eum nonnulla neglexisse his locis ostendatur.

Schol. ad Symp. H. 256 (B 174) non solum Bacchylidem citare omisit sed ne Eupolidis quidem versus affert, qui et in M I. *ιε'* et apud Zen. II. 19 inveniuntur. Simili modo Scholiasta ad Reip. IV. H. 340 (B 403) adnotare neglexit verba *μέμνηται ταύτης Κρατῖνος ἐν Δραπέτισιν*, quae apud Zen. V. 67 = M III *ις'* afferuntur.

In scholio ad Hipp. M. H. 326 (B. 393) quae Duride auctore narrata sunt apud Zen. II. 61 et M. II. *ξζ'* non inveniuntur. Sed in codicibus M et P exstant verba *οἱ μὲν κατὰ εὐφημισμὸν ἐξεδέξαντο λέγεσθαι, ἀντὶ τοῦ· Βάλλε εἰς δειλαιότητα.* **Μακαρίαν γὰρ ἐν Ἅιδου διατυποῦσιν.* (*M: *καὶ Μακαρίαν χωρίον ἐν Ἅιδου.*)

Quae cum ita sint scholiorum Platonis proverbia ex eodem fonte fluxerunt atque proverbia Zenobiana. Neque vero scholiasta proverbiorum collectionem ad verbum descripsit sed nonnulla omisit, quae in codicibus ML et PH(F) BV (A) servata sunt. Praeterea in corporis Schneidewiniani libris manu scriptis nonnulla inveniuntur, quae, quamquam in ML. desunt, in fonte genuini Zenobii exstitisse scholia nos convincunt. Haec non per Zenobium ipsum sed per interpolatorem posteriorem in libros PBV pervenisse a Warnkrossio probatum non est atque omnino veritatis specie caret.

Si igitur summam totius dissertationis comprehendo haec mihi ostendisse videor. Zenobius in constituendis tribus libris proverbiorum fundamentum habuit tres libros Lucilli Tarrhaei. Quibus cum copiis ea coniunxit, quae in Didymi collectionibus proverbiorum invenit. Libri Zenobiani integri nullo codice servati sunt, formam et ordinem eorum retinuerunt codices ML. Postea proverbia, a Zenobio in libros tres divisa, litterarum ordine ita digesta sunt, ut primae cuiusque litterae tantummodo ratio haberetur. Ex codice sic disposito descripti sunt et libri Zenobii Schneidewiniani, et codd. BV et libri Pseudo-Diogeniani. Qui quamquam hic illic interpolationibus inqui-

nati sunt, tamen permulta Zenobiana retinuerunt, quae in libris ML desiderantur. Ex eisdem fontibus atque collectiones Zenobianae eae quoque proverbiorum explicationes maximam partem petitae sunt, quae et in Steph. Byz. ethnicis et in scholiis Platonicis leguntur. Quibus libris Didymi et Tarrhaei copiae, quamquam ampliores quam proverbiorum collectionibus servatae sunt, tamen non integrae ad nostram aetatem pervenerunt. Quae ratio denique intercedat inter proverbia Photii, Suidae, Hesychii et collectiones paroemiographorum propria eget disputatione.

H. KOOB:

DE

MUTIS QUAE VOCANTUR PERSONIS IN GRAECORUM TRAGOEDIIS.

De Graecorum rebus scaenicis, quae usque ad nostrum saeculum obscuritate involutae erant, post Genellii opus sagacitate et ingenio plenum tot libri editi sunt, ut facile aliquis existimare possit vix quidquam incerti esse reliquum. Sed quamquam in universum, qualis fuerit status totusque habitus antiquae Graecorum tragoediae, iam opera tot virorum doctissimorum dilucide explanatum est, tamen negari non potest in singulis etiam nunc multa exstare, de quibus nondum ad certum venerimus iudicium, id quod maxime eo probatur, quod unoquoque anno complures de hac re commentationes emergunt, quarum auctores unam totius materiae partem accuratius exquirendam sibi proposuerunt. Nam in hac ipsa re saepe fit, ut postquam dispersis locis de re aliqua iam multi egerunt, tamen nondum quisquam exstiterit, qui has diversas dispersasque sententias colligeret totamque rem continua quaestione tractaret. Atque hoc etiam in nostro proposito accidit. Nam plurimi eidemque sagacissimi viri, ut G. Hermann, O. Mueller alii, de mutis personis in annotationibus ad singulas tragoedias vel aliam per occasionem verba fecerunt. Ego autem etsi de singulis rebus novi paene nihil afferre potui, in eo omnem operam ponere studui, ut omnia, quae iam de hac materia scripta sunt, accurate colligerem atque componerem et fortasse hac ipsa ratione aliquid ad accuratiorem totius rei cognitionem conferrem. Qua in re, cum numerus librorum, qui inspiciendi erant, maximus fuerit, priusquam ad ipsam quaestionem progrediar, ante omnia veniam petam, si quid invitus omiserim. Nam etsi quantum potui omnia respexi, tamen fortasse aliquid me fugisse minime negaverim.

Quaestio, quam instituemus, ad eas pertinet personas, quae praeter tres illos notissimos actores mutae in scaena versantur. Atque in hoc omnes consentiunt tales personas mutas (κωφὰ

πρόσωπα) in antiquis tragoediis usitatas fuisse. Quantus vero earum usus fuerit, valde dissentiunt viri docti. Nam modo in minimum numerum eas restringunt, ut G. Hermann vult, modo commemorant „die feierlichen Aufzüge“ (Schoenborn: Skene der Hellenen p. 80) vel „die Prachtzüge, die das griechische Drama liebte“ (Geppert: Die altgriechische Bühne p. 240) vel „die Trabanten, die namentlich als Begleitung von Herrschern und Herrscherinnen in beträchtlicher Anzahl auf der antiken Bühne erscheinen“ (Bursian, Raumers Hist. Taschenb. 5. Folge 5. Jhrg. 1875 p. 8). Cfr. etiam Bernhardy Litt. II, p. 108, 116. O. Mueller Litt. II, p. 47 etc. Videmus igitur rem nondum tam dilucidam esse, quam primo momento videatur. In qua exquirenda omnino valde cavendum est, ne nimio studio inflammati plura videamus, quam videre possumus. Quare in tota quaestione nobis propositum esto id tantum pro certo habere, quod plane perspicuum est et ex certis causis efficitur, omnia vero, quae solum inani coniectura aut opinione temere praeiudicata nituntur, reicere.

Atque ut iam ad ipsam rem veniamus, duo genera personarum mutarum ante omnia sunt discernenda. Inveniuntur enim in nonnullis tragoediis personae, quae cum certas quasdam partes agant, tamen per totam fabulam vel per partem aliquam fabulae mutae sint. Ab his plane diversae sunt eae personae, quae proprie *κωφὰ πρόσωπα* nominantur, in quibus praecipue servorum ac satellitum genus numerandum est: qua re eis Graeci commune quoque nomen *δορυφορήματα* (*δορυφόρους*) dederunt.

Caput I.

Ac primum quidem de priore illo genere agendum est. Numerus earum personarum mutarum non tam exiguus est, quam fortasse quispiam putaverit; immo vero in multis tragoediis nobis servatis et viri eius generis et mulieres et pueri muti inveniuntur. Ut iam dixi etiam in his discrimen faciendum est inter eas personas, quae omnino mutae sunt, et inter eas, quae in singulis tragoediarum partibus loquuntur et a veris histrionibus suscipiuntur, in reliquis partibus certis de causis tacent et mutarum personarum partes agunt.

Sed iam ad singulos transeamus poetas. Antea autem dicam me illud plane non respicere, si (id quod in multis fabulis fit) corpora caesorum vel omnino mortuorum proferuntur in scaenam. Nam velata erant neque ad eorum partes agendas opus erat hominibus.

§ 1. Aeschylus.

Apud Aeschylum tres tantum huius generis mutas personas invenimus.

1. Primum nobis occurrit in Prometheo Vincto persona *Βία*, quae donec in scaena versatur, muta est. Vulcanus eam v. 12 [1]) ut praesentem ita alloquitur, ut dubitari non possit, quin in scaena sit. Abit cum Vulcano post v. 87. Sed haec persona inferioris momenti est.

2. Aliter res se habet in Choephoris, ubi Pylades, quamquam saepius in scaenam procedit et saepius eius in colloquio mentio fit, tamen per totam fabulam excepto uno loco (v. 903) nullum verbum facit. Iam dicat quispiam hanc personam, cum non ita parvi momenti sit, minime a tali histrione, quem nos „Statist" nominamus, suscipi posse. Sed semper memoria tenendum est eas artes et exercitationes, quae in nostris theatris etiam mutas partes saepe difficiles reddunt, gestus dico et ante omnia vultuum variationem, apud Graecos minimi momenti fuisse. Neque enim totus tragoediae habitus is erat, qui prorsus liberos admitteret motus, itaque omnes histriones eisdem fere motibus in scaena esse versatos existimandum est, et, quod gravissimum est, tota histrionis facies larva opperiebatur, ita ut, nisi larva mutabatur (id quod nonnunquam factum esse traditur) [2]) per totum fabulae tempus eundem praeberet aspectum. Huc accedit, quod propter ingentem antiquorum theatrorum magnitudinem minima spectatorum pars omnem externam histrionis faciem accurate perspicere potuit. Bene de hac re disseruit Sommerbrodt (Scaenic. coll. p. 202): „Nam nostri actores ut omnes qui deinceps in singulis existunt vel reconditissimos animorum motus exprimant, suo ipsorum vultu, cuius summa

---

[1]) In versibus citandis Kirchhoffii editionem sequor.
[2]) vide Bernhardy l. c. II p. 649.

mobilitate sola hoc effici potest, carere plane nequeunt, immo hoc potissimum adiumento, quod poetarum ars describere aut noluit, aut non potuit, supplere quasi debent; quod contra veteres poetae, qui summam quandam describebant morum formam, exemptam illam omnibus iis, quae non necessario cum ea coniuncta essent, effugere necesse erat, quidquid peculiaris histrionum natura addere posset", et p. 231 „Sed haec tamen omnia" (sc. corporis motus, habitus, status, incessus, capitis motus, vultus, manuum gestus) „in tragica quidem Graecorum scaena angustissimis circumscripta erant finibus." (Cfr. etiam p. 233.) Quibus de causis dubitandum non est, quin omnes eius modi mutae partes a *κωφῷ προσώπῳ* sint susceptae. Sed iam ad Pyladem redeamus. Cum ille uno loco (v. 900) loquatur, quaeri potest, utrum histrio eum egerit necne. Atque si illud probamus, quartus histrio opus est, id quod Schneider (Attisches Theaterwesen p. 142) et J. Richter (Vertheilung der Rollen p. 41) affirmant. Sed quod Richter p. 39 dicit: „Da Pylades beständig mit dem Orestes auf der Bühne ist, wenn auch als stumme Person, so erfordert er einen eignen, ausserordentlichen Schauspieler, der dazu eine besondere Gewandtheit haben musste, immer, da er nur durch Gebärden Theil nahm, an der Handlung, durch seine Stellung mitzuwirken, und zur plastischen Darstellung des Drama ganz vorzüglich beizutragen", causis supra allatis satis refutasse mihi videor. Jam videamus, quas alias causas afferat. Qua in re maxime agitur de illo loco, ubi Pylades loquitur. Sunt enim in scaena a versu 878 Clytaemnestra et servus. Post v. 879 servus abit et Clytaemnestra sola quinque versus recitat, donec versu 885 Orestes procedit comitante ut multi viri docti putant Pylade, qui amicum matrem interficere cunctantem v. 893 adhortatur. Iam O. Mueller (Eumenid. p. 110) et C. F. Hermann (de distributione partium p. 46) hoc loco tritagonistam, qui modo servum egerit, Pyladis partes suscipere volunt, id quod plane comprobo. Etiam scholiastes hoc confirmat: *μετεσκεύασται ὁ ἐξάγγελος εἰς Πυλάδην, ἵνα μὴ δ' λέγωσιν*, cui opinioni assentitur Paley. Contra Richter contendit temporis spatium inter vv. 879 et 885 brevius esse, quam ut histrio vestem mutare possit. Sed hoc negaverim. Apparet enim Clytaemnestram

ambiguis servi verbis: τὸν ζῶντα καίνειν τοὺς τεθνηκότας λέγω perterritam obmutuisse et tum sensum eorum secum reputantem lentissime proxima verba recitare.[1]) Sed quid opus est Pyladem iam versu 885 in scaenam procedere? Nonne multo aptius et toti scaenae indoli accommodatius est primum matrem eum filio solo colloqui et hac ipsa re filii animum molliri, donec v. 892 amicum exeuntem aspiciens pudore et adhortationibus eius incitatus crudele facinus adit?[2]) Vestis autem mutatio, ut iam dixi, non ita difficilis erat. Quare mea quidem sententia iudicandum est Pyladem per totam fabulam usque ad hunc locum κωφὸν πρόσωπον esse, inde vero tritagonistam eius partes suscepisse cumque scaenam non iam relinqueret, usque ad finem perduxisse.

3. Iam venimus ad tertiam Aeschyli tragoediam, in qua dubitari non debet, quin κωφὸν πρόσωπον in scaena fuerit. In initio enim Eumenidum v. 89 ss. Apollo Orestem fratri Mercurio his verbis commendat:

> σὺ δ' αὐτάδελφον αἷμα καὶ κοινοῦ πατρός,
> Ἑρμῆ, φύλασσε κτλ.

quibus satis dilucide apparet Mercurium ante spectatorum oculos in scaena versari, id quod fere omnes concedunt.[3]) Fortasse etiam versu 235 cum Oreste procedit, sed de hac re, quia indicia plane desunt, certius nihil explorari potest.

§ 2. Sophocles.

Apud Sophoclem plures eius modi personae exstant.

1. Ac primum quidem in Aiace duo vel fortasse tria exempla invenimus. De uno omnes consentiunt. Personam Eurysacis dico, parvi Aiacis filii, quem saepius in scaena esse multis versibus apparet. Cfr. v. 544[4]) καὶ δὴ κομίζει προσπόλων ὅδ' ἐγγύθεν, ubi servus Aiacis iussu eum ad patrem

---

[1]) Ut nunc video, Sommerbrodt l. c. p. 180 in hac re plane eandem sententiam profert et accuratius demonstrat, quantum temporis ad hos quinque versus recitandos opus fuerit.

[2]) Multo minorem probabilitatem habere mihi videtur opinio God. Hermanni opusc. VII p. 346 sq. De loco difficillimo Poll. IV 109 sq. veri simillimam esse puto sententiam a Dindorfio in ea editione Aeschyli quae inest in Poet. sc. ed. V. p. 108 prolatam.

[3]) Hermann l. c. p. 24, O. Mueller l. c. p. 112.

[4]) secundum Schneidewini editionem a Nauckio curatam.

ducit. Etiam v. 809 eum cum Tecmessa e tentorio egredi putaverim, cum illa exclamet: οἴμοι, τί δράσω, τέκνον; idem censet Schneidewin. Videmus igitur iam ex hoc exemplo, id quod postea compluribus comprobabimus, etiam pueros in Graecorum theatro adhibitos esse. Infra videbimus eos interdum etiam aliquid locutos esse. Sed de hac re postea. — Alterum mutae personae exemplum est Tecmessa in extrema fabulae parte. Postquam enim v. 973 abiit, v. 1168 (καὶ μὴν ἐς αὐτὸν καιρὸν οἵδε πλησίοι πάρεισιν ἀνδρὸς τοῦδε παῖς τε καὶ γυνή) cum Eurysace revertitur et, ut sequentia (1409 καί, σὺ δὲ πατρός γ᾽ ὅσον ἰσχύεις) demonstrant, usque ad finem in scaena manet, neque vero vocem mittit. Haec res per se non satis gravis causa esset, cur eius partes a κωφῷ προσώπῳ agerentur; hoc clarius vero id eo comprobatur, quod in sequentibus tres histriones requiruntur (Teucer, Agamemnon, Ulixes). Quare cum ad Tecmessam agendam (ut mutam) parachoregemate non opus sit, κωφὸν πρόσωπον esse adhibitum apertum est, id quod Schneidewin, Schoenborn l. c. p. 259, Muche (quaestt. de re scen. fabulae Soph., quae Aiax inscribitur. Diss. Vratisl. 1879) plane probant. — Praeter haec certa κωφὰ πρόσωπα etiam tertium statuendum esse existimaverim. Puto enim Menelaum, postquam p. v. 1160 abiit, v. 1226 cum Agamemnone fratre reverti. Nam ex ipsis verbis apparet Menelaum abire fratrem auxilio arcessitum, id quod etiam Teucer v. 1116 significat: καὶ τὸν στρατηγὸν (sc. λαβὼν) ἧκε. Etiam moribus Menelai, quales a poeta depicti sunt, aptissimum est eum redire, ut gaudeat videns, quomodo Teucer obiurgetur. Hoc quoque Schoenborn (l. c. p. 260 ss.) sentit atque plane cum eo consentio, cum dicit, ex v. 1312 et 1319 apparere Menelaum adesse. Quamquam enim v. 1312 corruptus est, mihi v. 1319 ad hanc sententiam comprobandam sufficere videtur, ubi verba Ulixis haec sunt:

τηλόθεν γὰρ ᾐσθόμην
βοὴν Ἀτρειδῶν τῷδ᾽ ἐπ᾽ ἀλκίμῳ νεκρῷ.

Quomodo hoc dicere potuit, nisi ambo Atridae adfuissent? An putandum est eum iam multo antea Menelaum increpantem audivisse, sed post Agamemnonis domum adventum accessisse? Minime. Immo vero mea quidem sententia Ulixes praeteriens

Atridas cum Teucro rixantes animadvertit et statim ad litem componendam accurrit. Quod si statuimus, tertium κ. πρ. recipiendum est, cum, ut supra commemoratum est, tres histriones in scaena iam versentur.

2. In Electra rursus nobis occurrit Pyladis persona, qui hic aliter atque apud Aeschylum per totam fabulam ne unum quidem verbum loquitur. Nihilo setius Richter (l. c. p. 48) contendit: „Dieser Pylades kann von keinem gewöhnlichen Statisten dargestellt worden sein, es muss ein wirklicher Schauspieler zu diesem κωφὸν πρόσωπον gebraucht worden sein." Apparet, hanc argumentationem eiudem, quae iam de Pylade Aeschyleo attulimus, causis esse reiciendam. Quid quod inveniuntur in hac tragoedia loci, ubi ad Pyladem agendum quarto opus esset histrione, ut v. 1326, ubi poeta Orestem, Electram, Aegisthum loquentes facit Pylade semper astante. Omnino si Richterum sequeremur, paene in omnibus eis partibus, ubi certae personae in scaena mutae sunt, verus nobis histrio requirendus esset. Nam valde dubito, utrum Pyladis partes difficiliores fuerint an Tecmessae, quae per trecentos fere versus muta in scaena versatur et per totum id tempus maximum ostendere debet dolorem Aiacis corpus ante oculos habens. Idem in aliis fabulis nobis statuendum esset. Sed nonne, quod de hoc tam crebro quarti histrionis usu nemo veterum, neque scholiasta neque Pollux neque alius quisquam memoriae quidquam tradidit, valde mirandum esset? Omnino si nobis in memoriam revocamus poetae ad tetralogiam agendam quater duodecim vel quindecim hominum chorum praesto fuisse, quorum unusquisque diuturno rei scaenicae usu exercitatissimus erat, quid impedit, quominus putemus poetam ad agendas tales partes ut Pyladis, sive mutus erat sive nonnulla loquebatur, unum ex illis choreutis adhibuisse? Nam ut choreutae praestantiores vel choreutarum dux saepissime etiam soli aliquid recitent, in unaquaque tragoedia fieri notissimum est. Quod si statuimus, plane supervacanea videtur quaestio, utrum illum actorem auxiliarium parachoregema an parascenium an κωφὸν πρόσωπον nominemus. Quartum autem histrionem, qui fortasse in aliis tragoediis deuteragonistes vel tritagonistes fuerit, has partes egisse nullo modo verisimile est.

3. In fine Oedipodis Regis Creon illi filias Antigonam et Ismenam adducit, quae nihil loquuntur, sed usque ad finem in scaena remanent, ut e v. 1521: *τέκνων δ' ἀφοῦ* apparet. Scholiastes annotat: *αἰσθάνεται τῶν θυγατέρων παρουσῶν*. Iam ad difficiliorem quaestionem transire possumus.

4. De Ismenae enim persona quae est in Oedipode Coloneo disserendum nobis est. In hac tragoedia distributio partium difficillima est neque quaestio adhuc ad certum finem deducta esse videtur, sed variae sententiae inter se dimicant. Hoc fere inter omnes convenit tres histriones sufficere non posse, nisi putamus Thesei partes a tribus deinceps actoribus suscipi. Sed hoc a nostra quaestione alienum est. Nec satis habemus statuere tribus locis quattuor personas in scaena versari: 1. a. v. 1117 Oedipum, Antigonam, Ismenam, Theseum, 2. a. v. 1249 Oedipum, Antigonam, Ismenam, Polynicem, 3. a. v. 1500 Oedipum, Antigonam, Ismenam, Theseum. Sed notandum est per totum id tempus Ismenam mutam rebus interesse, cum satis apte interdum loqui possit, praecipue in colloquio cum Polynice, ubi illi alloquenti ambas sorores sola Antigona respondet. Quare facere non possum quin consulto his locis poetam illam tacentem fecisse iudicem, ne actorum numerus maior esset. Vide etiam, quae Teuffel (Rh. M. IX, p. 137), quamquam Ismenam *παρασκηνίῳ* tribuit, de consilio illo poetae disputat. Ismena igitur his locis *κωφὸν πρόσωπον* est, in initio autem et in fine fabulae a vero histrione agatur. Atque in hoc omnes consentiunt, nisi quod Schoell (Rh. M. 1854 p. 136 ss.) dicit eum, qui Ismenam a v. 1117 agat, usque ad finem eius partes retinere, quia Ismena in fine non loquatur, sed tantum canat, idque esse parascenii exemplum.[1]) Hoc fieri posse nemo negabit, sed plane necesse non est et probabilitate carere mihi videtur. Itaque in extrema parte tritagonisten rursus Ismenae partes suscepisse existimo.[2])

---

[1]) Pollux IV., 110: *ὁπότε μὲν ἀντὶ τετάρτου ὑποκριτοῦ δέοι τινὰ τῶν χορευτῶν εἰπεῖν ἐν ᾠδῇ παρασκήνιον καλεῖται τὸ πρᾶγμα.*

[2]) Mihi cum Hermanno hoc loco non tam ineptum videtur Thesei partes a tribus deinceps histrionibus suscipi. Ad hanc rem vide quae Beer (Zahl der Schauspieler bei Aristoph. p. 10) dicat (quamquam in Thesei persona id fieri negat): „Nur in zwei Fällen war eine solche

5. In eius modi personis, quae certas mutas partes agunt, apud Sophoclem etiam Iole in Trachiniis numeranda est, quae inter captivas illas a Licha ductas propter regiam dignitatem praecipuum obtinet locum et a Deianira non semel appellatur, ut v. 307, 320. Eius personam a vero histrione esse susceptam nemo erit, quin neget.

§ 3. Euripides.

1. Secundum chronologiam, in qua Arnoldtii (Chorische Technik des Eur.) ordinem sequor, primum de Alcestide disserendum est, in qua fabula plura x. πρ. nobis occurrunt. Ac primum ipsa Alcestis, postquam v. 962 [1]) ab Hercule coniugi reddita est, usque ad finem tacet. Iam cum praeter eam duae tantum personae loquantur, equidem non dubitaverim cum Richtero Hermanni sententiam (l. c. p. 24, 49, 67) probare, qui Alcestim ab illo versu non ab histrione agi existimat.[2]) — Praeter Alcestin etiam alterum exemplum in hac fabula est. Nam versu

---

Zertheilung einer Rolle an ihrem Platze: einmal da, wo die Person die früher gesprochen, später als stumme Person wieder auftritt etc. Eine Zertheilung einer Rolle auf zwei Schauspieler war aber zweitens da an ihrem Platze, wo im Laufe eines Stückes mit einer Person eine Veränderung ihres ganzen Wesens vorgeht." Iam cum his conferas Hermanni de Theseo iudicium (p. 43): „Nimirum longe alios idem mores ostendit iis in scenis, ubi Oedipum et Antigonam placide consolatur hisque securitatem et hospitium in terra Attica promittit, alios autem illic, ubi Creontis importunitati resistit eiusque superbiam fortitudine et constantia coërcet: quam si conversionem Sophocles vel numerorum mutatione prorsus singulari v. 887 expressit, non minus audacem fore arbitror, si quis histrionem quoque, cuius omnino consentaneum erat ingressum tetrametis illis trochaicis pronunciandis spectatorum animos insolito more afficere, alium atque antea nempe eundem fuisse suspicetur, qui modo Antigonae partibus actis simili artificio remotus erat, quo antea Ismena novae τριταγωνιστοῦ personae cesserat; in extrema denique fabula, ubi Theseus ad Oedipi filias conversus in ipsius patris locum succedit, mortuoque qui primas partes sustinuerat, ipse sine dubitatione princeps agendi exsistit, nihil absurdi erit iam etiam πρωταγωνιστὴν regis Attici personam suscepisse." His plane assentior.

[1]) Versus citantur secundum Kirchhoffii editionem.

[2]) Iam antea Elmsley probante G. Hermanno Euripidem in hac fabula duobus actoribus contentum fuisse censuerat.

233 Alcestis ex aedibus procedit comitantibus coniuge et liberis. Hoc apparet e v. 270

τέκνα τέκν᾽ οὐκέτι δὴ
οὐκέτι μάτηρ σφῷν ἔστιν.

v. 325 ὑμῖν δέ, παῖδες, μητρὸς ἐκπεφυκέναι κτλ.
v. 371 ὦ παῖδες, αὐτοὶ δὴ τάδ᾽ εἰσηκούσατε

et saepius. Atque de filii Eumeli praesentia omnino dubitatio fieri non potest, cum ipse v. 393 ss. verba faciat. Sed sororem quoque in scaena conspici, si cui causae supra allatae non sufficiant, inde clarius apparet ex v. 409, ubi Eumelus eam alloquitur: σύ τε σύγκασί μοι κούρα. Accedit quod scholiastes ad v. 404 annotat: ἐγὼ καὶ σφώ : πρὸς τὸν Εὔμηλον καὶ τὴν ἀδελφὴν αὐτοῦ. Hanc sororem κ. πρ. esse per se intellegitur. Invenimus igitur iam tria exempla puerorum in scaena versantium. Quae quaestio, cum iam eam tetigerimus, digna videtur, quam accuratius tractemus. Dubitet enim quispiam, utrum re vera pueri hae partes egerint an homines adulti. Atque eorum puerorum partes, qui per totam fabulam muti sunt, cuius rei exemplum Eurysaces praebet, a pueris esse susceptas, causa non est cur negemus neque in hoc quisquam offendet. Aliter vero res se habet, si pueri aliquid in scaena loqui debent, ut nostro loco Eumelus. Nam si iudicamus mulieres praeter alias graviores causas etiam ea de re in Graecorum scaena non esse adhibitas, quia voces earum nimis debiles essent, quam ut omnes audientes accurate percipere possent, quid dicerent, id ipsum nos impedit, quominus statuamus pueros loquentes in scaenam esse introductos. Putemus igitur viros eorum partes egisse? In vocum discrepantia offendendum non est (nam eos, qui viriles voces pro femineis tulerunt, easdem pro puerilibus quoque accepisse apparet), sed vix Graecos diversitatem magnitudinis totiusque figurae non respexisse putaverim. Quare fuerunt, qui pueros mutos in scaena versatos, verba autem ab histrione abscondito recitata esse vellent.[1] Sed recte contra haec annotat Beer (l. c. p. 15), secundum verba post scaenam sonantia gestus facere difficilius esse, quam ut puero id tribuamus. Omnino hoc refugio opus esse negaverim. Contemplemur modo exempla, quae in

---

1) O. Mueller Litt. II., p. 136, G. Hermann Andromach. p. XI.

fabulis exstant. Atque si Medeae liberos, cum tantum post scenam loquantur, non respicimus, duo tantum pueri in ipsa scena verba facientes inveniuntur, Eumelus in Alcestide et Molossus in Andromacha; quamquam Eumelum non puerum sed potius adulescentem iam esse, quantum ex tota lamentationum eius indole et natura colligi possit, Richter l. c. p. 75 conicit. Sed id in medio relinquamus, hoc certe constat Molossum puerum nondum adultum esse. Atque maximum mihi momentum in eo ponendum videtur, quod et Eumeli et Molossi verba, quae proferunt, non ad diverbium ex trimetris constans pertinent, sed utroque loco in eis fabulae partibus numeranda sunt, quae non recitantur, sed canuntur. Mulierum autem et puerorum voces, quae in sermone debiles sunt et longe a virorum vocibus superantur, in canendo ad admirabilem quandam vim accrescunt, id quod in nostris theatris saepissime animadvertere possumus. Choros puerorum apud Graecos ne a scaena quidem alienos fuisse, satis apparet ex Eurip. Supplicibus, ubi si Hermann p. 51 et Richter p. 89 unum tantum canere volunt cuius partes Richter deuteragonistae tribuit, perversum id mihi videtur.[1]) Accedit, quod etiam in comoedia saepius pueros in scaena videmus. Cfr. modo Vesp. v. 248 ss. vel Pac. v. 114 ss. et 1265 ss., ubi ut veri pueri sint tota loci natura postulat. Quae cum ita sint, non dubito contendere Molossi et, quod verisimile est, Eumeli quoque partes a pueris esse susceptas.

2. Iam transeamus ad Medeam in qua novum puerorum exemplum invenimus, nam Medeae liberi saepius in scaena muti versantur. Primum intrant cum paedagogo v. 46 (ἀλλ᾽ οἵδε παῖδες ἐκ τρόχων πεπαυμένοι κτλ.) et abscedunt v. 95. Redeunt v. 88 (ὦ τέκνα, τέκνα, δεῦτε, λείπετε στέγας). Post v. 975 cum Iasone ad Glaucam abeunt, a qua reversi v. 1080 domum intrant neque amplius in scaenam prodeunt. Lamentationes eorum, quae post scaenam v. 1271 et 1277 audiuntur, etiam ab histrione recitari posse satis comprobatur causis supra ubi de Eumelo egimus allatis. — Iam in eadem fabula de duobus aliis κωφοῖς πρ. quaeri potest. Ac primum quidem paedagogus a v. 895 usque ad v. 975 mutus adesse videtur. Nam iure

[1]) Molossum Hermann p. 52 parachoregema esse vult.

Weckleinio aptum esse videtur eum, ut initio fabulae liberos comitatus est, ita hoc quoque loco una cum eis domo exire. Certum vero hoc esse confirmatur sequentibus (v. 1002 ss.), ubi paedagogus cum liberis a Glauca redit et narrat, quomodo liberi ab illa sint recepti. Quare cum etiam cum liberi cum Jasone ad Glaucam abirent, adfuisse apertum est. Jam quaeritur, utrum a v. 895 usque ad v. 975 idem qui antea histrio an muta persona paedagogum egerit. Atque ego quidem, quia omnino hoc loco partium distributio causam non praebet, cur de *κ. πρ.* cogitemus, putaverim eundem actorem (sc. tritagonistam) per totam fabulam paedagogum egisse (quamquam de tali re, cum utrumque fieri potuerit, certum aliquid explorari non potest). Qua de causa Richteri distributionem (p. 62) probare non possum. Tribuit enim deuteragonistae Iasonem, Creontem, paedagogum, id quod fieri nequit, cum iam v. 895—975 Iason una cum paedagogo in scaena sit. Richterum hoc fugisse videtur, aut putat paedagogum hoc loco non adesse, nam ad *κωφὸν πρ.* confugisse hunc v. d. vix putaverim; haud semel enim dicit unius personae partes non a duobus suscipi.

Etiam de altero *κωφῷ πρ.* res incerta videtur. Possumus enim putare nutricem, postquam v. 203 Medeam arcessitum abiit, cum ea v. 214 redire et inde semper una cum Medea in scaena manere, id quod verisimile fit propter v. 820 et 821:

ἀλλ' εἶα χώρει καὶ κόμιζ' Ἰάσονα
εἰς πάντα γὰρ δὴ σοὶ τὰ πιστὰ χρώμεθα,

quibus verbis apparet Medeam amicissimam ancillam alloqui. Assentiuntur Wecklein, Weil, Schoenborn l. c. p. 144. Sed omnino hoc potius ad illa *κωφὰ πρ.* pertinet, de quibus in altero capite disseremus. Ibi igitur ad hanc quaestionem redeamus.

3. Etiam in Heraclidis poeta pueros in scaenam introducit, filios Herculis dico, qui cum Iolao supplices ante templum sedent et saepius commemorantur ut v. 40 *τοῖς δὲ τέκνοις*, v. 48 *ὦ τέκνα, τέκνα, δεῦρο, λαμβάνεσθ' ἐμῶν πέπλων*, v. 90 *ἀλλὰ τοῦ ποτ' ἐν χειρὶ σῇ κομίζεις κόρους*.

Praeter eos etiam Demophontis frater Acamas *κ. πρ.* est, quem, quamquam in personarum indice non commemoratur, tamen in scaena esse ex versu 119 luculentissime intellegitur:

καὶ μὴν ὅδ' αὐτὸς ἔρχεται σπουδὴν ἔχων
Ἀκάμας τ' ἀδελφός.

Etiam v. 307 *δότ', ὦ τέκν', αὐτοῖς χεῖρα δεξιὰν δότε, ὑμεῖς τε παισί* verba *αὐτοῖς* et *ὑμεῖς* non, ut nonnulli (Geppert l. c. p. 251) voluerunt, ad chorum neque, quod Schoenbornio (p. 184) et Arnoldtio (l. c. p. 63) placet, ad regem eiusque comitatum, sed ad duos fratres Demophontem et Acamantem, refero.

4. In Hecuba ex v. 426:

χαῖρ', ὦ τεκοῦσα, χαῖρε Κασάνδρα τ' ἐμοί

coniecerit quispiam praeter Hecubam etiam Cassandram in scena esse. Sed cum infra (v. 826 ss.) legamus Cassandram iam in Agamemnonis tentorio esse, hoc loco eam adesse negandum est.

Contra certum est in extrema fabula Polymestoris filios in scenam procedere (953). Cfr. 978

ἴδιον ἐμαυτῆς δή τι πρὸς σὲ βούλομαι
καὶ παῖδας εἰπεῖν

vel v. 1005 *τί δῆτα τέκνων τῶνδε δεῖ παρουσίας.*
V. 1023 cum patre in tabernaculum abeunt.

5. Denuo nobis pueri occurrunt in Hercule, ubi Herculis liberos in scaena fuisse certum est. Saepissime commemorantur; etiam numerus eorum indicatur v. 474 *τρεῖς δ' ὄντας ὑμᾶς κτλ.*

6. Iam venimus ad Electram, in qua poeta compluribus eius generis personis mutis usus est. Ac praestantissima est Pyladis persona, quae nobis iam tertium occurrit[1]. Ceterum licet cum Richtero (p. 39) de Aeschyli Pylade dicamus: „ein Beweis des ausgezeichneten Fortschrittes der Aeschyleischen Tragödie ist es, dass mit unübertrefflicher Enthaltsamkeit dem Pylades nur drei Verse gestattet werden, da, wo alle im höchsten Momente der Aufregung sind, in dem furchtbaren Momente, wo Orestes zurückschaudernd vor dem Muttermorde rathlos seinen Freund fragt. Da musste Pylades sprechen, und dass er nur da sprach, ist ein Meisterstück Aeschyleischer Kunst", apud Euripidem

[1]) In fontium nostrorum exilitate satis inutile mihi videtur quaerere, num *κωφὸν πρόσωπον* eius generis a chorego instructum atque ornatum fuerit nomenque *παραχορηγήματος* (Richter p. 70) ei convenerit.

Pyladis per totam fabulam silentium, cuius causam in definito histrionum numero positam fuisse apparet, offensione non prorsus carere mihi videtur. Nam postquam Dioscuri deinceps Oresti, Pyladi, Electrae sortes futuras praedixerunt, omnes et Orestes et Electra et chorus eos quaestionibus fatigant, unus Pylades mutus astat. Quin cum v. 1340 Orestes amico vale dicat, hic nihilominus silentium obtinet. Nonne hoc satis mirum est? Poetam ipsum id sensisse apparet ex eo, quod Pyladis loco Dioscuros v. 1342 quasi excusantes facit : *τοῖσδε μελήσει γάμος.*

Alterum *κωφὸν πρ.* in fine Electrae invenimus. V. 1237 enim subito dei ex machina adveniunt Castor et Pollux, quorum verbis tota res ad bonum finem perducitur. Sed fieri non potest, ut ambo uno tempore loquantur. Nam ut illud omittam, quod omnino trimetri in tragoedia ab uno tantum histrione vel choreuta recitantur, nostro loco si aliter res se haberet, quarto histrione opus esset. Sunt enim in scaena Orestes et Electra. Quae cum ita sint, alter Dioscurorum *κ. πρ.* esse debet, id quod Hermann (p. 24) Weil (p. 573), Arnoldt (p. 18) plane comprobant. Etiam Richter idem censere videtur dicens tritagonistam praeter alias partes etiam Dioscuros agere et Castoris nomen uncis inclusum addens. Castor enim, quantum e v. 1240:

Κάστωρ κασίγνητός τε Πολυδεύκης ὅδε

conici licet, pro se ipso et Polluce loquitur. Nam verbis *κασίγνητός τε* etc. Pollucem digito monstrare putandus est. Praeterea digna, quae citetur, est Weilii ad hunc versum annotatio: „Il faut croire que Castor porte la parole. Son nom précède celui de Pollux, et l'on sait que les Grecs et les Latins avaient l'habitude en parlant d'euxmêmes et d'un autre, de se nommer les premiers." Quare statuendum est Pollucem esse *κωφὸν πρόσωπον.*

7. Etiam in Troadibus persona muta commemoranda est, Hectoris filius Astyanax, qui v. 570

παρὰ δ' εἰρεσίᾳ μαστῶν ἕπεται
φίλος Ἀστυάναξ, Ἕκτορος ἶνις

cum metre Andromacha in scaenam introducitur atque etiam

dentes saepius praesens commemoratur, ut v. 713 *τόνδε παῖδα*, vel. 749:

ὦ παῖ, δακρύεις; αἰσθάνει κακῶν σέθεν;
τί μου δέδραξαι χερσὶ κἀντέχει πέπλων

et aliis locis. Scholiastes (568) dicit : *ἀποθεωροῦσιν αἱ κατὰ τὸν χορὸν τὴν Ἀνδρομάχην παροδεύουσαν ἐπὶ ὀχήματος Ἑλληνικοῦ καὶ τὸν Ἀστυάνακτα αὐτῇ ἑπόμενον.* Ex versu 570 suspicari possimus Astyanactem adhuc esse infantem lactentem, id quod cum Iliadis narratione quadrare videtur (Z 400)

ἥ οἱ ἔπειτ' ἤντησ', ἅμα δ' ἀμφίπολος κίεν αὐτῇ
παῖδ' ἐπὶ κόλπῳ ἔχουσ' ἀταλάφρονα, νήπιον αὔτως,

quamquam *νήπιος* haud raro ampliorem significationem habet, quam infans. Quod si putemus, facile cogitari possit Andromacham simulacrum, quod nos „Puppe“ appellamus, in bracchiis tenuisse. Sed sequentia (v. 782 ss.)

ἄγε παῖ, φίλιον πρόσπτυγμα μεθεὶς
μητρὸς μογερᾶς, βαῖνε κτλ.

vix ad infantem apta videntur atque e v. 1180 ss., ubi mater eum loquentem facit, luculentissime apparet de puero iam complures annos nato cogitandum esse:

ὦ πολλὰ κόμπους ἐκβαλὸν φίλον στόμα
ὄλωλας, ἐψεύσω μ', ὅτ' εἰσπίπτων λέχος,
ὦ μῆτερ, ηὔδας, ἦ πολύν σοι βοστρύχων
πλόκαμον κεροῦμαι κτλ.

Quare hoc quoque exemplum muti pueri est.

8. Etiam de Iphigenia Taurica quaestio instituenda est. Attendamus, si placet, animum ad v. 1222. In scaena colloquuntur Iphigenia et Thoas. Iam v. 1222 illa dicit:

τοὺς δ' ἄρ' ἐκβαίνοντας ἤδη δωμάτων ὁρῶ ξένους κτλ.,

quibus apparet Orestem et Pyladem e templo, in quod v. 1088 cum Iphigenia abierant, educi, qua in re Schoene, Wecklein, Arnoldt (l. c. p. 20), Schoenborn (p. 175) inter se consentiunt. Quattuor igitur eodem tempore personae adsunt, quae difficultas tolli non potest, nisi indicamus Orestis partes vel, si aliam distributionem sequimur, Pyladis hoc loco à *κ. πρ.* agi. Conf Ehemann (Progr. d. Studienanst. Kaiserslautern 1875 p. 6). Fortasse utriusque partes inde ab illo loco *κ. πρ.* suscepit, quia neuter rursus in scaenam provenit.

9. In fine Helenae Dioscuri adveniunt, quorum alterum similiter atque in fine Electrae mutum fuisse coniici licet. Quamquam enim hoc loco tertius histrio adhiberi poterat[1]) tamen et propter analogiam et quod, ut iam illic dictum est, trimetri ab uno recitantur, illud verisimile est. Huc accedit, quod ex ipsis verbis testimonium capere possumus. Nam si v. 1662:

σοὶ μὲν τάδ' αὐδῶ, συγγόνῳ δ' ἐμῇ λέγω

et v. 1673:

φρουρὸν παρ' Ἀκτῇ τεταμένην νῆσον λέγω

legimus, cum propter singularem verbi numerum tum propter ἐμῇ vix dubitari potest, quin unus pro ambobus loquatur. Uter verba faciat, a poeta non significatur.

10. In Phoenissis persona muta levioris momenti notanda est, Manto, Tiresiae filia, quae eum, cum caecus sit, in scaenam comitatur, ut e compluribus versibus apparet (834 ss. 953). Cf. schol.: *Μαντὼ ἐκαλεῖτο ἡ θυγάτηρ Τειρεσίου καὶ πρὸς ἐκείνην λέγει τοὺς λόγους Τειρεσίας.*

11. In Oreste de qua in hypothesi dicitur: *τὸ δρᾶμα τῶν ἐπὶ σκηνῆς εὐδοκιμούντων*, magna personarum varietas est, id quod distributionem partium non ita facilem reddit. Sed hoc nostra non interest, nisi ubi ad quaestionem de mutis personis pertinet. Atque in hac re primum a Richtero dissentio statim de fabulae initio. Tribuit enim (p. 60) praeter alias partes tritagonistae Helenam et Hermionam. Iam vero quomodo hoc quadrat ad v. 111, ubi in scaena sunt Orestes in cubili iacens, Electra, Helena et haec v. 111 (*ὦ τέκνον ἔξελθ' Ἑρμιόνη, δόμων πάρος κτλ.*) filiam Hermionam ex aedibus evocat? Atque eam egredi demonstrat v. 124:

ἴθ' ὦ τέκνον μοι, σπεῦδε καὶ χοὰς τάφῳ κτλ.

De hac difficultate Richter omnino non locutus est. Putasse igitur videtur Hermionam non procedere. Nam eius partes ab alio hoc loco suscipi secundum ipsius legem, ne eaedem partes a duobus agantur, non licuit ei statuere. Etiam quod Arnoldt (p. 24) censet Orestem demum v. 196 prodire, fieri non potest, nam e compluribus versibus apparet eum iam ab initio

---

[1]) Nuntius post v. 1618 abire poterat.

fabulae in cubili conspici. Cfr. v. 35, 83, 84, 131, 133, 139, 142, 151, 166, 208—210. Quare, cum dubitandum non sit, quin Hermiona in scaenam egressa sit[1]), tres vero histriones iam occupati sint (Orestes, Electra, Helena), statuemus Hermionam esse κωφὸν πρ., id quod hoc ipso loco facillime fieri potuit, quia per brevissimum tantum temporis spatium in scaena versatur. Abit iam v. 125.

Sed non contentus fuit poeta hac una persona muta, immo in fine fabulae plures adiecit. V. 1555 Menelaus intrat et cum Oreste, qui in aedium tecto stat, rixatur. Ad hos tertius accedit v. 1625 Apollo, ita ut omnes tres actores in scaena sint. Iam vero praeter hos etiam duae vel tres personae conspiciuntur. Ac primum quidem vv. 1573 ss., 1627, 1653, 1671 demonstrant Hermionam in summis aedibus esse[2]), deinde Pyladem quoque ibidem astare apparet e v. 1591 ἦ καὶ σύ, Πυλάδη, τοῦδε κοινωνεῖς φόνου et v. 1619 et 1620, tum etiam Electram adesse ex v. 1618:

ἀλλ' εἶ', ὕφαπτε δώματ', Ἠλέκτρα, τάδε

conici potest, quamquam haec fortasse in interiore aedium parte esse existimanda est. Contra Pylades et Hermiona quin conspiciantur, dubitari non debet, nam si ita esset, eos Menelaus alloqui non posset. Haec plane comprobant Schoenborn (p. 149) et Weil (ad v. 1592)[3]). Memorabilis mihi videtur v. 1592. Nam quamquam Menelaus Pyladem v. 1591 alloquitur, tamen non respondet (id quod aptissimum erat), sed pro illo Orestes quasi advocatus loquitur:

φησὶν σιωπῶν· ἀρκέσω δ' ἐγὼ λέγων.

Etiam hic, sicut in Electra, videmus, poetam in observanda lege sibi imposita non satis feliciter esse versatum.[4]) Cf. Weil ad v. 1592: „Quoique interpellé, Pylade ne prend point la parole. Cela est conforme aux habitudes du théâtre antique. Du reste, le poëte n'avait que trois acteurs à sa disposition. Le protago-

---

[1]) Etiam Schoenborn p. 148 Hermionam egredi dicit.

[2]) Schol. ἔα: κάτωθεν ἀναβλέψας ὁ Μενέλαος ὁρᾷ πῦρ ἀναπτόμενον καὶ ξίφος ἐπικείμενον τῷ τῆς Ἑρμιόνης αὐχένι.

[3]) Richter etiam in hac fabula Pyladis personam παραχορήγημα fuisse statuit: de qua re v. supra.

[4]) Cfr. Hermann p. 18 ss.

niste remplissait le rôle d'Oreste; le tritagoniste celui de Ménélas; et comme Apollon va paraître bientôt, sans que ni l'un ni l'autre de ces deux personnages se retire, le deutéragoniste ne se trouvait pas disponible non plus." Talia exempla, ut Pyladis, mihi contra Richteri sententiam p. 4 prolatam dimicare videntur: „Die gesammte Entwicklungsgeschichte des griechischen Drama belehrt uns, dass die Rollenvertheilung zwar mit Verstand und Ueberlegung selbst geschah, aber durchaus kein Maass für die Composition der Trägödien gab, und dem Dichter nie hemmend in den Weg trat."

12. Postremum exemplum Euripides nobis praebet in **Iphigenia Aulidensi**, ubi parvulum Orestem introducit, cuius praesentia compluribus locis confirmatur. V. 621 Clytaemnestra iubet Orestem de curru tolli:

καὶ παῖδα τόνδε τὸν Ἀγαμέμνονος γόνον
λάζυσθ', Ὀρέστην· ἔτι γάρ ἐστι νήπιος,
τέκνον, καθεύδεις κτλ.

Cfr. etiam v. 1118 sq. 1245 sqq. 1451 sq. [1623], ex quibus omnibus Orestem in scaena fuisse apparet.

Iam priorem totius commentationis partem ad finem perduximus. Liceat paucis ea, quae exploravimus, repetere.

Videmus poetas, quamquam numero trium actorum astricti erant, tamen saepius quattuor vel plures personas eodem tempore in scaenam introduxisse. Praeterea videmus, quamquam saepius maior personarum numerus in scaena est, tamen semper Horatianum illud observari „ne quarta loqui persona laboret", et hoc ipsum nos commovit, ut poetas tribus illis histrionibus contentos fuisse statueremus neque in eis, quas tractavimus tragoediis parachoregema (ex Pollucis interpretatione) opus esse, quamquam concedimus fortasse id adhiberi posse.

Inter singulos poetas in adhibendis his personis mutis diversitas magna non est, sed fere eundem eis usum fuisse apparet. Unum fortasse notandum est: Euripides multo maiorem puerorum numerum in scaenam introducit. Nam Aeschylus eos plane repudiavit, Sophocles in iis quae exstant tragoediis uno Eurysace contentum se praebet.

Restat, ut conspectum omnium, quas attuli, personarum addam:

I. Aeschylus.

1. Prometheus: Vis.
2. Choephoroe: Pylades (per partem fabulae mutus).
3. Eumenides: Mercurius.

II. Sophocles.

4. Aias: Eurysaces (puer).
5. „ : Tecmessa (p. p. f. m.).
6. „ : Menelaus (p. p. f. m.).
7. Electra: Pylades.
8. Oedip. rex: Ismena et Antigona.
9. „ Col.: Ismena (p. p. f. m.).
10. Trachin.: Iole.

III. Euripides.

11. Alcestis: Alcestis (p. p. f. m.).
12. „ : filia (puer).
13. Medea: liberi (pueri).
14. „ : nutrix? (p. p. f.).
15. Heraclidae: Herculis filii (pueri).
16. „ : Acamas.
17. Hecuba: Polymestoris filii (pueri).
18. Hercules: Hercul. filii (pueri).
19. Electra: Pylades.
20. „ : Pollux.
21. Troades: Astyanax (puer).
22. Iphig. Taur.: Orestes vel Pylades (p. p. f. m.).
23. Helena: Pollux vel Castor.
24. Phoenissae: Manto.
25. Orestes: Hermiona (p. p. f. m.).
26. „ : Pylades (p. p. f. m.).
27. „ : Electra? (p. p. f. m.).
28. Iphig. Aul.: Orestes (puer).

In universum igitur fere duodetriginta exempla exstant, quorum decem tales personae sunt, quae solum per partem fabulae a κωφῷ προσώπῳ aguntur. Puerorum mutorum partes octo inveniuntur, restant igitur decem personae, quae per totam fabulam tacent. Notandum est Pyladis personam quater, Pollucis bis nobis occurrere.

Caput II.

Iam venimus ad eas personas, quae angustiore sensu *κωφὰ πρόσωπα* nominantur. Nam de eis, quas supra attulimus, apud veteres paene nusquam mentio fit. Contra illa saepissime commemorantur, non tam in ipsis de rebus scaenicis libris, quam aliis locis, praecipue apud Lucianum, ibique et *κωφὰ πρόσωπα* et *δορυφορήματα* nominantur. Cum enim, ut mox videbimus, maximum eorum numerum servi satellitesque regum, reginarum vel omnino principum efficerent, vox *δορυφόρημα* vel *δορυφόρος* fere eundem sensum ac *κωφὸν πρόσωπον* nacta est. Cfr. Etym. Magn. et Hesych. s. v. *δορυφόρος*. Omnino de his mutis personis iam ab aliis (praecipue a Schneidero l. c.) permulti allati sunt loci, quos modo enumerare mihi liceat: Plutarch. Phoc. c. 19, Hippocrat. *νόμος* p. 3, Philon in Flacc. p. 968, Lucian. Toxar. c. 9, p. 516, Icarom. c. 9 p. 760, de hist. conscr. c. 4, p. 5. Omnibus his locis *κωφὰ πρόσωπα* appellantur viles personae, quae mutae in scaena stant neque praeter habitum quidquam cum tragoedia commune habent. Etiam recentiores *κωφὸν πρόσωπον* plane idem intellegunt. Sommerbrodt (Scen. coll. p. 170) id sic definit: „*κωφὸν* vel *κενὸν πρόσωπον*, quae cum muta sint, histrionum nihil habent nisi personam et vestem et habitum. Cuius generis omnes sunt pedisequi, servi, quique denique regem, reginam aliosve armati comitantur.“ Sunt igitur *κωφὰ πρόσωπα* hoc angustiore sensu personae, quae mutas famulorum partes agunt. Nam valde ab iis discernendae sunt eae servorum partes, in quibus verba facienda sunt, ut nuntii, paedagogi, nutricis etc. Quia Plutarchus (Lysand. XXIII) narrat posterioribus temporibus has nuntiorum etc. partes fuisse principales, quas protagonistae suscepissent. Vix refutanda mihi videtur sententia Grysari (de Graecorum tragoedia qualis fuit circum tempora Demosthenis, Progr. des kath. Gym. z. Cöln 1830 p. 35), qui tres partes principales tribus histrionibus attribuens omnes reliquas minoris momenti personas, ut custodem, Haemonem, Tiresiam, nuntium, Eurydicen, servum, *κωφὰ πρόσωπα* nominat. Ea non talia fuisse locis supra allatis satis comprobatur. Etiam magis repudiandum videtur, quod Boettiger (opusc. I. p. 264) censet, ne sumptus maiores fierent, simulacris

Graecos esse usos: „Wahrscheinlich stellte man da, wo es die Umstände erlaubten, statt der lebendigen Statisten nur angezogene Puppen hin (κωφόν — hohlköpfig, dumm)." Hanc plane perversam absurdamque opinionem iam diu Boeckh (gr. tr. princ. p. 90 ss.) argutissime refutavit et iure indicavit multo pluris talia simulacra statura fuisse, quam viva κωφὰ πρόσωπα, de quorum pretio conferas Luciani locum supra allatum (Icarom. c. 29, p. 787): *ἐμφερεῖς μάλιστα τοῖς τραγικοῖς ἐκείνοις ὑποκριταῖς, ὧν ἣν ἀφέλῃ τις τὰ προσωπεῖα καὶ τὴν χρυσόπαστον ἐκείνην στολήν, τὸ καταλειπόμενόν ἐστι γελοῖον ἀνθρώπιον ἑπτὰ δραχμῶν ἐς τὸν ἀγῶνα μεμισθωμένον.* Quem locum si putamus ad verum histrionem pertinere, ut verborum χρυσόπαστον στολὴν causa ad tritagonistam, qui posterioribus temporibus maxime reges egisse videtur, hoc etiam magis demonstrat, quam viles ipsae personae mutae fuerint, si etiam tritagonistes tam parvam mercedem accepit.[1])

In prooemio dixi neminem dubitare, quin tales personae mutae in usu fuerint, quantus vero earum usus fuerit, de hac re viros doctos valde dissentire. Haec sententiarum discrepantia mihi non minime eo oriri videtur, quod viri docti singulis exemplis nisi eas protulerunt quaestione per omnes quae exstant tragoedias non instituta. Atqui haec mihi una via videtur, qua ad certiorem huius rei cognitionem venire possimus. Nam et inter ipsos poetas et inter singulas eiusdem poetae tragoedias in hac re magna varietas esse potest. Quare in sequentibus quaestionem per omnes trium poetarum tragoedias persequamur. Atque ut scaenae exornationem constat fuisse simplicissimam neque ullo modo verum regionum et aedificiorum statum et aspectum esse expressum, ita de eis quoque, quae in scaena aguntur, videndum est, ne plura statuamus, quam quae certis testimoniis comprobari possunt.

Iam ad rem transeuntes praemittamus valde cavendum esse, ne κωφὰ πρόσωπα cum choreutis confundamus, id quod multis locis facillime fieri potest.

---

1) Ceterum valde reputandum est tales locos non ad Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, sed ad posteriora tempora spectare.

§ 1. Aeschylus.

1. Antiquissimum Aeschyli, quod exstat, drama Persarum fabula esse videtur. Itaque hanc primam consideremus. Atque iam nunc commemoro in hac tragoedia certum mutarum personarum indicium non inveniri, id quod in singulis persequamur. V. 150 chorus adventum Atossae reginae his verbis pronuntiat:

> ἀλλ' ἥδε θεῶν ἴσον ὀφθαλμοῖς
> φάος ὁρμᾶται μήτηρ βασιλέως,

de ancillis vero comitantibus neque hic neque postea sermo est. Conferenda autem sunt verba Atossae, ubi iterum ad sacra facienda progreditur, v. 605 ss.:

> τοιγὰρ κέλευθον τήνδ' ἄνευ τ' ὀχημάτων
> χλιδῆς τε τῆς πάροιθεν ἐκ δόμων πάλιν
> ἔστειλα [1])

e quibus conici potest eam in priore ingressu magnum splendorem et in habitu et eo, quod ancillae eam sequerentur, ostendisse, id quod fere omnes (Teuffel, Droysen, Enger ad Ag. 749, Schoenborn p. 194) affirmant. Sed ex ipsis verbis hoc tantum apparet reginam ipsam splendida veste esse ornatam.[2]) Nihilominus putaverim ancillas adesse et quod reginam decet et v. 607 ss. commotus. Enumerat enim Atossa varia sacra, quae Dario offerre velit, eorumque multitudo tanta est, ut vix sola ea portare potuerit. Sacra enim sunt lac, mel, vinum, oleum, flores. Haec ab ancillis portari iure plurimi indicant, sed, ut iam dixi, certum indicium deest.

V. 889 prodit Xerxes, ut plurimi volunt cum paucis comitibus et veste lacerata.[3]) Cfr. v. 991.:

---

[1]) Schol. χλιδῆς κτλ.] τρυφῆς καὶ θεραπείας τῆς ἀρχαίας.

[2]) De voce ὀχημάτων in appendice disseremus.

[3]) V. 823 ss. Darius Atossam monuerat, ut novam vestem filio obviam ferret. Quare mihi probabile videtur quod Hermann dicit: „Procedit Xerxes regio ornatu cum satellitibus, quorum unus vestem, quam in bello gestaverat, et arma tenet. Non enim squalidum et lacerum producere Aeschyleum est etc.“ Ego et propter aliam causam vix crediderim Xerxem lacera veste indutum advenisse. Nonne in Aristophanis Ranis Aeschylus ipse Euripidi hoc vitio vertit, quod reges misericordiae excitandae causa cum lacera veste introduxerit? Cfr. v. 1063.:

ὁρᾷς τὸ λοιπὸν τόδε τᾶς ἐμᾶς στολᾶς κτλ.

Quod ad verba Xerxis (1006) *γυμνός εἰμι προπομπῶν* attinet, e quibus coniciat quispiam eum sine ullo servo advenire, monendum est *προπομπούς* non servos significare, sed liberos Persas, qui milites cum rege ad bellum profecti erant, praeterea servos saepius omnino non respici. Cfr. in Eur. El. 628 Orestis interrogationem, utrum Aegisthus cum viris in agris sit an „solus" cum servis: *πόσων μετ' ἀνδρῶν; ἢ μόνος δμώων μέτα; μόνος* igitur vocatur, etsi servi adsunt. Etiam interpres vetus putat Xerxi comites fuisse (1018): *θεωρεῖς τὸ περίλοιπον ἐμὸ λείψανον τῆς ὅλης στρατιᾶς.* Contra scholiastes novicius haec ad arma Xerxis refert. De *σκηναῖς τροχηλάτοισιν* (176) infra (in appendice) disseremus.

Hi sunt loci Persarum ad nostram quaestionem pertinentes. Vides eos non esse tales, qui nobis persuadeant mutas personas in antiqua scaena esse adhibitas, sed hoc tantum ex iis effici posse, ut usus earum verisimilis sit. Quare ad rem accuratius cognoscendam iam alias fabulas perlustremus.

2. In Supplicibus primum quaeritur de ancillis Danaidum, quas adesse luce clarius comprobatur v. 944 ss.:

τάσσεσθε, φίλαι δμωΐδες, οὕτως
ὡς ἐφ' ἑκάστῃ διεκλήρωσεν
Δαναὸς θεραποντίδα φερνήν.

Atque de earum praesentia omnes consentiunt, magna vero sententiarum discordia est, utrum mutae fuerint personae an pars chori. Boeckh enim (l. c. p. 61), Droysen, O. Mueller (l. c. p. 79), Voss, Weil[1]) ancillas partem chori esse et complures versus canere volunt, contra G. Hermann, Paley, Schoenborn (p. 286) eas *κωφὰ πρόσωπα* esse censent. Illi maxime nituntur

v. 989 *ὑποδέξασθε (δ') ὀπαδοὶ*
μέλος.

πρῶτον μὲν τοὺς βασιλεύοντας ῥάκι' ἀμπισχεῖν, ἵν' ἐλεινοὶ
τοῖς ἀνθρώποις φαίνοιντ' εἶναι.

Quomodo Euripidem vituperare potuit, si ipse idem vitium commisisset? Quare regio ornatu Xerxem processisse puto. An super laceram vestem illam a matre sibi oblatam induit, ita ut v. 901 hac dispansa pannos monstraret?

[1]) Weil eas chorum auxiliarium esse vult. Cfr. ann. ad v. 1 et v. 979.

Contra Hermann dicit „Falsi sunt interpretes, qui haec ita distinxerunt, ut *ὀπαδοί* vocativus esset, ancillas vocari a Danaidibus putantes, quod et per se indecorum fuisset et refutatur toto carmine, in quo ubique ipsas Danaides verba facere apertum est." Sed mihi vox *ὀπαδοί* significatione quae est „Diener" vel „Dienerin" [1]) tam usitata videtur, ut hoc loco aliter vertere vix audeam. Praeterea alia difficultas obstat. Nam si eas mutas personas putaremus, statuendum esset, aut in orchestra apud chorum eas esse, quod cogitari vix potest [2]) aut chorum in orchestra, ancillas in scaena, id quod mihi quidem ineptissimum videtur, nam dominae et servae inter se seiungi non debeat, aut cum Schoenbornio (p. 286) existimandum esset ipsum chorum in scaena esse: sed hoc ego non, nisi res cogunt, statuam (ut in Eumenidibus); causae vero, quas Schoenborn affert, mihi non persuaserunt. Nam et preces illae (507 ss.), ad quas Danaus filias v. 175 ss. adhortatur, in orchestra fieri possunt neque, si chorus v. 448 ss. dicit:

ἐκ τῶνδ' ὅπως τάχιστ' ἀπάγξασθαι θεῶν

causa est, cur in scaena eum esse arbitremur. Neque ex v. 806 ss., ubi chorus cum praecone rixatur, apparet, ut Schoenborn vult, praeconem virgines re vera manibus capere (id quod demonstraret eas in scaena esse), sed exclamationes *βίᾳ βίᾳ* (831), *διωλόμεσθ', ἄελπτ', ἄναξ, πάσχομεν* (875)[3]) solum summum timorem exprimunt, minime vero comprobant eas iam manibus capi. Quin v. 876 ipse praeco futuro tempore utitur: *ἕλξειν ἔοιχ' ὑμᾶς κτλ.*, sed antequam ad rem accedat, v. 878 rex eum prohibet. Mea igitur sententia chorus in orchestra est et ancillae, quoniam a dominis seiungi non possunt, pars chori sunt. Quomodo vero totus chorus divisus sit, nostrum non est exquirere, sed eorum, qui de choro tragico scribunt.

Regem satellites comitantur, quamquam spectatores non *ὄχλον ὑπασπιστῆρα καὶ δορυσσόον ξὺν ἵπποις καμπύλοις τ' ὀχήμασιν* (v. 172 et 173) vident. Nam de curribus postea sermo non est, quamquam aliis in fabulis semper commemorantur.

---

[1]) Cfr. Eur. Alc. 134 *αἱ ὀπαδοί*.

[2]) Nam praeter chorum nemo in orchestra est. Cfr. de hac re Sommerbrodt Scen. coll. p. 119.

[3]) Quod Schoenborn 862 affert *ἄγει με* in textu omnino non inveni.

Tantum autem agmen regem non sequi vel ex eo apparet, quod chorus v. 237 regem interrogat, quis sit, unde conici potest eum summa simplicitate paucis tantum sequentibus venisse. Hos vero paucos adesse demonstrat v. 483, ubi postquam v. 475 Danaus, ut comites sibi darentur, oravit, rex iubet:

στείχοιτ' ἄν, ἄνδρες· εὖ γὰρ ὁ ξένος λέγει.

V. 580 Danaus solus reverti videtur (aliter Droysen), nam et v. 602 dicit:

ἐγὼ δ' ἀρηγοὺς ξυνδίκους θ' ἥξω λαβών

et v. 740 . . . . . *ἄγγελον δ' οὐ μέμψεται*

πόλις γέροντ' . . . . .

Abscedit igitur, quamquam multo aptius apud desperantes virgines mansisset et nuntium misisset; itaque, quod ipse abit, ostendere videtur eum non habere, quem mittat. Contra vel propter concinnitatem cum priore ingressu putandum est redeuntem regem v. 878 satellites secum ducere, quod certum fit, si in v. 921 lectionem Medicei codicis *φίλοις ὀπάοσιν* retinemus, quam multi Schuetzium secuti in *φίλαις* (sc. ancillis) mutaverunt.

Denique *κωφὰ πρ.* diserte memorata invenimus in v. 952, ubi Danaus rediens dicit:

ἐμοὶ δ' ὀπαδοὺς τούσδε καὶ δορυσσόους
ἔταξαν.

Etiam praeconem comites habere volunt Droysen et Paley propter v. 906:

εἴσῃ σύ τ' αὐτὸς χοἰ ξυνέμποροι σέθεν.

Sed rex, cum a virginibus certior factus sit Aegypti filios mox adventuros esse, facile hoc loco conicere potest praeconem non solum venisse, etiamsi comites non habet. Quare hoc in medio relinquam.

Videmus igitur in hac fabula complures satellites regi esse tribuendos. Quod ad numerum attinet, duo plane sufficiunt.

3. In Septem contra Thebas statim initio maior mutarum personarum numerus nobis occurrit. Nam non debet dubitari, quin cives Thebani, quos Eteocles v. 1—38 alloquitur, in scaena ante aedes regias conspicui fuerint. E v. 11 apparet eos promiscue partim senes partim iuvenes esse. Alloquitur eos Eteocles saepius, ut v. 1 *Κάδμου πολῖται*, 10 *ὑμᾶς*, 20 *γένοισθε*. 31

ὁρμᾶσθε, σοῦσθε, 32 πληροῦτε, 33 στάθητε, 34 θαρσεῖτε, 35 ταρβεῖτ', quae omnes allocutiones plane absurdae essent, nisi re vera populus adesset. Quare hoc mihi omni dubitatione carere videtur. Iam quaeritur, quantus eorum numerus fuerit, qua de re nihil certi proferre possumus, nisi quis ex eo, quod etiam chorus saepius populi partes agit, concludere velit etiam huius quasi muti chori numerum fere eundem fuisse (i. e. 12 vel 15). Similes populi congregationes etiam in aliis fabulis inveniemus.

Iam quaeritur de Eteoclis comitatu. Atque in primo eius ingressu usque ad. v. 269 nihil eius modi commemoratum est. Iterum procedit v. 355, cum satellitibus, ut omnes consentiunt, quamquam de eorum numero valde inter se discrepant[1]). Hoc vero complures viri docti affirmant sex illos duces, quos hostium sex ducibus opponit, una cum Eteocle in scaenam prodire et deinceps ad portam sibi destinatam abire. Sed ubi poeta dicit eos adesse? Unum testimonium, quod afferri potest, est v. 390 ss.:

ἐγὼ δὲ Τυδεῖ κεδνὸν Ἀστακοῦ τόκον
τόνδ' ἀντιτάξω προστάτην πυλωμάτων,

ubi poeta, si codicum scripturam sequimur, voce τόνδ' utitur. Sed compluria obstant. Primum quidem de reliquis quinque ducibus nullum indicium exstat, e quo eos adesse suspicari possis, quamquam exspectares eos aut per σύ aut per ὅδε significari. Tum etiam chorus adventum Eteoclis (v. 355) nuntians plane de ducibus comitantibus tacet. Nam quamquam supra vidimus de servis comitantibus fere nusquam mentionem fieri, tamen aliae personae, si adsunt, secundum tragoediae usum fere semper antea nominantur. Cfr. Heraclid. v. 119:

καὶ μὴν ὅδ' αὐτὸς ἔρχεται σπουδὴν ἔχων
Ἀκάμας τ' ἀδελφός κτλ.,

ubi Acamas, quamquam κωφὸν πρ. est, nominatim commemoratur, quia non inter δορυφόρους est, satellites vero, qui, ut postea videbimus, eodem tempore Demophontem in scaenam sequuntur, plane silentio omittuntur[2]). Quae cum ita sint, non

---

[1]) Droysen ei multos armatos, Schoenborn (p. 128) parvum tantum numerum attribuit.

[2]) V. Haupt opusc. II p. 400.

dubito Grotii coniecturam τῶνδ' (v. 391) pro τόνδ', a multis probatam, accipere. Qua accepta ne minima quidem causa est, cur sex illos duces in scaenam prodiisse putemus.

Maiorem verisimilitudinem habet satellitum praesentia. Iubet enim v. 658 Eteocles arma sibi afferri:

φέρ' ὡς τάχος
κνημῖδας, αἰχμῆς καὶ πτερῶν προβλήματα.

Unum certe adesse servum ex hoc versu conicias. Sed quamvis hoc placeat, tamen certum esse hoc indicium non puto. Nam fieri potuisse non negabis, ut Eteocles haec verba in aedes regias per portam clamaverit. Arma ipsa allata esse nusquam dicitur. Sed alia causa mihi praesentiam servi vel servorum demonstrare videtur. Apparet enim post versum 702 Eteoclem statim ad portam defendendam currere. Quod si fit, non per mediam portam abire potest, sed per laterariam. Arma vero sine ulla dubitatione in aedibus regiis erant, in quibus media porta est. Quare aut putandum est Eteoclem, antequam abeat, ad arma induenda aedes intrare et postea armatum rursus procedere et per portam quae a latere fuit abire, aut arma ex aedibus efferri eisque coram spectatoribus Eteoclem indui, id quod mihi maxime placet. Hoc modo etiam intellegimus, cur Eteocles post v. 659 tantum temporis in scaena versetur (usque ad v. 702), quamquam res in summo discrimine est. Sic tota actio maximam habebat vim ad animos commovendos: Eteocles summo pugnandi studio inflammatus arma induit, dum chorus eum precibus adit, ne cum fratre dimicet. Eteocles hoc modo invitus cogitur chorum audire, donec armatus est. Alia ratione, cum supra initio fabulae Eteocles chorum lamentantem valde increpuerit neque omnino eum respexerit, vix intellegas, cur hoc loco, ubi res summam festinationem postulat, tam longum colloquium aequo animo ferat.

In fine fabulae corpora Eteoclis et Polynicis afferuntur, ut e compluribus locis apparet. Cfr. 830 τάδ' αὐτόδηλα („dort naht es sichtbar" Droysen)[1]. Saepissime pronomine σύ vel ὅδε etc. et chorus et Antigona et Ismena ea alloquuntur. Cfr. praeterea 951 ss. διπλᾶ λέγειν, διπλᾶ δ' ὁρᾶν, 977 ss. ὀλοὰ λέγειν,

[1]) Schol. 830 ὁρᾷ ὁ χορὸς τὰ σώματα βασταζόμενα.

ὀλοὰ δ' ὁρᾶν[1]). Sed omnes locos enumerare non opus est. Apparet igitur corpora afferri et e v. 1053 et 1057 perspicuum est ea postea auferri (cfr. Schol. 1039). Quot homines ea portaverint, nullo indicio docemur. Quare causam non video, cur Droysen et Paley verbis utantur qualia sunt „der feierliche Trauerzug, der fort und fort hereinzieht" vel „the procession of the citizens". Hoc tantum statuere possumus fratrum corpora a civibus vel a ministris portari, quantus vero numerus portantium vel sequentium fuerit, plane in medio relinquendum est. Plus quattuor minime opus videntur.

4. In Prometheo excepta *Βίας* persona *κωφὰ πρόσωπα* non inveniuntur[2]), quare statim ad Oresteam transeamus. Notum est in hac trilogia (et mea quidem sententia etiam in Prometheo) Aeschylum Sophocle auctore tres histriones in scaenam duxisse. Atque omnino tota natura et ratione haec trilogia valde a prioribus illis simplicioribusque fabulis differt, id quod etiam in nostra quaestione videbimus.

5. In Agamemnone v. 83 vel ut alii volunt v. 245 Clytaemnestra ex aedibus egreditur atque ancillas eam comitari omnes statuunt, sed quot hae fuerint, magna dissensio est. Alii enim plane nihil certius addunt, ut Donaldson (theatre of the Greeks p. 316) Enger, Karsten, Keck; alii, ut Droysen, magnum ancillarum agmen procedere volunt, G. Hermann denique dicit: „regina prodit, quam duae comitantur famulae, ut mos est." Sed si ipsa poetae verba respicimus, in primo reginae ingressu (usque ad v. 341) de ancillis plane nihil esse dictum invenimus. Unus tantum locus est, ex quo fortasse aliquid conici possit: v. 83 ss.

σὺ δὲ Τυνδάρεω
θύγατερ, βασίλεια Κλυταιμνήστρα
τί χρέος; τί νέον; τί δ' ἐπαισθομένη,
τίνος ἀγγελίας
πειθοῖ περίπεμπτα θυοσκινεῖς;

---

[1]) Schol. *οὐ μόνον ταῦτα λέγειν ὀλοά, ἀλλὰ καὶ ὁρᾶσθαι· κεῖται γὰρ τὰ σώματα.*

[2]) Quod ipsum Prometheum nonnulli simulacro repraesentatum esse voluerunt, cuius loco histrio absconditus verba recitaret, ad nostram quaestionem non pertinet.

πάντων δὲ θεῶν τῶν ἀστυνόμων,
ὑπάτων, χθονίων
τῶν τ' οὐρανίων τῶν τ' ἀγοραίων,
βωμοὶ δώροισι φλέγονται·
ἄλλη δ' ἄλλοθεν οὐρανομήκης
λαμπὰς ἀνίσχει κτλ.

Propter hunc locum viri docti putaverunt Clytaemnestram cum multis ancillis pateras sacraque portantibus egredi. Alii, antequam ipsa regina veniat, volunt „famulos, maxime mulieres ex aedibus regiis suffimenta apportantes et inter laetum *ὀλολυγμὸν'* aras hic illic dispositas accedentes prodire" (Karsten). Sed cum de his omnibus poeta nihil narret, rectissime G. Hermannum dicere puto: „haec magnifica luxuriantis ingenii commenta alienissima sunt a Graecae tragoediae simplicitate." Mea quidem sententia Clytaemnestra cum nonnullis ancillis sacra portantibus egreditur et in diversis aris tus in ignem inicit. Nam ipsa postea (v. 572) dicit: *ὅμως δ' ἔθυον.* Reginam non solam esse ea tantum de causa putaverim, quia etiam postea ei ancillae praesto sunt. Nam postquam Agamemnon advenit, v. 872 regina iubet:

δμῳαί, τί μέλλεθ', αἷς ἐπέσταλται τέλος
πέδον κελεύθου στρωννύναι πετάσμασιν;

Id re vera fieri apparet e v. 908 ss., ubi Agamemnon nudis pedibus in tapetis ingreditur. Quare ex plurali numero *δμῳαί* conicere potes Clytaemnestrae duas vel fortasse plures ancillas esse. Sed duae plane sufficiunt.

Iam difficilior quaestio est, quomodo Agamemnon in scaenam processerit. De curru, quo vehitur, infra in appendice disseremus. Hoc tantum nunc dicam currus quin conspicuus fuerit non esse dubitandum. Contra si alii (Droysen, Genelli) loquuntur de mulis et aliis curribus praedam et captivos gerentibus, hoc plane ex illorum ingenio fluxit, nam poeta nobis de his nihil tradit. Etiam similia, ut „triumphal procession" (Donaldson l. c. p. 317) vel „Siegeszug Agamemnons, voran Herolde und Lanzenträger etc." (Keck) vel „Herolde, Lanzenknechte, Saumthiere mit Beute beladen, Wagen mit gefangenen Troerinnen" (Droysen) omnia ut inania inventa reicienda sunt. Nos, qui sola poetae verba respicimus, dicemus Agamemnonem cum Cassandra curru

advehi et satellites aliquos eum sequi, quorum uni v. 908 imperat:

ὑπαί τις ἀρβύλας
λύοι τάχος, πρόδουλον ἔμβασιν ποδός.

De agmine autem triumphali neque poetae verba quidquam nobis produnt neque in aliis tragoediis huius rei exempla inveniuntur.

Quaeritur denique de Aegisthi, qui v. 1548 procedit, comitatu. In hac quaestione summi momenti est v. 1621:

εἶα δή, φίλοι λοχῖται, τοὔργον οὐχ ἑκὰς τόδε,

quem libri choro dant, recentiores vero (Dindorf, Hermann, Franz, Kirchhoff) Aegistho. Atque si hos sequimur, dubitari non potest, quin Aegisthus satellites secum duxerit, et hoc contra codicum auctoritatem defendam, quamquam eam tuens Arnoldt (Chor im Agam. p. 84 ss.) cum Hartungio dicit, allocutionem φίλοι λοχῖται in Aegisthi ore ineptam esse, optime vero a choreutis inter se adhortantibus dici. Nam primum quidem ex Choephor. v. 749 et 750

Χο. εἰ ξὺν λοχίταις εἴτε καὶ μονοστιβῆ;
Τρ. ἄγειν κελεύει δορυφόρους ὀπάονας

apparet Aegisthum satellites habere. Deinde minime cum ignavia Aegisthi convenit, cum scire debeat cives Agamemnonis nece esse iratos, solum procedere, sed cum tyrannus sit, rerum natura postulat, ut semper armati eum circumdent, maxime vero hoc temporis momento[1]. Tum verbis φίλοι λοχῖται, ut satellitibus blandiatur, consulto uti potest. Ad extremum denique vocem λοχίτης alia significatione quam „miles" vel „mercennarius" usurpatam non inveni, quare ad choreutas senes pertinere non potest. Quae cum ita sint, Aegistho hunc versum simulque satellites tribuamus.

6. Iam ad Choephoros transeuntes primum quaeramus, quomodo Orestes et Pylades progressi sint. De comitibus nihil dicitur usque ad v. 693 ss.:

ἄγ' αὐτὸν εἰς ἀνδρῶνας εὐξένους δόμων
ὀπισθόπους δὲ τούσδε καὶ ξυνεμπόρους.

His verbis perspicue significatur Orestem praeter Pyladem

---

[1]) Eadem de causa eorum numerum maiorem putaverim, quamquam G. Hermann (de re scen.) duos tantum ei tribuit. Sed hoc certe decerni nequit.

etiam alios i. e. servos sequi, id quod Paley, Genelli, Droysen, Weil volunt. Contra G. Hermann Pauwium secutus codicis scripturam correxit:

ὀπισθόπουν δὲ τοῦδε καὶ ξυνέμπορον,

quibus verbis Pyladem significari censuit, causa non addita. Nam quod Abresch (animad. Aesch.) contendit scribendum esse ὀπισθόποδας in accusativo plural., vide quae Kuehner (I p. 148) exposuit. Mihi causa non videtur esse, cur traditam lectionem mutemus. Quod denique Baumgarten (quaestt. scen. in Aesch. choeph., Halis 1878 p. 28) indicat Orestem comitatum habere non posse, debili ne dicam falso fundamento nititur. Primum affert v. 548 ἥξω σὺν ἀνδρὶ τῷδ' et 550 ἄμφω. Sed supra (1) vidimus servos omnino neque respici neque commemorari. Tum putat verba ὀπισθόπους δὲ τούσδε κτλ. solum ad Pyladem referri posse; sed exempla allata minime apta sunt. Nam verba 654: ἀνδρῶν τόδ' ἐστὶν ἔργον, οἷς κοινώσομεν et 697 τοῖς κρατοῦσι, quamquam intellegimus ea ad Aegisthum pertinere, tamen multo magis generatim dicta sunt, ne minime negem οἱ κρατοῦντες idem esse posse atque ὁ βασιλεύς. Sed valde dubitandum est, num οἵδε οἱ κρατοῦντες dicatur pro ὅδε ὁ βασιλεύς. Nam pronomine addito, certas tantum personas significari elucet. Itaque οἵδε οἱ ξυνέμποροι solum verbis „diese Begleiter" verti potest. Accedit quod infra v. 980 Orestes ipsos servos alloquitur. Hanc igitur sententiam reiciamus. Contra ex verbo (v. 656) αὐτόφορτον conicias Orestem solum „ipsum sarcinam ferentem" advenire, nam sic plurimi αὐτόφορτον vertunt. (Cfr. Dindorf Lexic. Aesch. s. v.). Hesychius explicat: αὐτόφορτοι· αὐτοδιάκονοι, κυρίως δὲ οἱ ἐν τοῖς ἰδίοις πλοίοις, scholiastes annotat: ἐπ' ἰδίᾳ πραγματείᾳ. Mihi maxime placet Palei sententia, qui afferens Plut. apophth. reg. Pisistr. 1: Πεισίστρατος στρωματόδεσμον αὐτὸς κομίζων, putat Orestem impedimenta sua secum ducere i. e. ea a servis eum sequentibus ferri, non separato agmine apportari. Etiam e fine fabulae cognoscimus Orestem servos habere. Nam v. 970 corpora Aegisthi et Clytaemnestrae cernuntur, quae alii ex aedibus exportari, alii ἐκκυκλήματος ope ante oculos poni volunt. Atque ex illorum quidem sententia ad corpora portanda servis opus esse apparet; sed etiam si ἐκκύκλημα adhibitum fuisse statuimus,

ex verbis ἐκτείνατ' αὐτὸ[1]) καὶ — δείξαθ' (v. 980 sq.) perspicuum est Orestem servos iubere Agamemnonis pallium choro monstrare. Quamquam inter homines, quibus Orestes haec dicit, Pylades esse potest, tamen unum ministrum certe adesse conicere possumus propter pluralem numerum. G. Hermann (de re scen.) complures ei tribuit.

Electram v. 76 procedentem Genelli unam, Schoenborn (p. 226) complures ancillas sequi volunt, sed in verbis poetae nihil de hac re legimus, quare rem in medio relinquamus, nam eius modi quaestiones nisi comparatione cum aliis similibus locis institutа ad certum finem deduci non possunt. Itaque in extrema commentatione ad hanc rem redibimus.

Contra apertum est non solam egredi Clytaemnestram (v. 640). Iubet enim v. 668 servam quandam Orestem eiusque comites in hospitalia ducere: ἄγ' αὐτὸν κτλ. Itaque una certe ancilla adest, quamquam, vel si antecedentem fabulam respicimus, aptius videtur ei duas vel plures tribuere. Ceterum hoc exemplum plane nullam dubitationem admittit. Nam hoc loco ne id quidem dici potest Clytaemnestram ancillam in aedibus versantem alloqui. Nam Orestes et Pylades extra domum sunt, conspiciuntur igitur hospitalia intrantes. Quare etiam illam, quae eos ducit, conspici necesse est.

Ad v. 878, ubi Clytaemnestra iterum procedit (moritura), Droysen eam sine ornatu et comitatu exire censet. Sed hoc poeta nullo verbo dicit. Clytaemnestra plane nescit, quid futurum sit, quare eam eodem modo, atque antea procedere putandum est. Et si quis dicat ancillas Oresti in necando impedimento esse, meminerit totum chorum esse ancillas, neque quidquam obstare, quominus eodem in reginam animo, quem chorus habet, etiam illas in scaena ancillas esse arbitremur.

Aegisthus denique v. 830 sine satellitibus advenit. Nam quamquam Clytaemnestra Cilissam iusserat eum hortari, ut satellites secum duceret, nutrix choro suadente plane contrarium nuntium tyranno fert. Satellites igitur (i. e. maior armatorum numerus) eum non sequuntur. Nihilominus ei unum vel duos ministros tribuam, qui postquam cum eo domum intraverunt (v. 848), ipsi neci intersint et quorum alter v. 878 lamentans procurrat.

---

[1]) Codicis scripturam αὐτόν Auratus correxit.

In fine fabulae (v. 1045) furias quas conspicit Orestes re vera in scena conspici putant Droysen, Genelli, O. Mueller, Geppert (p. 117 adn. 2). Sed chorus eas non videt (v. 1058 ὑμεῖς μὲν οὐχ ὁρᾶτε τάσδ᾽, ἐγὼ δ᾽ ὁρῶ), cum insania captus non sit. Quare spectatores eas non videre putaverim, id quod Paleio et, si verba eius recte intellego („Orestes furias conspicere sibi videtur"), G. Hermanno et Weilio [1]) placet.

7. In Eumenidibus denique multis personis mutis scena completa est. Primum agitur de iudicio in Areopago. Ante omnia iudices, quos arcessitum Minerva v. 485 abit, commemorandi sunt. V. 556 dea cum iis redit. Scholiastes (ad v. 563) dicit: ἐν παραχορηγήματι (secundum Dindorfii emendationem)[2]) αὐτῷ εἰσιν οἱ Ἀρεοπαγῖται μηδαμοῦ διαλεγόμενοι, cui Sommerbrodt (l. c. p. 180 et 181) assentitur. Sed nostrum non est inquirere, quid παραχορήγημα sit; hoc certe constat illos iudices non histriones fuisse, sed κωφὰ πρόσωπα. Saepius appellantur: 604 λέξω πρὸς ὑμᾶς, 619 οἵ τ᾽ ἐφήμενοι, 664 τούσδ᾽, 669 ἠκούσαθ᾽, 670 αἰδεῖσθε, 733 ἐκβάλλεθ᾽, 738 πεμπάζετ᾽ etc, ita ut de eorum praesentia dubitari non possit. Praeter eos adsunt: praeco (v. 556 κήρυσσε, κῆρυξ, καὶ στρατὸν κατειργάθου) et tubicen, ut videtur (v. 557 ss. ἥ τ᾽ οὖν διάτορος Τυρσηνικὴ σάλπιγξ .... ὑπέρτονον γήρυμα φαινέτω.) Scholiastes quidem dicit: κληρώσασα Ἀθηνᾶ τοὺς ἀρίστους ἄγει δικάσοντας. καθισάντων δὲ αὐτῶν ἐν μέσῳ στᾶσα κελεύει διὰ τῆς σάλπιγγος καὶ τοῦ κήρυκος σιωπὴν γενέσθαι, ὡς μὴ ἀρκοῦντος μόνου τοῦ κήρυκος. Contra Droysen et alii praecone contenti sunt. Quaeritur, utrum praeco et tubicen eadem persona sint necne. Quantum ego quidem exquirere potui, praeco nunquam tubam habet, quare nostro loco et praeconem et tubicinem in scaenam venire putaverim.

Dubitari denique potest, utrum populus adsit necne. Cfr. v. 566 στρατὸν κατειργάθου, 559 στρατῷ, 671 Ἀττικὸς λεώς etc. Atque interdum populum in scaena esse iam in Septem

---

[1]) ann. ad v. 1059: „furiae non modo a choro, sed ne a spectatoribus quidem conspici, docet fabulae sequentis prologus, quo nova horrendarum dearum species, ante quam oculis subiiciatur, verbis proponitur.

[2]) cod. περιχωρήματι.

contra Thebas vidimus et postea videbimus. Potuit igitur etiam in Eumenidibus populus in scaena esse; tamen sagacissima mihi videtur O. Muelleri coniectura, qui ipsos spectatores populi partes agere vult, id quod multis placuit. Utrumque igitur fieri potuit; utrum praeferas, ipse decernas. Cohaeret hoc cum extrema quaestione, utrum praeter προπομποὺς et Areopagitas etiam aliae personae (populus, mulieres etc)[1]) in scaena fuerint necne. De ipsis προπομποῖς, de quibus viri docti valde dissentiunt, nobis disserendum non est, cum κωφὰ πρόσωπα non sint. Quod vero ad alias personas attinet, mea quidem sententia praeter Areopagitas, praeconem, tubicinem κωφὰ πρ. non adsunt. Nam v. 988 ad Areopagitas, quos nondum abiisse v. 929 (ἦ τάδ' ἀκούετε, πόλεως φρούριον) demonstrat, refero, sacerdotes illas (v. 1002) ipsas προπομποὺς intellego, ex v. 1008 ss. vero minime conici posse populum adesse contendo. Adsunt igitur praeter Minervam, Apollinem, Orestem, si quid video, Eumenides, Areopagitae, προπομποί. Alii aliter rem explicaverunt[2]), sed non facile ad certum iudicium pervenies, praesertim cum ex Hermanni sententia totus locus lacuna depravatus sit.

Orestem in tota fabula, cum exul supplexque sit, sine ministris esse per se apparet.

De Pythiae persona cfr. quae in extrema commentatione dicentur.

§ 2. Sophocles.

Apud Sophoclem, clarissimum omnium consensu poetam tragicum, tota fabularum natura adiecto tertio histrione plane alia est atque in antiquioribus Aeschyli fabulis; idem etiam in nostra quaestione apparebit; nam plura quae huc pertinent exempla enumeranda sunt.

1. Atque in Aiace discernendum est inter chorum et servos Aiacis. Chorus enim compositus est ex liberis Salaminiis, qui Aiacem ad bellum secuti sunt, neque, si servi commemorantur, choreutae intellegendi sunt. Sed iam singula videamus.

---

[1]) Cfr. v. 1002 ss.

[2]) Cfr. G. Hermannum (de re scen.), O. Muellerum (Eum. p. 74 et 79), Wieselerum (Gött. gel. Anz. 1854 p. 154 ss.), Weilium (ann. ad v. 960 ss.).

Initio Ulixem et Aiacem solos esse per se apparet. Quare statim transeamus ad v. 344, ubi chorus dicit: ἀλλ' ἀνοίγετε, quamquam praeter Tecmessam nemo in scaena versatur. Sed nihil impedit, quominus hoc ad servos in tentorio dictum esse putemus. Fortasse etiam Tecmessa, quamquam serva est, ancillas habuit, cum Aias eam coniugis loco haberet. Hac in re Schneidewin sibi ipse contradicere videtur, cum hoc loco dicat Tecmessam solam in scaena esse, postea vero (ad v. 593) scribat: ξυνέρξετε sagt er zu den Dienern oder Dienerinnen, die in seiner (Ajas') oder der Tekmessa Nähe sind." Sed cum Tecmessae ancillae nullo loco commemorentur, res incertissima est. Contra saepius Aiacis ministros adesse compluribus locis satis dilucidum fit. V. 541 Tecmessa iubet Eurysacem apportari et v. 544 dicit: καὶ δὴ κομίζει προσπόλων ὅδ' ἐγγύθεν. Puerum igitur servus adducit et huic Aias v. 545 imperat: αἶρ' αὐτόν, αἶρε δεῦρο [1]. Hoc inter plurimos convenit, ut Schoenbornium (p. 251), Schneidewinum (Aias p. 50), Engerum (Rh. M. N. F. 8. p. 212), Muchium (l. c. p. 27). Fortasse hic servus paedagogus est. — V. 593 Aias, postquam iam v. 579 iussit tentorium claudi, clamat: οὐ ξυνέρξεθ' ὡς τάχος, et ministros hoc facere volunt scholiastes (τοῖς θεράπουσι κελεύει αὐτὴν ἀποκλείειν), Schneidewin, Enger (l. c. p. 213), Schoenborn (p. 251). Etiam quod Schneidewin (v. 803), quem Muff (Chor. Techn. des Soph. p. 70) sequitur, propter triplicem partitionem: οἱ μὲν — οἱ δὲ — οἱ δὲ putat primum illud οἱ μὲν significare servos, qui Teucrum arcessitum abeant, haud improbabile videtur.

V. 1046 Menelaus advenit non solus, ut ex v. 1115 luculentissime apparet. Atque hoc mihi aptissimum exemplum videtur quo ostendatur reges semper comites habere, etiamsi disertis verbis non commemorantur. Nam casu quodammodo ac fortuito hoc loco cognoscimus Menelaum praeconem vel complures secum ducere: v. 1115 Teucer ei dicit:

πρὸς ταῦτα πλείους δεῦρο κήρυκας λαβὼν
καὶ τὸν στρατηγὸν ἧκε.

Si regibus non hic mos esset, dubitandum non est, quin chorus v. 1045 Menelai adventum nuntians etiam de servo

[1] Cfr. schol. rec.

locuturus fuerit. Plane usitatum igitur hoc erat, itaque, ut iam saepius vidimus, servorum praesentia saepissime ne commemoratur quidem. Utrum Menelaum unus an plures secuti sint, hoc loco apertum non est. Sed cum Schneidewino, ceteros similes locos respiciens, censeo plures vel certe duos comites ei praesto fuisse. Eandem sententiam proferunt Schoenborn (p. 260), Donaldson (l. c. p. 334.)

Neque vero Teucrum solum advenire apparet e v. 1003, ubi iubet: *ἴθ' ἐκκάλυψον*, quod fieri demonstrat sequens versus (*ὦ δυσθέατον φάσμα κτλ.*) Iam cum Tecmessa, ut recte scholiastes adnotat[1]), post v. 973 abierit Eurysacem arcessitum (redit v. 1168) et chorus in orchestra sit, Teucer hoc nemini, nisi servo suo mandare potest, nam Aiacis servos per totum tempus in scaena fuisse vix putaverim. Quare Teucro unum certe servum tribuendum esse putamus. In eadem sententia sunt Schneidewin (p. 56), Muche (p. 41 ss.), Schoenborn (p. 260), Muff (p. 86.)

Agamemnonem v. 1226 accurrentem aeque ac Menelaum non solum esse, etsi certi nihil de hac re legimus, per se intellegitur.

2. In **Antigona** quaeritur de Creontis et Eurydices comitatu, nam Antigona, Ismena, Haemon sine ulla dubitatione soli prodeunt. Creontis satellites permultis locis commemorantur. De primo quidem ingressu nullum indicium est (v. 162—331.) Porro Dindorf (ed. p. 6) cum ad v. 384 dicit: „inter satellites Antigonam adducentes", errat, nam solus custos, qui loquitur, eam adducit (v. 393: *ἥκω ἄγων τήνδ'.*) Contra respiciendus est v. 578: *κομίζετ' εἴσω, δμῶες,* ex quo luculentissime efficitur, servos adesse. Plane vero ut inventum fervidi ingenii reiciam Boeckhii opinionem (Antig. p. 181): „Ohne Zweifel sitzt er (Kreon) auf einem Thronsessel, von den paradirenden Dienern umgeben." — v. 760 rex Antigonam adduci iubet: *ἄγαγε τὸ μῖσος,* quod fit v. 805. Rursus eam abduci iubet v. 885: *οὐκ ἄξεθ' ὡς τάχιστα*[2]); Iteratur imperium v. 931[3]):

---

[1]) *πρὸς τὸν χορὸν φησὶν ἤ τινα τῶν θεραπόντων· ἡ γὰρ Τέκμησσα ἐπὶ τὸν παῖδα ἀπῄει.*

[2]) Cfr. schol. *πρὸς τοὺς ὑπηκόους τοῦτο φησὶν ὁ Κρέων.*

[3]) Cfr. schol. ad hunc versum et ad v. 933, 937.

τοιγὰρ τούτων τοῖσιν ἄγουσιν
κλαύμαθ' ὑπάρξει βραδυτῆτος ὕπερ.

Etiam v. 1108 servos alloquitur:

ἴτ' ἴτ' ὀπάονες,
οἵ τ' ὄντες οἵ τ' ἀπόντες κτλ.,

quo loco apertissimum est complures adesse ministros. Cfr. etiam v. 1196:

ἐγὼ δὲ σῷ ποδαγὸς ἑσπόμην πόσει

et omnino versus sequentes. Etiam redeuntem Creontem (1261) comites sequuntur, ut v. 1320 ss.:

ἰὼ, πρόσπολοι,
ἄγετέ μ' ὅτι τάχιστ', ἄγετέ μ' ἐκποδὼν

et 1339 (ἄγοιτ' ἂν κτλ.) comprobant. De his omnibus locis fere idem placet Wundero, Dindorfio, Boeckhio, Schoenbornio (p. 117, 119), Muffio (p. 106, 111, 115.)

Etiam Eurydice v. 1180 cum ancillis procedit, nam ipsa hoc commemorat v. 1188:

ὑπτία δὲ κλίνομαι
δείσασα πρὸς δμωαῖσι.

Quamquam fortasse hoc ipsum κλίνεσθαι spectatores non vident, tamen ancillae illae, de quibus modo locuta est, abesse nequeunt. Nam ridiculum esset, si his modo dictis sola procederet. Cfr. Boeckhium ad v. 1123.

Commemorandus denique est puer, qui caecum Tiresiam adducit. Cfr. 988:

ἥκομεν κοινὴν ὁδὸν
δύ' ἐξ ἑνὸς βλέποντε,

v. 1012 παιδὸς τοῦδ'[1]), v. 1014 ἐμοὶ γὰρ οὗτος ἡγεμών, v. 1087 ὦ παῖ, σὺ δ' ἡμᾶς ἄπαγε.

3. In Electra de Orestis (et Pyladis) comitatu dubitandum non est, nam unus servus (paedagogus) ipse loquens introducitur. Sed etiam alii adesse videntur. Nam v. 1097, ubi Orestes iterum procedit, paedagogus non adest. Abierat enim cum Clytaemnestra v. 802 (ἀλλ' εἴσιθ' εἴσω) et v. 1326 demum revertitur. Iam vero v. 1123 Orestes iubet comites suos Electrae vas cinere suo impletum dare:

---

[1]) Schol. τοῦ ὁδηγοῦντος.

δόθ' ἥτις ἐστὶ προσφέροντες,

Orestem igitur praeter Pyladem duo ministri sequi videntur. Cfr. Muff (p. 141.) Schol.: εἰκὸς αὐτοῖς ἕπεσθαί τινας.

Electra et Chrysothemis solae prodire mihi videntur. Quod ancillae non commemorantur, hoc nihil demonstrare iam scimus, sed poeta Electram ab amicis puellis (choro) fere non differentem fingit, nam v. 1103 quaerit Orestes:

τίς οὖν ἂν ὑμῶν τοῖς ἔσω φράσειεν ἄν,

et choro respondente ἥδ' κτλ., dicit:

ἴθ', ὦ γύναι, δήλωσον εἰσελθοῦσ',

id quod dicere non auderet, si Electram, ut principem feminam, ancillae comitarentur. Praeterea notum est Electram et Chrysothemin quasi ancillarum muneribus fungentes a poetis fingi.

V. 516 Clytaemnestra advenit, quam unam certe ancillam sequi cognoscimus ex v. 634: ἔπαιρε δὴ σὺ θύμαθ' ἡ παροῦσά μοι, ad quem versum scholiastes adnotat: πρὸς θεράπαιναν φησί. Cfr. Muff. (p. 133.)

In fine fabulae confitendum mihi est me nescire, quomodo Aegisthus in scaenam venerit. Nam ne minimum quidem indicium comitum exstat. Quantum e v. 313 (νῦν δ' ἀγροῖσι τυγχάνει) cognosci potest, rure redit. Vix vero putandum est eum solum fuisse, nam ex v. 1460 ss. apparet cives summo eius odio incensos esse, quare ut in Aeschyli fabulis satellites ei tribuerim. Sed quid eos facere censemus, dum Orestes eum ad necem abducit? Si maiorem ei numerum tribuimus, hoc tantum restare videtur, ut statuamus eum satellites statim v. 1442, simulatque in aedium tutelam venit, (ut supervacaneos) in ministrorum domicilia misisse. Sed res incertissima est. Fortasse ex v. 1458 ss., nisi corrupti essent, efficeretur unum vel plures ministros adesse.

4. Initio Oedipodis Regis similiter atque in Aeschyli Septem populum supplicem poeta nobis producit. Cfr. v. 1 ὦ τέκνα, v. 2 θοάζετε etc. Quales fuerint cognoscimus e v. 16, ubi pueri, v. 17, ubi senes, v. 18, ubi iuvenes commemorantur. Senex unus tantum adest (v. 13 οὐκ ἐγὼ οὐδ' οἵδε παῖδες) isque ut loquens a nostra quaestione alienus est. Contra mutos

iuvenes puerosque conspici illis et aliis locis plane apertum est. Fere eandem sententiam plurimi proferunt.[1])

Ipsum regem Oedipum servi sequuntur, quamquam hoc non statim initio legimus. Nam illum, de quo rex v. 144 dicit: *ἄλλος δὲ Κάδμου λαὸν ὧδ' ἀθροιζέτω*, in scaena esse non oportet, etsi mea quidem sententia adest. (Cfr. Schneidew. p. 6.) Contra in regis servis numerandi sunt ii, de quibus v. 297 chorus dicit:

οἵδε γὰρ
τὸν θεῖον ἤδη μάντιν ὧδ' ἄγουσιν.

Nam v. 268 ipse Oedipus dixerat: *ἔπεμψα γὰρ — διπλοῦς πομπούς* sc. Tiresiam arcessitum. Praesentia ministrorum confirmatur praeterea v. 1069: *ἄξει τις ἐλθὼν δεῦρο τὸν βοτῆρά μοι* et v. 1114: *δμῶάς τε τοὺς ἄγοντας . . . ἔγνωκα ἐμαυτοῦ* (cf. Schol.) et v. 1154: *οὐχ ὡς τάχος τις τοῦδ' ἀποστρέψει χέρας*; Videmus igitur Oedipo nonnullos servos praesto esse. Cfr. Schneidew. (p. 6) et Kockium (Comment. zu Oed. Tyr. progr. gymn. Guben 1857 p. 11 et 39.)

Tiresias praeter illos Oedipodis ministros (297) etiam puerum ducem habet, ut verba (v. 444) *σύ, καὶ κόμιζέ με* demonstrant.

Quod vero Kock (l. c. p. 13) contendit ex v. 750 ss., ubi narratur, quomodo Laius ad oraculum consulendum profectus sit, apparere, quo comitatu Creon v. 79 Delphis reversus scaenam intret, hoc negaverim, nam non putandum est Creontem recta via Delphis cum omni itineris apparatu ad Oedipum venire. Nam si hoc acciperemus, eum curru (753) advehi oporteret, de quo nostro loco nihil traditur. Contra, si tota quaestione finita viderimus omnino viros nobiles non sine comitibus procedere, Creonti servos non abiudicabimus. Muff (l. c. p. 182) ei duos tribuit.

Iocaste denique, ut reginam decet, ancillas habet, quod, quamquam in priore ingressu (v. 634—862) non disertis verbis

---

[1]) Plane vero conprobo, quod Wecklein (Bursians Jahresb. 1874—78 p. 427) dicit de v. 216: In den Uebersetzungen von Thudichum und Eyth steht hier die Bemerkung: „Volk hat sich versammelt", was auf ein Missverständnis der Bedeutung von v. 144 hinweist.

commemoratur, tamen nulla dubitatione caret v. 945, ubi iterum procedit:

ὦ πρόσπολ', οὐχὶ δεσπότῃ τάδ' ὡς τάχος
μολοῦσα λέξεις;

Cfr. Schneidew., Kock. l. c. p. 36.

In fine denique Schoenborn (p. 122) ministros Antigonam adducentes et abducentes facit, id quod mihi opus esse non videtur. Eodem iure a Creonte, dum Oedipus v. 1464—1471 recitat, eas arcessi et solas postremo abire statui licet.

5. In Trachiniis plura *κωφὰ πρόσωπα* notanda sunt. Atque primum quidem, num Deianira et Hyllus comites habuerint, ex ipsa fabula cognosci non potest. Sed Deianiram ut reginam non sine ancillis prodiisse puto. Etiam Hyllum fortasse servi sequuntur. Sed tales quaestiones, ut iam saepius dictum est, in fine demum totius commentationis comparandis singulis exemplis decerni possunt.

Maior vero numerus mutarum personarum scaenam intrat v. 224. Nam non debet dubitari, quin acervus captivarum mulierum conspectus sit. Cfr. Deianirae verba v. 225:

ὁρῶ, φίλαι γυναῖκες, οὐδέ μ' ὄμματος
φρουρὰν παρῆλθε, τόνδε μὴ οὐ λεύσσειν στόλον,

cum chorus antea eam monuerit (222):

ἴδ', ὦ φίλα γύναι,
τάδ' ἀντίπρῳρα δή σοι
βλέπειν πάρεστ' ἐναργῆ

Cfr. etiam v. 240: *τῶνδ' . . . γυναικῶν, ὧν ὁρᾷς ἐν ὄμμασιν* et quae sequuntur. Apparet igitur eas esse mulieres [1]), quarum unam iam in priore capite commemoravimus. Quantus earum numerus fuerit, certe dicere non possumus, sed si v. 245 respicimus:

ταύτας ἐκεῖνος Εὐρύτου πέρσας πόλιν
ἐξείλεθ' αὑτῷ κτῆμα καὶ θεοῖς κριτόν,

---

[1]) Masculina forma *οὕστινας* (v. 336), *ἐκείνους* (342), *τούτους* (344) postulatur, quia Lichas quoque eiusque comites, si quos habet, intelleguntur. Cfr. scholiastae verba (v. 336): *ἦσαν δὲ καὶ ἄρσενες μετὰ τῶν αἰχμαλώτων.* Contra ad v. 344 annotat: *τούτους: τὸν Λίχαν καὶ τὰς αἰχμαλώτους*, et postea: *τούτους δὲ ἢ τὰς αἰχμαλώτους καὶ τοὺς ἅμα ὄντας ἄρσενας ἢ τοὺς περὶ τὸν Λίχαν.*

colligere licet non ita paucas eas fuisse. Abscedunt captivae cum Licha post v. 328, nam v. 342 (πότερον ἐκείνους δῆτα δεῦρ' αὖθις πάλιν καλῶμεν) iam absunt, id quod verbis (345) καὶ δὴ βεβᾶσι confirmatur.

V. 962 Hercules affertur, comitantibus, ut statim cognoscimus, non ita paucis. Comites commemorantur v. 964, ubi chorus appropinquantes videns dicit: ξένων γὰρ ἐξόμιλος ἥδε τις βάσις, ad quod schol. adnotat: ὁ Χορὸς αἰσθάνεται τοῦ Ἡρακλέους πλησίον φερομένου, καὶ πλῆθος θρηνούντων ἐπακολουθούντων αὐτῷ. Cfr. etiam schol. ad v. 967, 1020. Atque hos comites Herculis et servos, qui eum ferant, et amicos esse nonnulli volunt. Servos alloquitur v. 1255: ἄγ' ἐγκονεῖτ', αἴρεσθε et v. 1010: πόθεν ἔστ', ὦ πάντων Ἑλλάνων ἀδικώτατοι ἀνέρες, οὓς δὴ κτλ. Haec verba perverse scholiastes eum in universum omnibus Graecis, qui cum eos maximis periculis liberaverit, iam rebus in adversis ipsum deserant, dicentem facit. Amicos alloqui videtur v. 1264: χαίρετ', ὀπαδοί (sic Schneidewin et scholiastes), omnes vero circumstantes (Hyllum etc.) v. 1005: ἐᾶτε, 1079: θεᾶσθε [1]), 1080: ὁρᾶτε [2]), 1107: ἴστε [2]). Ex his omnibus locis conicere possis compluria κωφὰ πρόσωπα in scaena esse, id quod fere omnibus (Schoenbornio p. 133, Schneidewino, Diadorfio) placet. Sed si accuratius in hanc rem inquirimus, fateri debemus duas mutas personas plane sufficere posse. Nam ad ferendum Herculem non pluribus quam duobus viris opus est; quorum si unum senem illum loquentem [3]) putamus, etiam una persona muta contenti esse possumus. Nam omnes illae, quas attulimus, allocutiones ad hos duos qui Herculem portaverunt et ad Hyllum pertinere possunt. Apparet igitur in ipsius poetae verbis nihil esse, quod nos cogat, ut maiorem comitum numerum in scaenam ducamus, quamquam non negem, cum iam aliis locis plures praesentes invenerimus, et nostro loco, ubi Hercules e bello redeat, maior comitatus minime ineptus fit, facile fieri posse, ut complures eum sequantur.

[1]) Schol. ὁ λόγος πρὸς τοὺς περιεστῶτας.
[2]) οἱ παρόντες (schol.).
[3]) v. 974 etc.

6. In Philocteta res simplicissima est. Respiciendi sunt tantum Ulixis et Neoptolemi comites, qua in re discernendum est inter chorum et κωφὰ πρ. Atque servos in scaena esse compluribus locis comprobatur. Primum v. 55 Ulixes dicit:

τὸν οὖν παρόντα πέμψον εἰς κατασκοπήν,

ad quem versum scholiastes adnotat: ὡς τινὸς παρισταμένου αὐτῷ.[1]) V. 125 ss. Ulixes promittit se eundem servum navicularii veste indutum missurum esse. Quod vero ea de causa Baeumlein (Zeitschr. f. Alt. 1845 Suppl. II) contendit hanc personam eundem histrionem egisse eumque parachoregema esse, plane absurdum puto. Primo loco (v. 45) κωφὸν πρόσωπον est; postea vero (v. 542) is, qui Ulixem egit, eius partes suscipit. Quomodo enim Baeumlein vult spectatores cognoscere ἔμπορον ab eodem agi, qui antea servus fuerit, cum servus neque vocem ediderit neque ἔμπορος eandem vestem habeat? Neque voce neque veste cognosci potuit, sola larva indicium erat. Iam quominus hac deinceps κωφὸν πρόσωπον et histrio utatur, quid impedit? Parachoregema igitur minime desideramus. — Ad v. 825 recte Schoenborn (p. 270) dicit vocativo φίλοι chorum appellari. Contra ὁ ἔμπορος alium Neoptolemi servum ducem secum habet. Cfr. v. 542:

τόνδε τὸν ξυνέμπορον
ὅς ἦν νεὼς σῆς σὺν δυοῖν ἄλλοιν φύλαξ.

Ulixis servi commemorantur v. 985 ss.: οἵδ' ἐκ βίας ἄξουσιν; Et si quis putet his verbis chorum significari, legat v. 1003 ξυμμάρψατ' αὐτὸν et v. 1004 ὦ χεῖρες, οἷα πάσχετ', quibus apertissimum est servos adesse; nam chorus, qui in orchestra est, Philoctetam deprehendere non potest. Id vero fieri demonstrant verba ὦ χεῖρες κτλ. (schol. δεδεμένος φησίν). Confirmatur etiam v. 1054: ἄφετε γὰρ αὐτόν, μηδὲ προσψαύσητ' ἔτι. Praeterea choreutae, etiamsi in scaena essent, huic rei interesse non possent, quia Neoptolemus dominus eorum Ulixem non adiuvat, et ipse chorus v. 1072 dicit:

ὅδ' ἐστὶν ἡμῶν ναυκράτωρ ὁ παῖς· ὅσ' ἂν
οὗτος λέγῃ σοι, ταῦτά σοι χἡμεῖς φαμέν.

Ergo qui Philoctetam deprehendunt Ulixis servi sunt. Num plus

[1]) Comes abit v. 133.

duo fuerint decerni non potest. Sed duo plane sufficiunt. Cfr. Muff. l. c. p. 255.

7. **In Oedipode Coloneo** Oedipum cum Antigona solum procedere per se apparet.

V. 311 advenit Ismena comitante, ut ipsa v. 334 dicit, uno fideli ministro[1]. Ac Schneidewin quidem et Schoenborn (p. 280) censent hunc ministrum non in scaenam prodire. (Schneidewinum hoc putare cognoscitur ex adnotatione ad v. 312: „Auf der Bühne wird natürlich das dem *οἰκέτης* übergebene Thier nicht sichtbar". Quod si fit, etiam ipse *οἰκέτης* conspici non potest.) Sed causam, quam Schoenborn affert, probare non possum. Dicit enim: „Wäre der Diener sichtbar gewesen, so war es überflüssig zu sagen, sie sei in dessen Begleitung gekommen". Sed virum doctum fugisse puto, cui Ismena hoc dicat. Si videnti diceret, plane supervacaneum esset; sed reputandum est Oedipum caecum esse, quare scire nequit, utrum Ismena sola venerit necne. Minime igitur supervacaneum illud est, etiamsi adest servus. Sed illud quoque confiteor, nullum certum praesentiae eius indicium praeter illum versum (334) nobis esse. Quare hoc nisi ex similitudine aliorum locorum diiudicare non possumus et hac ipsa de causa, quia iam plurima exempla servorum comitantium invenimus et inveniemus, statuerim etiam hunc servum in scenam prodire. Idem censet Donaldson (l. c. p. 330.)

In primo Thesei ingressu (v. 550 — 667) satellites non commemorantur. (V. 638: *σέ νιν τάξω* et v. 653: *ἀλλὰ τοίσδ' ἔσται μέλον* ad chorum pertinent. Cfr. schol.) Nihilominus et propter similium exemplorum analogiam et eo, quod in altero ingressu (v. 887) servi eum sequuntur, de comitatu dubitandum non est. Cfr. v. 897: *οὐκ οὖν τις ὡς τάχιστα προσπόλων μολὼν κτλ.* Quae allocutio, cum directa quam dicimus non sit, certum nobis fundamentum non praebet, sed vix putaverim, Theseum clamorem audientem (887: *τίς ποθ' ἡ βοή*) solum auxilio accurrisse. Ceterum postea certiora testimonia exstant. Nam cum Theseus post tertium ingressum (v. 1500) cum Oedipode v. 1555 abierit, nuntius[2]) Oedipodis mortem narrans dicit v. 1587:

---

[1]) De „*Αἰτναίῳ πώλῳ*" in appendice disseremus.

[2]) Schol. ad 1579: *ἔστι δὲ ὁ ἄγγελος εἷς τῶν ἀκολουθησάντων Θησεῖ θεραπόντων.*

ὡς μὲν γὰρ ἐνθένδ' εἶρπε, καὶ σύ που παρὼν
ἔξοισθ', ὑφηγητῆρος οὐδενὸς φίλων
ἀλλ' αὐτὸς ἡμῖν πᾶσιν ἐξηγούμενος.

Quo ex loco luculentissime apparet nuntium ipsum et fortasse alios ministros antea in scaena (ἐνθένδ') fuisse, ita ut chorus eos conspiceret. Conferas praeterea v. 1667, ubi chorus interrogat:

ποῦ δ' αἵ τε παῖδες χοἱ προπέμψαντες φίλων,

ad quae verba recte Schneidewin addit: „Die Begleiter des Theseus." Cum igitur chorus eos viderit, etiam ante spectatorum oculos fuisse putandi sunt. Nam scholiastae interpretatio: οἱ προπέμψαντες φίλων ἀντὶ τοῦ ὁ Θησεύς reicienda mihi videtur. V. 1553 dubitari potest, qui sint πρόσπολοι. Oedipus enim vale dicit his verbis:

ἀλλά, φίλτατε ξένων,
αὐτός τε χώρα θ' ἥδε πρόσπολοί τε σοὶ
εὐδαίμονες γένοισθε.

Aptissimum esset ex universo loci argumento προσπόλους interpretari de civibus Atheniensibus (quod scholiastae placet), sed hi πρόσπολοι dici non possunt. Quare cum πρόσπολος ministrum tantum significare possit, cum Schneidewino de Thesei comitibus cogitandum est ac statuendum, cives iam verbis χώρα θ' ἥδε commemoratos esse. Cfr. Muff. l. c. p. 286, 294, 297, 308.

Creon, qui v. 728 progreditur, satellites secum ducit. Primum enim Antigona v. 723 dicit eum venire οὐκ ἄνευ πομπῶν, quamquam hoc dicere potest, etiamsi illi non procedunt. Tum Creon ipse eos alloquitur v. 826: ὑμῖν ἂν εἴη τήνδε καιρὸς ἐξάγειν, v. 840: σοὶ[1]) δ' ἔγωγ' ὁδοιπορεῖν, 847: οὐκ ἄξεθ' ὑμεῖς; Hoc mihi certissimum δορυφορήματος exemplum videtur, nam plane absurdum esset putare Creontem Antigonam post scaenam ministris tradidisse ibique eam omnia, quae post v. 839 dicit, ubi eam iam in ministrorum manibus esse apparet, recitasse. Iure igitur scholiastes (v. 826. 845), Donaldson (p. 332), Schneidewin, Muff (p. 289 et 297) Creonti servos tribuerunt. — Hi ministri non redeunt, nam v. 875 Creon dicit κεἰ μοῦνός εἰμι, et si quis putat ex v. 885:

---

[1]) Servo hoc dicit, quem versu praeced. chorus inserat χαλᾶν.

ἐπεὶ πέραν
περῶσ' οἶδε δὴ[1])

coniici posse eos rursus adesse, hoc refutatur verbo ἐρημία (v. 957).

Polynicem v. 1254 ut exulem sine ullo servo adesse diserte dicitur v. 1250: ἀνδρῶν γε μοῦνος.

§ 3. Euripides.

De Euripide recte dicit C. F. Hermann l. c. p. 20: „Euripides denique, sicut omnino in iis, quae ad acumen et calliditatem in fabulis componendis pertinent, vel duos priores superat etc." Possumus igitur conicere etiam in ea re, de qua nunc agimus, eum longius processisse quam Aeschylum et Sophoclem. Sed iam singulas tragoedias examinemus, ut videamus num hoc recte se habeat.

1. Ac primum quidem secundum temporum ordinem de Alcestide verba faciamus.

V. 233 procedunt ex aedibus Admetus et Alcestis cum liberis. De servis nihil dicitur. Nam verbis (v. 266 ss.) μέθετε, μέθετέ μ' ἤδη, κλίνατ', e quibus Arnoldt (l. c. p. 55) et Hartung (ed.) servos vel servas adesse coniciunt, eodem iure coniugem et liberos atque ancillas Alcestis alloqui potest. Hic igitur locus nobis indicium non praebet; sed nihilominus cum fieri non possit, ut Admetus solus mortuam Alcestin in aedes ferat, servas adesse censebimus. Contra Admetus iterum procedens (v. 507) sine dubio comitatum habet, nam v. 546 servum iubet Herculem in aedes ducere:

ἡγοῦ σὺ τῷδε δωμάτων ἐξωπίους
ξενῶνας οἴξας, τοῖς τ' ἐφεστῶσιν φράσον.

Hic servus in scaena esse debet. Sed etiam plures ibi versari demonstrant ea quae sequuntur. Nam post v. 606 corpus Alcestidis effertur et Admetus dicit v. 607:

νέκυν μὲν ἤδη πάντ' ἔχοντα πρόσπολοι
φέρουσιν ἄρδην εἰς τάφον τε καὶ πυράν.

Duos minimum servos eam portare necesse est. Quod vero Donaldson (p. 343), Hartung, Schoenborn (p. 137) de agmine funebri loquuntur, ex poetae verbis minime tale quid efficitur.

---

[1]) Cfr. Schneidewini adnotationem.

Admeti servi praeterea commemorantur v. 948: οἱ δὲ et v. 1110: κομίζετ' κτλ.

Quod ad reliquas personas attinet, Herculem puto solum intrare, nam ni fallor itinera sua solus facere existimabatur[1]. Patrem Admeti v. 611 procedentem ministri sequuntur. Chorus enim v. 611 dicit: ὀπαδοὺς τ' ἐν χεροῖν δάμαρτι σῇ κόσμον φέροντας κτλ. et postea ex v. 618: δέχου δὲ κόσμον τόνδε apparet hos ministros in scaena conspici. Exploratum igitur habere possumus et Admeto et Phereti duos fere servos praesto fuisse.

2. Medeam in eiusdem nominis fabula non solam procedere iam in priore capite vidimus. Ipsa nutrix eam evocat v. 183 eademque, ut illo loco demonstravimus, cum domina redire videtur, si verba (v. 820)

ἀλλ' εἶα χώρει καὶ κόμιζ' Ἰάσονα·
εἰς πάντα γὰρ δὴ σοὶ τὰ πιστὰ χρώμεθα

ad eam referimus. Sed utut hoc est, certe hi versus demonstrant ancillam adesse, nam recte Elmsley scholiastae stuporem incredibilem notavit putantis Medeam his verbis chorum alloqui. Num etiam aliae ancillae adfuerint, e poetae verbis cognosci non potest. Nam si Medea v. 950 dicit:

ἀλλ' ὅσον τάχος χρεὼν
κόσμον κομίζειν δεῦρο προσπόλων τινά,

hoc ad praesentes servas pertinere necesse non est, sed nutrix illa abire potest, ut in aedibus iussum aliis ancillis nuntiet. Iam vero cum postea liberi, qui adsunt (v. 969), cum donis (κόσμος) abeant, putare licet haec a serva aliqua esse allata. Nam ad ipsam nutricem mea quidem sententia hoc iussum pertinere non potest. Hoc vetat pronomen τινά. Quare duae ancillae aptissimae videntur. Etiam Wecklein et Weil complures ei tribuunt.

Creontem v. 271 ut regem non sine comitibus advenire per se apparet, quamquam certum indicium deest, nam verba (335) τάχ' ἐξ ὀπαδῶν χειρὸς ὠσθήσει βίᾳ nihil demonstrant. Hoc igitur loco sola analogia nisi statuemus regem sequi satellites.

---

[1]) Aliter re se habet in Trachiniis, ubi bellum cum rege inimico gesserat.

Etiam in Iasonis priore ingressu comitatus non commemoratur. Servos autem ei fuisse ex v. 1118:

καὶ δὴ δέδορκα τόνδε τῶν Ἰάσονος
στείχοντ' ὀπαδῶν

coniici licet et dilucide apparet ex v. 1314 (*χαλᾶτε κλῇδας ὡς τάχιστα, πρόσπολοι*), nam de servis, qui in interioribus aedibus sint cogitare nos vetant verba Medeae v. 1317:

τί τάσδε κινεῖς κἀναμοχλεύεις πύλας,

ex quibus apparet Iasonem cum ministris portam refringere. Ei igitur duos certe servos tribuamus, quod probant Schoenborn (p. 145), Wecklein, alii.

Quaeritur denique de Aegei comitatu, qui v. 663 scaenam intrat rediens, ut ipse v. 667 dicit, Delphis. Atque si Oedipodis Regis versum 750 ss. sequeremur, ei maiorem numerum comitum et vehiculum, quo iter faceret, tribueremus. Sed iam ex loco, ubi de Creontis persona (Oed. Reg. v. 79) disputavimus, hanc Kockii sententiam reiecimus. Nam minime opus est neque illic Creontem neque hic Aegeum cum toto itineris comitatu in scaenam prodire, immo hunc in vicino relinquere potuit et unum vel duos tantum servos secum ante spectatorum oculos ducere, quamquam ne hoc quidem ullo indicio confirmatur. Itaque hic quoque ad analogiam nobis confugiendum est.

3. In Hippolyti initio difficultas haud parva nobis occurit. Quaeritur enim, utrum Hippolyti comites mutae sint personae an alter chorus (venatorum). Sententiae virorum doctorum in diversas partes discedunt. Atque R. Arnoldt (l. c. p. 7 adn.) et Beer (l. c. p. 13) persuasum habent carmen illud (v. 58 — 72) post scaenam cani idque non a choro auxiliario sed a vero choro, qui postea v. 121 mulierum partes agit; Hippolytum ipsum cum venatoribus v. 72 demum in scaenam procedere et venatores eum comitantes iam a *κωφοῖς προσώποις* agi. Nam ut ipsi choreutae procedant fieri non potest, quia, ut recte Barthold (ed. p. XI) exponit, tempus inter v. 114 et v. 120 brevius est, quam ut chorus vestem mutare possit. Ipse Barthold praecedentibus Valckenaerio et Kirchhoffio venatores in scaena canentes facit atque ita ad alterum chorum quasi auxiliarium confugit. Neque hoc mihi displicet, praesertim cum vetus interpres hanc adiuvet sententiam aliis exemplis. Dicit enim: „.... ἕτεροι δέ εἰσι τοῦ χοροῦ, καθ-

ἅπερ ἐν τῷ Ἀλεξάνδρῳ ποιμένες. ἐνταῦθα μὲν οὖν δύναται προαποχρήσασθαι τοῖς ἀπὸ τοῦ χοροῦ, ἐκεῖ δὲ [illegible] νεστῶτας τοῦ χοροῦ ἐπεισάγει τοῦτο τὸ ἄθροισμα, ὡς καὶ ἐν τῇ Ἀντιόπῃ δύο χοροὺς εἰσάγει, τόν τε Θηβαίων γερόντων διόλου καὶ τὸν μετὰ Θήβης ἢ Δίρκης, ὥστε βέλτιστον ἐπιγράφειν "Χορὸς νεανιῶν τῶν συγκυνηγῶν Ἱππολύτου, ὅπου γε καὶ αὐτὸς προστάττει αὐτοῖς ᾄδειν τὴν Ἄρτεμιν λέγων "Ἕπεσθ' ᾀδοντες". Schoenborn quid sentiat, nescio, loquitur enim in universum (p. 139) de „comitatu" Hippolyti. Itaque cum ex scholiastae verbis appareat etiam in aliis tragoediis duos choros introductos esse, non dubito etiam nostro loco idem statuere. Atque comites illi mea quidem sententia discernendi sunt ab ipsis Hippolyti servis, quorum unum certe adesse iam ex eo apparet, quod v. 88 ss. servus cum Hippolyto colloquitur et post eius discessum Venerem invocat. Illi iuvenes, quos Hippolytus νεοὺς ὁμήλικας appellat, iterum nobis occurrunt v. 902, ubi Hippolytus rursus scaenam intrat. Nam a patre in exilium pulsus v. 1098 eis valedicit et adhortatur eos, ut ipsum comitentur:

ἴτ', ὦ νέοι μοι τῆσδε γῆς ὁμήλικες,
προσείπαθ' ἡμᾶς καὶ προπέμψατε χθονός.

Neque vero Bartholdio assentiri possum putanti hos initio fabulae non circa Hippolytum fuisse, sed illic omnes comites esse servos, quos v. 110 iubeat ἵππους καταψήχειν. Primum quidem nondum exemplum invenimus, ubi plures quam duo servi aliquem comitentur; deinde vero, si illum locum (v. 108 ss.) accuratius contemplamur, inter comites et servos discernendum esse facile intellegimus. Illos adhortatur: χωρεῖτ', ὀπαδοί, καὶ παρελθόντες δόμους σίτων μέλεσθε. Iam ad servos vel accuratius ad illum servum, quocum antea collocutus erat (id quod pronomine σὴν v. 113 etiam magis confirmatur), pergit:

καὶ καταψήχειν χρεὼν
ἵππους, ὅπως ἂν ἅρμασι ζεύξας ὑπὸ
βορᾶς κορεσθεὶς γυμνάσω τὰ πρόσφορα.
τὴν σὴν δὲ Κύπριν πόλλ' ἐγὼ χαίρειν λέγω.

Hoc negotium non ita exigui temporis eisdem eum mandare, quos modo ad cenam invitaverat, vix putandum est. Et si quis obiciat ὀπαδούς (v. 108) significare servos, respondendum est plurimis quidem locis, neque tamen semper ὀπαδός

esse idem ac δοῦλος, sed interdum eum tantum significare, „qui sequitur." Sic in Oed. Col. v. 1093 Sophocles Dianam nominat πυκνοστίκτων ὀπαδὸν ὠκυπόδων ἐλάφων. Nihil igitur obstat, quominus illos ὀπαδοὺς amicos Hippolyti esse statuamus. Contra servi eius commemorantur in extrema fabula, ubi laceratus adducitur. Cfr. v. 1353: σχές, 1358: ἀτρέμας, δμῶες, ἅπτεσθε ss. Illi ὁμήλικες huic scaenae non interesse videntur, nam cum Hippolytus moriens circumstantibus vale dicat (v. 1440, 1453) illos silentio praeterit. Puto igitur eum a duobus servis adduci neque maiorem numerum poetae verbis proditum invenimus. Itaque reicienda est Bartholdi sententia, qui omnes illos, qui initio fabulae adfuerunt, etiam hoc loco procedentes facit. Adducitur vir doctus ad hanc sententiam eo, quod omnes illos initio eum sequentes, ut iam dixi, servos putat. Mortuum denique Hippolytum a servis in aedes portari recte Schoenborn p. 141 adnotat.

Brevius de Phaedrae et Thesei servis dicere possumus. Phaedra procedit v. 170 eamque sequuntur vel ducunt ancillae, quarum una (nutrix) loquitur. Praeter hanc etiam aliam vel alias adesse comprobant vv. 198 ss.:

αἴρετέ μου δέμας, ὀρθοῦτε κάρα·
λέλυμαι μελέων σύνδεσμα, φίλαι.
λάβετ' εὐπήχεις χεῖρας, πρόσπολοι.

Virgines eas esse apparet ex v. 784. Nulla plane causa est, cur Barthold ei multas ancillas tribuat. Nutrix Phaedram educit et altera ancilla δέμνια κοίτας (v. 180), ad quae portanda Barthold nonnullis opus esse opinatur, effert. Hae duae ancillae etiam conspiciuntur v. 810, ubi ἐκκυκλήματος ope corpus Phaedrae ante spectatorum oculos fertur, quantum ex v. 784: τί δ' οὐ πάρεισι πρόσπολοι νεανίαι; et fortasse ex v. 842 et 843:

εἴποι τις ἂν τὸ πραχθέν, ἢ μάτην ὄχλον
στέγει τύραννον δῶμα προσπόλων ἐμῶν

concludi potest.[1])

Theseum denique servos sequi nonnullis e locis cognoscere

[1]) Versus 777, 780, 786 recte Arnoldt l. c. p. 60 ad ancillas pertinere putat, sed minime opus est illas adesse.

licet. Rex advenit ex itinere (θεωρία v. 792) rediens coronis ornatus, sed de maiore itineris comitatu sermo non est. Alloquitur ministros v. 808 ss.: χαλᾶτε κλῇθρα, πρόσπολοι, v. 1084: οὐχ ἕλξετ' αὐτὸν, δμῶες; ss. His testimoniis nisi Theseo duos certe servos tribuendos esse arbitramur.

4. In Heraclidis res simplicior est. Iolaus et Heraclidae sine dubio ut supplices soli procedunt. Etiam praeco, qui v. 55 advenit solus scaenam intrare videtur, quantum e v. 274 (μιᾶς γὰρ χειρὸς ἀσθενὴς μάχη) concludi potest.

Contra regem Demophontem satellites sequi persuasum habeo, quamquam ne hoc quidem certis exemplis approbare nobis licet. Nam verba (307) δότ', ὦ τέκν', αὐτοῖς χεῖρα δεξιὰν δότε, quae Schoenborn (p. 184) et Arnoldt (p. 63) ad regem eiusque comitatum i. e. satellites referunt, eodem iure ad solum regem eiusque fratrem pertinere posse, iam in priore capite demonstravimus. Contra perspicuum est nuntium (v. 928) et servos, qui Eurystheum adducunt (929) quibusque v. 1050 Alcmene dicit: κομίζετ' αὐτὸν, δμῶες, in regis servis esse numerandos.

Alcmenam denique, quamquam in rebus adversis est, tamen fortasse ancillas habere putaverim, quia v. 888 servus ab ea libertatem petit. Cui servi non desunt, ei etiam servas praesto esse censeam. Sed res incertissima est, quia omne indicium desideratur.

5. In Hecuba primum de eis mulieribus, quae circa ipsam Hecubam sunt, disserendum est. Atque rectissime inter singulas magnum discrimen esse Arnoldt (p. 64) statuit. Sunt enim et Troades, quae ante Troiae excidium liberae erant et tum demum una cum Priami coniuge Graecorum servae factae sunt, et ipsius Hecubae ancillae, quas iam antea Troiae regina habuerat. Illarum pars choreutae sunt, pars in tentoriis esse ibique Hecubam Polymestorem punientem adiuvare existimanda est. Hae omnes ad nostrum propositum non pertinent. Nobis sufficit de ancillis illis accuratius inquirere. Alloquitur eas Hecuba saepius. Primum v. 59 procedens eas hortatur:

ἄγετ', ὦ παῖδες, τὴν γραῦν πρὸ δόμων
ἄγετ' ὀρθοῦσαι τὴν ὁμόδουλον κτλ.

Nam de choro, qui ut ipse dicit v. 98 demum magna cum velocitate accurrit nemo cogitabit. Conf. praeterea v. 609:

> σὺ δ' αὖ λαβοῦσα τεῦχος, ἀρχαία λάτρι,
> βάψασ' ἔνεγκε κτλ.,

quae ancilla v. 657 rediens ipsa verba facit. Cfr. schol. ad v. 660: μία τῶν δούλων Ἑκάβης ἔρχεται. Serva praesens etiam commemoratur v. 889:

> πέμψον δέ μοι τήνδ' ἀσφαλῶς διὰ στρατοῦ
> γυναῖκα· καὶ σὺ Θρῃκὶ πλαθεῖσα ξένῳ
> λέξον κτλ.

Apparet igitur circa Hecubam duas minimum servas in scaena versari.

Quomodo Ulixes v. 216 progressus sit, me nescire confiteor. Fortasse, cum hoc loco non principis, sed nuntii partes agat, eum solum fuisse et pluralem v. 222 pro singulari positum esse putes, id quod scholiastae placet.

Contra Polymestorem satellites sequi ostendunt v. 978 ss.:

> ἴδιον ἐμαυτῆς δή τι πρὸς σὲ βούλομαι
> καὶ παῖδας εἰπεῖν σούς· ὀπάονας δέ μοι
> χωρὶς κέλευσον τῶνδ' ἀποστῆναι δόμων,

quibus verbis parens Polymestor v. 981 iussum dat: χωρεῖτ' (cfr. Schol.) Utrum duo an plures fuerint comites, non significatur. Neque vero pluribus opus esse mihi videtur.

Etiam Agamemnonem v. 716 et 1109 procedentem ministri sequuntur, ut e v. 1282: οὐχ ἕλξετ' αὐτόν, δμῶες; 1283: οὐκ ἐφέξετε στόμα; 1284: ἐγκλῄετ' 1285: ἐκβαλεῖτε luculenter apparet. Ad. v. 1284 recte schol. annotat: ταῦτα δέ φησιν ὡς πιεζόντων αὐτοῦ τῶν οἰκετῶν τὸ στόμα.

Num Talthybius praeco comites habuerit, hoc loco in medio relinquendum est, sed in fine totius capitis ad hanc quaestionem redibimus.

6. **Andromachae** in eiusdem nominis fabula ancillas non tribuam, nam ipsa ancilla est, quod et ex servae (v. 56 ss.) et ex ipsius verbis (v. 64 ss.) cognoscitur. Idem dicit chorus v. 136 (γνῶθι δ' οὖσ' ἐπὶ ξένας δμωὶς κτλ.) Contra Hermione v. 147 non sola exire potest. Gloriatur enim ipsa splendore et ornatu suo (v. 147 ss.), quare servas, quamquam non diserte

commemorantur, eam sequi docet. Hoc etiam verisimilius est in altero eius ingressu v. 825. Iam antea nutrix narrat v. 811 ss.:

μόλις δέ νιν θέλουσαν ἀρτῆσαι δέρην
εἴργουσι φύλακες δμῶες ἔκ τε δεξιᾶς
ξίφη καθαρπάζουσι

et v. 825 ipsa Hermione procurrit sequentibus ancillis:

δωμάτων γὰρ ἐκπερᾷ
φεύγουσα χεῖρας προσπόλων πόθῳ θανεῖν.

Ex omnibus his effici puto, quamquam plane demonstrari non potest, ancillas eam secum habuisse.

Certis vero indiciis confirmatur Menelao servos praesto fuisse intranti v. 307. Nam v. 425 eos monet:

λάβεσθέ μοι τῆσδ', ἀμφελίξαντες χέρας,
δμῶες.

Idem censent viri docti (G. Hermann Andr. p. XI, Schoenborn p. 181, alii). Ut ex iis quae sequuntur verbis apparet (v. 494 ss.), Menelaus v. 463 Andromacham et Molottum vinctos secum ducit; v. 494 redeunt morituri, sine ulla dubitatione etiam tum a ministris ducti, id quod perspicuum fit v. 556 *οἵδ' ἄγουσι*. Cfr. etiam vv. 560, 567, 577, 579, 715. Duo igitur certe servi Menelao tribuendi sunt.

Peleus quoque cum servis procedit, quorum uni v. 1066 dicit:

οὐχ ὅσον τάχος
χωρήσεταί τις Πυθικὴν πρὸς ἑστίαν.

De Orestis comitatu nihil certi nobis traditur. Ipse dicit se Delphis venire, itaque in itinere est. Nihilominus, ut iam saepius vidimus, de itineris apparatu nihil commemoratur. Certo igitur iudicio abstinemus.

V. 1166 mortuus Neoptolemus affertur:

καὶ μὴν ὅδ' ἄναξ ἤδη φοράδην
. . . . *πελάζει,*

ad quem portandum duo ministri mea quidem sententia sufficiunt.

7. In Hercule v. 138 Lycus, *κοίρανος χθονός*, progreditur eiusque ministri haud semel nobis occurrunt. Cfr. v. 240, ubi lignum afferri iubet:

ἄγ', οἳ μὲν Ἑλικῶν', οἳ δὲ Παρνασοῦ πτύχας
τέμνειν ἄνωχθ' κτλ.

v. 332: *οἴγειν κλῇθρα προσπόλοις λέγω.*

v. 724: *δεῦρ' ἔκιτε, πρόσπολοι.*

Haec omnia duo ministri exsequi possunt, neque causa est, cur cum Schoenbornio (p. 171) de maiore numero cogitemus. Nam etsi v. 240 multos ministros ad arbores caedendas dimitti perspicuum est, minime hi omnes in scaena esse existimandi sunt, immo unus e comitantibus abit hoc iussum reliquis nuntiaturus. Verba *ὄχλῳ τ' ἐν ἀνδρῶν* (527) cum Schoenbornio (p. 173) et Arnoldtio (p. 69) ad chorum refero.

Herculem v. 523 in patriam redeuntem comites sequi ex v. 650 licet conici. Ibi enim servorum, qui cum Hercule in aedibus sunt, mentio fit. Quare apparet eos una cum illo antea domum intrasse.

Etiam Theseus rex, qui v. 1163 advenit, comitatu carere vix potest, quamquam nihil de eo legimus. Quod v. 1163 dicit se alios ad Asopum reliquisse, non prohibet, quominus satellites eum sequi arbitremur. Sunt enim illi *ἄλλοι*, ut ea quae sequuntur nos docent, totus Atheniensium exercitus, quem non in scaena conspici facile intellegis. Amphitruonem et Megaram ut infelices et supplices comites non habere apparet.

8. In Supplicibus tractandis de matrum ancillis nobis disserendum non est; nam omnium consensu hae dimidia chori pars sunt.

E v. 2 conici potest etiam sacerdotes vel templi ministros in scaena esse.

Aethram sine ulla dubitatione ancillae comitabantur, etsi hoc disertis verbis non dicitur. Contra de Thesei comitatu primum v. 85 procedentis certum testimonium nobis exstat. Nemo enim negaverit v. 381 ss. demonstrare praeconem in scaena esse: *ἀεὶ ὑπηρετεῖς διαφέρων κηρύγματα.* Num etiam alii adfuerint satellites, nobis cognoscere non licet, sed propter aliorum exemplorum analogiam verisimillimum est.

Adrastum autem ut supplicem et miserum sine servis progredi puto. Ex v. 794: *ἀλλὰ τάδ' ἤδη σώματα λεύσσω*, v. 811: *προσάγετε τῶν δυσπότμων σώματ'*, v. 815: *δόθ'* κτλ. videmus heroum ante Thebarum portas caesorum corpora apportari. Quorum si cum Arnoldtio (p. 74) propter vv. 800 ss. quinque corpora adesse statuimus, ad ea ferenda decem certe ministris opus esse putaverim. Videmus igitur hic numerum insolitum requiri; sed hoc exemplum non ad regum *δορυφορήματα* per-

tinet. Sunt enim hi ministri non usitati Thesei comites, sed hoc uno loco res cogunt, ut tantus numerus adhibeatur. Ceterum quamquam complures adhiberi concedo, tamen minime assentior Gepperto dicenti (l. c. p. 155): „Es erscheint der Heereszug mit den sieben Leichen" et (p. 62) „Theseus tritt an der Spitze des Athenischen Heeres mit den Leichnamen der sieben Heerführer auf."

Idem illi servi sufficiunt etiam ad rogum Capanei exstruendum, si cum Schoenbornio (p. 188) et Hartungio hunc in scaena conspici volumus.

Iphi, patri Evadnes, qui v. 1031 accurrit, duos ministros tribuo, quibus v. 1104 dicit: οὐχ ὡς τάχιστα δῆτά μ' ἄξετ' εἰς δόμους.

Evadnae vero ea de causa ancillas abiudicandas esse puto, quia sibi ipsa mortem illatura est, qua in re ancillae impedimento essent, neque in ipsa scaena, sed in superiore eius parte conspicitur.

9. Electrae coniux in eiusdem nominis fabula, cum pauper agricola (αὐτουργός) sit, vix servos habet. Nihilominus Richter (Verth. d. Rollen p. 70) ei nonnullos tribuit, nisus v. 360, ubi agricola dicit: αἴρεσθ', ὀπαδοί, τῶνδ' ἔσω τεύχη δόμων. Sed huic opinioni assentiri nequeo. Sunt enim alii loci, e quibus appareat agricolam esse pauperrimum. Cfr. v. 304 ss., ubi Electra sortem suam miseram his verbis queritur:

> πρῶτον μὲν οἵοις ἐν πέπλοις στολίζομαι,
> πίνῳ θ' ὅσῳ βέβριθ', ὑπὸ στέγαισί τε
> οἵαισι ναίω βασιλικῶν ἐκ δωμάτων,
> αὐτὴ μὲν ἐκμοχθοῦσα κερκίσιν πέπλους,
> ἢ γυμνὸν ἕξω σῶμα καὶ στερήσομαι,
> αὐτὴ δὲ πηγὰς ποταμίους φορουμένη.

Num hanc gravissimam paupertatem respiciens putaveris agricolam, qui Electram quam maxime potest veneratur eiusque calamitatem sublevare studet, servos habere? Minime vero. Cfr. Schoenborn p. 203. Verba illa (v. 360) item ac v. 394: χωρεῖν χρεών, δμῶες, δόμων τῶνδ' ἐντός pertinent ad Orestis Pyladisque comites; propter pluralem (δμῶες) duos minimum eis tribuere debemus. Etiam v. 500: ἴτω φέρων τις τοῖς ξένοις τάδ' κτλ. recte Arnoldt p. 78 ad eos refert. Idem comites etiam postea commemorantur v. 766:

> οὐκ οἶσθ' ἀδελφοῦ μ' εἰσορῶσα πρόσπολον,

ubi histrio unius eorum personam induit, et v. 959:

κομίζειν τοῦδε σῶμ' εἴσω χρεὼν
σκότῳ τε δοῦναι, δμωΐδες.

Clytaemnestra magno cum splendore advenire videtur. Cfr. 967: *καὶ μὴν ὄχοις γε καὶ στολῇ λαμπρύνεται.* Ancillae appellantur v. 998: *ἔκβητ' ἀπήνης, Τρῳάδες, χειρὸς δ' ἐμῆς λάβεσθ'*

et 1007: *δοῦλαι πάρεισιν αἵδε, μὴ σύ μοι πόνει.*

Praeterea autem ministri adesse videntur. Cfr. v. 1135:

ἀλλὰ τοῖσδ' ὄχους, ὀπάονες
φάτναις ἄγοντες πρόσθεθ' κτλ.

Propter pluralem numerum (*Τρῳάδες* et *ὀπάονες*) duae ancillae totidemque servi ei tribuendi sunt. Hoc igitur primum exemplum est, ubi plures comites aliquem in scenam sequi clare eluceat. Quare hic locus summi momenti est. Nam unum certum exemplum fundamentum esse, quo in aliis dubiis locis uti possimus, nemo negabit. De curru, quo regina vehitur, vide append.

10. In Troadibus Hecuba, quamquam captiva et ipsa serva (v. 140) est, tamen ancillas habet, quae a choro discernendae sunt, vel potius praeter chorum in orchestra versantem aliae Troades in scaena sunt, quarum partes *κωφὰ πρόσωπα* agunt. Fortasse eas sicut in Hecuba ante deletam Troiam reginae ancillas fuisse poeta voluit. Appellantur saepius, ut v. 351: *εἰσφέρετε πεύκας, δάκρυα τ' ἀνταλλάσσετε τοῖς τῆσδε μέλεσι, Τρῳάδες, γαμηλίοις*, quod chorus, cum in scaena non sit, facere nequit. Praeterea cfr. v. 462, ubi ipse chorus Hecubae comites alloquitur: *Ἑκάβης γεραιᾶς φύλακες, οὐ δεδόρκατε*[1]), v. 466: *ἐᾶτέ μ'*, v. 505: *τί δῆτά μ' ὀρθοῦτ'*, v. 506: *ἄγετε*, v. 510: *νομίζετ'*, v. 1200: *φέρετε, κομίζετ' ἀθλίῳ κόσμον νεκρῷ*, ad quae v. 1207 chorus respondet:

καὶ μὴν πρὸ χειρῶν αἵδε σοι σκυλευμάτων
Φρυγίων φέρουσι κόσμον.[2])

Cfr. etiam v. 1246: *χωρεῖτε, θάπτετ'* κτλ. Ad haec omnia duae sufficiunt comites.

---

[1]) Vix rectum puto, quod Schoenborn p. 240 *φύλακες* proprio sensu custodes intellegit. Custodes Hecubae Troades illae nominantur, non quod eam custodiant, sed quia circa eam sunt.

[2]) Schol. *ἕτεραι Τρῳάδες φέρουσι σκῦλα* κτλ.

Talthybius praeco v. 235 procedit eumque satellites sequuntur, quos v. 294 Cassandram arcessere iubet:

> ἴτ' ἐκκομίζειν δεῦρο Κασάνδραν χρεὼν
> ὅσον τάχιστα, δμῶες.

Eisdem cum servis iterum ad Astyanactem abducendum procedit v. 709. Cfr. v. 786: λαμβάνετ' αὐτόν. Contra Arnoldtium (p. 83) puto Andromacham v. 774 ss. non hos servos, sed in universum omnes Graecos alloqui. Eidem servi denique v. 1119 mortuum Astyanactem in Hectoris clipeo iacentem afferunt et commemorantur v. 1147: ὑμεῖς, v. 1156: θέσθ' ἀμφίτορνον ἀσπίδ' Ἕκτορος πέδῳ, (quae verba Arnoldt p. 83 iniuria ad illas Hecubae comites refert, quia Talthybius cum servis iam abierit. Sed plane nulla causa est, quae Talthybium cogat, ut statim postremo verbo dicto abeat, immo eodem iure nonnullis versibus post abire potest.)

Alii vero servi Talthybium comitantur vel fortasse praeter illos adsunt v. 1260 ss., ubi postremum procedit. Ipse v. 1270 dicit:

> ἕπου· μεθήκουσίν σ' Ὀδυσσέως πάρα
> οἵδ'.

Servi igitur Ulixis Hecubam abducturi adsunt. Cfr. v. 1285:

> ἀλλ' ἄγετε, μὴ φείδεσθ'. Ὀδυσσέως δὲ χρὴ
> εἰς χεῖρα δοῦναι τόνδε καὶ πέμπειν γέρας.

Contra vix opus esse puto, centuriones illos (v. 1260)[1]) vel omnino Graecos milites conspici; Talthybii comites faces ferunt, ad quas mea quidem sententia chori verba v. 1257 ss. pertinent.

Menelaum ut regem v. 860 non sine comitibus venire per se liquet et certissimum fit v. 880:

> ἀλλ' εἶα χωρεῖτ' εἰς δόμους, ὀπάονες,
> κομίζετ' αὐτὴν κτλ.,

v. 896: . . . ἐν γὰρ χερσὶ προσπόλων σέθεν
> βίᾳ πρὸ τῶνδε δωμάτων ἐκπέμπομαι,

v. 1017: λέγω δὲ προσπόλοισι πρὸς πρύμνας νεῶν
> τήνδ' ἐκκομίζειν.

Itaque duo certe ministri eum sequuntur.

Quomodo denique v. 568 Andromacha advenerit, in appa-

---

[1]) quos Talthybius iubet urbi ignem inicere.

dice accuratius explicabimus. Hoc iam nunc commemoro: eam ut captivam non sine custodibus venisse.

11. Iam ad Iphigeniam Tauricam transeuntes Oresti et Pyladi, quamquam multis cum viris e Graecia advenerunt, comites tribuendos esse vix putamus, quia speculantibus in hostili terra summa cautio opus est. Etiam postea, ubi capti sunt, semper de duobus tantum victimis sermo est, quamquam non putandum est servis, si quos habuissent, barbaros parsuros fuisse.

Initio fabulae Iphigenia progreditur, de ancillis nihil dictum invenimus. Sed v. 143, ubi iterum e templo exit, una certe ancilla vel unus servus eam sequitur, cui v. 168 dicit: ἀλλ' ἔνδος μοι πάγχρυσον τεῦχος κτλ. Causa non est, cur cum Koechlio plures ancillas adesse putemus.[1])

Post v. 456 vincti Orestes et Pylades adducuntur a regis ministris, ut Schoenborn (p. 177), Koechly, Wecklein volunt. Quod vero hi viri docti eosdem ministros etiam sacrorum muneribus fungi censent, hoc persuadere mihi non possum. Immo v. 468: μέθετε τῶν ξένων χέρας et v. 470:

ναοῦ δ' ἔσω στείχοντες εὐτρεπίζετε
ἃ χρὴ 'πὶ τοῖς παροῦσι καὶ νομίζεται

Iphigenia templi ministros compellat. Nam sacri illi ritus num tam noti fuerint, ut quilibet eis fungi posset, valde dubitem. Praeterea v. 1027 legimus:

εἴσ' ἔνδον ἱεροφύλακες.

(Cfr. etiam v. 624: εἴσω δόμων τῶνδ' εἰσὶν οἷς μέλει τάδε.) Eosdem ministros evocat ad captivos custodiendos v. 638: φυλάσσετ' αὐτούς, πρόσπολοι et rursus in templum remittit v. 725:

ἀπέλθεθ' ὑμεῖς καὶ παρευτρεπίζετε
τἄνδον μολόντες τοῖς ἐφεστῶσι σφαγῇ.[2])

---

[1]) Notandum est in hac tragoedia ipsum chorum ancillarum partes agere. Hoc vero, ut modo vidimus, non impedit, quin etiam in scaena aliae (mutae) famulae versentur, quamquam, ut recte Arnoldt p. 87 dicit, discerni non potest, utrum v. 168 Iphigenia servum alloquatur an servam.

[2]) Commemorandum est hoc esse unum ex certissimis mutarum personarum exemplis, nam cum Orestes et Pylades, postquam Iphigenia v. 642 abiit, in scaena remaneant, apertum est, etiam illos servos custodientes a spectatoribus conspici.

Video in hac re Arnoldtium (p. 87) plane eandem sententiam proferre Seidleri ad v. 713 adnotatione nisum. Conf. etiam v. 1204, ubi Iphigenia regem rogat, ut iubeat captivos vinci, et rex statim ministros monet (v. 1205): ἴτ' ἐπὶ δεσμά, πρόσπολοι. Hoc supervacaneum esset, si iam alii regis ministri captivos custodirent.

V. 1222 Orestes et Pylades educuntur a regis servis, quibus modo (v. 1205) rex hoc negotium mandaverat. Praeterea autem etiam templi ministri sequi videntur, nam praeter captivos v. 1222 ss. Iphigenia dicit etiam alia efferri:

> καὶ θεᾶς κόσμον νεογνούς τ' ἄρνας, ὡς φόνῳ φόνον
> μυσαρὸν ἐκνίψω, σέλας τε λαμπάδων τά τ' ἄλλ' ὅσα
> προὐθέμην ἐγὼ ξένοισι καὶ θεᾷ καθάρσια.

Qui alii haec omnia portare existimandi sunt quam templi ministri? Contra sine ulla causa Schoene adicit: „ein Theil der Diener des Königs schliesst sich an." Ex his locis iam satis apparet regem eu satellitibus advenire. Possumus vero etiam demonstrare plus duos ei praesto esse. Nam v. 1205 rex servos ad captivos custodiendos in templum mittit, qui v. 1222 cum illis in scaenam redeunt; v. 1208 autem Iphigenia eum orat, ut sibi ipsi ὀπαδοὺς det, id quod permittit verbis: οἵδ' ὁμαρτήσουσί σοι. Tum v. 1209 Iphigenia ut nuntius in urbem mittatur postulat et statim rex iubet: στεῖχε καὶ σήμαινε σύ. Iam si praeter hos commemoratos ministros regi alios non fuisse putamus, tamen quinque certe ei tribuendi sunt: propter pluralem in v. 1205 duo, propter pluralem οἵδ' in v. 1208 duo, propter σύ vocem in v. 1209 unus.

Invenimus igitur iam duo apud Euripidem exempla, e quibus apparet maiorem δορυφόρων numerum in scaena conspici. Koechly etiam his quinque servis dimissis v. 1306 regi comitatum („Gefolge") tribuit; ac mea quoque sententia rex non omnibus comitibus se orbat, quamquam certum huius rei indicium non exstat. Idem vir doctus ad v. 1421, ubi rex cives ad persecutionem adhortatur, scribit: „allmählich eilt bewaffnetes Volk herbei und füllt die Bühne". Sed hoc iam recte refutavit Schoenborn (p. 116), ut nobis non longius de hac re disserendum sit. Hoc tantum adnotem Minervam, quae postea (v. 1435) omnes deinceps alloquitur, illud Koechlii vulgus nullo verbo respicere.

Fieri potuisse, ut populus concurreret, non negaverim; nam iam in aliis fabulis huius modi civium multitudinem vidimus. Nostro autem loco certum huius rei documentum omnino deest.

12. In Ione quoque templi ministri adhibentur, quos v. 94 Ion ad fontem Castalium mittit:

ἀλλ᾽, ὦ Φοίβου Δελφοὶ θέραπες
τὰς Κασταλίας ἀργυροειδεῖς
βαίνετε δίνας,

quamquam hoc etiam versantibus in templo imperare potest.

V. 247 Creusa advenit, eique, quamquam chorus ancillarum partes agit, tamen etiam in scaena duas ancillas dederim, etsi nullo certo fundamento niti possumus. Creusam comites habere demonstrant et ipsius paedagogi persona et adhortatio eius (v. 980): ξιφηφόρους σοὺς ὁπλίσασ᾽ ὀπάονας; nam ante spectatorum oculos venerint, in medio relinquendum est.

Etiam de regis Xuthi comitatu nihil poeta dicit, ex quo conici liceat servos adesse. Sed respicienda est analogia, secundum quam et regi et reginae comites tribuamus.

Contra Ionem v. 1261 non sine armatis accurrere et e toto sensu apparet et quattuor locis certum fit:

v. 1257: καὶ μὴν οἵδ᾽ ἀγωνισταὶ πικροὶ
δεῦρ᾽ ἐπείγονται ξιφήρεις,
v. 1266: λάζυσθ᾽,
v. 1402: λάζυσθε τήνδε,
v. 1403: δεῖτε δ᾽ ὠλένας.

13. In Helena quaeri potest, num ipsi Ledae filiae initio prodeunti servas tribuamus. Non commemorantur quidem, sed e tota fabula perspicuum est Helenam apud Theoclymenum regem in magno honore et pretio esse. Quare ancillarum comitatus haud ineptus videtur.

Etiam de Teucri v. 68 advenientis comitibus nihil legimus, sed ex v. 147 cognoscimus ei navem esse. Fieri igitur potuit, ut comites secum duceret.

Contra Menelaus v. 386 solus in scaenam progreditur. Ipse enim dicit v. 425 se comites in spelunca occultos reliquisse et solum adesse (μόνος δὲ νοστῶ); atque ex colloquio eius cum ancilla perspicuum est eum advenire mendicum; quare dubitari non debet, quin solus in scaena fuerit.

Contra regis soror Theonoe ancillas habet, quas iubet faces ferre et viam ante ipsam lustrari. Cfr. v. 865:

ἡγοῦ σύ μοι φέρουσα λαμπτήρων σέλας,

v. 868: *σὺ δ' αὖ κέλευθον εἴ τις ἔβλαψεν ποδὶ στείβων ἀνοσίῳ, δὸς καθαρσίῳ φλογί.*

Vide etiam v. 892:

τίς εἶσ' ἀδελφῷ τόνδε σημανῶν ἐμῷ κτλ.

Ipse rex Theoclymenus v. 1165 a venando redit cum comitibus, quos v. 1169 hortatur:

ὑμεῖς μὲν οὖν κύνας τε καὶ θηρῶν βρόχους, δμῶες, κομίζετ' εἰς δόμους τυραννικούς.

Mox ubi Helenam non, ut consueverat, in Protei tumulo esse vidit, exclamat v. 1180:

ὠή, χαλᾶτε κλῇθρα· λύεθ' ἱππικὰς φάτνας, ὀπαδοί, κἀκκομίζεθ' ἅρματα,

sed statim Helenam exeuntem animadvertens hoc imperium irritum facit v. 1184: *ἐπίσχετ'.* Ceterum complures, non duo tantum servi adesse videntur. Nam ut illi, quos canes abducere iusserat, v. 1180 iam redierint, fieri non potest. Quare hic versus ad alios praesentes ministros referendus est. Complures igitur ei comites tribui debent. Etiam v. 139, ubi iterum procedit, maiorem eorum numerum fuisse censeo. Cfr. v. 1390:

χωρεῖτ' ἐφεξῆς, ὡς ἔταξεν ὁ ξένος, δμῶες, φέροντες ἐνάλια κτερίσματα.

Verbum *ἐφεξῆς* ad duos servos vix quadrare mihi videtur, sed ut complures eos esse statuamus nos cogit. Accedit quod praeter eos etiam alii commemorantur. V. 1412 servus mittitur ad navem comparandam: *χώρει σὺ καὶ νεῶν κτλ.*, v. 1431 denique alius servus abit ea, quae ad nuptias opus sunt, paraturus: *ἴτω δέ τις κτλ.* Contra non cum Schoenbornio consentio dicenti remiges illius navis in scaena conspici (p. 199). Iubet sane rex v. 1415 ss. non semel, *ναύτας* obsequi debere Menelao, sed hoc iussum eis a servo, qui v. 1412 abit, deferri potest, id quod eo verisimilius fit, quia idem servus etiam navem comparare iussus est.

14. In **Phoenissis** Iocaste saepius ante spectatorum oculos venit, nunquam vero ancillarum mentio fit. Analogia igitur nos de hac re docebit.

Antigonam praeter paedagogum nemo sequi videtur neque opus est eam (ut puellam) ancillas habere, praesertim cum non extra domum proveniat.

Etiam Polynices, cum *ὑπόσπονδος* sit, v. 600 sine comitibus in urbem venire putandus est.

Contra Eteocles, rex Thebarum, non sine satellitibus procedit, quorum unum v. 690 ad Creontem arcessendum mittere vult: *χώρει σὺ καὶ κόμιζε*, neque etiamsi concedimus inter chori carmen (638—689) Eteoclem in aedibus fuisse, causa est, cur cum Schoenbornio (p. 157) negemus hunc servum vel hos servos fratrum colloquio interesse, nam saepissime videmus has mutas personas quasi nihili aestimari et coram eis gravissimas res tractari[1]. Ministri Eteoclis praeterea commemorantur v. 778 ss.: *προσπόλοις δ' ἐμοῖς λέγω· ἐκφέρετε τεύχη κτλ.* His verbis et demonstratur duos minimum adesse servos et praepositione *ἐκ* (*ἐκφέρετε*) apparet arma re vera in scaenam proferri. Certissimum igitur hoc mutarum personarum exemplum est.

De Creontis comitibus excepto v. 1660 nihil accuratius nobis traditur. Ibi autem servos iubet Antigonam abducere: *λάζυσθε τήνδε κεἰς δόμους κομίζετε.* Sed non opus est existimare hos servos eum ab initio secutos esse. Eodem iure haec verba ad eos referre possumus, qui fratrum et matris corpora apportaverunt, ad quos etiam versum 1630 (*ἐκβάλετ' ἄθαπτον τῆσδ' ὅρων ἔξω χθονός*) dictum puto. Certum igitur de hac re ex ipsis poetae verbis sumere iudicium nobis non licet. Mortuorum corpora in scaenam apportari apparet ex v. 1480 ss.:

οὐκ εἰς ἀκοὰς ἔτι δυστυχία
δώματος ἥκει· πάρα γὰρ λεύσσειν
πτώματα νεκρῶν τρισσῶν ἤδη.

Cfr. etiam v. 1698, ubi Oedipus mortuam coniugem amplectitur vel tangit.

Quod ad ipsum Oedipum attinet, scholiastae (v. 1539)[2] adstipulor, qui eum solum procedere censet. Hoc etiam iis quae

---

[1]) Sic, ut unum exemplum afferam, Orestes astantibus servis cum Electra colloquitur de matre necanda (Choeph.).

[2]) *μόνος ἐκπορεύεται ἑαυτὸν ὁδηγῶν κτλ., διὸ μεμονωμένου θεράποντος τὸ Οἰδίποδος πρόσωπον ἔξεισι.*

sequuntur (v. 1549) confirmatur, ubi Antigona patris sortem queritur, quia coniux, quae eum semper duxerit, iam mortua sit. Servus igitur ei dux non fuit. Omnino Euripideum esse miseram hominum conditionem spectatorum oculis ostendere nemo nescit.

Menoeceum adulescentum servos non habere per se intellegitur.

15. In Oreste ipsius Orestis et Electrae initio ministri non commemorantur neque adfuisse existimandi sunt, nam illi ut homines in summis malis iacentes a poeta introducuntur.

Neque de Helenae v. 71 procedentis ancillis quidquam nobis traditur. Hermiona filia eius certe sola est.

Contra Menelaus non solus advenit. Ipse v. 690 dicit se venire σμικρᾷ σὺν ἀλκῇ τῶν λελειμμένων φίλων. Ex quo loco quamquam non apparet comites adesse, tamen hoc certe demonstratur eum non sine comitatu in urbem venisse. Praesentiam vero servorum testatur v. 1561: ἀνοιγέτω τις δῶμα· προσπόλοις λέγω.

Etiam Tyndareo servi tribuendi sunt propter v. 474: ἄγετέ με (cfr. Schol.) et v. 629: ἡμᾶς δ' ἀπ' οἴκων ἄγετε τῶνδε, πρόσπολοι.

Pyladem vero v. 725 solum procedere puto, cum exul et fugax sit. Cfr. v. 765: Στρόφιος ἤλασέν μ' ἀπ' οἴκων φυγάδα θυμωθεὶς πατήρ. Etiam custodes illi (v. 760), qui domum circumcingunt, in scaena conspici nego. Nam si Orestes οὐχ ὁρᾷς dicit, homines, quos post scaenam versari poeta fingit, digito monstrare potest: quos videre Pyladi quidem licet, minime vero spectatoribus.

16. Iphigeniam Aulidensem, ad quam iam accedimus, valde interpolationibus esse corruptam, inter viros doctos constat. Sed haec quaestio a nostro proposito aliena est; utut res se habet, tamen videamus, quid de κωφοῖς προσώποις huius tragoediae dici possit.

Initio Agamemnon cum familiari ministro procedit. Praeter hunc alios non adesse tota loci natura satis docet. Nam tempus nocturnum est neque Agamemnon hoc loco ut rex provenit, sed ut pater dolore afflictus, cui sors suorum curae est. Omnino neque Agamemnonis neque Menelai servi in hac fabula commemorantur, quamquam non dubito, quin uterque v. 303 ss. servos secum duxerit. Agamemnonis ministros alloqui videtur

Iphigenia v. 1340 et v. 1462: *διαχαλᾶτέ μοι μέλαθρα, δμῶες;* et *πατρὸς δ' ὀπαδῶν τῶνδέ τίς με πεμπέτω.* Etiam Achillem v. 802 ss. eos respicere puto: *τίς ἂν φράσειε προσπόλων κτλ.*[1]) Videmus igitur his locis Agamemnonis servos adesse, quare causa non est, cur illic (v. 303) eos abesse arbitremur.

Difficilior est quaestio de Clytaemnestrae adventu (v. 607). Respiciendi sunt ante omnia hi loci:

v. 610 ss.: *ἀλλ' ὀχημάτων*
ἔξω πορεύεθ' ἃς φέρω φερνὰς κόρῃ,
καὶ πέμπετ' εἰς μέλαθρον εὐλαβούμενοι κτλ.
v. 615 ss.: *ὑμεῖς δέ, νεάνιδες, νιν ἀγκάλαις ἔπι*
δέξασθε καὶ πορεύσατ' ἐξ ὀχημάτων.
v. 617: *καί μοι χερός τις ἐνδότω στηρίγματα*
θάκους ἀπήνης ὡς ἂν ἐκλίπω καλῶς.
[v. 619: *αἳ δ' εἰς τὸ πρόσθεν στῆτε πωλικῶν ζυγῶν κτλ.*
v. 621: *καὶ παῖδα τόνδε τὸν Ἀγαμέμνονος γόνον*
λάζυσθ' κτλ.][2])

Quem haec omnia facere regina iubet? Atque constat, id quod in appendice accuratius exponemus, eam curru advehi idque in orchestra fieri viri docti volunt (Schoenborn p. 231, Arnoldt p. 106). Ac Schoenborn quidem, quem alii, ut Matthiae, Fritze, sequuntur, (l. c.) omnia reginam dicere putat choro, qui in orchestra currum eius circumcingat. Contra Arnoldt (l. c.) ei et ancillas et servos tribuit, neque facere possum, quin huic viro docto assentiar. Nam quod Schoenborn dicit, quia versus antecedentes (607 et 608) ad chorum pertineant neque v. 610 nova allocutio sit, etiam hunc et ss. vv. ad chorum referendos esse negaverim. Primum haud neglegendum est servos plurimis locis solo imperativo: *ἄγετ', λάζυσθε* etc. appellari, vocativo non addito. Tum respiciendum, quid Clytaemnestra fieri iubeat: *πέμπετ' εἰς μέλαθρον φερνάς.* Hoc mihi luce clarius demonstrare videtur non chorum sed *κωφὰ πρόσωπα* appellari. An putandum est chorum haec dona (*φερνάς*) in *μέλαθρον* i. e. tentorium tulisse, quem ad finem in scaenam ascendere deberet? Minime hoc fieri potuit. Sed quid existimas choreutas

---

[1]) Contra verba v. 1475 ss. non certis personis dicta esse putaverim, sed Iphigenia omnino id significat se esse ad mortem paratam.

[2]) Hos versus uncis inclusos Kirchhoff spurios indicat.

his donis fecisse? Num ea per totam fabulam manibus tenebant? Etiam hoc absurdum esset. Itaque hoc tantum restat, ut statuamus reginam haec omnia ancillis vel ministris sequentibus dicere. Nam etiam servos vel unum certe servum equorum regendorum causa adesse existimandum est. Videmus igitur Clytaemnestrae comitatum trium (duarum ancillarum et unius servi) vel potius plurium personarum esse tribuendum, sive in orchestra sive in scaena est. Hanc ipsam quaestionem, ubi processerit regina, in appendice tractabimus.

De Achillis primum (v. 801) procedentis comitibus nihil legimus[1]), sed iterum advenientem armati sequuntur. Cfr. v. 1338: ἀνδρῶν ὄχλον εἰσορῶ πέλας et praecipue v. 1359: εἰσορᾷς τεύχη φέροντας τούσδ'; qui versus nos dubitare non sinit, quin armati adsint. Ex verbo „ὄχλον" conieceris maiorem eorum numerum fuisse. Sed cum v. 1358 Clytaemnestra interroget: καὶ μαχεῖ πολλοῖσιν εἷς; non ita multi fuisse videntur.

17. In Bacchis v. 170 Tiresias vates procedit neque diiudicare possumus, utrum aliquis eum ducat, ut in aliis tragoediis, necne. Wecklein in adnot. ad. v. 170 eum solum a deo inflammatum prodire vult idque fortasse confirmatur v. 194, ubi ipse Tiresias dicit: ὁ θεὸς ἀμοχθεὶ κεῖσε νῷν ἡγήσεται. Servos, quos Tiresias v. 170 ss. iubet Cadmum arcessere, conspici necesse non est, nam in aedibus esse possunt.

Etiam Cadmum solum procedere puto. Certe de eius comitibus nihil dicit poeta.

Contra regem Pentheum satellites sequuntur, quos saepius alloquitur. Pentheus non ex aedibus regiis progreditur, sed ex itinere redit (v. 215.) Nihilominus de carpento et reliquo itineris apparatu sermo non est. Statuendum igitur est haec omnia post scaenam relinqui. Etiam numerum ministrorum accuratius finire nobis vix licet. V. 346 ss. (στειχέτω τις) unum dimittit, quo facto v. 352 pergit: οἱ δ' ἀνὰ πόλιν στείχοντες ἐξιχνεύσατε. Videntur igitur tres vel plures servi adesse. Illi, quos Bacchum

[1]) Quod v. 862 servus interrogat: ἦ μόνῳ παρόντε δῆτα ταῖσδ' ἐφέστατον πύλαις, hoc indicium non est Clytaemnestram et Achillem sine servis esse, nam horum, ut iam saepius vidimus, ratio non habetur. Servus hoc solum quaerit, num praeter illos alius liber homo (Agamemnon vel alius Graecorum dux) adsit.

deprehendere iussit, deum vinctum adducunt v. 434 ss. Cur Schoenborn (p. 169) contendat unum tantum servum eum adducere, non intellego, cum et ex illo mandato (v. 352) et ex sequentibus vv. (451 μαίνεσθε, 503 λάζυσθε, 509 καθείρξατ') appareat duos vel plures adesse servos, et ipse servus rem narrans plurali numero utatur. Atque plurimi alii, ut Schoene, Wecklein, Arnoldt, Pentheo complures tribuunt satellites. Ad hos pertinet etiam v. 653. Cfr. postea 809: ἐκφέρετέ μοι δεῦρ' ὅπλα, quae verba satis dilucide ad duos vel plures servos pertinent.

Mulieres Thebanae, quae in montibus deum celebrant et saepissime ab initio fabulae commemorantur, Agave duce in scaenam procedunt v. 1168, vel ut accuratius loquamur nonnullae earum Agaven sequuntur; nam omnem multitudinem in scaena fuisse credibile non est. Idem censet Wecklein (ad v. 1168). Agave alloquitur comites suas v. 1381: ἄγετ' ὦ πομποί με. Quot fuerint, in medio relinquendum. Neque hoc pertinet ad quaestionem quae est de servorum comitantium numero, quia Agaves comites non servae sunt, sed liberae Thebanae mulieres.

Commemorandi denique sunt ministri, qui versu 1216 ss. corpus Penthei laceratum apportant. Hos hortatur Cadmus v. 1216:

ἕπεσθέ μοι φέροντες ἄθλιον βάρος
Πενθέως, ἕπεσθε, πρόσπολοι κτλ.

Ad hoc ferendi munus duos sufficere ministros nemo negabit. Cogitandum autem est de ministris ipsius Penthei, non Cadmi, cum de huius servis nullo loco quidquam tradatur (v. supra), nisi forte cum Arnoldtio (p. 109) ex hoc ipso loco illud conicias.

Iam omnes Euripidis tragoedias, quae exstant, perlustravimus. Restat denique, ut etiam de Rheso, quamquam hac posterioris aetatis fabula in tractandis priorum poetarum rebus scaenicis uti non licet, et de Cyclope pauca, quae ad nostram pertinent quaestionem, disseramus.

18. Atque in Rheso facere non possum, quin (cum Arnoldtio p. 112 et Schoenb. p. 245) putem chorum interdum in scaena esse, id quod infra videbimus. Quod ad κωφὰ πρόσωπα attinet, initio de Hectoris comitibus nihil certi dici potest. Nam quod v. 1 ss. chorus usitato vocabulo τις aliquem satellitum Hectoris alloquitur, recte se habet, sed minime opus est illum quem dicit in scaena conspici. (Nam in tentorio esse potest).

Item nihil legimus de Aeneae (v. 85 procedentis) comitatu. Tamen nobis conicere licet praeter chorum etiam alios Troianos adesse. Nam v. 149 Hector dicit:

τίς δῆτα Τρώων οἳ πάρεισιν ἐν λόγῳ
θέλει κατόπτης ναῦς ἐπ' Ἀργείων μολεῖν;

quo facto Dolon se paratum esse dicit. Apparet igitur Troianos aliquos adesse. Nam choreutas, quibus cum custodes sint stationem relinquere non licet, Hector his verbis alloqui non potest.

Iam v. 676 ss. cum Arnoldtio et Schoenbornio chorum in scaena esse puto. Nam ut v. 681 confirmatur, Ulixes in choreutarum manibus est: *τοῦσδ' ἔχω, τοῦσδ' ἔμαρψα*, id quod fieri non potest, nisi chorus in scaenam ascendit. Histriones enim nunquam in orchestra versantur. Cfr. Sommerbrodt l. c. p. 119. Hanc quaestionem propterea tetigi, quia, si chorum in orchestra manere putamus, ad Ulixem capessendum *κωφὰ πρόσωπα* opus sunt. Sed hoc vix probaverim, nam et in aliis tragoediis interdum chorum in scaena versari videmus (ut in Eumenidibus) et omnino nescimus, quales mores scaenici posteriore illa aetate, qua Rhesus scripta est, usitati fuerint. Quod vero etiam in fine fabulae Schoenborn (p. 246) varia mandata, quae Hector dat, omnia ad chorum refert, hoc Arnoldt (p. 193) recte refutavit. Iubet enim v. 877 Rhesi *ἡνίοχον* abduci: *λάζυσθ'· ἄγοντες δ' αὐτὸν εἰς δόμους ἐμοὺς κτλ.* et alios iubet Priamo nuntium ferre: *ὑμᾶς δ' ἰόντας τοῖσιν ἐν τέλει χρέων κτλ.*[1] Haec choro dicta esse nequeunt. Nam chorus post haec minime abit, sed, ut ea quae sequuntur demonstrant, usque ad finem fabulae in scaena remanet. Vix autem putandum est illum *ἡνίοχον* tam diu mutum astare.

Rhesum regem, qui v. 388 advenit, non sine comitibus scaenam intrare puto, quamquam comites non commemorantur.

Contra apparet Ulixem et Diomedem ut speculatores solos in castra irrepsisse.

19. In Cyclope duae de *κωφοῖς προσώποις* quaestiones oriuntur, una de satyrorum ministris, altera de Ulixis comitibus.

---

[1]) Plures igitur sunt.

Atque primum quidem satyros habere ministros apparet ex v. 82 ss., ubi Silenus filios hortatur:

ἄντρα δ' εἰς πετρηρεφῆ
ποίμνας ἀθροίσαι προσπόλους κελεύσατε

et illi ministris imperant: χωρεῖτ'. Non debet dubitari, quin hi πρόσπολοι a spectatoribus in scaena conspecti sint, atque hoc fere inter omnes convenit. Cfr. Schoenb. (p. 263), Arnoldtium (p. 111, quamquam eos Cyclopis ministros putat) Wieselerum (Abh. der kgl. Ges. d. Wissensch. z. Gött. 1881 p. 11), Br. Arnoldium (de rebus scen. in Eur. Cycl. Nordhausen 1875 p. 19), Donaldson. (l. c. p. 341.) Quot vero hi ministri fuerint, plane incertum est et operam perdit, si quis de hac re accuratius aliquid exquirere studet. Wieseler et Donaldson l. c. tres eos fuisse coniciunt. Quod Schoenborn (p. 263) dicit eos postea vestibus mutatis Ulixis comitum partes agere, fieri hoc potest, sed necessarium non est. Nam satis multa κωφὰ πρόσωπα adhiberi potuisse iam in Eumenidibus aliisque fabulis vidimus. Accedit, quod nostro loco, id quod ne Schoenborn quidem negat, vestis mutatio celerrima esse deberet[1]). Contra plane huic viro docto assentior confirmanti greges illas in scaena non conspici, quas adesse Wieselero l. c. (et fortasse etiam Arnoldtio p. 132 et Donaldsonio l. c.) placet. Sed hoc reiciendum est, non quod choregus oves non dederit, sed quia difficillimum fuit talem gregem coercere et regere. Nam interdum etiam bestias in Graecorum theatro conspici, in appendice demonstrabimus. Hoc loco satis habemus dicere illas oves, quas Silenus v. 188 Graecis e spelunca affert et de quibus Polyphemus v. 224 dicit:

ὁρῶ γέ τοι τούσδ' ἄρνας ἐξ ἄντρων ἐμῶν
στρεπταῖς λύγοισι σῶμα συμπεπλεγμένους,

re vera in scaena iacere neque cur hoc negemus causam esse. Nam plane aliter hic res se habet, atque illo loco, ubi de gregibus coercendis sermo est. Hoc loco nonnullae oves vinctae in scaena iacentes conspiciuntur, quod facillime et sine magnis

---

[1]) Fortasse et ministri et Ulixis comites uno tempore in scaena sunt, si Ulixis verba v. 137 et 162 ἐκφέρετε non ad satyros refers, sed putas ministros Silenum in efferendis ovibus et caseis (168) adiuvare. Hoc si probas, ministri, postquam oves in stabula egerunt, redire existimandi sunt.

choregi sumptibus fieri potuit. Etiam in Aristoph. Pac. v. 1020 ss. spectatores ovem in scaena viderunt. Et si quis putat oves balantes totam actionem turbare, meminerit totam fabulam esse satyricam, in qua tale quid spectantium gaudium et alacritatem auxisse putandum est.

De Ulixis denique comitibus brevius disputandum. Eos adesse apparet e compluribus locis:

v. 85 ss. ὁρῶ . . . .
κώπης τ' ἄνακτας σὺν στρατηλάτῃ τινὶ
στείχοντας εἰς τόδ' ἄντρον.

v. 190 φέρεσθε, χωρεῖθ', v. 195 λάθοιτε, v. 222 ἔα· τίν' ὄχλον τόνδ' ὁρῶ πρὸς αὐλίοις, saepius. Quod fuerint, accuratius dicere non possumus. Sed apparet duos comites non sufficere. Nam v. 379 ss. Ulixes narrat Cyclopem duos eorum trucidasse. Iam vero praeter eos etiam alii in spelunca sunt (479), quibus utitur Ulixes ad caecandum Polyphemum v. 650:

τοῖσι δ' οἰκείοις φίλοις
χρῆσθαι μ' ἀνάγκη.

Cfr. etiam v. 680 οὗτοι et v. 684 διαφεύγουσι. Quare Wieseler (l. c. p. 15) sex vel plures comites Ulixi tribuit, atque numerum eorum fere hunc fuisse etiam mihi placet.

Iam etiam altera totius quaestionis parte absoluta restat, ut eo, quae in singulis tragoediis invenimus, inter se conferamus et videamus, quid ex iis colligi possit.

Atque si singula κωφὰ πρόσωπα vel personas, quas in scaenam sequuntur, accuratius contemplamur, diversa earum genera distinguere nobis licet. Mea quidem sententia inter se discernenda sunt haec genera:

1. Reges vel principes, quos comites habere demonstrare possumus.

2. Reges vel principes, quos comites habere demonstrari non licet, sed ex comparatione cum similibus exemplis instituta concludi potest.

3. Reginae vel mulieres nobiles, quibus comitatum praesto esse luculenter apparet.

4. Reginae vel mulieres nobiles, quas comitatum habere similia exempla ostendunt.

5. Reges et reginae vel omnino homines illustres, quos certis de causis comites non habere demonstrare possumus.

6. Aliae personae, quibus comites sunt.

7. Personae, quae num comites habuerint in medio relinquendum est.

Iam conspectum singulorum generum addam. Numerus adscriptus indicat, quot comites certe in scaenam progressi sint, verba „vel plures“ significant eos fortasse etiam plures fuisse, sed hoc ex poetae verbis demonstrari non posse. In singulis poetis et fabulis eundem, quem supra secuti sumus, ordinem retinebimus.

I. Reges vel principes, quos comites habere demonstrare possumus.

1. Aeschylus.

Supplices: Pelasgus	2	vel	plures.
Septem: Eteocles	1	„	„
Agamemnon: Agamemnon	2	„	„
„ Aegisthus	2	„	„

2. Sophocles.

Aias: Aias	1	„	„
„ Menelaus	1	„	„
„ Teucer	1	„	„
Antigone: Creon	2	„	„
Oedipus Rex: Oedipus	2	„	„
Trachiniae: Hercules	2	„	„
Philocteta: Ulixes	2	„	„
„ Neoptolemus	1	„	„
Oedipus Col.: Theseus	2	„	„
„ „ Creon	2	„	„

3. Euripides.

Alcestis: Admetus	2	„	„
„ Pheres	2	„	„

Medea: Jason	2 vel	plures.
Hippolytus: Hippolytus	2 „	„
„ Theseus	2 „	„
Hecuba: Polymestor	2 „	„
„ Agamemnon	2 „	„
Andromache: Menelaus	2 „	„
„ Peleus	2 „	„
„ Neoptolemus[1])	2 „	„
Hercules: Lycus	2 „	„
„ Hercules	2 „	„
Supplices: Theseus	1 „	„
„ Iphis	2 „	„
Troades: Menelaus	2 „	„
Iphig. Taur.: Thoas		plures.
Helena: Theoclymenus		plures.
Phoenissae: Eteocles	2 vel	plures.
Orestes: Menelaus	2 „	„
„ Tyndareus	2 „	„
Iphig. Aul.: Achilles	2 „	„
Bacchae: Pentheus	2 „	„
Cyclops: Ulixes		plures.

4. Anonymus.

Rhesus: Hector	plures.

II. Reges vel principes, quos comites habere demonstrari non licet, sed ex comparatione cum similibus exemplis instituta concludi potest.

1. Aeschylus.

Persae: Xerxes.
Choephoroe: Aegisthus.

2. Sophocles.

Aias: Agamemnon, Ulixes.
Electra: Aegisthus.
Oedipus Rex: Creon.

3. Euripides.

Medea: Creon, Aegeus.
Heraclidae: Demophon.

---

[1]) mortuus.

Hecuba: Ulixes.
Andromache: Orestes.
Hercules: Theseus.
Ion: Xuthus.
Helena: Teucer.
Phoenissae: Creon.
Iphig. Aul.: Agamemnon, Menelaus.
Bacchae: Cadmus? (vide VII, 4).

4. Anonymus.

Rhesus: Aeneas, Rhesus, Paris.

III. Reginae vel mulieres principes, quibus comitatum praesto esse luculenter apparet.

1. Aeschylus.

Agamemnon: Clytaemnestra	2 vel plures.
Choephoroe: Clytaemnestra	1 „ „

2. Sophocles.

Electra: Clytaemnestra	1 „ „
Oedipus Rex: Iocaste	1 „ „

3. Euripides.

Medea: Medea	1 „ „
Hippolytus: Phaedra	2 „ „
Hecuba: Hecuba	2 „ „
Electra: Clytaemnestra	plures.
Troades: Hecuba	2 vel plures.
Helena: Theonoe	2 „ „
Iphig. Aul.: Clytaemnestra	plures.
Bacchae: Agave	2 vel plures.

IV. Reginae vel mulieres nobiles, quas comitatum habere similia exempla ostendunt.

1. Aeschylus.

Persae: Atossa.

2. Sophocles.

Aias: Tecmessa.
Antigone: Eurydice.
Trachiniae: Deianira.

Oedipus Col.: Ismena.

3. Euripides.

Alcestis: Alcestis.
Heraclidae: Alcmene.
Andromache: Hermione.
Supplices: Aethra.
Ion: Creusa.
Helena: Helena.
Phoenissae: Iocaste.
Orestes: Helena.

V. Reges et reginae vel omnino homines illustres, quos certis de causis comites non habere demonstrare possumus.

Exstant multa exempla regum et reginarum, qui certis de causis soli in scenam procedunt. Causas illas plerumque iam supra in singulis fabulis exposuimus, quare iam non fusius de eis disputandum est. Plurimae huius generis personae pauperes vel supplices vel omnino miserae sunt. Praeterea in hoc genere fere omnes filii et filiae regum numerandi sunt, quos sine comitibus procedere plurimis locis invenimus.

1. Aeschylus.

Supplices: Danaus (supplex).
Septem: Antigona et Ismena (filiae).
Choephoroe: Electra (filia et misera).
Eumenides: Orestes (supplex).

2. Sophocles.

Electra: Electra et Chrysothemis (filiae).
Oedipus Col.: Oedipus (supplex).
„ „ Polynices (supplex).

3. Euripides.

Heraclidae: Iolaus (supplex).
„ Macaria (supplex).
„ Eurystheus (captivus).
Andromache: Andromache (ancilla).
Hercules: Amphitruo (miser).
„ Megara (misera).
Supplices: Adrastus (supplex).

Supplices: Evadne (causas vide II, 3,9).
Electra: Agricola (pauper).
„ Electra (pauper).
Troades: Cassandra (captiva).
„ Andromache (captiva).
Iphig. Taur.: Orestes (speculans).
„ „ Pylades (speculans).
Helena: Menelaus (miser).
Phoenissae: Antigone (filia).
„ Polynices (ὑπόσπονδος).
„ Oedipus (miser).
„ Menoeceus (filius).
Orestes: Orestes (miser).
„ Electra (misera).
„ Pylades (exul).
„ Hermiona (filia).

4. Anonymus.

Rhesus: Diomedes et Ulixes (speculantes).

VI. Aliae personae, quibus comites sunt.

Praeter reges vel alios principes perpaucae personae comites habent et in compluribus tragoediis eaedem nobis occurrunt.

1. Ex hoc genere Orestem in Aeschyli Choephoris, Sophoclis et Euripidis Electra esse statuo, quia Orestes in his fabulis non ut princeps scaenam intrat, sed ut simplex viator et privatus homo. Quare eum ab illis sub I enumeratis exemplis seiungendum esse putavi. Comites eum sequuntur in Choephoris unus vel plures, in utraque Electra duo vel plures.

2. In Sophoclis Oedipode Rege et in Antigona caecum Tiresiam puer comitatur.

3. In Iphig. Taur commemoranda est ipsa Iphigenia, quam, etsi regis filia est, tamen simili ratione ac supra Orestem hic commemorandam esse putavi, quia in hac fabula non mulieris principis, sed sacerdotis partes agit. Ei duo vel plures ministri tribuendi sunt.

4. In Troadibus Talthybius praeco cum duobus vel pluribus comitibus procedit.

5. Postremi hoc loco afferantur satyrorum ministri in Cyclope, de quorum numero accuratius nihil statui posse iam supra diximus.

VII. Personae, de quorum comitibus quaestio in medio relinquenda est.

1. Commemorandi sunt complures praecones, qui in Agamemnone et Supplicibus Aeschyli, in Trachiniis (Lichas), in Heraclidis scaenam intrant. Excepto Talthybio Euripideo (v. VI, 4) de praeconum comitatu plane nihil legimus. Quamquam igitur minime nego eos comites habere posse, tamen certam legem constituere non audeo, sed potius dixerim praecones, sicut res postulabat, modo solos modo cum comitibus prodiisse.

2. Altera, de qua dubitari potest, persona est Pythia in Ione. In hac quaestione quae est de sacerdotum comitibus unum tantum nobis praesto est exemplum, Iphigeniam Tauricam dico, quam cum servis procedere supra demonstravimus. Sed vix ex hoc uno exemplo in universum sacerdotibus comites fuisse coniciam.

3. Etiam de Hylli in Trachiniis persona res dubia est. Cui, cum non rex, sed filius regis sit, secundum Menoecei aliorumque exemplum (V) comites tribuendos non esse dixeris; fortasse tamen servos habere propterea existimandus est, quia patre diu absente quasi regis officiis fungitur.

4. Etiam quomodo Cadmus in Bacchis processerit, plane incertum est. Supra (c. II, 3, 17) diximus eum secundum Tiresiae exemplum solum esse, sed si quis contrarium contenderit, eum refutare non possumus.

5. Quaeri denique potest, utrum in Alcestide Hercules solus advenerit necne. Supra (c. II, 3, 1) eum itinera sua solum fecisse commemoravimus. Contra in Trachiniis et Hercule eum servos habere vidimus. Itaque certum iudicium proferre nolim.

Restat denique, ut melioris conspectus causa etiam illas tragoedias, in quibus poetae maiorem mutarum personarum numerum in scaenam produxerunt, recenseam. Sunt vero hae:

1. Aesch. Septem: populus initio fabulae in scaena conspicitur.

2. Aesch. Eumenid.: Areopagitae (praeco, tubicen).
3. Soph. Trachin.: agmen captivarum, quas Lichas adducit.
4. Soph. Oedipus R.: populus, qui initio ad aras consedit.[1]

Allatis omnibus his exemplis liceat denique, ut iam ad finem perveniamus, paucis verbis quasi fructum totius quaestionis complecti:

1. Reges et reginae et omnino principales personae semper cum comitatu in scaenam prodeunt, nisi certa causa est, cur hoc non fiat. Nam etiam in illis (sub II et IV enumeratis) exemplis, ubi comitum praesentia disertis verbis non commemoratur, statuendum illud esse cum demonstrat multo maior numerus similium exemplorum, ubi comites in scaena fuisse certo scimus, tum vix de hac re dubitabimus, si meminerimus in Graecorum theatris unoquoque die complures fabulas esse actas. An negas Graecos offensuros fuisse, si deinceps reges modo cum comitibus modo sine comitibus procedentes vidissent? Minime, opinor, hoc aequo animo tulissent, neque quemquam de hac re dubitare persuasum habeo.

2. Numerus illorum comitum non ita magnus fuisse videtur, nam exceptis septem exemplis nusquam demonstrare possumus plures quam duos comites personas principales sequi, quamquam hoc fieri posse non negavimus. In hac re memorabile est, illa plurium ministrorum exempla omnia apud Euripidem et anonymum Rhesi poetam inveniri, nullum apud Aeschylum et Sophoclem. Sed etsi in his exemplis complures comites invenimus, tamen certe ii errant, qui simili atque in nostris theatris splendore et luxuria exornatos reges prodiisse putant. Praeterea fortasse licet conici comitum numerum semper parem fuisse, ut in iis collocandis symmetria, quae vocatur, servari potuerit. Nam veri non dissimile est, regem et reginam medios inter servos et ancillas in scaenam processisse. Totam enim antiquae scaenae ordinem artis plasticae leges non neglexisse inter omnes constat.

3. Donec dominus in scaena versatur, etiam servi ibi

---

[1]) In his exemplis fortasse etiam sacerdotes vel templi ministri illi numerandi sunt, qui initio Eur. Supplicum in scaena esse videntur.

manent. Interdum officio aliquo fungi iussi abeunt, sed plerumque mox redeunt. Pauci tantum loci sunt, ubi non redeunt, atque his locis, excepto uno, etiam dominus dimissis ministris statim abit. Sic in Aesch. Supppl. v. 483 ministri abscedunt, v. 506 ipse rex abit, in Antigon. v. 1108 servi dimittuntur, v. 1114 Creon abit, in Hippolyto v. 110—114 servi abire iubentur, v. 114 ipse Hippolytus sequitur, in Iphig. Taur. v. 1205—1211 Thoas ministros dimittit, v. 1226 ipse abit. Contra in Oedip. Col. v. 855 Creon servos dimittit, ipse autem usque ad v. 1087 solus in scaena remanet.

4. Quomodo aliae personae (praecipue praecones) progressi sint, certo demonstrari non potest.

5. Interdum ad populi partes agendas maiore mutarum personarum numero poetae utebantur.

Appendix.

In universum nemo dubitat, quin currus et equi in Graecorum theatris nonnunquam adhibiti sint. Quomodo vero et quam saepe id factum sit, magna adhuc sententiarum varietas est. Quare, ut supra saepius promisimus, breviter, quid de hac re dici et explorari possit, demonstremus.

Primum quaeritur, num currus adhibiti sint, deinde, utrum equi in theatrum producti sint necne, tum, ubi currus et equi sint conspecti, utrum in orchestra an in scaena. In tractandis his tribus quaestionibus proficiscendum mihi videtur esse a certis exemplis, quibus niti possimus. Quare ne longior fiat commentatio, omnes illos locos, ubi decerni non potest, utrum personae curru an pedibus advenerint, plane omittamus et satis habeamus certis exemplis demonstrare currus et equos non inusitatos fuisse; quod si comprobaverimus in singulis illis incertis locis uniuscuiusque indicio permittamus conicere, utrum unoquoque loco melius sit.

Itaque ad Aeschylum transeuntes, quaestionem, num in Persis Atossa et Xerxes curru advenerint, minime tangimus, quia in hac re ad certum indicium venire non possumus. Etiam Gepperti (l. c. p. 151) coniecturam in Aeschyli Supplicibus regem

Pelasgum et comites eius procedere „zu Wagen und zu Pferde" ut plane inanem non respicimus, sed statim ad unum certum exemplum, quod Aeschylus praebet, progredimur. Est vero in Agamemnone adventus ipsius Agamemnonis, quem regem non pedibus procedere omnes concedunt. Iam vero supra (c. II, 1, 5) omnia illa editorum inventa (multos dico quos fingunt mulos currusque praedam et captivos portantes) reiecimus, itaque hoc loco tantum de ipsius Agamemnonis ornatu dicendum est. Eum et Cassandram curru advehi ex tribus indiciis luculentissime apparet. Primum Clytaemnestra v. 870 coniugem hortatur: ἔκβαιν' ἀπήνης τῆσδε, deinde plane eadem verba repetit v. 992 Cassandram alloquens, cui denique chorus v. 1023 dicit: ἴθ', ὦ τάλαινα, τόνδ' ἐρημώσασ' ὄχον. Currus igitur adest, quare quin equi quoque conspiciantur, dubitandum non est. Nam quod G. Hermann (de re scenica in Aesch. Orestea) putat fortasse currum solum conspici, permirum est neque intellego, quomodo hoc fieri possit, nisi forte putas currum retro in scaenam esse ductum, id quod ridiculum esse nemo negabit. Ceterum de currus et equorum usu fere omnes consentiunt. Cfr. quae scholiastes, Donaldson (l. c. p. 317), Droysen, Paley, Enger, Schoenborn (p. 163), Arnoldt (Chor im Agam. p. 52), Keck de ea re dixerunt. Quorum interpretum si nonnulli putant Cassandram in separato curru sedere, hoc plane supervacaneum existimo neque ex locis illis supra allatis apparet. Contra, ut iam dixi, causa non est, cur cum G. Hermanno de equis dubitemus. Nam equos vel alios quadrupedes interdum in scaena esse et ex aliis, quae postea afferemus, currunm exemplis et ex comoediae usu nobis conicere licet. Quid? Quod initio Aristoph. Ranarum Xanthias servus asino vehitur atque asinus etiam in Vesp. v. 177 ss. in scaenam a poeta producitur? An putemus Graecos in comoedia asino usos esse, in tragoedia in equorum usu offendisse? Non video qua ratione. Ac si quis dicat asinum maiorem habere patientiam, ita ut facilius adhiberi possit, meminerit nostrorum theatrorum, in quibus saepe equos in scaena videmus. Mea igitur sententia Agamemnon curru equis iuncto advehitur. Sed iam quaeritur, utrum hoc in orchestra an in ipsa scaena factum sit. Atque valde miror, quod paene omnes viri docti Schoenbornio praecedente negaverint currus in scaenam advehi. Schoen-

born de nostro loco dicit: „Aber Wagen erscheinen nicht auf der Bühne: dazu fehlt der erforderliche Raum und die dazu nöthigen Seitenthüren in der Skenenwand." Haec causa mihi nulla videtur esse, nam neque magnitudo veterum curruum tanta erat, ut spatium vehendi deesset, neque portae deerant, e quibus currus adveherentur. Ego quidem puto eos ex eisdem portis, ubi peregrini ingrediebantur, advenisse, i. e. secundum ipsius Schoenbornii opinionem ex sinistri lateris porta. Omnino haec refutatio mihi nimis arguta videtur. Nam plane non intellego, cur Schoenborn, cum aliis in rebus concedat scaenam esse exornatam, regiones esse pictas et in posteriore pariete et in periactis, neget Graecos curribus in scaena esse usos, praesertim cum alias histrio in orchestram nunquam provenerit (Schoenb. p. 17—19). Praeterea minime opus est currus scaenicos eandem magnitudinem habere atque alios currus, sed cum theatri tantum usui servirent, etiam ad hunc ipsum usum accommodatos eos fuisse apparet. Quare si aliae causae non proferuntur, his effici non puto, ut currus per orchestrae πάροδους advenisse sit statuendum. Sed praeterea Schoenborn in singulis tragoediis, ubi currus adhibentur, ex tota loci natura causas ad defendendam suam sententiam quaerit. Sed ne has quidem probare possum.

In Agamemnone vir doctus (p. 164) ex eo, quod Clytaemnestra non propius ad coniugem accedat et ille, antequam domum intret, longius loquatur, conicit Agamemnonem in orchestra esse. Sed illud per se explicatur, cum Agamemnon v. 870 demum e curru descendat[1]), hoc mihi ingeniosum poetae artificium esse videtur, quod regem post diuturnum decem annorum tempus redeuntem non statim domum intrantem, sed antea patriam patriosque deos laetis verbis salutantem facit. Plane igitur cum G. Hermanno[2]) consentio, qui Agamemnonem simplici curru in scaenam advehi censet.

Apud Sophoclem currum non invenimus. Sed in Oedipode

---

[1]) Praeterea locum non invenio, ex quo coniciamus Clytaemnestram per totum tempus procul stare.

[2]) De re scaenica: „Unde vero sumptum est illud in orchestram advectum esse Agamemnonem? Scilicet aliud ex alio commentum nascitur. Quia cum exercitu ingentique comitatu impedimentorum ad-

Colonoo Iamena equo vel mulo vehitur (v. 325). Atque ego quidem causam non video, cur improbemus hunc mulum in scaenam venisse, quod Schoenborn (p. 280) et Schneidewin (ad v. 324) negant. Hic ne causam quidem addit, ille dicit: „Auf der Bühne zeigt sich Iamene allein, nicht das Ross, noch der sie begleitende Diener. Wäre der letztere sichtbar gewesen, so war es überflüssig, dass sie sagte, si sei in dessen Begleitung gekommen [1]). Wäre sie zu Ross vor den Zuschauern erschienen, so hätte es nur in der Orchestra geschehen können [2]). Sed quid nos cogit, ut hanc sententiam probemus? Num putas portas fuisse minores, quam ut equus vel mulus per eas ire posset? Hoc absurdum mihi videtur. Sed etiam in orchestram Iamenam advenire hoc loco vix aptum est, quod etiam Schoenborn concedit (p. 281). Quare cum aliud refugium non habeat, negat omnino mulum ante spectatorum oculos venire. Sed quaero, cur hoc loco vir doctus muli vel equi praesentiam neget, cum aliis locis probet? Nam plane eodem iure Iamenam equo vehentem conspici atque Agamemnonem curru vehentem nemo negaverit. Quare hoc ipsum Iamenae exemplum mihi demonstrare videtur equos non in orchestram provenire, sed in scaenam.

venisse rex visus est, non satis spatii tot hominibus, iumentis, vehiculis in proscenio fuisse putabatur. Sane, si quicquam istorum introductum esset. At id vel per se ineptum fuisset: nam revertentem a Troia Agamemnonem quis non credat antevertisse tardius incedentem exercitum, quo citius domum suam revisere!? Quid igitur necesse erat, ut vehiculum eius in orchestra consisteret, quum nihil impediret, quin in proscenium adveheretur? Iam ergo si quis ostendere volet, vehiculum, in quo Agamemno et Cassandra sedebant, in orchestram esse advectum, demonstrare debebit, iuxta periactos, quae non, ut quidam absurdissime crediderunt, frontes suas eadem in linea cum aedibus in scaena conspicuis, sed ante frontem scaenae obliquas spectatoribus ostendebant, non satis spatii iumentis et vehiculo ad ingrediendum in proscenium fuisse. Atqui ea spatia utrinque praebent aditus eos, qui αἱ ἄνω πάροδοι vocabantur, quos non est verisimile tam angustos fuisse, ut uni tantum homini accessio esset, si quidem saepe etiam plures, iique aliquid portantes, ut si afferendum vel efferendum corpus mortui esset, per eos ire necesse erat."

[1]) Hanc opinionem iam supra (c. II, 2, 7) refutavimus.

[2]) Hoc Donaldson l. c. p. 330 et 331 vult.

Alia exempla apud Sophoclem non inveniuntur, nisi forte ex fragmento 422 (Nauck) conicis equum in scaena esse:

διὰ φήκτρας σ' ὁρῶ
ξανθὴν καθαίρονθ' ἵππον αὐχμηρᾶς τριχός.

Sed res incertissima est, quia rerum connexum nescimus.

Iam ad Euripidem transeuntes tria curruum certa exempla invenimus. Nam taceamus de Hartungii sententia, qui sine ulla causa in Supplicibus corpora caesorum heroum curribus advehi vult. Contra in Electra, in Troadibus, in Iphigenia Aulidensi de curru non dubitari non debet.

In Electra Clytaemnestram curru advehi e compluribus locis luce clarius apparet. Cfr. v. 966:

καὶ μὴν ὄχοις γε καὶ στολῇ λαμπρύνεται

et v. 998, ubi regina dicit:

ἔκβητ' ἀπήνης, Τρῳάδες, χειρὸς δ' ἐμῆς
λάβεσθ', ἵν' ἔξω τοῦδ' ὄχου στήσω πόδα.

Equi commemorantur v. 1135:

ἀλλὰ τούσδ' ὄχους, ὀπάονες,
φάτναις ἄγοντες πρόσθεθ'.

Apertum est et currum et equos conspici. Eos in orchestra esse nusquam significatur. Immo ipsi Schoenbornio (p. 204) concedendum est hoc loco aptissimum esse reginam in scaenam venire. Nam Electra, quae in scaena esse debet, matrem descendentem adiuvare vult (v. 1004 ss.) Nihilominus vir doctus reginam in orchestram advehentem facit: „weil ein mit Pferden bespannter Wagen auf dem Logeion nicht erscheinen kann." Nos qui in hoc non offendimus, sine ullo scrupulo censebimus currum equosque in scaena conspici.

Alterum exemplum Andromache in Troadibus praebet, quae v. 568 captiva in curru sedens advenit:

Ἑκάβη, λεύσσεις τήνδ' Ἀνδρομάχην
ξενικοῖς ἐπ' ὄχοις πορθμευομένην;

Cfr. etiam v. 626: κἀποβᾶσα. τῶνδ' ὄχων.

Schoenborn (p. 238) affirmat Andromacham non de curru descendere, qua in re plane eum eo consentio. Quod vero dicit eo apparere currum in orchestra esse, hoc minime probaverim. Nititur praeterea in eo, quod nusquam narretur Hecubam Andromacham vel Astyanactem amplecti. Sed conferas velim

v. 461, ubi Cassandra a praecone abducitur, quem in scaena esse ne Schoenborn quidem negabit. Ne hoc loco quidem poeta dicit matrem et filiam inter se amplecti et oscula dare. Cassandra nihil dicit nisi χαῖρε. Nihilominus filiam hoc loco matrem amplecti veri simile esse puto. Ceterum nostro loco res aliter se habet. Nonne aptissimum est Andromacham, postquam summo furoris et angoris cruciatibus vexata v. 779 filium amisit, iam ne verbum quidem dicere, sed plane mutam et torpentem (id quod in summo dolore fieri omnes sciunt) vel fortasse etiam animo relictam avehi? Dolor eius maior est, quam ut loqui possit. Hecubam autem dum verba (v. 790) ὦ τέκνον, ὦ καὶ κτλ. loquitur Astyanactem amplecti quid impedit quominus putemus? Nulla igitur causa mihi esse videtur, cur Andromacham in orchestra esse censeamus. Huc accedit difficultas, quam Schoenborn plane neglexisse videtur. Ipse enim saepius dicit (p. 17—19) exceptis eis personis, quae curribus vehantur, nunquam histrionem orchestram introire.[1]) Sed si Andromacham in orchestra esse putamus, etiam Talthybius eiusque comites, qui ad Astyanactem abducendum veniunt, in orchestram provenire coguntur, id quod illi Schoenbornii legi prorsus repugnat. Quare hoc loco tantum abest, ut putemus Andromacham in orchestra esse debere, ut contra eam ne posse quidem ibi esse concedendum nobis sit.

Denique currum invenimus in Iphigenia Aulidensi. In hac fabula Clytaemnestra cum Iphigenia et Oreste curru advenit (v. 592). Currus commemoratur v. 599 ὄχων, v. 610:

ἀλλ' ὀχημάτων
ἔξω πορεύεσθ' ὡς φέρω φερνὰς κόρῃ,

v. 613 σὺ δ', ὦ τέκνον μοι, λεῖπε πωλικοὺς ὄχους, v. 616 ἐξ ὀχημάτων, v. 618 ἀπήνης,

equi v. 619:

αἳ δ' εἰς τὸ πρόσθεν στῆτε πωλικῶν ζυγῶν.
φοβερὸν γὰρ ἀπαράμυθον ὄμμα πωλικόν.

Schoenborn (p. 619) haec omnia in orchestra fieri vult et ipsum chorum reginam descendentem adiuvare putat. Sed hoc iam in

---

[1]) Cfr. Sommerbrodt Scen. coll. p. 119, qui recte ut mihi videtur contendit nusquam histrionem in orchestra versari.

altero capite cum Arnoldtio reiecimus (II. 3. 16.) Non de choro sermo est, sed de ancillis, quas Clytaemnestra secum habet. Quod si statuimus, ne hoc quidem loco quidquam obstat, quominus reginam in scaena esse arbitremur. Nam ea ipsa de causa, quod chorus reginam adiuvet, illam in orchestram advehi Schoenborn contendit.

Iam omnia curruum et equorum exempla perlustravimus. Aliae bestiae exceptis illis vinctis ovibus, quas in Cyclope Silenus Ulixi dono dat, et illis agnis, qui in Iphig. Taur. v. 1223 in scaenam proferuntur, non invenimus. Nam Polyphemi greges in scaena conspici, iam supra (II, 3, 19) reiecimus. Statuendum igitur erit:

1. currus et equos in Graecorum tragoediis non ita inusitatos fuisse.

2. non in orchestram, sed in scaenam eos provenisse.

v. 461, ubi Cassandra a praecone abducitur, quam in scaena esse ne Schoenborn quidem negabit. Ne hoc loco quidem poeta dicit matrem et filiam inter se amplecti et oscula dare. Cassandra nihil dicit nisi χαῖρε. Nihilominus filiam hoc loco matrem amplecti veri simile esse puto. Ceterum nostro loco res aliter se habet. Nonne aptissimum est Andromacham, postquam summo furoris et angoris cruciatibus vexata v. 779 filium amisit, iam ne verbum quidem dicere, sed plane mutam et torpentem (id quod in summo dolore fieri omnes sciunt) vel fortasse etiam animo robotam avehi? Dolor eius maior est, quam ut loqui possit. Hecubam autem dum verba (v. 790) ὦ τέκνον, ὦ καὶ κτλ. loquitur Astyanactem amplecti quid impedit quominus putemus? Nulla igitur causa mihi esse videtur, cur Andromacham in orchestra esse censeamus. Huc accedit difficultas, quam Schoenborn plane neglexisse videtur. Ipse enim saepius dicit (p. 17—19) exceptis eis personis, quae curribus vehantur, numquam histrionem orchestram introire.[1]) Sed si Andromacham in orchestra esse putamus, etiam Talthybius eiusque comites, qui ad Astyanactem abducendum veniunt, in orchestram provenire coguntur, id quod illi Schoenbornii legi prorsus repugnat. Quare hoc loco tantum abest, ut putemus Andromacham in orchestra esse debere, ut contra eam ne posse quidem ibi esse concedendum nobis sit.

Denique currum invenimus in Iphigenia Aulidensi. In hac fabula Clytaemnestra cum Iphigenia et Oreste curru advenit (v. 592). Currus commemoratur v. 599 ὄχων, v. 610:

ἀλλ' ὀχημάτων
ἔξω πορεύεσθ' ὡς φέρω φερνὰς κόρῃ,

v. 613 σὺ δ', ὦ τέκνον μοι, λεῖπε πωλικοὺς ὄχους,
v. 616 ἐξ ὀχημάτων, v. 618 ἀπήνης,

equi v. 619:

αἱ δ' εἰς τὸ πρόσθεν στείχετε πωλικῶν ζυγῶν.
φοβερὸν γὰρ ἀπαράμυθον ὄμμα πωλικόν.

Schoenborn (p. 619) haec omnia in orchestra fieri vult et ipsum chorum reginam descendentem adiuvare putat. Sed hoc iam in

[1]) Cfr. Sommerbrodt Scen. coll. p. 119, qui recte ut mihi videtur contendit numquam histrionem in orchestra versari.

altero capite cum Arnoldtio reiecimus (II. 3. 16.) Non de choro sermo est, sed de ancillis, quas Clytaemnestra secum habet. Quod si statuimus, ne hoc quidem loco quidquam obstat, quominus reginam in scaena esse arbitremur. Nam ea ipsa de causa, quod chorus reginam adiuvet, illam in orchestram advehi Schoenborn contendit.

Iam omnia curruum et equorum exempla perlustravimus. Aliae bestiae exceptis illis vinctis ovibus, quas in Cyclope Silenus Ulixi dono dat, et illis agnis, qui in Iphig. Taur. v. 1223 in scaenam proferuntur, non invenimus. Nam Polyphemi greges in scaena conspici, iam supra (II, 3, 19) reiecimus. Statuendum igitur erit:

1. currus et equos in Graecorum tragoediis non ita inusitatos fuisse.

2. non in orchestram, sed in scaenam eos provenisse.

R. ZIMMERMANN:

QUIBUS AUCTORIBUS STRABO IN LIBRO TERTIO GEOGRAPHICORUM CONSCRIBENDO USUS SIT, QUAERITUR.

PARS PRIOR.

I.

Cap. 1, §§ 1—6. Cas. 136—139.

§ 1.

Strabo postquam libro primo et secundo prolegomena ad totius terrae descriptionem exposuit, libro tertio ad Hispaniam primam Europae occidentalis partem depingendam transit: quod e totius operis institutione et ordine fieri prima paragrapho explicat.

§ 2.

Deinde par. altera qualisnam sit huius terrae fertilitas forma species breviter demonstratur. Vix quisquam existimabit, harum rerum notitiam ab uno quodam scriptore Strabonem petivisse. E contrario consentaneum est geographum ex iis, quae de Hispaniae aliis partibus apud alios auctores invenisset, ipsum animo sibi effinxisse imaginem totius terrae. Hoc autem recordari oportet, huic libro nihil inesse, quod ipse aspiciens cognoverit; quod elucet e II. c. 5, 11 C. 117: *ἐπήλθομεν δὲ ἐπὶ δύσιν μὲν ἀπὸ τῆς Ἀρμενίας μέχρι τῶν κατὰ Σαρδόνα τόπων τῆς Τυρρηνίας.*

§ 3.

De hac par., in qua verba fiunt de figura finibus situ ambitu Hispaniae, nunc quidem quaestionem non instituimus, quia quo ex fonte Strabo haec hauserit, latet neque prius aliqua ex parte perspici posse mihi videtur quam quaestio haec iam provecta sit. Transeamus igitur nunc ad

§§ 4—5

ubi de promunturio Sacro agitur. Ac primum quidem ea secernamus, quae Strabo ipse mutua sumpta esse indicat. In par.

quarta inde a verbis *αὐτὸ δὲ τὸ ἄκρον* seqq. Artemidori narratio refertur (Stiehle, Philol. 11 p. 201 fgr. 13). Deinde in par. quinta Posidonius laudatur, qui vulgi quasdam sententias refellit; quae pertinent usque ad verba *καὶ τηρήσας τὰς δύσεις* (Mueller fgr. h. III. p. 291 fgr. 97). Artemidorum quidem similia atque eos qui *οἱ πολλοὶ καὶ χυδαῖοι* dicuntur protulisse explicatur inde a verbis *ὁ δέ γε Ἀρτεμίδωρος* seqq. de quibus Strabo cum irrisione iudicat: *ὡς μὲν οὖν αὐτὸς εἶδεν* sqq. Itaque de initio tantum par. quartae nobis inquirendum est, ubi de Libyae et Europae adversus occasum extremis partibus haec exstant: *περατοῦται μὲν γὰρ . . . . προὔχει δὲ τὰ Ἰβηρικὰ ὅσον χιλίοις καὶ πεντακοσίοις σταδίοις κατὰ τὸ λεχθὲν ἀκρωτήριον*. Hispaniam mille quingentis stadiis trans Libyam adversus occidentem excedere [1]), Artemidorus auctor est: quod inde colligi potest, quod in libri XVII. c. 3, 2 C. 825 (Stiehle fgr. 76) haec exstant: *ἐντεῦθεν δὲ πρόπους ἔκκειταί τις ὕστατος πρὸς δύσιν τῆς Μαυρουσίας αἱ Κώτεις λεγόμεναι, πλησίον δὲ καὶ πολίχνιον μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης, ὅπερ Τρίγγα καλοῦσιν οἱ βάρβαροι, Λύγγα δ' ὁ Ἀρτεμίδωρος προσηγόρευκε, Ἐρατοσθένης δὲ Λίξον, κεῖται δ' ἀντίπορθμον τοῖς Γαδείροις*. Harum rerum notitiam soli Artemidoro Strabo debere videtur. Neque enim ex ea re, quod Eratosthenes quoque laudatur, eius descriptione hoc loco Strabonem usum esse sequitur. E contrario Eratosthenis sententiam item ex Artemidori libro cognovit: quod paulo infra apparet § 8, C. 829: *Ἀρτεμίδωρος δὲ Ἐρατοσθένει μὲν ἀντιλέγει διότι Λίξον τινά, φησιν πόλιν ἀντὶ Λυγγός*. Gades igitur et Lixum in eodem fere meridiano sitas esse Artemidorus tradidit. Spectemus deinde Strabonis verba III c. 2, 11 C. 148: *πρὸς ὃν (Ἐρατοσθένην) Ἀρτεμίδωρος ἀντιλέγων . . ψευδῶς λέγεσθαί φησιν . . τὸ ἀπὸ Γαδείρων ἐπὶ τὸ ἱερὸν ἀκρωτήριον διάστημα . ., οὐ πλειόνων ὄντων ἢ χιλίων καὶ ἑπτακοσίων σταδίων*. De situ vero promunturii Sacri haec comperimus II 5, 14 C. 119: *δυσμικώτατον μὲν γὰρ σημεῖον τῆς οἰκουμένης τὸ τῶν Ἰβήρων ἀκρωτήριον, ὃ καλοῦσιν*

[1]) Berger (Die Geogr. Fragment. des Eratosthen. S. 365) errore quodam ducitur, cum dicat: „Für die Länge des westlich über den Meridian der Säulen hervorragenden Teiles von Spanien nimmt Str. III C. 157 die Summe von 1500 Stadien an.“

ἱερόν· κεῖται δὲ κατὰ τὴν γραμμήν πως τὴν διὰ Γαδείρων τε καὶ στηλῶν. Iam si secundum Artemidorum αἱ Κῶτεις aliquantulo, promunturium Sacrum vero 1700 stadiis propius quam Gades sive Lixus ad solis occasum situm est, efficitur, etiam hanc mensuram esse Artemidori: προΐχει τὰ Ἰβηρικὰ ὅσον χιλίους καὶ πεντακοσίους σταδίους. De enuntiato quod sequitur, Schwederus (Beiträge zur Krit. der Chorogr. des Kaiser Aug. S. 72) dicit: Römischen Ursprung verraten nun auch andre Angaben: τὴν προσεχῆ τούτῳ χώραν τῇ Λατίνῃ φωνῇ seq.: quibuscum verbis comparat ille ad Romanam originem demonstrandam Melae lib. III. 1, 7: quod non debuit, quoniam aliter Melam aliter Strabonem loca quibus 'cuneus' nomen est, animo sibi finxisse elucet. Sed omnino non est, cur horum verborum originem aliunde tractam censeamus atque ex Artemidori geographicis, unde et antecedentia et sequentia sumpta sunt, praesertim cum apud Martian. Capellam (lib. VI 611 ed. Eyssenh.) legamus:[1] 'Verum Artemidorus huic dimensioni (sc. terrae longitudini) adicit, quicquid a Gadibus procurrit. Nam per Sphenis frontem circuitu sacri promontorii ad aliud finale promontorium seqq.' Primum igitur videmus, etiam apud Artemidorum huius regionis mentionem factam esse, de qua Strabo dicit: Κούνεον, σφῆνα σημαίνειν βουλόμενοι. Deinde autem haec consideranda esse existimo: Constat, iam diu priusquam Romani eo pervenerunt, populos ibi fuisse, quorum nomina similiter sonabant ac posterius nomen huic regioni a Romanis inditum 'cuneus'. Cfr. Herodot. II, 33: οἱ δὲ Κελτοί εἰσι ἔξω Ἡρακλείων στηλέων, ὁμουρέουσι δὲ Κυνησίοισι οἳ ἔσχατοι πρός δυσμέων οἰκέουσι τῶν ἐν τῇ Εὐρώπῃ κατοικημένων. Avien. Ora marit. 201: inde Cempsis adiacent populi Cynetum App. Hisp. 57 Κούνεοι Strab. III 2, 2 C. 141 oppidum: Κονίστοργις. cett.[2]) Mihi quidem persuasum est, inter haec antiquiora nomina et recentius cunei nomen rationem quandam intercedere. Fieri potuit[3]), ut Romani forma illius regionis cuneo haud dissimili adducerentur, ut nomina illa similiter sonantia idem valere ac cuneum existimarent. Tum

---

[1]) Stiehle, Phil. 11 p. 199 adn. 8.

[2]) Omnia, quae ad hanc rem spectant, locupletissime contulit Müllenhoff (Deutsch. Altertumskunde I, S. 112 und 113).

[3]) Ukert (Alte Geogr. II, 1 p. 309 et 310).

autem apparet, graecam appellationem *σφήν*, quam Artemidorus adhibuit, oriri non potuisse nisi e latina voce 'cuneus' graece versa. Itaque nonne consentaneum est, Artemidorum, cum primum de hac regione diceret, haec fere verba fecisse: '*καὶ δὴ καὶ τὴν προσεχῆ τούτῳ χώραν τῇ Λατίνῃ φωνῇ καλοῦσι κούνεον, σφῆνα σημαίνειν βουλόμενοι*'? Nam lingua latina eum aliqua ex parte doctum esse quam maxime probatur XIV, 1, 26 C. 642 Stiehle fgr. 127. Pro certo igitur habeo, Strabonem omnia quae in par. quarta profert, ab Artemidoro petivisse.

§ 6.

1. *ἡ μεσοποταμία τοῦ Ἄνα καὶ τοῦ Τάγου.*

Geographus expositione de promunturio sacro ad finem perducta ineunte par. sexta ad descriptionem terrae fluviis Ana et Tago interceptae transit. Perpauca, quae de hac regione profert, concluduntur verbis: *αὕτη μὲν οὖν ἡ χώρα ἐστὶ μετρίως εὐδαίμων.* Statim enim sequitur inde a verbis *ἡ δ' ἐφεξῆς πρὸς ἕω* seqq. copiosissima Turdetaniae descriptio, quae pertinet per totum caput secundum. Tertio deinceps capite iterum initium fit a promunturio Sacro atque prima et altera par. eadem fere regio depingitur atque loco de quo nunc dicimus. Iam primum quidem spectemus, quae utroque loco Strabo de eisdem rebus dicat: c. 1. § 6: *φέρεται δ' ἀπὸ τῶν ἑῴων μερῶν ἑκάτερος, ἀλλ' ὁ μὲν ἐπ' εὐθείας εἰς τὴν ἑσπέραν ἐκδίδωσι πολὺ μείζων ὢν θατέρου, ὁ δὲ Ἄνας πρὸς νότον ἐπιστρέφει* cfr. c. 3, 1 C. 152 *ῥεῖ δ' (ὁ Τάγος) ἔχων τὰς ἀρχὰς ἐκ Κελτιβήρων διὰ Ὀυεττόνων καὶ Καρπητανῶν καὶ Λυσιτανῶν ἐπὶ δύσιν ἰσημερινήν, μέχρι ποσοῦ παράλληλος ὢν τῷ τε Ἄνᾳ καὶ τῷ Βαίτι, μετὰ δὲ ταῦτα ἀφιστάμενος ἐκείνων ἀποκλινόντων πρὸς τὴν νότιον παραλίαν.* Deinde ea quae breviter dicuntur verbis c. 1. § 6: *ἐν δὲ τοῖς ἄνω μέρεσι καὶ Καρπητανοὶ καὶ Ὠρητανοὶ καὶ Ὀυεττόνων συχνοὶ νέμονται*, copiosius et accuratius exstant in c. 3, 2. C. 152: *οἱ δ' ὑπερκείμενοι* seqq. Nihil autem in hac sexta par. invenimus de ora maritima huius regionis, quae c. 3, 1 depingitur. Hic contra incolarum mentio fit: *ἣν Κελτικοὶ νέμονται τὸ πλέον . . ὑπὸ Ῥωμαίων:* de qua re illic tacetur. Iam non est dubium, quin c. 3, 1. C. 151/52

periplus orae maritimae descriptioni subsit. Quid autem de hoc loco statuendum est? Num censeamus, de hac fluviis Ana et Tago intercepta regione geographum quendam separatim verba fecisse, sic ut hoc loco Strabo, eiusque chorographiam hic adhibitam esse? Minime. Apparet enim e descriptione quae sequitur, copiosas Straboni praesto fuisse expositiones et narrationes de Baetica vel Turdetania, quae Ana fluvio ab eo finitur, et de Lusitania, quam etsi recentiorem Romanorum divisionem Hispaniae cognovit (c. 4, 20. C. 166), tamen secundum priorum temporum auctores Tago adversus meridiem contineri statuit (c. 3, 3. C. 152). Ea autem regio, quae inter hos fluvios sita est, propria descriptione nimirum carebat, quoniam ne populus quidem clarior eam incolebat. A septentrione enim Lusitani invaserunt et ibi consederunt (c. 1, 6. *Λυσιτανοὶ μετοικισθέντες* c. 3, 5. C. 154), partes vero huius regionis ad orientem et meridiem vergentes Turdetaniae accensebantur (c. 2, 1 C. 141). Iam videmus Strabonem ipsum huius separationis auctorem esse eo consilio factae, ut tres certas partes in descriptione efficeret: 1. *Λυσιτανία* 2. *Μεσοποταμία τοῦ Ἄνα καὶ τοῦ Τάγου* 3. *ἡ Τουρδητανία.* Quod consilium valde laudabile inepte perfecit. Nam materiem quae de hac regione partim in periplo partim apud alios auctores ei praesto fuit, secundum hanc terrarum divisionem disponere et explicare nullo modo studuit. Oppida enim quae sunt in hac terra, Conistorgis et Paxaugusta commemorantur in Turdetaniae descriptione (c. 2, 15 C. 151, c. 2, 2 C. 141). Nec ora maritima vero, quae pertinet ab Anae ostio ad Tagum, uno tenore depingitur (c. 1, 9 C. 140, c. 3, 1 C. 151). Iam nusquam in sequente descriptione animadvertere vel sentire potes illam mesopotamiam proprie tractatam esse. Perpauca vero quae in hanc a se ipso institutam descriptionem e fontibus contulit, postea ubi in peripli cursu ad easdem regiones iterum accedit, plane denuo profert, quasi nondum eadem tractaverit: de fluviis Ana et Tago: c. 1, 6: *φέρεται δ' ἀπὸ . . . ἐπιστρέφων* cfr. c. 3, 1 C. 152 *ῥεῖ δ' ἔχων* cet., de incolis superiorum partium: c. 1, 6 *ἐν δὲ τοῖς ἄνω . . . νέμονται* cfr. c. 3, 2 C. 152: quos locos supra comparavimus.[1]) Unum est, quod Strabo hoc

---

[1]) De harum rerum origine nunc non quaerimus, quoniam postea eadem in peripli conexu occurrent.

loco solo commemorat: ἣν Κελτικοὶ νέμονται τὸ πλέον καὶ τῶν Λυσιτανῶν τινες ἐκ τῆς περαίας τοῦ Τάγου μετοικισθέντες ὑπὸ Ῥωμαίων: quod e Polybii narratione depromptum esse mihi videtur. De Celticis enim ille c. 2.15 C. 151 laudatur: τῇ δὲ τῆς χώρας εὐδαιμονίᾳ καὶ τὸ ἥμερον . . . συνηκολούθησε τοῖς Τουρδητανοῖς καὶ τοῖς Κελτικοῖς δὲ διὰ τὴν γειτνίασιν, ὡς δ' εἴρηκε Πολύβιος διὰ τὴν συγγένειαν. De Lusitanis vero partim in oppositam Tagi ripam a Romanis translatis conferendi sunt nonnulli loci, ubi Strabo de rebus a Bruto Gallaeco gestis verba facit: c. 3, 1 C. 152: ταύτῃ δὲ τῇ πόλει . . τῶν ἐπιτηδείων. c. 3, 2 C. 152: διὸ καὶ δυσμαχώτατοι . . ἐπωνυμίαν. c. 3, 4 C. 153 extr. τῆς μὲν οὖν Βρούτου στρατείας . . οὗτος. c. 3, 5 C. 154: εὐδαίμονος δὲ τῆς . . usque ad finem paragr. Quos locos ea de causa sub unum conspectum redegi, quia apparet et omnes ad illam Bruti Gallaeci expeditionem spectare et nullum indidem petitum esse, unde chorographia, cui insertus sit. Nam luce clarius est ea quae c. 3. 1, 152 exstant (ταύτῃ δὲ τῇ πόλει seqq.), e libro quodam, qui de bello cum Lusitanis gesto scriptus erat, excerpta esse, neque concinere cum peripli ratione describendi, quae est in proximis verbis. Item res se habet c. 3, 2 C. 152 (διὸ καὶ . . .) et c. 3,4 C. 153 (τῆς μὲν οὖν Βρούτου . . .) Ultimo autem quem attulimus loco c. 3, 5 C. 154 de calamitate agitur, qua affecta est Lusitania bellis diuturnis. Quae cum ita sint, aptissimum videtur, una hos locos tractare ad communem eorum autorem investigandum. Hic autem mea quidem sententia Polybius est, quem de his rebus rettulisse consentaneum est in libro de bello Numantino scripto. Nam illa bella eodem fere tempore gesta sunt, atque Numantinorum motus ex his Lusitanorum bellis ortus est (App. Hisp. 76). Strabonis vero de his rebus narrationes a Polybio petitas esse e loco ultimo, quem attuli, (c. 3, 5 C. 154) elucere mihi videtur: quibus verbis ea continentur, quae Strabo in universum de Lusitaniae statu habituque profert. Strabo vero eum depingit statum, in quem haec terra bellis latrociniisque diuturnis delapsa est, atque priorum temporum res Lusitaniae florentissimas indicat. Iam hanc genuinam eius felicitatem copiose Polybius exposuit (ed. Hultsch XXXIV 8, 4 p. 1306.) Quam ob rem, cum consentaneum sit,

hunc scriptorem in bello Numantino describendo recordatum, quae antea dixisset, Lusitaniae res mutatas significasse, ei potissimum tribuam hanc de Lusitania expositionem, quae neque ad priora neque ad Strabonis ipsius tempora quadrat (c. 3, 8. C. 156 *ἀλλὰ νῦν πέπαυται πολεμοῦντα πάντα*). Redeamus nunc, unde digressi sumus, ad verba c. 1, 6 *ἣν Κελτικοὶ νέμονται τὸ πλέον καὶ τῶν Λυσιτανῶν τινες μετοικισθέντες ὑπὸ Ῥωμαίων:* quae cum aperte respondeant verbis c. 3, 5 C. 154: *ἐνίας δὲ καὶ συνοικίζοντες βέλτιον,* eandem atque illa produnt originem, quam esse ex Polybii descriptione repetendam probare conatus sum. Post hanc incolarum mentionem de tota regione dicit Strabo: *αὕτη μὲν οὖν ἡ χώρα ἐστὶ μετρίως εὐδαίμων:* quae verba Strabonis ipsius ingenio deberi mihi videntur eo consilio addita, ut ad sequentia transeatur.

2. De Baeticae nominibus incolis finibus.

Iam incipit Turdetaniae descriptio, cuius divitem cultum et ubertatem Strabo item atque ceteri summopere laudat. In sequente parte paragr. h. Artemidoro et Polybio usus est. Ac primum quidem ea, quae de fluviis Baeti Ana Tago dicuntur, Artemidoro deberi apparebit e c. 3, 1 C. 152 (*ῥεῖ δ' ἔχων τὰς ἀρχὰς . .*), ubi de fluviis eadem fere exstare iam commemoravimus: illic enim explicatur orae maritimae descriptio, quam ex Artemidori periplo haustam me demonstraturum esse spero. Deinde de nomine huius terrae dicit: *καλοῦσι δ' ἀπὸ μὲν τοῦ ποταμοῦ Βαιτικήν, ἀπὸ δὲ τῶν ἐνοικούντων Τουρδητανίαν.* Polybius quidem quod sciamus non usus est nomine Baeticae. Quod vero apud Artemidorum hoc nomen non occurrit, inde sane non sequitur, revera apud eum id non fuisse, cum perpauca eius fragmenta servata sint. Sed quoniam apud Stephanum s. v. *Τουρδητανία* primum accurate refertur, quae nomina Strabo huic terrae dederit, et subsequuntur verba: *Ἀρτεμίδωρος δὲ Τουρτυτανίαν αὐτὴν καλεῖ καὶ Τούρτους τοὺς οἰκήτορας καὶ Τουρτυνανούς*, equidem non dubitaverim, quin nullum aliud nomen Artemidorus adhibuerit. Praeterea etiam Cato ap. Charis. II p. 190 hanc terram Turtam vocat. Quibus rebus verisimile fit, Baeticam esse recentiorem appellationem, cuius notitiam Strabonem certo cuidam auctori non

debere consentaneum est. Tum incolas dicit nominari *Τουρδητανοὺς* et *Τουρδούλους*, quos esse eosdem alii dicant alii negent: in quibus etiam Polybium esse. Suo autem tempore omnino nullum discrimen apparere. Valde dolendum est, quod ea, quae apud Stephanum s. v. *Τουρδητανία* ex Artemidori periplo de hac re afferuntur, nimis ambigua sunt, quam ut per se appareat, utrum Artemidorus populos illos distinxerit necne. Siquidem Stephanum s. v. *Ἀψυρτίδες* spectamus: *οἱ νησιῶται Ἀψυρτεῖς καὶ Ἄψυρτοι*, fortasse ex hoc Stephani usu dicendi colligi potest, etiam hoc loco formas modo nominum diversas intelligendas esse. Tum certe, si res ita est, videmus, ad Artemidorum spectare haec verba: *οἱ μὲν τοὺς αὐτοὺς νομίζοντες*. Sed fateor pro certo de hac re iudicare me non posse. Utique, adicit Strabo, diversitatem[1]) suo tempore non apparere: quod ab hominibus ibi versatis comperisse videtur. In sequentibus iam verbis Turdulorum eruditio atque doctrina, quae ceteros Hispaniae incolas longe superet, laudibus effertur. Haec a Polybio Strabonem didicisse mihi probatur loco qui exstat c. 2, 15 C. 151 *Τῇ δὲ τῆς χώρας εὐδαιμονίᾳ καὶ τὸ ἥμερον καὶ τὸ πολιτικὸν συνηκολούθησε τοῖς Τουρδητανοῖς . . ὡς δ' εἴρηκε Πολύβιος . .* Bene enim convenit, quod iis, qui vitam civilem agere dicuntur, *νόμοι ἔμμετροι* et *συγγράμματα τῆς παλαιᾶς μνήμης* tribuuntur. Sed aperte etiam Artemidoro h. l. usus est, quem videmus ap. Steph. s. v. *Ἰβηρίαι* de literaturae usu apud Hispaniae incolas haec proferre: *γραμματικῇ δὲ χρῶνται τῇ τῶν Ἰταλῶν οἱ παρὰ θάλατταν οἰκοῦντες τῶν Ἰβήρων*: quibus verbis respondent ea, quae deinceps apud Strabonem sequuntur: *καὶ οἱ ἄλλοι Ἴβηρες χρῶνται γραμματικῇ, οὐ μιᾷ δ' ἰδέᾳ· οὐδὲ γὰρ γλώττῃ μιᾷ.*

In extrema denique parte h. par. fines Turdetaniae designantur: *τείνει δ' ἡ χώρα κτλ.*: quae verba per se nullius sunt pretii, cum h. l. geographus quae apud auctorem exstent, excerpat, deinde c. 2, 1, C. 141 ea integra proferat: quod primo obtutu intellegitur, cum verba hic et illic scripta comparas: *τεί-*

[1]) Brevi commemorare h. l. mihi liceat Sieglinum (diss. Lips. 1878 p. 25) in libro quem de tempore Sagunti expugnationis scripsit, minus recte dicere . . Turdetaner, ein nördlicher Stamm von ihnen Turduli.

νει δὲ ἡ χώρα αὕτη ἡ ἐντὸς τοῦ Ἄνα = c. 2, 1: *ἀφορίζει δὲ αὐτὴν πρὸς μὲν τὴν ἑσπέραν καὶ ἄρκτον ὁ Ἄνας ποταμός* c. 1, 6: *πρὸς ἕω μὲν μέχρι τῆς Ὠρητανίας* = c. 2, 1: *πρὸς δὲ τὴν ἕω Καρπητανῶν τέ τινες καὶ Ὠρητανοί* c. 1, 6: *πρὸς νότον δὲ μέχρι τῆς παραλίας τῆς ἀπὸ τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ἄνα μέχρι στηλῶν* = c. 2, 1: *πρὸς νότον δὲ Βαστητανῶν οἱ μεταξὺ τῆς Κάλπης καὶ τῶν Γαδείρων στενὴν νεμόμενοι παραλίαν, καὶ ἡ ἑξῆς θάλαττα μέχρι Ἄνα. καὶ οἱ Βαστητανοὶ δὲ οὓς εἶπον τῇ Τουρδητανίᾳ πρόσκεινται* . . Quaerentibus nobis, quaenam sit causa huius neglegentiae et quam ob rem Strabo bis Turdetaniae descriptionem a finium designatione incipiat, id respiciendum est, quod iam per totam h. par. observavimus. Strabonem enim vidimus in hac p. non unum imprimis auctorem sequi, sed ad descriptionis institutionem a se ipso factam alia aliunde petere. Simul autem apparuit, quam non Strabo in hac quidem parte studuisset vel potuisset, suum rerum depingendarum ordinem tenere et quae apud alios auctores aliis locis invenisset, ex suo consilio disponere. Sic primum quidem in h. p. libere ac suo iudicio testimoniis scriptorum uti conatur. Deinde vero gradatim auctores secutus eadem, quae iam excerpta protulit, iterum magis ad verbum reddit. Jam in sequentibus paragraphis orae maritimae descriptio exstat, cui periplum quendam subesse perspicuum erit. Strabo enim, quamquam Turdetaniae oram descripturus est, non subsistit in Anae ostio, qui huius terrae finis est, sed continuat descriptionem usque ad promunturium Sacrum (c. 1, 9, C. 140 extr.) Is quidem, qui non terras mediterraneas primario loco describendas sibi proponit, sicut Strabo in h. par. instituit, sed periplum imprimis scribit, rectissime a Calpe usque ad promunturium Sacrum uno cursu tendit et tunc addit quaenam terra supra hanc orae partem sita sit: quod idem faciens Strabo peripli autorem omni parte secutus plane obliviscitur, se eadem iam in alia rerum dispositione tractasse. Quae cum ita sint, hanc extremam par. sextae partem peripli auctori deberi elucet, quem esse Artemidorum probare conabor. Haec fere habui, quae de sextae par. fontibus dicerem: in quorum indagatione etsi longus fui tamen fortasse non inutiliter quaestionem extendi, cum in hac parte optime qua ratione Strabo fontibus utatur, cognosci possit.

Omnia autem, quae in h. p. proferuntur, e Polybii et Artemidori scriptis petita sunt.

II.

De ora maritima Hispaniae.

c. 1, 7—9, C. 140. c. 3, 1—5, C. 151—153. c. 4, 1—9, C. 156—160.

Geographus noster c. 1, 7 ad accuratiorem Turdetaniae descriptionem transit ac primum quidem oram maritimam huius terrae depingit c. 1, 7—9. Commemoravimus iam, orae maritimae descriptionem a Strabone peripli auctorem quendam secuto partibus mediterraneis non subici, sed e contrario primarium tenere locum. Eadem ratio per totam Hispaniae descriptionem observatur. Quattuor enim sunt termini, qui totius orae cursum flexumque constituunt c. 1, 3, C. 137: *καὶ δὴ τὸ μὲν ἑῷον κτλ.*: Galliae Hispaniaeque in Pyrenaeo monte confinia sive Pompei tropaea, Herculis columnae, promunturium Sacrum, promunturium Artabrum. Item quattuor exstant peripli partes, quae hoc ordine describuntur: primum ora maritima, quae est a Calpe monte ad prom. Sacrum, c. 1, 7—9 depingitur, deinde de ea, quae pertinet inde usque ad finale promunturium quod Artabrum vocatur, agitur c. 3, 1—5, C. 151 seqq. usque ad verba § 5 ineunt: *ἣ καὶ τῆς ἑσπερίου πλευρᾶς καὶ τῆς βορείου πέρας ἐστί.*, ets in hac quidem parte non ita integram ubique describendi rationem invenimus quae in periplis adhibetur. Tum maris interni oram Strabo depingit c. 4, 1—9, C. 156—160. De quarta denique orae maritimae parte a promunturio Artabro usque ad Pyrenaei montis fines septentrionales accuratiora non profert. Quoniam igitur ora maritima suam habet expositionem, haud ineptum esse videbitur, una et conjunctim de auctoribus, quibus in hac descriptionis parte Strabo usus sit, inquirere, praesertim cum suspicari et animadvertere liceat, unum quendam periplum per totam oram primarium esse descriptionis fontem. Quaestionem vero sic instituimus, ut primum quidem in parte aliqua descriptionis periplum continuum aperire et restituere conemur omnibus remotis quae aliunde petita et addita esse cognoscamus, simulque

harum rerum origines ostendentes, deinde hac parte detecta monstremus quis peripli auctor sit, tum hac notitia instructi ad reliquam orae maritimae descriptionem perlustrandam accedamus. Ea autem, quae de orae sive totius Hispaniae mensuris aliunde ad hunc periplum adiciuntur, in praesentia quidem seiungenda modo sunt, quia quosnam autores in Hispania dimetienda Strabo adhibuerit, item propriam et unam esse quaestionem apparebit.

A.

Exordiamur igitur a. c. 1, 7, C. 139.

§ 7.

Periplus a monte Calpe incipiens tendit ad oppidum Carteiam. Postremum deinde huius par. enuntiatum (*ἔνιοι δὲ καὶ*) originem aliunde atque ea quae antecedunt, trahere Strabo ipse indicat. Deinde in

§ 8.

post oppidum Mellariam Belonem navigantes advenimus. Hinc inquit, maxime Tingin Mauretaniae traicitur. Iam sequuntur verba: *ἦν δὲ καὶ Ζῆλις τῆς Τίγγιος ἀστυγείτων, ἀλλὰ μετῴκισαν ταύτην ἐς τὴν περαίαν Ῥωμαῖοι καὶ ὠνόμασαν Ἰουλίαν Ἴοζαν*. Facile intellegitur, his verbis tenorem peripli interrumpi, cum in eo oppidum quod vocatur Julia Joza sic commemorari oporteret, ut eluceret inter quae loca vel oppida illud situm esset: quod e Strabonis verbis non apparet. Deinde vero cum nulla dubitatio sit, quin hoc oppidum idem sit atque Transducta Ptolemaei (II 4, 6) quae inter Carteiam et Mellariam sita est, eo magis apparet, haec verba in periplum iniecta esse, quoniam descriptio iam ad Belonem fluvium provecta aliquantum resilit. Quid autem fuit causae, cur Strabo mirum in modum, quasi Mauretaniam describeret, per occasionem tantum oppidi Zelis de hac Hispaniae urbe verba faceret? Equidem censeo, in periplo haec verba fuisse: *ἐντεῦθεν οἱ διάπλοι μάλιστά εἰσιν εἰς Τίγγιν καὶ Ζῆλιν τῆς Μαυρουσίας:* quae verba Strabo sic reddere non potuit quia compertum habuit, oppidum Zelin in Mauretania iam non esse, sed nomine Juliae Jozae in oppositam ripam translatum. Qua re factum est, ut Strabo per

occasionem oppidi Zelis de hac re nonnulla proferret. Deinde ad insulam Gades pervenimus. In periplo de hac insula nihil dictum esse nisi hoc: *διέχουσα τῆς Κάλπης περὶ ἑπτακοσίους καὶ πεντήκοντα σταδίους* e verbis sequentibus concludi potest: *ἔστι δ' αὕτη ἡ νῆσος τἄλλα μὲν οὐδὲν διαφέρουσα τῶν ἄλλων κτλ.* Revera enim permulta sunt, quae infra de hac insula commemoratione digna habet atque copiose explicat compluribus auctoribus usus. Verba autem: *οἱ δὲ ὀκτακοσίους φασίν* originem aliunde tractam aperte ostendunt, de qua secundum institutionem huius quaestionis nunc non disserendum est. Sequuntur deinde in

§ 9.

Menesthei portus et aestuaria ad Astam et Nabrissam. Utrum etiam ea verba, quibus vox *ἀνάχυσις* explicatur, periplo tribuenda sint necne, dubitari potest. Brevitas quidem horum verborum valde in rationem peripli quadrat. Sed c. 2, 4 C. 142/43 Strabo iterum et multo copiosius de natura aestuariorum explicationem aperte e Posidonii libro, qui *περὶ Ὠκεανοῦ* scriptus erat, petitam profert neque negari potest, haec verba explicationis causa ab ipso addita esse. Sequitur insula Baetis ostiis intercepta, de cuius longitudine iterum alium qnendam auctorem adhibuit: *ὡς δ' ἔνιοι καὶ πλειόνων σταδίων.* Tum inde a verbis *ἐνταῦθα δέ που καὶ τὸ μαντεῖον κτλ.* de Menesthei oraculo et Caepionis turri dicitur. Haec e periplo illo fluxisse nego. Ratio enim verborum *ἐνταῦθα δέ που καὶ*, quibus haec narratio annectitur, ostendere mihi videtur, in peripli cursu nihil de his rebus dictum esse, sed aliunde haec petita: qua sententia explicatur, cur geographus noster pro certa loci definitione ambiguis verbis *ἐνταῦθα δέ που καὶ* . . . utatur. Ad quem vero scriptorem haec verba revocanda sint, equidem pro certo dicere nequeo. Hoc certe firmo argumento prorsus caret, quod Schwederus (Beiträge zur Kritik der Chorogr. des Kais. Aug. p. 72) asseverat, verba illa aperte Romano auctori accepta referri. Nam per se etiam a Polybio vel Artemidoro vel Posidonio traditae esse possunt illae res. Equidem haec Posidonio potissimum tribuam quem in libro de oceano scripto complura de Hispaniae ora dixisse videmus e c. 3, 3, C. 153.: quod, nisi cui hoc nimis artificiosum videtur, etiam inde quo-

dammodo concludere licet: quod verba haec: *ἐπὶ πέτρας ἀμφικλύστου θαυμασίως κατεσκευασμένος ὥσπερ ὁ Φάρος* cum reliqua hujus partis dictione comparata colorem magis rhetoricum habent Posidonio proprium, ut Strabo ait c. 2, 9, C. 147. *Ποσειδώνιος . . . οὐκ ἀπέχεται τῆς συνήθους ῥητορείας.*[1]) Iam pergit periplus a verbis *ἐντεῦθεν δ' ὁ τοῦ Βαίτιος ἀνάπλους ἐστί,* quae apte cohaerent cum proxima peripli parte: *ἡ δ' ἀπολαμβανομένη νῆσος . . ἀφορίζει παραλίαν.* Subsistit vero in verbis: *τὸ ἱερὸν ἀκρωτήριον διέχον τῶν Γαδείρων ἐλάττους ἢ δισχιλίους σταδίους.* Postremi tum enunciati, quo de intervallis agitur, iterum aliam originem esse nemo non videt.

Iam priusquam de hujus peripli auctore quaestionem instituamus, porro in orae maritimae usque ad promunturium Nerium pertinentis descriptione eum persequi conemur. Pergit ille in

c. 3, § 1, C. 150.

Verba usque ad *καὶ αἱ Τάγου ἐκβολαὶ πλησίον* sana sunt justeque periplum continuant. De sequentibus autem verbis usque ad *εἴ που Λακκαῖα* (Meineke) omitto quaestionem, quod omnia quae viri docti ad locum hunc emendandum protulerunt, nimis incertam habent fidem. Sed utut res se habet, hoc elucere mihi videtur, inde a verbis *ἐνταῦθα δὲ καὶ ἀναχύσεις* a Strabone nonnulla ex alio fonte periplo inserta esse. Is enim dilucide progressus est usque ad Tagi ostium, ubi subsistit orae maritimae descriptio. Itaque quae in periplo sequuntur, de nulla alia re dici possunt, nisi de Tago ipso et de iis quae in Tagi anaplo occurrunt. Iam de eis quidem astuariis, quae in Tagi ripis cum mare effluit fiunt, in verbis sequentibus agitur: *δύο δ' ἀναχύσεις ἐν τοῖς ὑπερ κειμένοις πεδίοις . .* Ea igitur aestuaria, quorum unum quoddam verbis dubiae fidei (*πύργου*) accuratius definitur, ubinam esse censeamus nisi in ea orae parte, quae est ante Tagi ostium? quae res cum peripli ordinem pervertat, originem aliunde tractam ostendit. Sequentia deinde a verbis *ὁ δὲ Τάγος καὶ τὸ πλάτος* iterum iusta peripli ratione procedunt usque ad verba *καὶ ὑπὲρ τὸν Μόρωνα δ' ἔτι μακρί-*

---

[1]) Scheppig: De Posidonio diss. Hal. 1869 p. 44.

τερος ἀνάπλους ἐστί. Quae tum de rebus a Bruto Gallaeco gesti; adiciuntur Polybio deberi jam dictum est. Post Tagi anapli descriptionem copia piscium et ostreorum laudatur. Denique de fonte et cursu ejus agitur: quae e periplo sumpta esse probari mihi videtur ratione qua ceteri fluvii in orae maritimae descriptione commemorantur. Comparandi sunt hi loci: c. 3, 1, C. 152. *ῥεῖ δ' (ὁ Τάγος) ἔχων τὰς ἀρχὰς ἐκ Κελτιβήρων . . ἐπὶ δύσιν ἰσημερινὴν μέχρι ποσοῦ παράλληλος ὢν τῷ τε Ἄνᾳ καὶ τῷ Βαίτι κτλ.*

c. 3, 4, C. 153. *ἡ δ' οὖν χώρα . . διαρρεῖται ποταμοῖς μεγάλοις τε καὶ μικροῖς, ἅπασιν . . παραλλήλοις τῷ Τάγῳ.*

c. 3, 4, C. 153 extr. *περαιτέρω δ' εἰσὶν ἄλλοι ποταμοὶ παράλληλοι τοῖς λεχθεῖσιν.*

c. 4, 6, C. 158 extr. *ῥεῖ δ' (ὁ Σούκρων) ἐκ τοῦ συνεχοῦς ὄρους . . παράλληλος δέ πως τῷ Ἴβηρι.*

c. 4, 6, C. 159 *ῥεῖ δ' ὁ Ἴβηρ ἀπὸ Καντάβρων ἔχων τὰς ἀρχὰς . . διὰ πολλοῦ πεδίου· παράλληλος τοῖς Πυρηναίοις ὄρεσιν.*

Videmus omnium horum fluminum cursum ita definiri et significari, ut dicatur, cuinam quisque fluvius fluvio vel monti parallelus sit: unde jure concludi posse mihi videtur, uni cuidam autori haec tribuenda esse atque quoniam in orae maritimae descriptione ea a Strabone proferuntur et omnino proferri debent, nescio, cui scriptori majore probabilitate ea reddamus quam peripli auctori. Quae cum ita sint, nunc quidem ea quoque non injuria eodem me reduxisse puto, quae de fluviis Baeti Ana Tago in c. 1, 6, C. 139 convenienter hujus par. verbis dicta sunt. Iam ut nunc

§ 2.

praetereamus, qua populi mediterranea tenentes enumerantur, in

§ 3.

ad Lusitaniae descriptionem accedimus. Consentaneum est, in periplo sicut antea (c. 2, 1, C. 141) in Turdetaniae ora describenda totius terrae fines accurate definiti sunt, hic Lusitaniae fines explicatos esse. Certo autem argumento infra demum demonstrabo, hanc Lusitaniae finium descriptionem e periplo fluxisse. In sequentibus verbis de Lusitaniae ambitu agitur, de qua re in alio rerum conexu disserere mihi proposui. In fine

hujus par. iterum nonnulla e Posidonii libro de oceano scripto proferuntur. Deinde in

§ 4.

periplum qui adhuc in Tagi ostio substitit continuari animadvertimus inde a verbis *γνωριμώτατοι δὲ τῶν ποταμῶν ἐφεξῆς τῷ Τάγῳ*.. Duo nomina *ὃν τινες Λιμαίαν* et *οἱ δὲ Μίνιόν φασιν* ad appellationes a peripli auctore traditas aliunde adiciuntur: de quibus postea videbimus. Deinde Posidonii sententia de Baenis fonte refertur. Neque dubito[1]) quin etiam sequentia usque ad *ἐπιπολάζειν ἐν τοῖς πεδίοις* eidem debeantur, quoniam in libro de oceano scripto aptissime haec exponuntur. Tum Strabo postquam de Bruti expeditione usque eo progressa breviter dixit, pergit: *περαιτέρω δ' εἰσὶν ἄλλοι ποταμοὶ παράλληλοι τοῖς λεχθεῖσιν*. Verisimile est, in periplo hoc paulo accuratius expositum esse. Concedo in hac parte non ita firma esse peripli vestigia atque a Posidonio magna ex parte descriptionem petitam esse. Attamen si consideramus ubique anaplos commemorari: *ἔχουσι δὲ καὶ ἀνάπλους οἱ πλείους . . . Μούνδας ἀνάπλους ἔχων μικρούς . . . Ουάκουα ὡσαύτως . . . Δούριος μεγάλοις ἀναπλεόμενος σκάφεσιν . . . Βαῖνις ἐπ' ὀκτακοσίους ἀναπλεόμενος σταδίους* negari non potest, oram maritimam primario loco de pingi. A. Posidonio vero imprimis descriptionem non petitam esse, apparet ex eo quod hujus sententia de Baenis ostio diserte opponitur antecedentibus verbis, quae arte inter se cohaerent: *Δούριος ῥέων παρὰ Κελτιβήρων καὶ Οὐακκαίων κατοικίας . . . καὶ οὗτος δ' ἐκ Κελτιβήρων καὶ Οὐακκαίων ῥεῖ καὶ ὁ μετ' αὐτὸν Βαῖνις*. Itaque peripli scriptorem etiam hic esse primarium Strabonis auctorem censeo. Iam statim insequitur in § 5. peripli finis: *ὕστατοι δ' οἰκοῦσιν Ἄρταβροι περὶ τὴν ἄκραν ἣ καλεῖται Νέριον, ἣ καὶ τῆς ἑσπερίου πλευρᾶς καὶ τῆς βορείου πέρας ἐστί.*

Accedit vero alia res, quam maximi momenti esse existimo. Perlustravimus enim periplum qui a Calpe incipiens usque ad Artabrum promunturium provectus est: qua cum descriptione etiam naediterraneorum populorum, qui post gentes orae maritimae adjacentes habitant, pressa enumeratio conjuncta esse mihi

[1]) Muellerum sequor (fgr. h. gr. III. p. 295. fgr. 98).

videtur. Specto illa verba, quae apud Strabonem Lusitaniae descriptionem proxime antecedunt:

c. 3, 2 C. 152.

οἱ δὲ ὑπερκείμενοι τῶν λεχθέντων ὀρῶν (codd.) *κτλ.* Cum enim pauca illa verba, quae Strabo de rebus a Gallaecis et Bruto cognomine Gallaeco gestis inserit: *διὸ καὶ δυσμαχώτατοι . . . . παρεσκεύασαν.*, secernimus, brevissimam habemus enumerationem omnium gentium, quae in interiore Hispania ad occasum vergente ab australi ora usque ad oceanum septentrionalem alicujus momenti sunt. Suo jure viri docti gravissime in his verbis offenderunt. Ac primum quidem nemo intelligit. quinam sint illi „dicti montes". Frustra enim quaeras in descriptione quae antecedit, montium quorundam mentionem, nisi forte hoc loco spectentur illi montes, quos Strabo commemoravit c. 2, 3 C. 142.: *παράλληλοι δέ τινες ῥάχεις ὀρῶν παρατείνουσι τῷ ποταμῷ* (sc. *Βαίτι*) . . . *πλήρεις* et *ὑπέρκειται δὲ καὶ τούτου μεταλλείας ἔχοντα ὄρη . . . Τάγον.* Atque hos montes revera intelligendos esse censuit Casaubonus (Strab. ed Siebenkees et Tzschucke Tom VII. p. 652 sive ed. Almelov. I. p. 227) atque nuper cum illo fecit C. Muellerus (Str. ed. Muell. p. 955 ad p. 126, 22.). Sed etiamsi cum Groskurdio (observatt. critic. in Strabon. Iberiam p. 111) verba de quibus disputamus, errore quodam in hunc locum translata esse, principio autem proxime post illa verba: *ὑπέρκειται δὲ καὶ τούτου* (c. 2, 3, C. 142) fuisse existimemus, ne tum quidem satis liquet haec mira gentium enumeratio. Neque enim consentaneum neque aptum est, omnes populos, qui tenent mediterranea inde ab ora maris interni usque ad oram septentrionalem, in Turdetaniae descriptione post montium a Baeti usque ad Tagum pertinentium commemorationem quasi per occasionem commemorare, neque omnino recte dicitur gentes has trans montes illos habitare. Equidem trans quos montes Hispaniae has gentes habitare dicere liceat, prorsus ignoro. Quam ob rem Brequignyi conjectura *ποταμῶν* omissa Meinekio assentior, qui pro *ὀρῶν* scribi vult *μερῶν* („Vindic. Strabon. liber" p. 26). Sed apparet hac emendatione totam rem nondum difficultate omni liberatam esse. Nam jure offensioni fuit Groskurdio, quod Strabo, postquam oram

maritimam usque ad Tagum descripsit, interiorum regionum populos nullo facto transitu breviter tangit, tumque iterum ad Tagi ostium resiliens Lusitaniae descriptionem subjungit. Iam nos quidem, cum in Strabonis orae maritimae descriptione periplum continuum invenerimus, facile intelligimus, quid haec verba sibi velint et unde orta sint. Ut enim jam diximus, in periplo post orae descriptionem eodem dicendi genere et colore secuta esse videtur enumeratio populorum, qui in hoc ad occasum vergente latere Hispaniae mediterranea tenent et idcirco recte dicuntur *οἱ ὑπερκείμενοι τῶν λεχθέντων μερῶν*. Atque luce clarius est, post Lusitaniae descriptionem demum apte hos populos enumerari, quia tum post totius a Calpe usque ad Nerium promontorium pertinentis orae descriptionem jure uno tenore de omnibus populis interiora tenentibus dicitur. Sed si quid video, jam peripli auctor justum expositionis ordinem pervertit neque temere hoc fecit. Apparet enim in Lusitaniae finium descriptione magnam partem horum populorum enumerandam esse et revera enumerari (c. 3, 3, C. 152). Iam sentimus valde languidum esse, postquam hi populi in Lusitania determinanda secundario loco jam enumerati sint, tum demum de iis ipsis denuo et primario loco verba facere. Deinde vero recordari oportet, Strabonem bis descriptione eodem provecta hos populos mediterranea tenentes enumerare. Vidimus enim etiam in c. 1, 6 ineunt. C. 139, ubi eadem fere regio depingitur atque hoc loco (c. 3, 1) mentionem fieri gentium interiorum: *ἐν δὲ τοῖς ἄνω μέρεσι κτλ.* Quaenam sit differentia inter hos locos, jam demonstravimus. Illic Strabo nova atque propria ratione descriptionem instituens excerpsit tantum ea quae de interioribus populis in periplo fuerunt, terrae Tago et Ana interceptae rationem habens. Hic peripli institutionem tenens cum eodem pervenerit, iterum harum gentium enumerationem eamque pleniorem profert: Quas res mihi perpendenti probatur, peripli auctorem hanc gentium enumerationem eodem descriptionis loco atque Strabonem inseruisse. Adicere mihi liceat fidem Meinekii conjecturae *οἱ δὲ ὑπερκείμενοι τῶν λεχθέντων μερῶν* valde augeri ea re quod Strabo priore loco, qui huic respondet, dicit *ἐν δὲ τοῖς ἄνω μέρεσιν* (c. 1, 6). Simul autem nunc elucet ea quae Strabo de Lusitaniae finibus dixit, ab eodem auctore repetita esse atque hanc populorum

enumerationem, cum in par. tertia hujus cap. (Cas. 152) idem ordo harum gentium iterum occurrat: *τὸ δ' ἑωθινὸν οἵ τε Καρπητανοὶ καὶ οἱ Οὐέττωνες καὶ Οὐακκαῖοι καὶ Καλλαικοί* = § 2.: *Καρπητανοὶ δὲ . . . εἶτα Οὐέττωνες καὶ Οὐακκαῖοι . . Καλλαικοὶ δ' ὕστατοι:* quare hanc Lusitaniae determinationem e periplo petitam esse mihi videor supra jure asseverasse.

B.

Sequitur, ut exquiramus, quisnam illius peripli auctor sit: quod nunc quidem, postquam per totam orae occidentalis descriptionem ejus vestigia persecuti sumus, satis firmis argumentis fieri potest. Atque hunc esse Artemidorum Ephesium vix cuiquam praeter opinionem dicetur. Haec autem sunt, quibus Artemidorum auctorem esse certo demonstretur. Ac primum quidem spectemus verba, quae exstant in c. 1, 8 C. 140.: *ἦν δὲ καὶ Ζῆλις τῆς Τίγγιος ἀστυγείτων κτλ.* In priore hujus quaestionis parte causas jam attuli, cur existimare oporteat, in periplo haec fere fuisse: *ἐντεῦθεν οἱ διάπλοι μάλιστά εἰσιν εἰς Τίγγιν καὶ Ζῆλιν τῆς Μαυρουσίας.* Iam si apud Strabonem Mauretaniae descriptionem inspicimus, haec invenimus de illis oppidis: lib. XVII c. 3, 6 C. 827: *εἰς δὲ τὴν ἐντὸς θάλατταν πλέουσιν ἀπὸ Λυγγὸς πόλις ἐστὶ Ζῆλις καὶ Τίγγις* (codd. *Τίγα*). Videmus Strabonem hoc loco nihil dicere de Zeli oppido in oppositam ripam translato: quod variis de causis factum esse potest. Certo hoc apparet, auctorem, quo in Mauretaniae ora describenda geographus noster usus est, idem de Zeli oppido in Mauretania integro tradidisse atque peripli Hispaniae scriptorem. Iam in initio peripli orae Maurae Artemidorus laudatur (c. 3, 2, C. 825) et in ipsa sexta par. (C. 827 extr.) aliquid inest, quod Artemidorum harum rerum esse autorem probet: . . . . *καὶ τὸ ὑπερκείμενον ὄρος ὄνομα Ἄβιλη . . . . καὶ Μεταγώνιον τόπος ἄνυδρος καὶ λυπρός* . . . cfr. III., 5, 5, C. 170 *Ἀρτεμίδωρος δὲ τὴν μὲν τῆς Ἥρας νῆσον καὶ ἱερὸν λέγει αὐτῆς, ἄλλην δ' οὔ φησιν εἶναί τινα, οὐδ' Ἀβίλυκα ὄρος οὐδὲ Μεταγώνιον ἔθνος:* quae Artemidorus dixit contra Eratosthenis sententiam in proximis verbis expositam: *ἔνιοι δὲ στήλας ὑπέλαβον τὴν Κάλπην καὶ τὴν Ἀβίλυκα, ὅ φησιν Ἐρατοσθένης ἐν τῷ Μεταγωνίῳ, Νομαδικῷ ἔθνει, ἱδρῦσθαι.*

Nunc e XVII 3, 6 C. 827 videmus, quid causae sit, cur Artemidorus vituperet Eratosthenem dicentem III, 5, 5 *Μεταγώνιον ἔθνος* et *Ἀβίλυκα ὄρος*. Neque enim plane negat Artemidorus locutus *οὐδ' Ἀβίλυκα ὄρος οὐδὲ Μεταγώνιον ἔθνος*, exstare quoddam Metagonium et montem quendam, quem *Ἀβίλυκα* Eratosthenes nominet. Sed in eo offendit ille, quod et *Μεταγώνιον* esse *ἔθνος* Eratosthenes dicat nesciens illud esse *τόπον ἄνυδρον καὶ λυπρόν* et nomen proferat *Ἀβίλυκα* pro vero *Ἀβίλη*. Quae Artemidori censura in Eratosthenem facta de nominibus *Ἀβίλη* et *Ἀβίλυξ* non minus est pusilla quam quod vituperat ille Eratosthenem propter urbis appellationem *Λίξος* pro *Λύγξ*: XVII. 3, 2 C. 825 et 3, 8 C. 829. Artemidorus igitur, ut redeamus ad rem propositam, tradidit Zelim et Tingim in Mauretania vicina oppida esse: quod idem in periplo dictum esse demonstravimus. Traductionem autem illius Mauretaniae oppidi, quam Strabo III. 1, 8 C. 140 intelligit, ante Augusti imperium factam non esse, demonstrant verba Plinii (Nat. hist. V. 1, 1.) quamvis corrupta et confusa: quae res item ad Artemidorum peripli auctorem quadrat. Deinde in extrema[1]) jam parte peripli spectemus verba: *εἶτ' ἄλλοι ποταμοί· καὶ μετὰ τούτους ὁ τῆς Λήθης, ὃν τινες Λιμαίαν, οἱ δὲ Βελιῶνα καλοῦσι.* Verba *ὃν τινες Λιμαίαν* inter periplum interposita esse, supra dictum est. Conferamus nunc quae Stephanus s. v. *Βελιτανοί* profert: *οἱ αὐτοὶ τοῖς Λυσιτανοῖς, ὡς Ἀρτεμίδωρος ἐν τρίτῳ γεωγραφουμένων.* De cujus loci fide dubitat Ukertus (Alte Geogr. II, 1. p. 322 adn. 87) sed quo jure dubitet non perspexi. Iam cum nomen fluvii *Βελιών* per Lusitaniam fluentis non inveniatur nisi hoc Strabonis loco neque Belitani usquam ab scriptore ullo praeter Artemidorum eidem atque Lusitani esse dicantur, probabile videtur, nomen *Βελιών* indidem unde *Βελιτανοί* sumptum esse. Denique apertum Artemidori vestigium in conspectu illo mediterranearum gentium exstat: c. 3, 2 C. 152.: *τῆς μὲν οὖν Ὠρητανίας κρατιστεύουσα πόλις ἐστὶ Καστουλὼν καὶ Ὠρία* cfr. Steph. s. v. *Καστάλων· μεγίστη πόλις Ὠρητανίας ὡς Ἀρτεμίδωρος τρίτῳ γεωγραφουμένων* et s. v. *Ὠρισία . . . Ἀρτεμίδωρος ἐν δευτέρῳ γεωγραφουμένων „ἀμφότεροι γάρ“*

[1]) c. 3,4 C. 153.

φησι „. . . πρῶτον μὲν Ὠρητανοί, πόλεις δ' ἐν αὐτοῖς εἰσι μεγάλαι Ὀρσία καὶ Καστάλων." Accuratius quidem postea de his locis disputaturus sum. Nunc Artemidorum illo loco Strabonis esse auctorem, quod jam notum erat, commemorasse sufficit. Restat, ut respondeam, si quis obiciat, ipsum Artemidori enuntiatum ad verbum exscriptum exstare, quod cum peripli verbis non satis congruat. Occurrunt enim in c. 2, 11, C. 148 haec: πρὸς ὃν (sc. Ἐρατοσθένην) Ἀρτεμίδωρος ἀντιλέγων καὶ ταῦτα ψευδῶς λέγεσθαί φησιν ὑπ' αὐτοῦ, καθάπερ καὶ τὸ ἀπὸ Γαδείρων ἐπὶ τὸ ἱερὸν ἀκρωτήριον διάστημα ἀπέχειν ἡμερῶν πέντε πλοῦν, οὐ πλειόνων ὄντων ἢ χιλίων καὶ ἑπτακοσίων σταδίων cfr. peripl. c. 1, 9 C. 140 extr. εἶθ' ὕστατον τὸ ἱερὸν ἀκρωτήριον, διέχον τῶν Γαδείρων ἐλάττους ἢ δισχιλίους σταδίους. Sed mihi quidem valde verisimile est in periplo pro incertis verbis ἐλάττους ἢ δισχιλίους certum quendam numerum scriptum esse, quem Strabo minus definite reddidit. Causa non latet. Cum enim apud eos, qui τινὲς vocantur alii intervallorum numeri exstarent, (τινὲς δ' ἀπὸ μὲν τοῦ Ἱεροῦ κτλ.) ipse numerum plane certum non prodidit, sed ita ut ad utriusque auctoris numerum suus quantum fieri posset accommodaretur. Nam summa singulorum intervallorum, quae illi τινὲς produnt, efficit 1840 stadia, Artemidori vero spatium continet 1700 stadia. Ex utroque igitur numero sequitur, promunturium Sacrum a Gadibus distare ἐλάττους ἢ δισχιλίους σταδίους. Quae cum ita sint non existimaverim, illum locum obstare nostrae sententiae, Artemidorum esse peripli auctorem.

C.
De ora maris interni.

Nunc jam investigandum mihi proposui, quibus sudsidiis Strabo in ora australi depingenda usus sit, atque num in hac quoque ora, quae est inde a Calpe usque ad Pyrenaeos montes et Hispaniae cum Gallia confinium, idem periplus continuetur. Atque nunc quidem quoniam auctorem ejus esse Artemidorum probavimus, quaestio haec ita instituenda videtur esse, ut quae in orae descriptione Strabonem ex Artemidoro petivisse demonstrare possimus, ea in periplo illo fuisse existimemus, et vicissim

ea, quae peripli hujus partem esse appareat, Artemidoro tribuamus. Neque enim e veterum auctorum scriptis discimus, Artemidorum praeter periplum, qui nominatur, libros geographicos scripsisse (v. Stiehle Philol. B. 11.) neque omnino est, quod has quidem terras diversis libris ab Artemidoro tractatas esse censeamus. Explicatur vero descriptio hujus orae

cap. 4. C. 156, §§ 1—9.

§ 1.

Ac de prima quidem par. nunc nobis non est dicendum, quia Strabo in hac par. continuam hujus orae dimensurationem profert eamque aliunde atque ex periplo petitam: quod facile intelligitur. Apparet enim verba inde a *φασὶ δὲ ἀπὸ μὲν Κάλπης* uno quodam e fonte deprompta esse, qui et ipse peripli speciem habet. Sed alium esse hunc, alium illum periplum, quem in priore descriptionis parte invenimus, intelligemus si recordabimur, quam accurate ibi singula commemorata sint. Praeterea in sequente apparebit descriptione, ubi illico Artemidori periplum iterum reperiemus, nonnulla cum periplo sive stadiasmo pugnare. Omisi adhuc afferre verba *καὶ τῶν Πομπηίου ἀναθημάτων*, quae quin in stadiasmo illo ipsa fuerint dubitare non licet: qua re sola Artemidorus auctor removetur. Itaque secundum hujus quaestionis institutionem nunc quidem haec omittentes transimus ad

§ 2.

ubi ad singula describenda Strabo accedit. Ac primum quidem spectemus verba: *ῥάχις ἐστὶν ὀρεινὴ τῆς Βαστητανίας καὶ τῶν Ὠρητανῶν . . . διορίζουσα τὴν παραλίαν ἀπὸ τῆς μεσογαίας*. Quibus cum conferamus quae ap. Steph. exstant s. v. *Ὠρισία . . Ἀρτεμίδωρος ἐν δευτέρῳ γεωγραφουμένων „ἀμφότεροι γὰρ“ φησὶ „κατοικοῦσι τὴν παραλίαν καί τινα τῆς μεσογείου, πρῶτον μὲν Ὠρητανοί . .* Iam Ukertus (II., p. 410 Adn. 29) dicit de hoc Stephani loco, alteram e duabus gentibus, quas verbis *ἀμφότεροι* Artemidorus significet, esse Bastetanos: quod e Strabonis descriptione sequi. Mihi quidem persuasum est, enuntiatum, quod ante verba *ἀμφότεροι γὰρ* exstabat, quodque apud Stephanum omissum est,

verbotenus prope apud Strabonem servatum esse verbis *ῥάχις ὀρεινὴ κτλ.* quae supra attuli. Neque offendere oportet quod Artemidorus quidem apud Stephanum pergit: *πρῶτον μὲν Ὠριτανοί*, Strabo vero dicit *ῥάχις ὀρεινὴ τῆς Βαστητανίας καὶ τῶν Ὠρητανῶν*. Nam totum dorsum in Bastetanorum terra est, qui secundum oram maritimam habitant. Oretani vero, qui magis introrsum ab ora maritima adversus septentrionem pertinent, has regiones modo tangunt c. 3, 2. C. 152 *Ὠρητανοί . . διήκοντες ἐκ μέρους μέχρι τῆς παραλίας τῆς ἐντὸς στηλῶν.* Qua de causa etiam is qui tradit *πρῶτον μὲν Ὠρητανοί*, dicere potest *ῥάχις τῆς Βαστητανίας καὶ τῶν Ὠρητανῶν*. Praeterea in reliqua Strabonis descriptione Oretani eundem locum tenent atque apud Artemidorum: quod elucet ex his locis c. 4, 14, C. 163: *Μετὰ δὲ τοὺς Κελτίβηρας πρὸς νότον εἰσὶν . . καὶ Βαστητανοὶ καὶ Ὠρητανοὶ σχεδὸν δέ τι καὶ μέχρι Μαλάκας* c. 4, 2; C. 156.: *πόλις δ' ἐστὶν ἐν τῇ παραλίᾳ ταύτῃ πρώτη Μάλακα.* Atque nunc quidem dilucidius perspicere possumus, quid statuendum sit de his locis: Strab. III. 3, 2, C. 152.: *τῆς μὲν οὖν Ὠρητανίας κρατιστεύουσά ἐστι πόλις Κασταλὼν καὶ Ὠρία.* Steph. s. v. *Κασταλών, μεγίστη πόλις Ὠρητανίας, ὡς Ἀρτεμίδωρος τρίτῳ γεωγραφουμένων* Steph. s. v. *Ὠρισία* .. *Ἀρτεμίδωρος ἐν δευτέρῳ γεωγραφουμένων . . πρῶτον μὲν Ὠριτανοί, πόλεις δ' ἐν αὐτοῖς εἰσι μεγάλαι Ὀρσία καὶ Καστάλων.* Duae enim sunt res, in quibus viri docti jure offenderunt. Primum quidem Strabo c. 3, 2, C. 152. de primaria (*κρατιστεύουσα*) Oretaniae urbe locutus duo nomina subicit *Κασταλὼν καὶ Ὠρία.* Deinde autem apud Steph. s. v. *Κασταλών* Artemidori liber tertius affertur, s. v. *Ὠρισία* vero, ubi cum aliis rebus eadem atque s. v. *Καστάλων* exponuntur, liber secundus citatur. Priorem jam difficultatem Kramerus ita tollendam esse suspicatur, ut scribamus *κρατιστεύουσαί εἰσι πόλεις*, quod respondeat Artemidori verbis *πόλεις δ' ἐν αὐτοῖς εἰσι μεγάλαι* (s. v. *Ὠρισία*.) Ukertus autem (II. 1. p. 411) dicit: Strabo bemerkt, die angesehenste Stadt sei Castulo, angehängt ist dann *καὶ Ὠρία*, was vielleicht ein späterer Zusatz ist. Quod vero apud Steph. altero loco exstat *Ἀρτεμίδωρος ἐν δευτέρῳ* altero *ἐν τρίτῳ γεωγραφουμένων*, Stiehle (Philol. B. 11. p. 189) censet scripturam *τρίτῳ* vitio quodam e *δευτέρῳ* ortam esse.

Nobis haec omnia plana fiunt ratione minus violenta. Artemidorus re vera in duobus libris de urbe Castulone verba fecit: primum quidem in libro secundo in maris interni descriptione, ubi pervenit periplus ad Oretanos oram tangentes (Steph. s. v. *Ὠρισία* = Strabo III, 4, 2, C. 156 *ῥάχις ἐστιν ὀρεινὴ τῆς Βαστητανίας καὶ τῶν Ὠρητανῶν*), deinde vero in libro tertio, in quo ora Hispaniae ad oceanum spectans descripta est (Steph. s. v. *Βελιτανοί οἱ αὐτοὶ τοῖς Λυσιτανοῖς, ὡς Ἀρτεμίδωρος ἐν τρίτῳ.*) Iam enim vidimus in periplo cum hac orae descriptionis parte conjunctam esse enumerationem populorum, qui supra hanc oram magis introrsum habitant (Strab. III. 3, 2, C. 152.): quarum gentium maxime ad meridiem vergentes sunt Oretani, quam ob rem Artemidorus hunc populum eiusque primariam urbem iterum commemorat (Steph. s. v. *Καστάλων*). Nunc elucet Artemidori libr. tertii verbis *Καστάλων μεγίστη πόλις Ὠρητανίας* respondere Strabonis verba c. 3, 2, C. 152.: *τῆς μὲν οὖν Ὠρητανίας κρατιστεύουσά ἐστι πόλις Καστουλών*. Verba autem *καὶ Ὠρία* additamentum posterius esse recte dixit Ukertus: quod utrum ab interpolatore quodam an ab ipso factum sit, quis est qui dijudicare possit?

Iam redeamus ad periplum, qui pervenit ad primum orae oppidum *Μάλακα* eiusque salsamentorum mentionem facit: quae in quoque oppido commemorare, hujus peripli proprium est: c. 1, 8, C. 140.: *Μελλαρία ταριχείας ἔχουσα . . . . Βελών . . καὶ ταριχεῖαι* c. 4, 2, C. 156. *Μάλακα . . καὶ ταριχείας ἔχει . . . . ἡ τῶν Ἐξιτανῶν πόλις, ἐξ ἧς καὶ τὰ ταρίχη* . . c. 4, 6, C. 158. *Καρχηδὼν ἡ Νέα . . πολλὴ ἡ ταριχεία.* Ea, quae deinceps proferuntur de Maenace et Malaca, aperte peripli tenorem interrumpunt: in quibus res sic se habere mihi videtur: In periplo de urbe Malaca dictum est: *Φοινικικὴ τῷ σχήματι*, quae verba apud Strabonem exstant, vel simile quiddam: quod elucet e verbis, quibus periplus continuatur c. 4, 3, C. 157.: *Μετὰ ταύτην Ἄβδηρα Φοινίκων κτίσμα καὶ αὐτή.* Apud alium vero scriptorem (*τινὲς*), de quo quaestionem frustra institui[1]), Strabo invenerat, Maenacam idem oppidum esse ac

---

[1]) Ex eo, quod interpolator ap. Avien. Or. Marit. 421—426 in eundem errorem ac nostri *τινές* incidit, nihil certi cognovi. Muellenhoff. Deutsche Altertumsk. I., p. 84 et 147.

Malacam. Ipsi autem, ut viro docto, notum erat (*παρειλήφαμεν*), Maenacam esse ultimam Phocaicarum versus occasum civitatem, dirutam quidem sed adhuc vestigia originis retinentem. Denique quo spatio Maenace a Calpe distaret et inter quaenam oppida eius parietinae exstarent, Strabonem omnino ignorasse colligimus e verbis nimis incertis: *ἀλλ' ἐκείνη μὲν ἀπωτέρω τῆς Κάλπης, Μάλακα δὲ πλησίον μᾶλλον*: qua e re simul apparet, in periplo nihil scriptum fuisse de Maenace.

§ 3.

Mira verba, quae ap. Stephan. de Abdera oppido s. h. v. exstant: . . *πόλις Ἰβηρίας πρὸς τοῖς Γαδείροις, ὡς Ἀρτεμίδωρος ἐν δευτέρῳ γ.*, intelligi vix possunt atque Artemidori epitomae auctori debentur. Supra hoc oppidum in montibus periplus commemorat Odysseam oppidum (*ὡς . . καὶ Ἀρτεμίδωρος*): qua re Straboni occasio offertur ad digressionem faciendam de quibuslibet monumentis ad Homeri narrationes spectantibus. Nomen quidem *Ὀδύσσεια* fortasse solus Posidonius dedit, Ab Asclepiade Myrleano eam appellatam esse *Ὀδυσσεῖς* certo apparet e nominibus quae sequuntur: *Ἀμφίλοχοι, Ἕλληνες*. Etiam apud Steph. s. h. v. nomen *Ὀδυσσεῖς* traditum est. Quae deinde post Asclepiadis verba (. . . *διαβάντος εἰς τὴν Ἰταλίαν*)[1] ab Artemidoro petivit de Lotophagis, sumpsit ex eius descriptione Libyae: c. 4, 3. C. 157.: *σιτούμενοι λωτόν, πόαν τινὰ καὶ ῥίζαν* = XVII 3, 8, C. 829 *αὐτὸς δὲ* (sc. *Ἀρτεμίδωρος*) . . . *τινας ἱστορεῖ Λωτοφάγους . . σιτοῖντο δὲ λωτόν. πόαν τινὰ καὶ ῥίζαν* . . . In extrema tum paragrapho alii Lotophagi dicuntur . . . *οἰκοῦντες . . . τὴν Μήνιγγα.*: quorum notitiam Strabo Polybio debet: I, 2, 17, C. 25: *καὶ τὰ ἐν τῇ Μήνιγγι δὲ τοῖς περὶ τῶν Λωτοφάγων εἰρημένοις συμφωνεῖν* (sc. *Πολύβιος εἴρηκεν*) XVII. 3, 17, C. 834.: *τὴν δὲ Μήνιγγα νομίζουσιν εἶναι τὴν τῶν Λωτοφάγων γῆν τὴν ὑφ' Ὁμήρου λεγομένην, καὶ δείκνυταί τινα σύμβολα, καὶ βωμὸς Ὀδυσσέως καὶ αὐτὸς ὁ καρπός. πολὺ γάρ ἐστι τὸ δένδρον ἐν αὐτῇ τὸ καλούμενον λωτόν, ἔχον ἥδιστον καρπόν.* Polyb. XII. 2 (Hultsch p. 809) *ἔστι δὲ τὸ δένδρον ὁ λωτὸς*

---

[1]) Muell. f. h. g. III. p. 301, n. 5.

οὐ μέγα . . . *ὁ δὲ καρπός* . . . Videmus lotum apud Strabonem dupliciter fingi, primum Polybio auctore arborem fructibus praeditam, deinde secundum Artemidorum herbam quandam et radicem.

§§ 4—5.

Has paragraphos praeterire mihi liceat, quia altera complectitur digressiones quales Strabo adamat de Homeri scientia geographica, altera cogitationes et animadversiones historicas Strabonis ipsius continet: in quibus ea doctrina lucet, quam e variis variorum auctorum libris hausit atque ex notitia rerum suo tempore gestarum sibi comparavit.

§ 6.

Iam pergit periplus ad Carthaginem Novam. Verba quae pertinent a *καὶ γὰρ ἐρυμνή τ' ἐστι* . . usque ad *περὶ ὧν εἰρήκαμεν*, in peripli descriptionem inserta sunt. Ac de argentariis metallis jam in priore descriptione Polybius laudatus est c. 2, 10, C. 147. De situ vero (*λιμήν, λίμνη*) et munitionibus hujus urbis apud eundem scriptorem Straboni copiosa narratio praesto erat (Pol. X., 10) e qua haec deprompta esse mihi videntur. In proximo autem enuntiato facile peripli tenorem rursum sentimus: *κἀνταῦθα καὶ ἐν τοῖς πλησίον τόποις πολλὴ ἡ ταρχεία.* Deinde mercatura magna commemorata Carthagine profectus subsistit periplus in ostio Sucronis fluvii, cujus cursum ratione hujus peripli describi, jam supra, ubi de fluviis omnibus disseruimus, dictum est. Tum demum, postquam huius fluminis mentionem fecit, ea quae inter Sucronem et Carthaginem Novam sita sunt, depingit eaque inverso ordine a Sucrone rursus Carthaginem tendens: *μεταξὺ μὲν οὖν τοῦ Σούκρωνος καὶ τῆς Καρχηδόνος τρία πολίχνια* . . *οὐ πολὺ ἄποθεν τοῦ ποταμοῦ* . . *εἶθ' ἡ τοῦ Ἡρακλέους νῆσος ἤδη πρὸς Καρχηδόνι.* Hoc jam luce clarius est, Strabonem ab ordine quo res in periplo explicatae sunt, recedere. Tamen quaeri potest num res ipsae, quae proferuntur, partim vel omnes e periplo petitae sint. Neque enim si pauca illa verba de Sertorio facta removemus, inest in hac descriptione quicquam, quod in Artemidori periplo fuisse non possit, et revera Artemidorum de his

rebus dixisse, cognoscimus e Stephani verbis s. v. *Ἡμεροσκοπεῖον πόλις Κελτιβήρων Φωκαίων ἄποικος. Ἀρτεμίδωρος δευτέρῳ λόγῳ γ.* Verisimile est, verba *Κελτιβήρων πόλις* ei qui Artemidori epitomen confecit deberi, qui situm et regionem hujus oppidi in universum significare vellet. Hispaniae enim pars ad orientem spectans interdum generatim Celtiberum terra nominata est. Verba autem *Φωκαίων ἄποικος* sine dubio Artemidori sunt congruuntque cum Strabonis verbis *τρία πολίχνια Μασσαλιωτῶν.* Quae cum ita sint, denique inquirendum est, quidnam causae fuerit, cur Strabo etsi periplum adhibebat, tamen ab eius firmo ordine recederet. Spectemus haec verba c. 4, 6, C. 158 extr.: *ἡ δ' ἐνθένδε* (sc. *ἀπὸ Καρχηδόνος*) *μέχρι τοῦ Ἴβηρος παραλία* C. 159 ineunt: *μεταξὺ μὲν οὖν τοῦ Σούκρωνος καὶ τῆς Καρχηδόνος* deinde *πάλιν δ' ἐπὶ θάτερα τοῦ Σούκρωνος ἰόντι ἐπὶ τὴν ἐκβολὴν τοῦ Ἴβηρος* § 7.: *Μεταξὺ δὲ τῶν τοῦ Ἴβηρος ἐκτροπῶν καὶ τῶν ἄκρων τῆς Πυρήνης ἐφ' ὧν ἵδρυται τὰ ἀναθήματα τοῦ Πομπηίου.* quibus cum verbis comparemus: c. 4, 1, C. 156: *φασὶ δὲ ἀπὸ μὲν Κάλπης . . ἐπὶ Καρχηδόνα Νέαν . . . ἐντεῦθεν δ' ἐπὶ τὸν Ἴβηρα . . . ἐντὸς δὲ τοῦ Ἴβηρος μέχρι Πυρήνης καὶ τῶν Πομπηίου ἀναθημάτων.* Nemo negabit, rationem certam intercedere inter primae par. verba, quae stadiasmi nomine breviter strictimque complecti mihi liceat, et inter institutionem et capita descriptionis singula exhibentis (c. 4, 2, C. 156: *κατὰ μέρος δὲ ἀπὸ Κάλπης κτλ.*) Stadiasmum quidem ab Artemidoro non confectum esse vidimus. Ea vero, quae in ipsa ora depingenda explicantur, Artemidoro imprimis apparuit deberi. Iam mihi videtur Strabo stadiasmi certas partes primario loco in descriptione statuisse, singulas vero res in periplo ordine expositas stadiasmi capitibus inseruisse et subiecisse. Ac primum quidem caput sine secundariis partibus Carthagine Nova finitur: qua re in hac parte peripli tenor servatur. Alterum, quod est inde a Carthagine usque ad Iberum, in stadiasmo in duas secundarias partes divisum videtur: § 6, C. 158. *ἡ δ' ἐνθένδε μέχρι τοῦ Ἴβηρος . . κατὰ μέσον πως τὸ διάστημα ἔχει τὸν Σούκρωνα ποταμὸν . .* Sic geographus post Carthaginem statim ad Sucronem pervenit atque inde ab hoc loco

retrorsum (*μεταξὺ μὲν οὖν τοῦ Σούκρωνος καὶ τῆς Καρχηδόνος*) et protinus (*πάλιν δ' ἐπὶ θάτερα τοῦ Σούκρωνος ἰόντι*) depingens ea enarrat, quae in periplo inde a Carthagine usque ad Iberi ostium deinceps exstabant. Itaque exceptis verbis C. 158 extr. *ἡ δ' ἐνθένδε . . . . ἔχει τὸν Σούκρωνα* censeo omnia, quae in hac par. Strabo in medium fert, ex Artemidori periplo petita esse, nisi quod in Carthagine describenda partim Polybio usus est.

§ 7.

In primis quidem verbis, ut demonstravimus, stadiasmi orae divisio patet. De Tarracone vero urbe in periplo vix plura dicta erant quam *ἀλίμενος μέν, ἐν κόλπῳ δὲ ἱδρυμένη*. Quae sequuntur de magnitudine et vigore hujus urbis ipsius aetate valde aucto, ea potius ore quam literis eum comperisse consentaneum est. Deinde in periplo Gymnesiae insulae commemorantur ante hanc orae partem sitae. Fortasse quispiam verbis *Ἐρατοσθένης δὲ καὶ ναύσταθμον ἔχειν φησὶν αὐτὴν* adducatur, ut etiam Eratosthenis descriptionem a Strabone hic adhibitam esse censeat. Sed rem non ita esse, apparebit, cum omnes locos, ubi in Hispaniae descriptione Eratosthenes citatur, spectaverimus. Tres sunt: c. 2, 11, C. 148. *καὶ Ἐρατοσθένης δὲ τὴν συνεχῆ τῇ Κάλπῃ Ταρτησσίδα καλεῖσθαί φησι, καὶ Ἐρύθειαν νῆσον εὐδαίμονα. πρὸς ὃν Ἀρτεμίδωρος ἀντιλέγων καὶ ταῦτα ψευδῶς λέγεσθαί φησι ὑπ' αὐτοῦ, καθάπερ καὶ* . . c. 4, 7 C. 159 *Ἐρατοσθένης δὲ καὶ ναύσταθμον ἔχειν φησὶν αὐτήν, οὐδὲ ἀγκυροβολίοις σφόδρα εὐτυχοῦσαν, ὡς ἀντιλέγων εἴρηκεν Ἀρτεμίδωρος* c. 5, 5 C. 170: *ἔνιοι δὲ στήλας ὑπέλαβον τὴν Κάλπην καὶ τὴν Ἀβίλυκα, τὸ ἀντικείμενον ὄρος ἐκ τῆς Λιβύης, ὅ φησιν Ἐρατοσθένης ἐν τῷ Μεταλωνίῳ Νομαδικῷ ἔθνει ἱδρῦσθαι· οἱ δὲ τὰς πλησίον ἑκατέρου νησῖδας, ὧν τὴν ἑτέραν Ἥρας νῆσον ὀνομάζουσιν. Ἀρτεμίδωρος δὲ τὴν μὲν τῆς Ἥρας νῆσον καὶ ἱερὸν λέγει αὐτῆς, ἄλλην δ' οὔ φησιν εἶναί τινα οὐδ' Ἀβίλυκα ὄρος οὐδὲ Μεταγώνιον ἔθνος:* Quibus locis dubitatio non est, quin omnia, quae apud Strabonem ex Eratosthenis Hispaniae descriptione servata sint, etiam apud Artemidorum contra Eratosthenem disputantem fuerint. Agedum, cum Strabo in Hispania depingenda

Eratosthenis quaslibet sententias non afferat nisi ab Artemidoro improbatas vel refutatas, fieri non potest, quin Strabonem in hac parte omnino non usum esse Eratosthenis descriptione, sed quas eius sententias proferret, eas ex Artemidori periplo deprompsisse existimemus[1]): quod mirum non videtur, cum ipse dicat II. 1, 41 C. 93: *καὶ νῦν δ' εἰρήσθω ὅτι καὶ Τιμοσθένης καὶ Ἐρατοσθένης καὶ οἱ ἔτι τούτων πρότεροι τελέως ἠγνόουν τά τε Ἰβηρικὰ κτλ.*

§ 8.

Hac par. breviter reliqua Hispaniae ora depingitur. Populi qui nominantur *Λεητανοί* et *Λαρτολαιῆται*, ab Ukerto (II, 1, p. 315 16) accensentur Indicetis, quos Strabo c. 4, 1 C. 156 *μεμερισμένοι τέτραχα* dicit: quod ille iniuria asseverare mihi videtur. Nam primum perspicuitatis causa Indicetas iterum nominari oportebat. Tum autem hi populi, quibus secundum Ukertum illae quattuor partes continentur, terram inter Tarraconem et Emporias sitam habitare dicuntur. Indicetae vero ab Iberi ostio usque ad Pompei tropaea pertinent (4, 1 C. 156). Iam videmus inter hos et illos rationem nullam intercedere: quod nihil habet offensionis, cum ex auctoribus diversis haec hausta esse cognoverimus. Deinde de intervallo inter Emporias et Galliae Hispaniaeque confinia codicibus tradita sunt verba *ὅσον τετρακισχιλίους σταδίους* manifesto corrupta. Meinekius quidem plerorumque sententiam secutus *τετταράκοντα* in verba scriptoris recepit. Viri docti enim facile intelligentes, quam longe hic Strabonis numerus a vera spatii longitudine recederet, secuti sunt Palmerium, qui eis locis versatus quadraginta vel si ad *πρόποδας Πυρήνης* computaretur, quattuor tantum stadia esse asseveravit. Non recte hoc fecerunt, ut mihi videtur, cum duas res negligerent. Primum enim dicit Strabo *διέχον τῆς Πυρήνης καὶ τῶν μεθορίων τῆς Ἰβηρίας πρὸς τὴν Κελτικήν*. Ubinam haec confinia sint, quis est qui certo determinet? Nam haec verba ex Artemidori periplo petita sunt, qui ubi fines Galliae et Hispaniae posuerit, nescimus. Certe Pompei tropaea

[1]) Heeren (Comment. soc. reg. Gott. V. p. 111) non satis recte dixit: Eratosthenem quoque rerum Hispanicarum non admodum gnarum fuisse, libro iam secundo dixerat, cuius tradita corrigit ex Artemidoro

hoc loco non intelligenda sunt. Deinde vero sequuntur verba: *καὶ αὕτη δ' ἐστὶ πᾶσα ἀγαθὴ καὶ εὐλίμενος.* Voce *αὕτη* quidem nihil aliud significari potest quam orae pars ab oppido Emporiis usque ad Hispaniae fines pertinens. Tum vero, si *τετταράκοντα* vel etiam *τέτταρας διέχον σταδίους* scribimus, num sanum sensum exhibent verba *αὕτη ἐστὶ πᾶσα ἀγαθὴ καὶ εὐλίμενος?* Quare hoc apparere mihi videtur, maiorem aliquem numerum ab Artemidoro et Strabone proditum esse. Quaecunque vero de hoc loco sanando tentantur, inania esse mihi videntur et firmo ullo argumento prorsus vacare. Ac periplus quidem ille his verbis finitus est. Hoc enim enuntiato breviter quidem, sed concinne et ad peripli rationem accommodate orae descriptio ad finem perducta est. Sequentia vero nullo ordine proferuntur. Primum verbis *ἐνταῦθα δ' ἐστὶ καὶ* demonstratur additamentum subici. Deinde post oppidi, cui Rhode nomen est, commemorationem rursus de Emporiis verba fiunt. Denique (§ 9) verbis *ῥεῖ δὲ καὶ* fluvii cuiusdam mentio fit: quae omnia singillatim nullo peripli cōnexu unum ad alterum annectuntur.

Sic per totam oram maritimam primarium descriptionis fontem detegere et indagare conati sumus. Iam dictum est, deesse apud Strabonem septentrionalis orae descriptionem accuratam et ceteris partibus parem. Perpauca tamen verba quispiam afferat, quae instar huius orae peripli videantur c. 3, 7 C. 155 *λέγω τοὺς τὴν βόρειον πλευρὰν ἀφορίζοντας τῆς Ἰβηρίας, Καλλαικοὺς καὶ Ἄστουρας καὶ Καντάβρους μέχρι Οὐασκόνων καὶ τῆς Πυρήνης.* Verba sequentia demonstrant, Straboni etiam de hac orae parte paulo copiosiora apud auctorem, quo utebatur, praesto fuisse, quae tamen propter rerum gentiumque ignobilitatem neglexit. Etiam haec Artemidoro tribuenda esse, aliquatenus probatur his verbis comparatis c. 3, 3 C. 152/53 *ὅμοροι δ' εἰσὶν ἐκ τοῦ πρὸς ἕω μέρους οἱ μὲν Καλλαικοὶ τῷ τῶν Ἀστούρων ἔθνει ....* Eandem enim invenimus collocationem Clallaicorum et Asturorum his locis quorum altero Artemidorum esse auctorem demonstravimus.

Nunc vero ea perlustremus, quae post peripli finem Strabo in australi ora describenda profert. Ac primum quidem Rhode oppidum commemoratur, de quo spectemus hos locos: XIV. 2, 10

C. 654: *ἱστοροῦσι δὲ καὶ ταῦτα περὶ τῶν Ῥοδίων . . ἀφ' οὗ καὶ μέχρι Ἰβηρίας ἔπλευσαν. κἀκεῖ μὲν τὴν Ῥόδον ἔκτισαν, ἣν ὕστερον Μασσαλιῶται κατέσχον . . τινὲς δὲ μετὰ τὴν ἐκ Τροίας ἄφοδον τὰς Γυμνησίας νήσους ὑπ' αὐτῶν κτισθῆναι λέγουσιν. ὧν τὴν μείζω φησὶ Τίμαιος μεγίστην εἶναι . . .* Scymn. Chius 205 . . . *Ῥόδη δὲ δευτέρα. ταύτην δὲ πρὶν ναῶν κρατοῦντες εἰς Ἰβηρίαν οἱ Μασσαλίαν κτίσαντες ἔσχον Φωκαεῖς . . . Μασσαλία δ' ἐστ' ἐχομένη πόλις μεγίστη, Φωκαέων ἀποικία. Ἐν τῇ Λιγυστικῇ δὲ ταύτην ἔκτισαν . . . Τίμαιος οὕτως ἱστορεῖ δὲ τὴν κτίσιν.* Muellerus quidem (fgr. h. gr. I. p. 199 et 201, fgr. 30 et 40) apud Strabonem ea modo, quae de Gymnesiis exstant, apud Scymnum Chium sola de Massilia verba Timaeo tribuit. Sed illo Strabonis loco vix dubitaverim, quin indidem geographus, unde Rhodiorum ad Gymnesias insulas navigationes comperisset, notitiam quoque de oppidis in Hispaniae ora ab hoc populo conditis sibi paraverit. Apud Scymnum vero cum de Massilia a Phocaeensibus condita Timaeus laudetur, nonne adducimur, ut credamus etiam reliquam de illorum coloniis expositionem ab illo petitam esse? Apud Strabonem igitur videmus Timaeum de Rhodiorum adversus occidentem navigationibus dicere. Apud Scymnum idem laudatur de Phocaeensium coloniis in eadem regione sitis. Iam cum utroque loco una et de Phocaeensibus et de Rhodiis dicatur, censeo utrumque scriptorem omnia, quae de his rebus narrat, Timaeo debere. Deinde vero in libro XIV apud Strabonem invenimus: *κἀκεῖ μὲν τὴν Ῥόδον* (emend.: *Ῥόδην*) *ἔκτισαν* (sc. *οἱ Ῥόδιοι*) *ἣν ὕστερον Μασσαλιῶται*· Tertii autem libri loco, a quo profecta est haec quaestio, exstat: *Ῥόδη πολίχνιον, Ἐμποριτῶν κτίσμα, τινὲς δὲ Ῥοδίων φασί.* Equidem non existimaverim, differentiam horum locorum e diversa auctorum memoria ortam esse. Nam primum quod altero loco scriptum est *Μασσαλιῶται κατέσχον* altero *Ἐμποριτῶν κτίσμα*, nullius momenti est, cum Emporiae et ipsae Massiliensium colonia sit. Eadem ratione Strabo dicit III. 4, 6 C. 159 *τρία πολίχνια Μασσαλιωτῶν . . τούτων δ' ἐστὶ γνωριμώτατον τὸ Ἡμεροσκοπεῖον*, Artemidorus vero ap. Steph. s. v. *Ἡμεροσκοπεῖον . . Φωκαέων ἄποικος.* Reliqua autem discrepantia nulla alia re effecta esse mihi videtur quam indiligentia qua-

dam scribendi, in quam Strabo hoc tertii libri loco incidit. Timaeum igitur horum verborum auctorem esse mihi persuasum est. Tum Dianae Ephesiae cultus in his oppidis, quae a Phocaeensibus condita sint, florere dicitur. Causa exponitur in IV, 1, 4 C. 179. Fabula illa de Aristarche nullo alio loco apud auctores veteres narratur. Alia quidem narratiuncula, quae fertur de Massilia condita, ab Aristotele tradita est (Mueller fgr. hist. II. 176 fgr. 239. Sed etiam Timaeum plura de illa re protulisse, elucet e verbis Steph. s. v. *Μασσαλία* (Muell. I. p. 201, fgr. 59). Equidem, cui haec de Aristarche narratio tribuenda sit, diiudicare nequeo[1]. In extrema denique parapraplio geographus noster resilit ad res de Emporiis memorandas. Eadem fere de hac urbe exponit Livius (XXXIV. 9) adiciens tertium genus incolarum a Caesare in oppidum introductum. Nissenius quidem in libro, quem de Livii auctoribus scripsit, censet in hac parte Livium Romanos annalium scriptores secutum esse. Atque Ungerus (Philol. III. suppl., part. II. p. 178) probare conatur ea quae apud Livium de Emporiis exstant, a Claudio originem trahere. Iam si Livii et Strabonis verba comparabimus, vix nos fugiet, ea partim inter se simillima esse: *δίπολις δ' ἐστὶ τείχει διωρισμένη* = duo oppida erant muro divisa, *τῷ χρόνῳ δ' εἰς ταὐτὸ πολίτευμα συνῆλθον* = nunc in corpus unum confusi. Diversitas sane in totam expositionem irrepsit ea de causa, quia Strabo quae sua fere aetate huic urbi accidissent, neglegens antiquioris scriptoris descriptionem satis integram protulit, Livius haec respiciens quae mutanda videbantur mutavit. Quae cum ita sint, quem alium Livii et Strabonis communem esse auctorem existimemus quam Polybium[2]? Sic vidimus ea quae ad extrema peripli Artemidori verba *καὶ αὕτη δ' ἐστὶ πᾶσα ἀγαθὴ καὶ εὔλιμενος* adduntur, descriptionis ordine interrupto e diversis libris congesta esse.

[1]) Iis, quae Dederich Rh. Mus. 4. p. 129 ff. de Aristarche disserit, haec res non illustratur.

[2]) Quae sententia non pugnat cum Ungero, qui Claudium Polybio usum esse censeat.

§ 9.

Initio huius par. iterum Strabo exponit de rebus, quae inter Emporias et Pompei tropaeas mentione dignae sunt. Tum postquam Emporiensium nonnullos extrema Pyrenes accolere dixit annectit descriptionem viae quae est a Pompei tropaeis usque Obulconem: *εἰς ταὐτὸ δὲ τείνουσαν τῇ προτέρᾳ, τὰ περὶ Κάστλωνα καὶ Ὀβούλκωνα*: per quae loca viam esse Cordubam et Gades subiungit. Spectemus rationem et colorem huius descriptionis. Primum quidem exile quoddam itinerarium hic non subesse apparet e verbis: . . *τῷ Σπαρταρίῳ καλουμένῳ πεδίῳ· τοῦτο δ' ἐστὶ . . . τὴν Ἰταλίαν*: unde suspicari licet, etiam priorem partem apud auctorem eius aliquanto copiosius tractatam esse quam apud Strabonem: *φέρεται δὲ ἐπὶ Ταρράκωνα ἀπὸ τῶν ἀναθημάτων τοῦ Πομπηίου διὰ τοῦ Ἰουγκαρίου πεδίου* . . . Iam cum campus Iuncarius bis commemoretur, primum ante ipsam viae descriptionem, deinde in viae cursu, verisimile est. etiam initium huius par. ex hac viae descriptione sumptum esse. Viae descriptionem quidem apparet coepisse a Pompei tropaeis. Ibi *τινὲς τῶν Ἐμποριτῶν νέμονται*. Pergit via ad *τὴν μεσόγαιαν* Emporiensium *χώραν*, transit fluvium, qui dicitur *ἐκ τῆς Πυρήνης ἔχων τὰς ἀρχάς*. Hic portum efficit Emporiensibus, quos linificio operam dare breviter mentio fit. Deinde per alia loca Tarraconem proficiscimur. Hunc fere censeo descriptionis tenorem fuisse. Strabo nimirum, qui in par. octava extrema in rebus de Emporiis narrandis substitit, ordine res usque ad Pompei tropaea explicare studuit. Quo factum est. ut contrario ordine eum describere necesse esset. Cum autem eo advenisset, viae ipsam descriptionem adiunxit ac tum primam partem de qua iam egit, breviter perfecit. Deinde consideremus haec verba: *ἐντεῦθεν διὰ Σαγούντου . . ἐντεῦθεν δὲ κατὰ μικρὸν ἀφίσταται τῆς θαλάττης καὶ συνάπτει τῷ Σπαρταρίῳ . . . . νυνὶ δὲ ἐπὶ τὰ . . . ἐπιφαίνουσαν μόνον . . κτλ.* Haec Strabo mea sententia a nullo petere potuit, nisi ab aliquo qui quae ipse videret, depinxit. Tum post descriptionis finem Strabo adicit verba: *φασὶ δὲ οἱ συγγραφεῖς ἐλθεῖν Καίσαρα ἐκ Ῥώμης ἑπτὰ καὶ εἴκοσιν ἡμέραις εἰς τὴν Ὀβούλκωνα* . . Huic additamento alquid miri inesse, fortasse unus quisque sentiet: descripsit Strabo viam a Pompei

tropaeis Obulconem tendentem: ad quam rem quot diebus Caesar Roma profectus Obulconem venerit, prorsus non pertinet. Id potius exspectamus pronuntiari, quot diebus via quae descripta est, percurri possit. Attamen hanc par. nobis perlegentibus facile subnascitur suspicio, certissimam quandam rationem inter huius viae descriptionem et inter verba de Caesare facta intercedere. Usque enim eodem, non ultra haec via depingitur, quo et ipse Caesar profectus est. Iam luce clarius est, utra res utrius ansam dederit. Non addit Strabo post viae a Pompei tropaeis usque Obulconem pertinentis descriptionem fortuito, quot diebus Caesar Roma Obulconem pervenerit. E contrario Caesaris iter Roma Obulconem tendens principio ansa erat, ut illa via describeretur. Atque ibi, unde Strabo sua petivit, consentaneum est totum iter depictum fuisse. Strabo nimirum eam tantum partem adhibuit, quae in Hispania versatur. Iam cum hoc loco *οἱ συγγραφεῖς* laudantur, primo obtutu exspectamus, apud scriptorem quendam, qui res a Caesare gestas prodidit, hanc descriptionem fuisse. Commemoratur illud iter his locis: Appian. II. 103 Sueton. Caes. c. 56 Oros. VI. 16 Dio 43, 32. In libro de bello Hispaniensi scripto de hac re nihil invenimus neque si libros deperditos, quibus Caesaris res gestae memoriae traditae sunt, circumspicimus, quidquam proficimus, cum nihil certi cognosci possit. Hoc tantum non est dubium, quin Asinius Pollio, quem primo loco spectare oportet, viae descriptionis auctor non sit. Nam dum Caesar Pompeianos in Hispania opprimit, ipse in Africam transvectus est (Appian. II. 45 cfr. Baillen diss.: De Asin. Pollion. Götting. 1874 p. 4.). Iis vero locis, quibus de Caesaris celerrimo itinere verba fiunt, nullo modo ipsa via depingitur. Ac ne consentaneum quidem est, hoc a scriptoribus factum esse. Quid enim sibi vellet otiosa itineris descriptio interposita inter res summa festinatione et contentione gestas? Iam cum tamen conexionem artissimam intercedere oporteat inter Strabonis viae descriptionem et verba de Caesaris itinere facta quid restat? Spectemus Sueton. Caes. 56: „Reliquit (Caesar) de Analogia duos libros et Anticatones totidem ac praeterea poema quod inscribitur Iter. Quorum librorum primos in transitu Alpium, cum ex citeriore Gallia conventibus peractis ad exercitum rediret: sequentes sub tempus

Mundensis proelii fecit, novissimum, dum ab urbe in Hispaniam ulteriorem quarto et vicesimo die pervenit." Quibus verbis cum comperiamus Caesarem in illo celerrimo itinere poema quod inscribitur Iter composuisse, quid aliud existimemus huius poematis argumentum esse quam ipsius eius, quod fecit, itineris descriptionem? Ex hoc poemate Strabo hausit descriptionem quae exstat in hac paragr., atque hanc solam ob rem simplicissimo causarum nexu factum est, ut Strabo postquam viam a Pompei tropaeis usque Obulconem pertinentem descripsit, adderet quot diebus Caesar Obulconem venisset. Concedo hanc sententiam tum tantum probabilem esse, si existimare liceat, in Caesaris ipsius descriptione quot diebus iter perfecisset, non dictum esse. Nam si hoc in ipso cormine commemoratum esset, Strabo rerum scriptores certe non citasset. Sed vix quisquam contendet, necesse esse putare Caesarem in poemate illo dierum numerum enuniasse.

Hac paragrapho orae maritimae descriptio finita est Restat igitur ut

III.

ea recenseamus, quae de Hispaniae mensuris apud Strabonem inveniamus. Haec enim adhuc separavimus tantum, eo consilio, ut una eorum fontem indagemus. Simul cum hac re congungenda est quaestio de auctoribus cap. prim. paragr. tertiae, quam initio huius commentationis tractare nondum potuimus. Sed hanc commentationis prrtem, qua ad illam de Augusti chorographia quaestionem adducemur, puplici iuris facere nunc nondum possum.

Halis Saxonum, formis descripsit E. Karras.

DISSERTATIONES

PHILOLOGICAE HALENSES.

VOL. VI.

HALIS SAXONUM.

MAX NIEMEYER.

MDCCCLXXXVI.

INDEX DISSERTATIONUM.

*) Monendum est paginarum numeros per errorem turbatos esse, cum p. 336 pro pp. 337 sqq. sequantur pp. 397 sqq. et post p. 428 paginarum numeri 419—428 male repetiti sint.

C. ROOS:

DE THEODORETO CLEMENTIS ET EUSEBII COMPILATORE.

ACCEDIT EPIMETRUM DE PLATONIS CODICIBUS.

Praefatio.

Theodoretus episcopus Cyrensis „Curationem affectionum Graecarum“ notissimum suum opus circa annos 429—434 conscripsit (cf. Iuliani librorum contra Christianos quae supersunt rec. ill. Neumann, Lipsiae 1880 p. 92 sq.). Quid secutus sit, cum duodecim illos sermones ederet, ipse in praefatione exposuit (cf. Neumann l. c.): saepe se in paganos incidisse qui fidem Christianam deriderent, imprimis de apostolis ut hominibus incultis et barbaris contumeliose dicerent cultumque martyrum ludibrio haberent, nonnumquam autem Christianos ἁπλοῖς ἤθεσι κεχρημένους fallerent. Qua de causa se falsas istas criminationes ταῖς Πλάτωνος καὶ τῶν ἄλλων φιλοσόφων χρώμενον μαρτυρίαις refellere conatum esse. Eo igitur factum est, ut episcopus Cyrensis in hoc libro amplam Graecorum philosophiae et litterarum scientiam ostenderet. Sed quicumque libros apologeticos Christianorum, praesertim Eusebii et Clementis opera, inspexit, statim animadvertit Theodoretum in opere suo instituendo morem patrum ecclesiasticorum illorum secutum opera doctrinae plena priorum scriptorum passim expilavisse. Neque mirabitur, cum ipse Eusebius, vir ceteroquin veritatem amans, interdum fontes suos celavisset [1]), Theodoretum fontes doctrinae suae omnino occultare studuisse. Quo de illius aetatis more Luzacius (Lectt. Att. II 32 p. 295 et 299) [2]) recte iudicavit, cum diceret et Theodoretum et Cyrillum et alios item „Patres“ qui illorum aut proxima aetate vixerunt, suam qua splenderent

[1]) cf. Freudenthal, Hellenistische Studien 1—2, p. 6—7.

[2]) Luzacii verba attulit Gaisfordius in praefatione editionis Graec. aff. cur. p. XVII. XXI.

philosophiae Graecae [et litterarum Graecarum] notitiam non ex ipsis hausisse fontibus, sed ex Theophilo Antiocheno, Clemente Alexandrino atque Eusebio. Itaque Theodoretus de Clementis libris omnino in Aff. Graec. cur. tacet: ad Eusebii libros praeparationis evangelicae semel lectorem ablegat p. 35, 22; ceterum, quamvis hosce libros ubique fere in usus suos adhibuerit, de illis tacet, omniaque velut ex sua ipsius penu depromit. Praeterea virum sanctum nonnumquam contra candorem et aequitatem et meliorem veri scientiam peccavisse, exemplo praeclaro demonstravit l. c. Luzacius, cuius verba conferas. Concessit tamen vir ille doctissimus Theodoretum illos scriptores, qui post Constantini Magni vixerunt aetatem, Porphyrium imprimis diligenter legisse inque suos usus convertisse. Et Neumannus (l. c. p. 90—91) probare studuit certe Iuliani imperatoris libros contra Christianos scriptos a Theodoreto lectos esse. Num haec iudicia in Aff. Graec. cur. habeant quo commendentur, accuratiore de eius operis fontibus quaestione instituta diiudicandum erit. Nobis hoc loco de Clemente et Eusebio agentibus id potissimum curandum videtur, ut ea omnia quae his patribus ecclesiasticis debeat, a ceteris doctrinae vestigiis segregemus. Qua de causa ipsis quaestionibus indicem locorum praemisi, quo patefactum iri spero, quam multa ex illis descripserit. Quibus ex fontibus reliqua hauserit, altera de Theodoreto commentatione quaeremus. Tamen iam in hoc indice paucos locos Cyrilli operis contra Iulianum conscripti apposui, ut Cyrillo et Theodoreto multa communia esse cognoscas. Persuasum enim mihi est, Theodoretum et Cyrillum uno quodam fonte nobis non servato usos esse, ex quo praeter alia inprimis Porphyrii philosophiae historiam exscripserunt. Conferas quaeso Nauckii „opuscula tria Porphyrii“: non dubito quin quicumque apud eum fragmenta historiae philosophae perlegerit, mihi concedat casu vix fieri potuisse, ut Theodoretus ex iisdem tantum eius historiae locis, quos Cyrillus exscripsit, excerpta quaedam afferret. Atque quoniam ea Theodoretus ex Cyrillo sumere non potuit, valde probabile mihi videtur ex communi quodam fonte utrumque historiae philosophae cognitionem hausisse. Sed de ea quaestione fusius nobis in altera commentatione disserendum erit. Hic liceat mihi pauca de indice praemonere.

Non solum eos Eusebii et Clementis locos, quos ipsos Theodoretum compilavisse puto, appinxi, sed etiam multos alios, qui similia tantum atque Theodoretus exhibent (eos saepius litteris „cf." significavi). Neque enim de omnibus praesertim Clementis singulis locis pro certo affirmari potest, eos ipsos Theodoretum exscripsisse, cum is sine dubio etiam in operibus deperditis apologetarum quorundam, dico eorum qui Porphyrium impugnaverunt, ut Eusebius, aut Iulianum, ut Theodorus Mopsuestanus, Theodoreti magister [1]), permulta legeret, quae illi ex Clemente sumpserant. Ubi autem Theodoreto Clementina quae exhibet ex Eusebio haurire licuit, utriusque paginarum numeros posui; et uncis inclusi eos Clementis locos, qui non in Stromatis reperiuntur. Nam cum Theodoretus cetera illius opera nusquam citet et quae in Curatione ex iis deprompta legantur, ex Eusebii praeparatione evangelica describere potuerit, ei opera illa ut Protrepticum et Paedagogum cognita fuisse negaverim. Locorum ex Homero citatorum rationem non habui, quia Theodoretus ipse Homerum (et fortasse Hesiodum) legisse videtur (qua de re vide alteram commentationem). Denique signum ? apposui ad eos Theodoreti locos, de quibus quaerenti mihi unde fluxerint reperire non contigit, aut de quibus dubitari posse aut debere existimavi. Haec sunt, quae lectorem benevolum indicem perlegentem tenere velim.

[1]) cf. Schroeckh, Christl. Kirchengeschichte, 18, p. 357.

INDEX LOCORUM.

Editionibus usus sum hisce: Theodoreti Graecarum aff. cur. ed. Gaisford (citabo pagg. Sylburg.), Eusebii praeparat. evang. ed. Gaisford (pagg. Viger.), Clementis opp. ed. Dindorf, de qua edit. vide de Lagarde, Goett. gel. Anz. 1870 p. 801, (citabo pagg. Potterianas). Cetera opp. eccles. ex editione Migniana citabo.

14, 22—34 Clem. 714; extat ap. Eus. 678b.
14, 37—38 Clem. 687.
14, 49—15, 1 Clem. 665.
15, 7—9 Clem. 584.
15, 12—17 Eus. 651b.
15, 18—26 cf. Clem. 655.
15, 29—31 Clem. 657.
15, 32 (vid. 19, 31) [Clem. 63] Eus. 664d.
15, 33—34 Clem. 638.
15, 41—44 Clem. 340.
15, 45—47 Clem. 741 extr., aut 654.
15, 48—50 Clem. 442.
15, 51—53 Clem. 437.
16, 1—2 Clem. 565.
16, 8—11 cf. Clem. 436.
16, 45—50 vid. 60, 1.
16, 51—17, 5 vid. p. 59.
18, 19—22 cf. Clem. 454.
18, 41—19, 16 (vid. 7, 10) Eus. 54a. 47cd. 46d.
19, 21—23 Clem. 345.
19, 24—30 Eus. 581a.
19, 31 (vid. 15, 32) [Clem. 63] Eus. 664d.
19, 38—42 Clem. 437 extr.
19, 48—53 (Plato, Phaed. 69c), cf. Clem. 518.
21, 15 vid. 12, 14.
22, 10—20 (v. 70, 46 et 141, 25) (Plato, Rep. 398) ?
22, 30—52 vide Diels, Doxographi 170.
22, 34 cf. Eus. 89b.
22, 53—23, 5 Eus. 25d; cf. 853a sqq.
23, 5—16 Eus. 26b.
23, 16—40 Eus. 723d.
23, 40—24, 12 Eus. 724d.
24, 15—16 cf. Cyrill. 761.
24, 25—30 Eus. 763c.
24, 40—54 cf. Eus. 504d. 750b. 754d.
25, 1—12 vid. 5, 42. Eus. 745d.
25, 13—20 vid. 175, 40. Cyrill. 577.
25, 25—32 (v. 39, 16) Eus. 29c.
25, 32—48 (Plato, Ion. 531B) ?
25, 49—26, 5 Clem. 693 Eus. 665a.
26, 6—13 Clem. 723; extat ap. Eus. 685.
26, 20—36 Eus. 524b et 525.
26, 50—27, 12 Eus. 652d. 653b.
27, 20 cf. Eus. 530c.
27, 22—30 Eus. 530d.
27, 39—43 (cf. 62, 27) Clem. 692.
28, 8—25 Eus. 485b.
28, 26—29, 17 cf. Eus. 485 et 495. 498.
32, 1—6 Clem. 710; extat ap. Eus. 675c; cf. Eus. 534c.
32, 36—43 Eus. 534c.
32, 43—52 Eus. 541b; cf. Clem. 685. 710 [60].
33, 2—9 Clem. 700; extat ap. Eus. 669b.
33, 9—13 Eus. 537b.
33, 13—26 Eus. 536ab.
33, 30 Eus. 535a.
33, 46—34, 10 Eus. 540b.
34, 50—35, 5 Eus. 30d. 31ab. 33b. 44b. 50b. 44d; vide p. 7, 16 Eus. 18a.

35, 6 sqq. ?
36, 13—18 vide p. 57, 16. 62. 63, 42.
36, 41—45 Clem. 718 Eus. 681d.
36, 48 vid. 57. 17.
36, 49—52 Eus. 529a.
37, 31—35 Eus. 753b et 755a.
37, 36—42 Eus. 766a.
37, 50—51 Clem. 411; extat ap. Eus. 411a, cf. 527a.
38, 38 Cyrill. 818.
38, 50—39 (vid. p. 37, 30) Eus. 753b.
39, 8—23 (vid. 25. 25) Eus. 27c. 28a. 29c.
42, 2—33 (vid. 39. 10) Eus. 29c. 45b—46d. 50b. 56d. 57a.
42, 43—43, 18 ?
43, 21—36 (vide 12. 35) Eus. 692cd.
43, 36—48 Eus. lib. II. III.
43, 55—44, 32 Eus. 76c.
44, 40 sqq. (Plato. Cratyl. 401) ?
45, 1—18 Eus. 44d—51b. 109a—113b.
45, 19—30 Eus. 78.
45, 31—46, 17 (?).
46, 20—25 Clem. 485.
46, 26—34 Eus. 84d. 89b.
46, 35—40 Eus. 640c.
46, 40—47, 10 Eus. 187c. 188c, et 94b.
47, 14—29 Eus. 173a.
47, 30 [cf. Clem. 35].
47, 38—52 Eus. 174b.
48, 18—49, 2 Eus. 197d et 199b.
49, 10—14 cf. Eus. 703d. 559d.
49, 25 (?)
49, 26—36 Clem. 714; extat ap. Eus. 678d.
49, 37—42 cf. Clem. 811.
49, 45—48 Clem. 691.
49, 51—50, 8 Clem. 692.
51, 30—50 Eus. lib. II. III.
53, 43—54, 2 Eus. lib. II. III.
55, 1—9 Clem. 701—702 Eus. 549d: extat ap. Eus. 670.
55, 34—36 Clem. 702 ap. Eus. 670.
56, 10—21 cf. Clem. 631.
57, 3—11 Aëtius (Diels p. 284).
57, 18—60, 4 (ad 57, 17—23 cf. 36, 45) Aëtius (Diels 284—362).
60, 8—10 Clem. 646.
60, 17—29 Eus. 744.
60, 30—61, 10 Eus. 853.
61, 31—38 Eus. 542.
61, 44—50 (vid. 109, 54) Clem. 691.
62, 1—7 Eus. 542d.
62, 17—31 (ad 62, 27 v. 27, 40) cf. Eus. 557d Clem. 692.
62, 31—41 Eus. 558c.
62. 49 ? (Eur. Phoeniss. v. 549) cf. Eus. 259c.
63, 4—32 Euseb. 559a. 560. 562b.
63, 43—45 vide 36, 13.
63, 46—64, 3 Clem. 519.
64, 23—25 Clem. 693 Eus. 530c Cyrill. 908.
66, 47—67 ? cf. Aëtius (Diels p. 384—385).
68, 8 cf. Clem. 345.

70, 32—38 (Hesiod. opp. et dies 410 et 413) Eus. 781c.
70, 46—71, 15 ? ad 70, 47 cf. 22, 10 et 141, 25.
71, 15—27 Clem. 517.
71, 27—29 vid. p. 157.
71, 30—38 Clem. 518.
71, 38—43 Clem. 571 extr.
72, 8 cf. Clem. 651 Eus. 855bc.
72, 9—73, 40 Aëtius (Diels 386—393).
73, 42—74, 8 Eus. 820d. 821c. 822b. 823c.
74, 8—21 (?)
74, 21—39 Eus. 600cd.
74, 44 vid. 85, 45 et 87, 7.
75, 1—22 Eus. 634d.
75, 22—76, 7 Eus. 642—644; cf. 640.
76, 26—77, 16 Eus. 551b—553c.
77, 27—45 ?
79, 37—50 ? vid. 8, 2. 80, 28. 172, 15.
80, 12 Clem. 352.
80, 22—30 Clem. 350.
80, 52—81, 7 cf. Clem. 352—353.
81, 53—82, 2 Clem. 364.
83, 28—30 et 42—48 (Plato, Phaedrus?).
84, 34—37 ?
85, 42—52 vid. 87, 7.
86, 1—18 vid. 37, 30.
86, 19—87, 12 Eus. 254d sq. et 263c sq.
87, 12—17 cf. Eus. 818.
87, 17—41 Aëtius (Diels 321).
87, 43—46 Clem. 726; extat ap. Eus. 687.
87, 47—88, 30 Clem. 843 et 842.
88, 45—50 Clem. 708; extat ap. Eus. 674b.
88, 51—89, 5 Clem. 721; extat ap. Eus. 683d.
89, 15—20 Clem. 708; extat ap. Eus. 674b.
89, 21—40 Eus. 531a.
89, 45—90, 7 Eus. 578c.
90, 41—91, 5 Eus. 628bd. 630a.
91, 10—30 Eus. 589a.
91, 32—92, 2 Eus. 595b.
93, 2—7 Eus. 605c.
93, 8—53 Eus. 630c. 631b. 633bc. 634a. 635d.
95, 28—32 Clem. 731.
95, 28—32 (Plato, Apol. 41c) ?
95, 45—47 Eus. 799b; cf. 801a.
95, 47—96, 3 (Plotin. En. III 2. 1 p. 254a) ?
96, 24—46 (Plotin. l. c. 256f. 257d sq.) ?
96, 50—99, 7 (Plotin. l. c. 258—263) ?
102, 10—23 Clem. 747.
103, 15—17 (?).
103, 42—104 cf. Eus. 58b. 65a. 62d.
104 cf. Eus. 72c. 67b. 53a.
104, 41 cf. Clem. 847.
108, 21—109, 9 Eus. 28c. 29b. 151a sq. 155b. 157a.
109, 10—13 ?
109, 32—44 Clem. 717 Eus. 680 [Clem. 63].

109, 47—52 cf. Eus. 692 Cyrill. 556.

109, 54—110, 3 (vid. p. 61, 45) Clem. 691.

110. 19—21 Clem. 315.

110, 25—30 cf. Cyrill. 961 (Porphyr. phil. hist., vita Pythag. p. 42 [p. 30 ed. Nauck]; cf. Plutarch. de Iside et Osiride p. 354).

113, 1—13 Eus. 604 b.

113, 14 (Isocrates 13 A) ?

113, 30—45 Eus. 56 d.

114 ? (Apollodor. III 10. 3).

115, 3—4 ? (Demosth. XIX 158 p. 390).

115, 13—31 (vid. 141, 27) Eus. 230 bc.

115, 31—33 cf. [Clem. 43] Eus. 72 b.

115, 42—51 [Clem. 39—40] Eus. 71 a Cyrill. 1028.

116, 2 ? (Thucyd. lib. II).

116, 19 cf. Cyrill. 1017.

116, 42—48 Eus. 792 ab.

117, 1—11 cf. Clem. 640. 632.

117, 32—36 cf. Clem. 571. 586.

117, 37—118 ?

118, 1—3 Clem. 630.

118, 3—12 cf. Eus. 568 d; cf. Clem. 519. 580.

118, 16—19 Clem. 519.

118, 20—24 ? cf. Clem. 518 extr.

118, 25—27 Clem. 630.

118, 27—32 Clem. 518.

118, 32—40 Eus. 663.

118, 40—51 ? (Plato, Cratylus 397).

119, 10—15 (vid. 171, 2) Clem. 647.

119, 20—26 Clem. 587 et 714 (Eus. 678 b).

119, 30—40 Eus. 575 b.

119, 52—120, 8 Eus. 660 bd. 661 a.

120, 8—11 (Plato, Apol. 41 c) ?

120, 12—19 (Plato, Apol. 30) ?

120, 30—45 Clem. 589.

120, 46 sqq. (?)

122, 49 vide 104, 1.

124, 1—3 cf. Clem. 365 extr. 422. 439.

124, 3—17 ? cf. Eus. 619 b.

124, 17—20 cf. Clem. 422.

124, 25—33 Eus. 222 b.

124, 35—125 ?

126 ?

129, 11 sqq. Eus. 11 d.

129, 31—42 Eus. 706.

130, 1—4 Eus. 708 a.

130, 4—9 ? (Herodot. I 8).

130, 10—17 Eus. 708 ab.

130, 28—44 Eus. 708 bc.

131, 18 ?

131, 20—33 Eus. 709 a.

131, 49—132, 2 Eus. 710 c.

132, 11—23 Eus. 711 d—712 a.

135, 50 (vid. 42, 25) cf. Eus. 61 c—67.

136, 26—37 Eus. 185 a.

136, 51—137, 10 Eus. 185 b cf. 187.

137, 25—43 Eus. 205 b. 207 extr. 241 d cf. 236 d.

137, 51—138, 5 Eus. 236 d. 237 a.

138, 5—10 cf. Eus. 145.
138, 11—21 Eus. 147d. 148.
138, 22—40 Eus. 166b. 168cd.
138, 40—45 Eus. 143d.
138, 50—139, 10 Eus. 137c.
139, 11—25 Eus. 193d. 194b. 195c.
139, 35—140, 2 Eus. 208d. 209. 210c. 211b. 212.
140, 2—6 vid. Theod. hist. eccl. III et Gaisford. ad hunc locum.
140, 7—13 Eus. 215cd. 216.
140, 19—40 Eus. 216d.
140, 45—141, 2 Eus. 219a. 220c. 222bc.
141, 12—23 Eus. 224d et 227cd.
141, 25 vid. 22, 10 et 70, 46.
141, 26—30 (vid. 115, 14) Eus. 230c.
141, 32—36 Eus. 233d.
141, 40—47 Eus. 239c.
141, 50—142 Eus. lib. V et VI, cf. p. 262.
142, 25—35 (vid. p. 136, 1) cf. Eus. 61c—67 [Clem. 10—11].
142, 40 Theodor. hist. eccl. III 6.
151, 17 ? (Herodot. I 81).
151, 40—50 cf. Clem. 619.
152, 18—48 cf. Clem. 495. 497 extr. 498. 499—500.
152, 46—48 vid. 168, 22.
153, 16—38 ? cf. Clem. 499. 496.
153, 39—44 Clem. 574.
153, 45—154, 22 ? cf. Clem. 495. 497. 700. 703.
154, 22—155, 36 (ad 155, 23 cf. 118, 5 et Clem. 580) Eus. 567c—568d.
155, 36—52 Eus. 577b.
156, 10—47 Eus. 579c sqq.
156, 51—157, 10 Eus. 659a et 661c.
157, 22—38 Eus. 697a—c.
158, 20—33 Eus. 697c.
158, 45 vid. 159, 17 sq.
158, 46—49 Eus. 698.
159, 2—25 Eus. 563a.
159, 31—46 Eus. 563d.
162, 51—53 ? cf. Cyrill. 792.
168, 10—16 Clem. 499—500.
168, 22—30 Eus. 605b cf. Clem. 500.
168, 35 ?
168, 47—169, 14 Clem. 706—707 extat ap. Eus. 672d.
169, 15—27 (vid. 174, 7) ? cf. Eus. 692a.
169, 40—48 (vid. 9, 51) Eus. 603d.
170, 1—17 Eus. 583b.
170, 38—47 Eus. 609c.
170, 51—171, 2 Clem. 655 cf. 372.
171, 2—7 (vid. 119, 11) Clem. 647.
171, 17 ? [cf. Clem. 32].
171, 13—28 cf. Clem. 519.
171, 30—41 Eus. 579b et 580c.
171, 42—172 Eus. 654b.
172, 12—20 Clem. 359.
172, 22—26 Clem. 672.
172, 26—27 Clem. 360.
172, 30 (?)
172, 32—35 Clem. 585 extr.
172, 37—42 Eus. 816bc.
172, 43—49 ?
172, 50 cf. Clem. 492.

172,52—173,2 Clem. 493.
173,5 cf. Clem. 619.
173,8—10 Clem. 490.
173,12—20 Eus. 792 bc.
173,22—27 Eus. 794 ab.
173,29—32 (vid. 71,40) Clem. 571.
173,48—174 Clem. 750.
174,1—6 Clem. 492.
174,7—23 (cf. 169) ?
174,23—175,20 cf. Cyr. 781 sq.
175,31—39 Eus. 745 d.
175,39—50 (vid. 25,14) ? cf. Cyrill. 577.
175,52—176,11 Clem. 618.
176,13—22 Clem. 503.
176,43—45 Clem. 483.
178,29 ? (Herodot. I 43).
179,12—20 Clem. 491.
179,39—45 Eus. 179 d.

Caput I.

De Clemente Alexandrino Theodoreti fonte.

Ipso ex indice Theodoretum Clementis Stromata compilavisse patere puto; quod Clemens a Theodoreto in Graec. aff. cur. non citatur, causis supra allatis facile explicatur. Aliis in scriptis Theodoretus, cum fontem occultare eius non intersit, se illius libros cognovisse non dissimulat. Citat enim Clementem saepius in Haereticarum fabularum compendio (Migne vol. 83), ut p. 349, 369, 372; et p. 353 sic de eo loquitur: *μάρτυρα τὸν Στρωματέα παρέξομαι Κλήμεντα, ἱερὸν ἄνδρα καὶ πολυπειρίᾳ ἅπαντας ὑπολιπόντα* (sequitur locus ex libro tertio Stromatum sumptus). — Iam nobis qua ratione describendi Cyrensis in Graec. aff. cur. usus sit, paucis exemplis exponendum est. Omnino autem teneamus oportet, aliter de Theodoreti excerptis Clementinis, aliter de Eusebianis nobis iudicandum esse. Eusebii enim nonnullos locos eosque amplos satis magna diligentia descripsit, qua de re vide p. 19. Contra excerpta Clementina primo obtutu cuipiam valde neglegenter tractavisse Theodoretus videbitur; sed cum ea pleraque fere breviora sint et multa ne voluisse quidem ad verbum exscribere Theodoretus putari debeat, cum inter Cyrensem et Alexandrinum temporis spatium haud ita parvum intercedat, eaque de causa iam in codicibus Clementis Theodoreti aetate nonnulla corrupta fuisse verisimile sit, cum denique nonnulla non ex ipso Clemente, sed ex aliorum patrum Clementem compilantium operibus deperditis descripta esse cogitari possit (cf. p. 5), admodum lubricum est de Theodoreti diligentia in singulis Clementis verbis describendis adhibita iudicium proferre, et iis tantum locis, quos ex ipso Clemente fluxisse pro certo dixeris, de Theodoreti fide et tota

ratione describendi quaeri potest. Atque eum accurate, interdum ut ita dicam nimis accurate fontem suum scribarum fere more exscripsisse, his locis probetur.[1])

Clemens p. 373 ex Platone (Rep. 475 E) haec affert: *Τούτους οὖν ἅπαντας καὶ τοὺς ἄλλους κτλ. — τοὺς τῆς ἀληθείας. ἦν δ' ἐγώ, φιλοθεάμονας.* His ipse subiungit: *Οὐ γὰρ ἐν γεωμετρίᾳ αἰτήματα καὶ ὑποθέσεις ἐχούσῃ φιλοσοφία· οὐδὲ ἐν μουσικῇ στοχαστικῇ γε οὔσῃ· οὐδ' ἐν ἀστρονομίᾳ φυσικῶν καὶ ῥεόντων καὶ εἰκότων βεβυσμένῃ λόγων· ἀλλ' αὐτοῦ τἀγαθοῦ δεῖ ἐπιστήμης καὶ ἀληθείας.* Ea omnia inde a *Τούτους οὖν — δεῖ ἐπιστήμης καὶ ἀληθείας* ut Platonica exscripsit Theodoretus p. 9, 10.

Clemens p. 519 loco Platonico (Phaed. 62 B): *Οὐ δεῖ ἑαυτὸν ἐκ ταύτης λύειν οὐδὲ ἀποδιδράσκειν* ex suo ingenio addidit *καὶ συνελόντι εἰπεῖν κακὴν λογίζεσθαι τὴν ὕλην κτλ.*; id ad ipsum locum Platonis pertinere Theodoretus p. 118, 15 (cf. 63, 46) censet.

Clementis p. 731 verba *κακῶν γὰρ ὁ θεὸς οὔποτε αἴτιος*, quae ille Platonicis (Rep. 617 E) *Αἰτία ἑλομένου, θεὸς ἀναίτιος* addiderat, a Theodoreto p. 95, 31 una cum his ut Platonica describuntur.

Pag. 71, 41 (173, 30) deinde Theodoretus verba: *ἐπιμελεῖσθαι γὰρ σώματος δεῖ, φησί, ψυχῆς ἕνεκα ἁρμονίας· δι' οὗ βιοῦν τέ ἐστι καὶ ὀρθῶς βιοῦν καταγγέλλοντας τῆς ἀληθείας κήρυγμα,* quae Clemens p. 571 respiciens Platonem (Rep. 411 A) scripserat, ut ipsius Platonis verba descripsit; et simile aliquid ei accidit p. 118, 25 cf. Clem. p. 630 et Plat. Phaedon. 67 C. Rep. 330 E.

Clementem saepius scriptorum locos quos citat non accurate scriptos afferre, sed interdum variare notum est.[2]) Itaque p. 437 locum Platonis (Legg. 730 C) sic reddidit: *Πλάτων τὸν μέλλοντα μακάριον καὶ εὐδαίμονα γενέσθαι τῆς ἀληθείας ἐξ ἀρχῆς εὐθὺς εἶναι μέτοχον χρῆναί φησιν ἵν' ὡς πλεῖστον χρόνον ἀληθὴς ὢν διαβιώῃ.* Id apud Theodoretum p. 19, 40

---

[1]) Conferas etiam Potteri ad Clementem adnott.

[2]) cf. Freudenthal l. c. p. 12—13 et Potteri ad Clementem adnotr. passim.

hoc modo scriptum legitur: „*Τὸν μέλλοντα γάρ*“, *φησί*, „*μακάριον καὶ εὐδαίμονα ἔσεσθαι τῆς ἀληθείας εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς εἶναι μέτοχον χρή, ἵν᾽ ὡς ἐπὶ πλεῖστον χρόνον ἀληθὴς ὢν διαβιῷ.*“ Plato autem ipse haec dixit: *ἧς ὁ γενήσεσθαι μέλλων μακάριός τε καὶ εὐδαίμων ἐξ ἀρχῆς εὐθὺς μέτοχος εἴη, ἵνα ὡς πλεῖστον χρόνον ἀληθὴς ὢν διαβιοῖ.*

Etiam gravius hoc est. Apud Theodoretum p. 14,31 legimus ut Xenophontis verba *Ὁ γοῦν πάντα σείων καὶ ἀτρεμίζων ὡς μέγας μέν τις καὶ δυνατὸς φανερός· ὁποῖος δέ ἐστι μορφὴν ἀφανής.* Id ex Clemente p. 714 (extat apud Eus. 678 c) descriptum est, qui subiungit *οὐδὲ μὴν ὁ παμφαὴς δοκῶν εἶναι ἥλιος οὐδ᾽ οὗτος ἔοικεν ὁρᾶν αὐτὸν ἐπιτρέπειν, ἀλλ᾽ ἤν τις ἀναιδῶς αὐτὸν θεάσηται, τὴν ὄψιν ἀφαιρεῖται.* Haec (*ὁ γοῦν πάντα — ἀφαιρεῖται*) Clemens Xenophontea esse contendit respiciens procul dubio Mem. IV 3, 14 *ἐννόει δ᾽ ὅτι καὶ ὁ πᾶσι φανερὸς δοκῶν εἶναι ἥλιος οὐκ ἐπιτρέπει κτλ.* (cf. Dindorf. ad Clem. 714). Theodoreto igitur accidit, ut Clementem compilans quae re vera iste ex Xenophonte hausit, omitteret, quae non sunt Xenophontis, describeret.

Cum ita Cyrensis totus ex Clemente doctrinae fonte pendeat, consentaneum est, tum, cum Clemens quibus in dialogis Platonis loci citati extent, non indicaverit, ne illum quidem hoc facere certe ignorantem unde Clemens locos Platonicos petiverit, quod probent hi Theodoreti loci cum Clementinis comparandi: Theodor. 61,45 (= 109,54) : Clem. 691; et 62,28 : Clem. 692 (cf. Eus. 557 d). Neque iam mirabere Theodoretum eosdem citandi errores committere atque Clementem. Cum hic p. 519 quae Plato p. 273 C dixit antecedere ea quae p. 273 B leguntur, putaverit, idem error apud Theodoretum 63,46 invenitur; item p. 118,15 Theodoretus Platonis verba p. 62 B post 114 B extare putat, quia apud Clementem p. 519 locus Platonicus 62 B sequitur illum p. 114 B.

His exemplis satis illustratum esse existimo, quomodo Theodoretus Clementem exscripserit. Quamquam igitur cum fideliter sequi solet, tamen ad verba Clementis emendanda non nisi summa cum cautione adhiberi potest (cf. p. 13), et quia ipse fortasse exemplari Clementis iam non prorsus integro usus est, et quia non ubique constat ex ipso Clemente eum descripsisse,

et quia Theodoreti liber corruptelis minime vacat. Ad id accedit, quod nonnullis locis neglegentius neque ad verbum auctorem suum exscripsit, ut e. gr. p. 60, 10 (ex Clemente 646) in versu Aeschyleo τὰ μηδὲν ὠφελοῦντα μὴ πόνει μάτην (Prom. 44) ζήτει pro πόνει scripsit. Tamen non uno loco Theodoreti verba aut codicis Clementini [1]) lectiones recte se habere confirmant, aut monstrant qua via corruptelis textus Clementini medeamur. Huius rei exempla [2]) hic proferam.

Clem. 373 οὐδαμῶς εἶπεν correxit Dindorfius et ex Theodoreto 9, 13 sq. εἶπον substituit; item loco citato paullo infra δι' ἐπιστήμης, quod Stromatum codex habet, in δεῖ ἐπιστήμης adhibito Theodoreto mutavit.

Clem. 492 φαλάγγων, Theodor. 174, 1 recte φαλαγγίων (cf. Dind. ad hunc locum).

Clem. 517 in fragmento Euripideo exhibet ἔδει γὰρ ἡμᾶς sq., sed cum Theodoretus 71, 21 ἐχρῆν γὰρ ἡ. scripserit, hoc apud Clementem recipiendum videtur (cf. Dindorf., et Nauck. Fragm. Trag. Graec. 395).

Clem. 519 παρὰ μὲν γὰρ τοῦ συνθέντος [3]) πάντα κέκτηνται, rectius Theodoretus 63, 49 παρὰ μὲν (γὰρ) τοῦ συνθέντος — κέκτηται.

Clem. 574 „A Clemente ipso θνατῷ omissum esse ex eo colligi potest, quod etiam apud Theodoretum, p. 153, 18 deest, qui haec ex Clemente descripsit“ Dindorf.; item Clementem l. c. φυὰν non εὐφυᾶ scripsisse Theodoretus l. c. probat.

De **Clem. 580** vide p. sq.

Clem. 585 νέειν corruptum legitur, pro quo Theodoretus 172, 32 rectum ναίειν servavit.

Clem. 657 οὐ καθαρῷ (in loco Platonico 67 B a Clemente citato) contra Platonis μὴ καθαρῷ tuetur et Clementis cod. οὐ θεμιτὸν εἶναι corrigit rectumque μὴ οὐ θεμιτὸν εἶναι commendat Theodoretus p. 15, 30.

Clem. 692 collocationem verborum πατέρα καὶ ποιητὴν tuetur Theodoretus 27, 40 (cf. 62, 28 et Cyrill. p. 548) contra Plat. Tim. p. 28 C.

---

[1]) De Stromatis modo agi dixi in praefatione.

[2]) Vide adnotationem in fine huius capitis positam.

[3]) Dindorfii ad hunc locum adnotationem non intellego.

Clem. 693 in citato loco Platonis (Tim. 31 A) *εἰρήκαμεν* non *προσειρήκαμεν* (sic Plato et Eusebii p. 530c codd. aliquot), deinde fortasse *δεδημιουργημένος ἔσται,* non *ἔσται δεδημιουργημένος* scripsisse probat Theodoretus p. 64, 22. cf. p.

Clem. 708 *ὦρσαι* in Pindari fragmento 106, rectius Theodoretus 89, 16 (et Eus. 674 b) *ὄρσαι*; idem pro Clementini codicis *κελαινεφές* habet *κελαινεφέει* i. e. *κελαινεφέϊ* (Boeckhius) cf. Dind. ad hunc locum.

Clem. 718 codicis *μαρτυρεῖ* (in Heracliti fragmento) fortasse tuetur *μαρτυρεῖ* Theod. 13, 50 (et Eus. 681 c) neque *μαρτυρέει* apud Clementem corrigendum erit.

Clem. 750 codex habet *μειοῖ δὲ τὸ πάθος ἐλπὶς,* aptius Theodoretus p. 173, 48 *αὔξει* praebet, quod haud scio an apud Clementem scribendum sit.

Clem. 843 in codice *ὁ τοῦ Διὸς παῖς* verba ante *καλλίνικος Ἡρακλῆς* excidisse demonstrat Theodoretus 88, 29.

Adnotatio. Fortasse intersit lectoris comperire, quibus praeterea locis Dindorfius verba Clementis adhibito Theodoreto (solo, non accedente Eusebio) restituere conatus sit; sunt, nisi fallor, hi: p. 373 *αὐτοῦ τἀγαθοῦ δεῖ* ex Theod. 9, 12] *αὖ τοῦ ἀγαθοῦ δι'* Clementis codex; p. 491 *ὅσσ'* ex Th. 179, 14] *ὅσ'* cod.; p. 492 *φαλαγγίων* ex Th. 174, 1] *φαλάγγων* cod.; (p. 493 *κατάπαυμα* ex Th. 173, 1] *κατάπλασμα* cod.); p. 574 *δὲ φυὰν* ex Th. 153, 39] *δ' εὐφυᾶ* cod.; p. 619 *κυνογάμια* ex Th. 173, 4] *κυνογάμεια* cod.; p. 640 *εὐσεβέων* ex Th. 117, 2] *εὐσεβῶν* cod.; p. 653 *λεῦσσε* ex Th. 14, 11] *λεῦσε* cod.; p. 656 *ὧδε γὰρ* ex Th. 14, 2] *ὡς δὲ παρ'* cod.; p. 723 (fortasse iniuria) *αὖτις* ex Th. 26] *αὖθις* cod. et Eus., cf. Dind. ad hunc locum; p. 747 *τεκμαιρόμεσθα* ex Th. 102, 10] *τεκμαιρόμεθα* cod.; p. 842 *διέρρηξ'* ex Th. 88, 5] *διέρρηξα* cod.; p. 843 *αὐτῷ* ex Th. 87, 50] *ἑαυτῷ* cod., sed eo loco erravit Dindorfius, nam Theodoreti codd. BC *ἑαυτῷ* habere videntur; p. 843 *πρᾶγμαθ'* et *γίγνεται* ex Th. 87, 50] *πράγματα* et *γίνεσθαι* cod.

Caput II.

De Eusebio Caesariensi Theodoreti fonte.

Cum multo plura et magis continua ex Eusebio quam ex Clemente Theodoretus exscripserit, qua ratione auctoribus suis usus sit, comparatis Eusebianis locis cum Theodoreteis etiam

facilius perspicitur; accedit quod certius hic affirmari potest, quibus locis levitatis et neglegentiae accusandus sit, quia quam Eusebio debet doctrinam ubique ex eo ipso hausisse videtur. Cuius neglegentiae exempla quaedam proferam.

Pag. 46, 42 (ex Eus. 187c) Plutarchi verba se afferre dicit ex libro de oraculorum defectu desumpta, cum Eusebius recte indicaverit, ea inveniri in Plutarchi libro de Iside et Osiride scripto. Confusio excerptorum Theodoreti ex eo orta videtur, quod deinde p. 46, 49 ex Eus. 188c locum Plutarchi de defectu oraculorum libri affert. Item p. 47, 6 sermonem suum Porphyrii loco ex litteris ad Anebonem Aegyptium datis se exornare putavit; extat autem ille locus in Porphyrii de abstinentia libro II quod comperire debuit ex Eus. 94b, quem compilavit. Similiter p. 47, 15 citat Porphyrii περὶ τῆς ἐκ λογίων φιλοσοφίας. sed locum reperiri in libro II de abstinentia (cap. 41 extr.) Eusebius p. 171a adnotavit. Atque p. 130, 12 non liber X Legum Platonis, sed liber VI citandus erat cf. Eus. 708 ab. Alios citandi errores non Theodoretus, sed Eusebius commisit, ut p. 185b verba Plutarchi 418 E ante 417 C posuit, quem errorem Theodoretum repetere (136, 53) consentaneum est, quippe qui Plutarchum non legerit. Ubi apud Eusebium locum excerpti scriptoris non accurate indicatum invenerat, ne ipse quidem scire videtur, quo in libro extet, cf. Theod. 62, 18 — Eus. 557d; 131, 20—709a; 159, 3—563a etc. (vid. quae similia supra de Theodoreti excerptis Clementinis disputavimus). Confusionem autem quandam excerptorum suorum Theodoretus p. 170, 39 ostendit, cum in Platonis Theaeteto inveniri dicit, quae in Legibus (p. 639 A) leguntur; Eusebius p. 609c ubi locus ille Platonicus extaret non dixerat.

Haec certe levitatis et neglegentiae interdum admissae Theodoretum coarguunt. Minoris momenti est, quod saepius eum excerpta sua quae sibi vellent non satis intellexisse apparet; id aevo illi, non episcopo Cyrensi tribui potest. Notum est iam ne Eusebium quidem operam navasse, ut verba Platonis, quem passim excerpsit, accurate perciperet (cf. Freudenthal. l. c. p. 7): et sequentibus saeculis distincte cogitandi et percipiendi studium certe non magis floruit quam Eusebii aetate. Quare non ita miranda est ratio ista, qua Theodoretus saepe excerpta sua

tractaverit, ut e. gr. p. 93,4 exscribit locum Platonis (Theaet. pag. 176 B) ex Eusebio 605 c sic: Ὅτι ὁ θεὸς οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἄδικος, ἀλλ' ὡς οἷόν τε δικαιότατος· καὶ οὐκ ἔστιν ὁμοιότερον οὐδὲν ἢ ὃς ἂν ἡμῶν γένηται ὅτι δικαιότατος περὶ τοῦτο; iam quid περὶ τοῦτο significet, non facile diceretur, nisi ex Platone (extat ap. Eus. l. c.) sciremus ea verba esse initium enuntiati quod sequitur. Talia commemoravisse satis habeo, quippe quae inserviant ad illustrandum Theodoreti ingenium et studium; hoc enim cognitum habere debemus, ut quid ei tribui possit sciamus.

Ceterum Cyrensem eadem, qua Clementem compilavit, fiducia Eusebium exscripsisse per se verisimile est et omnino comparatis pluribus utriusque locis apparebit. Multo magis autem Theodoreti Eusebium describentis quam Clementem compilantis fides et diligentia elucet. Nam in universum affirmari potest, Theodoretum locos scriptorum Graecorum ad verbum ex Eusebio descripsisse[1]) cf. e. gr. Theod. 141, 24 — Eus. 224 d; 141, 34—233 d; 137, 37—241 c; 138, 1—236 d; 13, 30—573 b et 574.

Quod tamen illorum textus Eusebianus a Theodoreteo sexcenties discrepat, propterea Theodoretus semper rem neglegenter egisse putari non debet. Cum enim Eusebii praeparatio evangelica codicibus malae notae (excipiendi sunt AH, qui priores V libros continent) nobis servata sit[2]), cum constet eam passim ex scriptoribus ab Eusebio excerptis correctam i. e. interpolatam esse (vide infra)[3]), contra Theodoreti opusculum certe permultis locis corruptum, fortasse ipsum quoque a librariis ex arbitrio emendatum, tamen interpolationibus istius modi vacare[4]) videatur, omnino consentaneum est textus Eusebii et Theodoreti saepissime valde discedere. Quare fit, ut persaepe, cum de singulis Theodoreti et Eusebii lectionibus diversis quaeratur, non diiudicari possit,

---

[1]) Quamquam vide p. 20 adnot. 1.

[2]) De codd. praeparationis evangelicae cf. Gaisford. et Dind. in praefatt., Freudenthal. l. c. p. 199, Diels. l. c. p. 159.

[3]) Certe in editionibus id factum esse puto; nonnullos codices ex Platone quidem interpolatos esse certum est.

[4]) Excipias quaeso lectiones a Gaisfordio Vb notatas, de quibus is recte in praefatione iudicavit; equidem earum rationem non habui.

utrum Theodoretus Eusebium neglegenter exscripserit aut eius textus corruptus sit, an scriptorem paganum aut neglegenter aut vitioso ex codice exscripserit Eusebius, cuius verba ex libris manuscriptis huius scriptoris pagani correcta esse possint. E. gr. p. 23,17 Theodoretus locum Platonis (Theaetet. 180A) ex Euseb. 723d affert, et lectionum discrepantiae hae sunt:

	Theod. p. 23:	Eus. 723d:
18.	*τινα*	*τινά τι*
19.	*αἰνιγμάτων*	*αἰνιγματώδη*
	πονοῦσι	*ἀποτοξεύουσι*
	τὸν λόγον	*λόγον*
20.	*εἰρήκασι*	*εἴρηκεν*
21.	deest in BVa; habet A; *οὐδέν ποτε* C	*οὐδέποτε οὐδὲν πρὸς*
21.	*οὐδὲ*	*οὐδέ γε*] *γε* om. FG
	ἐκεῖνοι	*ἐκεῖνοι αὐτοί*
22.	*φυλάξουσι*	*φυλάττουσι*
24.	*ἂν δύνωνται*	*δύνανται*
	om.	*ἐκβάλλουσι*
30.	*ταῦτα*	*τὰ τοιαῦτα*
	καὶ ὅσα	*καὶ ἄλλα ὅσα.*

Eusebius prorsus cum textu Platonico consentit, Theodoretus melius scriptum exhibet nihil: num ideo Theodoretum tot describendi vitia comisisse putabis? Contra ne illud quidem contenderis in textu Eusebii quae meliora leguntur deberi omnia interpolatoribus. Patet singulis locis pro certo dici non posse, quid Eusebius, quid Theodoretus aut recte aut vitiose scripserint. Ut vero universam rationem, quae inter eos esse videatur, cognoscamus, omnes utriusque locos comparatos exponere oportebit.[1]) Id vero hoc loco meum non est. Sed cum nostra multo pluris intersit, quas medelas Theodoreti verba Eusebianis afferent, de iis locis tantum agam, ubi Theodoreti textu comparato Eusebianus aut corrigitur aut ab interpolationibus defenditur, quas ne quis e scriptoribus ab Eusebio excerptis inferat cavendum est.

Itaque primum de Eusebii praeparationis evangelicae libris V prioribus, quorum boni testes AH codices extant, fusius agamus.

---

[1]) Permultis locis Theodoretus ab Eusebio similiter discrepat atque p. 23 ab Eus. 723d; et Theodoretum omnino multo minore diligentia usum esse quam Eusebium facile intelligitur.

1. **Eus. 26b:**	Theod. p. 23,5[1]):	Plato Phaed. 96 A:
11. ὑπερήφανον εἶναι ἐδόκει*[2])	ὑπερήφανον ἐδόκει εἶναι	ὑπερήφανος ἐδόκει εἶναι
d9. ὑπ' αὐτῆς* πρὸ τοῦ*] πρὸ τούτου AH	ὑπὸ ταύτης πρὸ τούτου	ὑπὸ ταύτης πρὸ τοῦ.

Exhibebat igitur Theodoreti liber praeparationis evangelicae scripta *ὑπερήφανον* et *πρὸ τούτου* (hanc dittographiam iam Theodoretum legisse mihi probabilius videtur), et *ἐδόκει εἶναι* et *ὑπὸ ταύτης*, quae in pr. ev. restituenda sunt (scl. si Gaisfordio editori Graec. aff. curationis fidem habes. Equidem in sequentibus (sicut in cap. I) sic agam, quasi editionem eius, qua melior non extat, omni ex parte fide dignam putem — quamquam persuasum habeo eam hac fide dignam non esse. Fieri igitur potest, ut nova editione accuratiore parata nonnulla, quae hic proferentur irrita cadant).

2. **Eus. 29b cf. 151a:**	Theod. p. 108,26:	Porphyr. de abst. II 7 ed. Nauck.:
4. προϊουσῶν	προϊουσῶν	προσεχουσῶν; corr. Nauck., et προϊουσῶν recepit.
5. πρόσθεν λεχθείσας AH ῥηθείσας CDFG; sed p. 151: προσενεχθείσας ABEH πρόσθεν λεχθείσας FG	πρότερον λεχθείσας	πρόσθεν λεχθείσας.

Legit procul dubio Theodoretus: *προϊουσῶν* et *πρόσθεν λεχθείσας* (utroque Eusebii loco ea scribenda sunt).

3. **Eus. 29c et 87c:**	Theod. 5,25 et 39,15	Plato Crat. 397C:
2. ἀνθρώπων τῶν*] τῶν om. AH p. 29c et omnes codd. 87c	ἀνθρώπων	ἀνθρώπων τῶν
5. ἄστρα] τὰ ἄστρα A p. 29	ἄστρα	ἄστρα

In Theodoreti libro erat *ἀνθρώπων* omisso *τῶν* et *ἄστρα*, et sic apud Eusebium scribendum esse puto.

---

[1]) De eo, quod Theodoretus scit Platonis *περὶ ψυχῆς* librum eundem esse, atque Phaedonem in altera commentatione agam.

[2]) * appinxi, ubi Gaisfordium recte scripsisse nego.

4. Eus. 75d:	Eus. 692c cf. 639d	Theod. 12,35 et 43,20	Plato Tim. 40
11. *πιστευτέον* AH] *πειστέον* ceteri	*πιστευτέον*] *πειστέον* DG *πιστέον* F cf. 639d *πειστέον* plerique	*πιστευτέον*	*πειστέον*
76, a 1. *ἐκγόνοις*	*ἐγγόνοις* CDFGI p. 639d *ἐκγόνοις* plerique	*ἐκγόνοις* 43, 20 et C 12,35 ubi ceteri *ἐγγόνοις* (casu, puto)	*ἐκγόνοις* cod. o *ἐγγόνοις*
σαφῶς γέ πως τοὺς AH] *δὲ τοὺς* B	*σαφῶς γέ που** CDFGI et sic p. 639 CFGI	*σαφῶς δέ πως τοὺς*	*σαφῶς δέ που τούς γε* o *σαφῶς γέ* [2])
2. *εἰδόσι**] *εἰδότων* AH et CDF	*εἰδόσι**] *εἰδότων* CFGI p. 639 *εἰδόσι**] *εἰδότων* I	*εἰδότων* CDVa12. p. 43,26 *εἰδόσι* ex correctione scriptum videtur	*εἰδόσι* o *εἰδότων* [2])
3. *τε* om.	*τε* om. om. p. 639	*τε* om.	*ἄνευ τε*
5. *φασκόντων*	*φασκόντων* CFGI et sic p. 639	*φασκόντων*	*φάσκουσι* A o *φασκόντων* [3]).

Ex hoc loco dilucide apparet Eusebii codices deteriores ex Platonis codicibus non optimae notae (is codex, ex quo hic in codd. CDFG interpolatio fluxit, codici o similis fuisse videtur), interpolatos esse, cf. lectiones *πειστέον* p. 75 et 692, *ἐγγόνοις* et *γέ που* p. 692. Miro casu factum est, ut codex interpolatoris veteres illas corruptelas *φασκόντων* et *εἰδότων* exhiberet, quas Eusebius in suo Platonis libro legerat.[1]) Theodoretus igitur invenerat *πιστευτέον*, *ἐκγόνοις*, *σαφῶς γέ πως τοὺς*, *εἰδότων*, *φασκόντων*.

---

[1]) Sic sentiendum erit, nisi cui verisimilius videbitur codices ox adhibito Eusebio interpolatos esse (*σαφῶς γέ* et *εἰδότων*; vide Epimetrum de Platonis codicibus); nam si in Eusebium ex codicibus Platonis lectiones *σαφῶς γέ* et *εἰδότων* pervenisse statuimus, interpolatorem etiam lectiones *εἰδόσι* (ineptissime Gaisford. id recepit), et *φάσκουσι* in Eusebium non intulisse, satis nobis mirandum est, nisi interpolatorem codice quodam ox codd. simili usum esse credimus.

[2]) et sic etiam Stallbaumii cod. x.

[3]) et sic etiam Stallbaumii cod. x et Tubingensis.

5. Eus. 76c:	Eus. 641c cf. 694a:	Theod. 44,1:	Plato Rep. 377E
5. οὐ καλῶς*] οὐκ ἀληθὲς AH οὐκ ἄλλως CFG	οὐ καλῶς et sic p. 694a	οὐκ ἀληθῶς	οὐ καλῶς
d 6. deest	ἔφην*] om. BCFE	deest	ἔφην
7. δοτέον*	λεκτέον] δεκτέον B δοκτέον DI	λεκτέον	λεκτέον.

Cum Theodoretus p. 44, 1 dicat esse hunc locum Platonis de Republica libri, Eusebius autem p. 76c id non adnotaverit, Theodoretus hoc ex Eus. 640d comperisse putari potest; ipsum enim locum ex 76c eum sumpsisse propterea arbitror, quod ibi sicut apud Theodoretum Platonis verba inde a *πρῶτον μέν, ἦν δ' ἐγώ,* usque ad *ἄνευ ὑπονοιῶν* citantur, contra p. 640d sqq. Eusebius multo plura et continua ex Platone descripsit. Ceterum id quoque existimes licebit, Eusebium etiam p. 76c adnotasse, ex quonam Platonis dialogo locum citatum depromeret, id „lemma" vero (liceat mihi, ut brevis sim, hanc vocem etiam in sequentibus eodem sensu praeditam usurpare) in codice archetypo excidisse (cuius rei certa exempla vide infra). Quocumque modo id se habet, Theodoretus in libro suo haec legit: *οὐκ ἀληθῶς* sive *ἀληθὲς* (certe p. 76c, fortasse etiam p. 641 et 694) et *λεκτέον*, quod utroque Eusebii loco ponatur oportet, non legit *ἔφην*, quod delendum est ap. Eus. p. 641.

6. Eus. 78c:	Theod. 45,26:	Dionys. v. Hal. Antiq. II 19 (Kiessling)
8. ὁ* Κρόνος] ὁ om. BDFGH	Κρόνος	Κρόνος.

Theodoretus vitiosum illud ὁ non legit.

7. Eus. 137c. Theod. p. 138, 50 locum Diogeniani ex Eus. p. 137c descripsit citato Diogeniano. Cum vero non probabile sit ex Eus. 262d Theodoretum nomen scriptoris ratiocinatione divinasse, certe apud Eus. 137c in codice archetypo lemma excidit. [Extat lemma in capitum lemmatis a Gaisfordio tom. I post praefationem positis p. IV adnot. g (?)].[1])

---

[1]) Eorum capitum lemmatum (quae caveas, velim, ne cum lemmatis a me dictis confundas) immerito rationem non habuisse videtur Freudenthalius l. c. p. 5. Quae equidem dixi lemmata, videlicet ab ipso Eusebio scripta, ne putes ex istis haurire potuisse Theodoretum, conferas p. 27 N. 22. Ceterum ista capitum lemmata genuinis Eusebii verbis perniciosa fuisse suspicor.

8. Eus. 147d exscripsit Theod. 108, 34 et 138, 16: utroque loco exhibet verba *καὶ βλαβερὸν*, quae apud Eus. 148a1 codd. BCDFG vitiose omittunt (ergo habent AH, si Gaisfordii silentio fides est; itaque Theodoretus veram lectionem tuetur.

9. Eus. 173a	Theod. 47, 15	Porphyr. de abst. II 41
10. *ἐπιτελεῖται*	*ἐπιτελεῖται*	*ἐκτελεῖται*
b1. *πλήρεις γὰρ εἰσι*] *εἰσι* AH omittere videntur	*πλήρεις γὰρ (εἰσι)*] *εἰσι* solus cod. A habet	*πλήρεις γὰρ*
2. *οὗτοι* deest	*οὗτοι* deest	*οὗτοι*
11. *τὸ πνευματικὸν καὶ σωματικὸν*	*τὸ πν. κ. σ.*	*τὸ πνευματικόν.*

Videtur Theodoretus legisse *ἐπιτελεῖται, πλήρεις γάρ*, certe legit *τὸ πνευματικὸν καὶ σωματικὸν*, non scriptum invenit *οὗτοι*.

10. Eus. 174b	Theod. 47, 40
τοὺς δὲ πονηροὺς δαίμονας] *δαίμονας* om. AH	*τοὺς δὲ πονηροὺς δαίμονας.*

Hoc loco Theodoretus deteriorum codicum Eusebii lectionem defendit.

11. Eus. 185a cf. 205d	Theod. 136, 29	Plutarch. de def. oracc. p. 418E
1. *τὸ μὲν οὖν*] *οὖν* deest p. 2·5d	*τὸ μὲν οὖν*	*τὸ μὲν*
1. *χρηστηρίοις* [*εἶπε*]; *εἶπε* deest 185, extat 205	*εἶπε* deest	*χρ. εἶπε*
5. *δραχμὴν* utroque loco	*δραχμὴν*	*ῥάγδην*
7. *θανάτους*] *ἀθανάτους* ACDFGH p. 185, p. 206a *θανάτους*	*θανάτους*	*θανάτους*

Theodoretum igitur, qui exscripsit p. 185a, illud *εἶπε* non legisse putaverim, contra exhibebat eius codex praeparationis evangelicae *οὖν* (quod id p. 205d in omnibus codd. deesse ex Gaisfordii silentio concludi oportet, mihi suspectum est), *δραχμὴν*, *θανάτους*.

12. Eus. 185b	Theod. 136, 53	Plutarch. de def. oracc. p. 417E
c6. *παραμύθια τὰς παλαιὰς ποιούμενος ἀνθρωποθυσίας* habent ACDFGE	*παραμυθίας τῆς παλαιᾶς ποιουμένους ἀνθρωποθυσίας*	*μειλίχια καὶ παραμύθια καὶ τὰς ἄλλας ποιουμένας ἀνθρωποθυσίας.*

Ergo inepte Gaisfordius ex Plutarcho in praep. ev. post *παραμύθια* vocem *καὶ* addidit, neque aptius pro *παλαιάς* Vigerum secutus *πάλαι* scripsit.

13. Eus. 187 c	Theod. 46, 40	Plut. de Iside et Osir. p. 360D (ed. Parthey.)
c 4. *ᾳδόμενα καὶ πολλαί τινες ἀ. πρ.*	*ᾳ. κ. πολλαί τινες ἀ. πρ.*	*ᾳδόμενα καὶ Κρόνου τινὲς ἄθεσμοι πράξεις*
5. *καὶ Πυθῶνος ἀντιτάξεις**] desunt in AH	*καὶ Τυφῶνος ἐπιτάξεις*	*καὶ Πυθῶνος ἐπιτάξεις*
6. *πλάναι**] *πλάνη* AH	*πλάνη*	*πλάναι*
7. *ὧν παρὰ πᾶσι*] *ἄλλων τε* deest	*ὧν παρὰ πᾶσι*] *ἄλλων τε* deest	*ἄλλων τε ὧν πᾶσι.*

Legit Theodoretus: *ᾳδόμενα καὶ πολλαί τινες, καὶ Τυφῶνος* (aut *Πυθῶνος*) *ἐπιτάξεις, πλάνη, ὧν παρὰ πᾶσι.*

14. Eus. 188 c	Theod. 46, 49	Plut. de def. orr. p. 424
d 1. *Ἄρυτον*	*Ἄρυον*	*Δρύον*
		ω ο
2. *Τόσιβιν*	*Τόσαβιν*	*Τροσωβιὸν*
5. *Σκιροὺς*	*σκιρροὺς*	*σκληροὺς.*

Vides haec tria nomina iam ab Eusebio aliter scripta esse atque apud Plutarchum occurrunt.

15. Eus. 197 d	Theod. 48, 21
11. *καὶ ἀπὸ*] *καὶ* om. A	*καὶ* om.
12. *ἀπὸ ζώων*] *θυσιῶν* AH	*ἀπὸ τῶν θυσιῶν.*

Certe legit Theodoretus *θυσιῶν,* num *καὶ* in libro eius defuerit, dubitaverim.

16. Eus. 205 b	Theod. 137, 25	Plut. de def. orr. p. 411
7. *πάλαι**] *παλαιὰ* H	*παλαιὰ*	*παλαιά.*

Ergo in Theodoreti codice erat *παλαιὰ* recte scriptum.

17. Eus. 212 b	Theod. 139, 50
2. *Ἅλυν ποταμὸν* ABCDFGH; sed cf. 212 d	*Ἅλυν.*

ποταμὸν glossema recte eiecit Gaisfordius.

18. Eus. 222 bc	Theod. 124, 25 et 140, 49
c 6. *εὐνομίαν*] *εὐνομίην* AH	*εὐνομίην.*

Recte scripsit in Eusebio Gaisfordius *εὐνομίην.*

19. Eus. 233 d	Theod. 141, 34
*Διονύσοιο**	*Διωνύσοιο.*

Eusebii codicum lectio ex Theodoreto emendanda est.

In exemplis allatis non uno loco praeparationis evangelicae codicum AH cum Theodoreto consensus quid Eusebius scripserit nos edocuit. Quod ad libros VI—XV attinet, eis quaestionis adiutoribus caremus. Ea de causa rarius ex Theodoreto perspicitur, ubi Eusebius ipse prave aliquid scripserit; interpolationes enim, quae ex scriptorum paganorum libris in Praeparationem illatae sunt, si codices Eusebii consentiunt, omnino certa ratione reperiri nequeunt, cum nemo de singulis verbis diiudicare audeat quid Theodoreti, quid Eusebii neglegentiae, quid Curationis, quid Praeparationis librariorum socordiae aut emendandi studio tribuendum sit. Quae cum ita sint, sicut supra factum est, de iis tantum locis agemus, quibus comparatis textum Eusebii defendi aut emendari posse admodum probabile est. Id autem duplici modo fieri potest, scilicet aut Theodoreti cum scriptore pagano consensus invita codicum Eusebianorum auctoritate Eusebium accuratius, aut consensus Theodoreti cum codicibus (aut omnibus aut nonnullis) Praeparationis neglegenter locum citatum descripsisse docebunt. Itaque quaestionem institutam continuemus, qualem Praeparationis textum Theodoretus legerit, omnino omissa ea quaestione, quid forte iam Theodoretus in suo codice Praeparationis corruptum invenisse putandus sit. Quae quidem quaestio certe requiret, ut omnes loci, qui apud praeparationis evangelicae compilatores reperiuntur, accurate comparentur, quod cum fructu aliquo fieri adhuc vix posse mihi videtur, donec meliores illorum Patrum, praesertim Cyrilli contra Iulianum librorum editiones paratae sint. Iam vero ad restituendum Praeparationis exemplar, quale legit Theodoretus, quae in Curatione invenisse mihi videor exponendo pergam.

20. Eus. 255b	Theod. 86,23
10. ὀνομάζων χαίρει] El: ὀνομάζει ceteri codd.	ὀνομάζων χαίρει.

21. Eus. 257d	Theod. 86,35
2. εἱμαρμένη* πεπρωμένη	εἱμαρμένη καὶ πεπρωμένη
6. διισταμένων] ἱσταμένων CDFG	διισταμένων.

Verisimile est Theodoretum legisse εἱμαρμένη καὶ πεπρωμένη: et recte Gaisfordius apud Eusebium ὀνομάζων χαίρει et διισταμένων posuit.

22. Eus. 524b	Theod. 26,22	Plato Tim. 27D
9. *γινόμενον*] *γενόμενον* BFG	*γιγνόμενον*	*γινόμενον*
11. *τὸ δὲ αἰσθήσει ἀλόγῳ*	*τὸ δὲ αἰσθήσει ἀλόγῳ*	*τὸ δ' αὖ δόξῃ μετ' αἰσθήσεως ἀλόγου*
p. 524d	p. 26,29	p. 37E
6. *ταῦτα γὰρ πάντα τὸ ἦν καὶ ἔσται*	*ταῦτα γὰρ πάντα τὸ ἦν καὶ ἔσται*	*ταῦτα δὲ πάντα καὶ τό τε ἦν τό τ' ἔσται* (*ἦν καὶ ἔσται* A) post *ἔσται* habet
om.	om.	*χρόνου γεγονότα εἴδη*
10. *τὸ δὲ ἦν καὶ τὸ ἔσται*	*τὸ δὲ ἦν καὶ τὸ ἔσται*	*τὸ δὲ ἦν τό τ' ἔσται*
11. *γένεσιν οὖσαν*	*γένεσιν οὖσαν*	*γένεσιν ἰοῦσαν.*

Apparet Theodoretum hunc locum ex Eus. 524 descripsisse; videtur etiam arbitrari Platonis p. 27 D excipi pagina 37 E (cf. Eus.). Apparet autem non solum *γινόμενον, τὸ δὲ αἰσθήσει ἀλόγῳ* etc. Eusebium scripsisse, sed etiam lemma apud hunc in codicibus vitiose deesse. Cum enim sciat locum citatum extare in Timaeo, lemma autem nunc in Eusebio neque p. 524 b neque 524 d legatur, id in archetypo excidisse p. 524 b post verba *ὧδέ πῃ διασαφῶν* et addendum esse *ἐν τῷ Τιμαίῳ* vel aliquid simile persuasum habeo [lemma deest apud Gaisfordium l. c. p. XIV, cf. supra].

23. Eus. 530d	Theod. 27,23	Plato ep. ad Dion. p. 363A
7. *καὶ ὅσας μὴ*	*ὅσας μὴ*	*καὶ ὅσας ἂν μὴ*
11. *τῆς μὲν οὖν*	*τῆς μὲν οὖν*	*τῆς μὲν γὰρ*
p. 531a	p. 89,23	Plato Legg. 716A
2. *ὡς*	*ὡς*	*ὥσπερ*
2. *ἀρχὴν καὶ*	*ἀρχὴν καὶ*	*ἀρχήν τε καὶ*
3. *εὐθέα* CEFG] *εὐθεία* D et *εὐθείᾳ* p. 789d	*εὐθείᾳ*	*εὐθείᾳ*
7. *κεκοσμημένος**] *καὶ κεκοσμημένος* FG	*καὶ κεκοσμημένος*	*καὶ κεκοσμημένος*] del. Schanz
9. *ὁ δέ τις**] *εἰ δέ τις* CG	*εἰ δέ τις*	*εἰ δέ τις.*

Ergo Theodoreti codex Praeparationis exhibebat *καὶ ὅσας μή, τὸ μὲν οὖν, ὡς, ἀρχὴν καί, εὐθείᾳ, καὶ κεκοσμημένος, εἰ δέ τις.*

24. Eus. 534c	Theod. 32,36	Plato Epin. 986C
1. *μηδὲ*	*μηδὲ*	*μήτις*
3. om.	om.	*ὁρατόν* (post *θειότατος*).

Haec igitur aliter, atque apud Platonem reperiuntur, scripta Theodoretus legit; sed quod nos apud Eusebium (p. 534b extr.) legimus *ἐν τῷ Ἐπιμενίδῃ* (idem vitium p. 471d11 reperitur) in Theodoreti codice nondum fuisse videtur, qui recte *ἐν τῇ Ἐπινομίδι* citat.

25. Eus. 536a	Theód. 33,15	Plotin. p. 487 F (ed. Müller II p. 148)
2. *μέγιστα*	*μέγιστα*	*μέγιστον*
5. *μετ' αὐτὸ*	*μετ' αὐτὸ*] *αὐτὸν* B	*μετ' αὐτὸν*] Müller ex Eus. *αὐτὸ*
μετ' αὐτὸν] *αὐτὸ* FG	*μετ' αὐτὸν*	*μετ' αὐτὸν*] Müller *αὐτὸ*
6. *ἐκεῖνον*	*ἐκεῖνον*	*ἐκεῖνο*

Legit Theodoretus apud Eusebium *μέγιστα* et *ἐκεῖνον*, deinde priore loco *αὐτὸ*. Quid posteriore loco legerit, dubium est, cum illud *ν* dittographia esse possit (sequitur *νοῦς*), et Eusebii codices non consentiant; fortasse quispiam propter *ἐκεῖνον* quod sequitur *αὐτὸν* in codice Praeparationis fuisse probabile putaverit.

26. Eus. 537b	Theod. 33,10	cf. Numenius ed. ex Eusebio Thedinga
10. *δημιουργοῦντος δὲ θεοῦ*	*δημιουργοῦντος θεοῦ*	*δημιουργοῦντος θεοῦ*

Theoretus molestum illud *δὲ* non legisse videtur.

27. Eus. 542b	Theod. 61,32	Plat. Tim. p. 29
8. *ἐβουλήθη γενέσθαι*	*ἐβουλήθη γ.*	*γενέσθαι ἐβουλήθη*
p. 542d	p. 62,1	Plat. Rep. 509B
2. *ἀλλὰ καὶ τὸ εἶναί τε καὶ τὴν οὐσίαν ὑπ' ἐκείνου αὐτοῖς προσεῖναι*] deest in codd. plerisque, habent soli I et E fortasse	extat	extat
3. *ἐπέκεινα οὐσίας*	*ἐπέκεινα οὐσίας*	*ἔτι ἐπέκεινα τῆς οὐσίας.*

Probat Theodoretus Eusebium scripsisse *ἀλλὰ καὶ — προσεῖναι* et supra *ἐβουλήθη γενέσθαι*; *ἔτι* et *τῆς* non fuisse videtur in codice Praeparationis quo Theodoretus usus est.

28. Eus. 551b	Theod. 76,26	Plat. Alcib. p. 133
1. *τῆς ψυχῆς ἐστι θειότατον*] sic BCDEFGI	*τῆς ψυχῆς ἐστι θειότατον*	*ἐστι τῆς ψυχῆς νοεώτερον.*

Eusebius scripsisse videtur *τῆς ψυχῆς ἐστι* et *θειότατον*, quod ineptissime emendare studuit Gaisfordius (eum secutus est Dindorf; cf. Freudenthal. l. c. p. 201) *θειότερον* scribens.

29. Eus. 551cd	Theod. 76,32	Plat. Phaed. 79A
d2. καὶ ταῦτα	καὶ ταῦτα	καὶ τοῦτο
2. ἄλλο δή τι*] τι om. CFG	ἄλλο τι	ἄλλο τι
10. ἀλλὰ μὴν ἡμεῖς	ἀλλὰ μὴν ἡμεῖς	ἀλλὰ ἡμεῖς[1])
p. 552d	p. 77,2	p. 80A
12. ἆρ' οὐ*	ἆρ' οὐχὶ	ἆρ' οὐχὶ
p. 553		
αὕτη δὲ δή*] δή om. BCDEFGI	αὐτὴ δὲ	αὕτη δὲ δή

(cf. p. 21 N. 1 adnot. 1). Legit Theodoretus *καὶ ταῦτα, ἀλλὰ μὴν, ἄλλο τι, ἆρ' οὐχὶ, αὕτη δὲ.*

30. Eus. 557d (558a)	Theod. 62,18	Plato Tim. 28B
2. περιληπτὰ καὶ γεννητὰ	περιληπτὰ καὶ γεννητὰ	περιληπτὰ μετὰ αἰσθήσεως γιγνόμενα καὶ γεννητὰ
p. 558c (cf. 703a)	p. 62,35	p. 38C
6. λόγου θεοῦ καὶ διανοίας*] λόγου καὶ διανοίας θεοῦ EI	λόγου καὶ διανοίας θεοῦ	λόγου καὶ διανοίας θεοῦ
8. πλάνητες (p. 703a codd. DI: πλάνητα)	πλάνητες	πλάνητα
10—11. ποιήσας (p. 703a: ἑκάστων ποιήσας)	ποιήσας	ἑκάστων ποιήσας.

Theodoreti igitur codex verba *μετὰ αἰσθήσεως γιγνόμενα* et deinde p. 558c *ἑκάστων* non exhibebat; *πλάνητες* vitiose, *λόγου καὶ διανοίας θεοῦ* recte in eo scriptum fuisse videtur.

31. Eus. 560a	Theod. 63,12	Plat. Politic. 269D
5. τοῖς πάντων* θειοτάτοις] πάντων τοῖς B πάντως τοῖς CFG πάντως D (ν suprascr.)	πάντως τοῖς θειοτάτοις	τοῖς πάντων θειοτάτοις
σώματος δέ ἐστι] ἐστι om. BCI	σώματος δὲ	σώματος δὲ
6. ὃν δὲ* I] ὃν δὴ ceteri codd.	καὶ δὴ ὃν	ὃν δέ.

Theodoretus legisse videtur: *πάντως τοῖς, σώματος δὲ, ὃν δή.*

32. Eus. 563a	Theod. 159,3	Plato Rep. 614B
b1. οἱ	οἱ	οὖν] οἱ r
7. πορεύεσθαι] πτηνεύεσθαι BCFG	πορεύεσθαι	πορεύεσθαι

---

[1]) ex Sch. recensione, Bekk. scripsit *μὴν* cum codd. quibusdam.

c 2. καὶ διακελεύεσθαι διακούειν	καὶ διακελεύεσθαι διακούειν	καὶ διακελεύοιντό (alii codd. . . εύειν. οντό) οἱ ἀκούειν

Legit Theodoretus οἵ, πορεύεσθαι, καὶ διακελεύεσθαι, διακούειν.

33. Eus. 567c	Theod. 154, 22 (cf. 118)	Plat. Phaed. 113 A
d. δέ γε τῇ γῇ ἄλλοσε] ἄλλως τε CDFG, in I desunt τῇ γῇ ἄλλοσε	δὲ ἄλλοσε	δὲ [τῇ γῇ] ἄλλοσε
10. πρῶτον	deest	πρῶτον] del. Sch.
12. λίμνην ποιεῖ	λίμνην ἣν ποιεῖ] ἣν om. B	λίμνην ἣν ποιεῖ Sch.] ἣν om. BCDE Stobaeus
13. ὁ ποταμὸς ἐμβάλλων] ἐμβαλὼν ὁ ποταμὸς CDFG	ὁ ποταμὸς ἐμβάλλων	ὁ ποταμὸς ἐμβάλλων
p. 568	p. 155, 1	p. 113 E
c 6. ἀνδροφόνοι ἢ τοιούτῳ	ἀνδροφόνοι ἢ τοιούτῳ	ἀνδροφόνοι τοιούτῳ
11—12. [καὶ μητραλοίας*] om. BCEFGI	om.	καὶ μητραλοίας
d 12. om.	προκεκρίσθαι (hic et p. 118, 5)	προκεκρίσθαι Sch.] deest in codd.
p. 569a cf. 699c		
2. ἐπὶ τῆς γῆς	ἐπὶ τῆς γῆς	ἐπὶ γῆς
5. χαμάτων	χαμάτων	σωμάτων

Hunc Platonis locum ex Eusebio in Theodoreti sermonem fluxisse mihi persuasi. Quodsi id verum est, in codice quem adhibuit Praeparationis erat: δὲ ἄλλοσε, ὁ ποταμὸς ἐμβάλλων, ἀνδροφόνοι ἢ τοιούτῳ, ἐπὶ τῆς γῆς, non inveniebatur πρῶτον neque καὶ μητραλοίας. Illud ἣν autem, cum in codice B apud Theodoretum desit, in ceteris codicibus aut coniectura aut dittographia (antecedit λίμνην) ortum esse possit, a Theodoreto apud Eusebium lectum esse non pro certo affirmaverim. Etiam magis dubium videtur, quid de voce προκεκρίσθαι censeas. Deest enim in Eusebii codicibus omnibus, deest in Platonicis, quorum unus Clarkianus diplen periestigmenen ad hunc locum positam exhibet (cf. Schanz ad Phaedonis l. c. et „Platonische Studien" p. 21—22). De eo signo Diogenes Laërtius 3. 39 διπλῆ, inquit, περιεστιγμένη πρὸς τὰς ἐνίων διορθώσεις. Deest illud προκεκρίσθαι etiam apud Clementem Alexandrinum p. 519, sed

p. 580 apud eundem legitur *προσκεκλῆσθαι*, quod satis levem corruptelam pro *προκεκρίσθαι* esse nemo non videt. Theodoretus et p. 118 et p. 155 *προκεκρίσθαι* exhibet; sed mihi id altero loco (155) ex priore illatum videtur. Pag. 118 enim Cyrensis omnino Clementem p. 580 (et 519) exscripsit, quod consensu lectionum probabitur:

Clem. 580	Theod. 118	Eus. 568	Theod. 155
προσκεκλῆσθαι =*προκεκρίσθαι*	*προκεκρίσθαι*	deest	? *προκεκρίσθαι*
τῶνδε μὲν τῶν ἐν τῇ γῇ	*τῶνδε μὲν τῶν ἐν τῇ γῇ*	*τῶνδε μὲν τῶν τόπων τῶν ἐν τῇ γῇ*	*τῶνδε μὲν τῶν τόπων τῶν ἐν τῇ γῇ*
εἰς καθαρὰν οἴκησιν	*εἰς καθαρὰν οἴκησιν*	*εἰς τὴν καθαρὰν οἴκησιν*	*εἰς τὴν καθαρὰν οἴκησιν*

Praeterea enuntiatum illud *οἱ δὲ δὴ — ἀφικνούμενοι* paullo infra, sicut apud Theodoretum 118, etiam apud Clementem 580 verba *καὶ εἰς οἰκήσεις — ἐν τῷ παρόντι* sequuntur. Theodoretus igitur sua ex Clemente sumpta hoc loco (118) confudisse videtur. P. 519 Clemens prius habet *οἳ δὲ δὴ — ἀφικνούμενοι*, deinde *οὐ δεῖ δ' ἑαυτὸν — τὴν ὕλην*, quod Theodoretus p. 118 excerpsit et superioribus adiunxit verbis *ἀναγκαίως δ' ἐπήγαγεν* (de quo vide supra cap. I. p. 15); ex Clemente 519 etiam illum locum esse Phaedonis Platonici comperit, quod Clemens p. 580 non indicavit. Quae cum ita sint, Theodoretum (p. 155) apud Eusebium 568 *προκεκρίσθαι* legisse non arbitror, sed potius ex p. 118 in 155 eam veteris critici emendationem fluxisse putem (cf. Plato. Rep. 469 A *ὅσοι ἂν διαφερόντως ἐν τῷ βίῳ ἀγαθοὶ κριθῶσι*).

34. Eus. 573b. 574c. Citat Theodoretus 13, 30 ex eo loco Platonem (Legg. 634 D et 629) *ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Νόμων*; apud Eusebium cod. C tantum (fortasse ex interpolatione) et versio latina lemma servaverunt, quod mihi in Eus. 573 b restituendum videtur. [Deest lemma etiam ap. Gaisford. l. c. p. XV., cf. supra p. 23 N. 7].

35. Eus. 575b	Theod. 119, 30	Plato Legg. 926 E
c. *τελευτήσασαι καὶ*	*τελευτήσασαι καὶ*	*τελευτήσασαι ἢ*
2. *ταῦτα* ἀληθεῖς*	*ταῦτα δὲ ἀληθεῖς*	*ταῦτα δὲ ἀλ.*
3. *πιστεύειν δὲ*	*πιστεύειν δὲ*	*πιστεύειν τε*
3. *ταῖς τε ἄλλαις*	*ταῖς τε ἄλλαις*	*ταῖς ἄλλαις*
6. *πιστεύειν δὲ καὶ τοῖς**	*πιστεύειν δὲ αὐτοῖς*	*πιστεύειν δ' αὖ καὶ τοῖς.*

Legit Theodoretus apud Eusebium *τελευτήσασαι καὶ, πιστεύειν δὲ, ταῖς τε ἄλλαις* et *ταῦτα δὲ ἀληθεῖς, πιστεύειν δ' αὖ καὶ τοῖς* (ap. Theod. *καὶ* inter *αὖ* et *τοῖς* excidisse existimo); porro probat apud Eusebium p. 575a lemma fuisse, quod nunc deest. [Extat etiam ap. Gaisf. l. c. p. XV. vide supra].

36. Eus. 577bc	Theod. 155,36	Plato Gorg. 523 A
c. αὐτῇ (δὲ) τῇ ψυχῇ] αὐτῇ τῇ ψυχῇ CFGI	αὐτῇ τῇ ψυχῇ	αὐτῇ τῇ ψυχῇ
2—3. καταλείποντα] καταλιπόντα D	καταλιπόντα	καταλιπόντα
ἐπὶ γῆς CDG	ἐπὶ γῆς	ἐπὶ τῆς γῆς.

Quin ea ex Eusebio fluxerint, nemo dubitare potest, cum ipsa illa interposita *καὶ μετ' ὀλίγα* et *καὶ αὖθις* ex Eusebio descripserit Theodoretus. Patet autem eum legisse *αὐτῇ τῇ ψυχῇ, καταλιπόντα, ἐπὶ γῆς*, sicut etiam lemma p. 576d extr., quod nos apud Eusebium desideramus. [Extat ap. Gaisf. l. c. p. XV].

37. Eus. 578c	Theod. 89,45	Plato Gorg. 525 A
5. παράδειγμα	παράδειγμα	παράδειγμά τι
ἃ ἂν πάσχῃ] πάσχοι CDFG	ἃ ἂν πάσχῃ	ἃ ἂν πάσχῃ
10. ἁμάρτωσι*] ἁμαρτάνωσι CDFGI	ἁμαρτάνωσι	ἁμάρτωσι
d. οὐδὲ γὰρ	οὐδὲ γὰρ	οὐ γὰρ
6. τὰς μεγίστας	τὰς μεγίστας	τὰ μέγιστα.

Ergo Theodoreti codex exhibebat: *παράδειγμα* omisso vocabulo *τι, πάσχῃ, ἁμαρτάνωσι, οὐδὲ γὰρ, τὰς μεγίστας*. Lemma apud Eus. p. 576d restituendum esse iam supra vidimus ad p. 577bc (N. 36): idem nos docet Theodoretus p. 13.22 et (vide infra) 171,30.

38. Eus. 579b	Theod. 171,30	Plato Gorg. 526B
8. γενόμενον τοῦ ἀδικεῖν	γενόμενον τοῦ ἀδικεῖν	τοῦ ἀδικεῖν γενόμενον
10. ἔσονται	ἔσονται	καὶ ἔσονται
καὶ ἄλλοι* ἀγαθοὶ	καλοὶ καὶ ἀγαθοὶ	καλοὶ καὶ ἀγαθοὶ
p. 580c		p. 527B
8. ἀλλὰ τὸ ἀγαθὸν εἶναι	ἀλλὰ τὸ ἀγαθὸν εἶναι	ἀλλὰ τὸ εἶναι.

Theodoreti igitur in libro legebatur *γενόμενον τοῦ ἀδικεῖν, ἔσονται* omisso *καὶ, καλοὶ καὶ ἀγαθοὶ, ἀλλὰ τὸ ἀγαθὸν εἶναι.*

39. Eus. 579 (cf. supra 577b)	Theod. 156,10 (cf. 155,36)	Plato Gorg. 526B
c5. *τῶν δὲ δικαστῶν ὅπερ*	*τῶν γὰρ δικαστων ὅπερ*	*τῶν δυναστῶν Ὅπερ*
d. *ἄλλην εἰσιδὼν*] *Ἕλληνες ἰδὼν* I	*Ἕλληνος ἰδὼν*	*ἄλλην εἰσιδων*
2. *ψυχὴν**] deest in FGI	deest	deest
11. *ἐγὼ μὲν οὖν*] *οὖν* deest in CFG	*οὖν* deest	*ἐγὼ μὲν οὖν*
p. 580a *ἔχων τὴν ψυχὴν*] *ἔχων* deest in CFGI	*τὴν ψυχὴν ἔχων*] *ἔχων* deest in B	*τὴν ψυχὴν*
2. *ἀσκῶν*	*ἀσκῶν*	*σκοπῶν*
9. *ὀνειδίζω σε*	*ὀνειδίζω σε*	*ὀνειδίζω σοι*
10. *οἷός τε εἶ*	*οἷός τε εἶ*	*οἷός τε ἔσει*
b. *δικαστὴν ἐκεῖνον τὸν*	*δικαστὴν ἐκεῖνον τὸν*	*δικαστὴν τὸν*
2 *σου**] *σε* CEFG	*σε*	*σου*
2. *ἐπιλαβόμενος ἐκεῖνος ἄγῃ*	*ἐπιλαβόμενος ἐκεῖνος ἄγῃ*	*ἐπιλαβόμενος ἄγῃ*
7. *ὥσπερ ὑπὸ γραὸς*	*ὥσπερ ὑπὸ γραὸς*	*ὥσπερ γραὸς*
10. *εἴ πῃ ζητοῦντες**] *ἐπιζητοῦντες* DFI	*εἰ ἐπιζητοῦντες*	*εἴ πῃ ζητοῦντες*
c. *τῶν νῦν** *Ἑλλήνων*] *νῦν* om. DEFGI	*τῶν Ἑλλήνων*	*τῶν νῦν Ἑλλήνων.*

Legit Theodoretus: *δικαστῶν ὅπερ* pessime scriptum, *ἔχων*, *ἀσκῶν*, *ὀνειδίζω σε*, *οἷός τε εἶ*, *δικαστὴν ἐκεῖνον*, *ἐκεῖνος ἄγῃ*, *ὑπὸ γραὸς*, *ἐπιζητοῦντες τῶν Ἑλλήνων* omisso *νῦν*, non invenit in codice suo *ψυχὴν* et *οὖν* p. 579d. Num corruptelam quae in I codice Eusebii est *Ἕλληνες ἰδὼν* iam Theodoretus legerit, in dubio relinquendum esse existimo; mirum certe est eandem apud utrumque inveniri.

40. Eus. 581a. Theod. 19,23. Desunt in Eusebio post 580d extr. verba quaedam — locum ex Pauli Ep. ad Rom. c. II. sumptum sequitur nullis verbis interpositis Platonicus — quibus locus citatus Platonis esse indicabatur; cf. Theodoreti verba *καὶ ὁ Πλάτων παρεγγυᾷ* [cf. Gaisford. l. c. p. XVI].

41. Eus. 581bd	Theod. 9,25	Plato Legg. 689C
6. (*καὶ λεγόμενον*)] om. CFG	deest	deest.

Itaque Theodoretus id non legit, contra lemma, quod apud Eusebium 581b requiritur (Pauli 1 Cor. II. 14 loco Platonico excipitur) ex Theodoreti verbis *ἐν τῷ πρώτῳ* (quamquam hoc falsum est,

liber III. citandus erat) *τῶν Νόμων* supplendum esse censeo [etiam apud Gaisfordium l. c. p. XVI. falso liber VI. citatur].

42. Eus. 583	Theod. 170, 1	Plato Rep. 361 B
3. *τὸν δ' οὖν τοιοῦτον*	*τὸν γὰρ τοιοῦτον*	*τοῦτον δὲ τοιοῦτον*
3. *αὖ παρ' αὐτὸν*	*οὐ παρ' αὐτὸν*	*παρ' αὐτὸν*
c 3. *τῆς μεγίστης ἀδικίας*	*μεγίστην ἀδικίας*] *μεγίστης* D	*τὴν μεγίστην ἀδικίας*
5. *κακοδοξίας*] *κενοδοξίας* CFG	*κακοδοξίας*	*κακοδοξίας*
5. *ἀπ' αὐτῆς*	*ἀπ' αὐτῆς*	*ὑπ' αὐτῆς*
6. *ἔστω*] *ἔσται* EI	*ἔστω*	*ἤτω* Bekker, *ἴτω* scr. Hermann.] *ἔσται* cod. v
δοκῶν μὲν εἶναι ἄδικος διὰ βίου	*δοκῶν εἶναι ἄδικος διὰ βίου*	*δοκῶν μὲν εἶναι ἄδικος διὰ βίου.*
*ὢν δὲ δίκαιος**] „haec ex Platone dedit Vigerus" Gaisford.	deest	*ὢν δὲ δίκαιος.*

Legit igitur Theodoretus: *τὸν γὰρ* (aut *οὖν*) *τοιοῦτον, αὖ, ἀπ', ἔστω, κακοδοξίας;* utrum *τῆς μεγίστης* an *τὴν μεγίστην* legerit, dubium est, sed minime dubium, quin Vigerus (Gaisf. Dindorf.) Eusebium additis verbis *ὢν δὲ δίκαιος* interpolaverint, etiam illud *μὲν* apud Eusebium, quod deest apud Theodoretum, mihi in suspicionem venit.

43. Eus. 589 a	Theod. 91, 10	Plato Legg. 631 B
c. *μετὰ νοῦν**] *νοῦ* CFGI	*μετὰ νοῦ*	*μετὰ νοῦν*
2. *κραθέντων*] *καθεσθέντων* CFG	*κραθέντων*	*κραθέντων*
5. *καὶ δὴ καὶ** *τῷ*] *καὶ* ante *τῷ* om. CFGI	*καὶ δὴ τῷ*	*καὶ δὴ καὶ τῷ.*

Theodoreti codex exhibebat *μετὰ νοῦ, καὶ δὴ τῷ, κραθέντων.*

44. Eus. 595 b	Theod. 91, 32	Plato Legg. 661
καὶ αἰσθάνεσθαι] *καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι* D	*καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι*	*καὶ αἰσθάνεσθαι*
ἐπιζῴη] *ἐπιζώσῃ* CFGI	*ἐπιζῴη*	*ἐπιζῴη*] Sch. coniecit *ἐπιζῶν ᾖ.*

Fortasse Theodoretus *καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι* et *ἐπιζῴη* invenit.

45. Eus. 600 cd	Theod. 74, 33	Plato Legg. 644 E
d 15. *τοῖς ἄλλοις νεύροις** *ἕκαστον*] *μέτροις* CDEGI	*μετρίως τῶν ἄλλων ἕκαστον*	*τοῖς ἄλλοις νεύροις ἕκαστον*

Verisimile videtur Theodoretum *μέτροις* legisse et inde verba eius corrupta esse.

46. Eus. 603a	Theod. 9,45	Plato Theaet. 174A
b 1. *ἔμπροσθεν**] *ὄπισθεν* CFGI	*ὄπισθεν*	*ἔμπροσθεν*] *ὄπισθεν* BF
p. 603d	p. 9,51 = 169,40	p. 174D
604a 3. *πλήθη*	*πλήθη*	*πλήθει*
p. 604b	p. 113,6	p. 175A
7. *τοιοῦτος** *ἦν*] *τοιοῦτος* om. CFG	*τοιοῦτος* deest	*τοιοῦτος ἦν*
p. 605b	p. 168,22	p. 176
9. *πειρᾶσθε*] *πειρᾶσθαι* DFG	*πειρᾶσθαι*	*πειρᾶσθαι*
p. 605c	p. 93,3	p. 176C
10. *περὶ τοῦτον**] *τοῦτο* FG et fortasse I	*περὶ τοῦτο*	*περὶ τούτου* BT] Schanz: *τοῦτο*.

Cum Theodoretus locis citatis Platonica, quae ex Eusebio p. 603 sqq. descripsit, in Theaeteto dialogo legi recte dicat, lemma apud Eus. 602c excidisse putemus et Eusebio restituamus oportet [Extat lemma ap. Gaisfordium l. c. p. XVII]. Quod ad singulas voces attinet, *ὄπισθεν, πλήθη, πειρᾶσθαι, περὶ τοῦτο* eius in codice Praeparationis fuisse, *τοιοῦτος* non fuisse puto.

47. Eus. 628b	Theod. 90,40	Plato Phil. 28C
2. *ὄντως ἑαυτοὺς*	*ὄντως ἑαυτοὺς*	*ἑαυτοὺς ὄντως*
6. *μακροτέρων**] *μικροτέρων* CFG	*σμικροτέρων*	*μακροτέρων*
p. 628d	p. 90,48	
2. *βούλει δῆτα** *καὶ ἡμεῖς τοῖς ἔμπροσθεν ὁμολογουμένοις*[1]) *ξυμφήσωμεν*] pro *δῆτα* habent *δὴ* CDFG; *δή τι* I; deinde *ὁμολογοῦμεν ἂν* CDFG; *ὁμολογούμενον* I	*βούλει δὲ καὶ ἡμεῖς τοῖς πρόσθεν ὡμολογημένοις ξυμφήσωμεν*	*βούλει δῆτά τι καὶ ἡμεῖς τοῖς ἔμπροσθεν ὁμολογούμενον ξυμφήσωμεν*] *τι* add. 𝔄Δ Π; *ὁμολογούμενοι* EF
5. *συγκινδυνεύωμεν*] *συγκινδυνεύσωμεν* CF(D)	*συγκινδυνεύσωμεν*	*συγκινδυνεύωμεν.*

In Theodoreti codice legebatur *ὄντως ἑαυτοὺς*, *(σ)μικροτέρων*, *συγκινδυνεύιωμεν*. De ceteris licet dubitare. Mihi maxime

[1]) vereor ne id ex Stephano irrepserit.

probabile videtur Theodoretum legisse *βούλει δὴ καὶ ἡμεῖς τοῖς ἔμπροσθεν ὁμολογούμενον*, quod deinde librarius cum non intellegeret ex arbitrio mutavit.

48. Eus. 630 c	Theod. 93, 8	Plato Legg. 899 E
μὲν θεοὺς*] θεοὺς μὲν CFG	θεοὺς μὲν	μὲν θεοὺς
p. 631 b	p. 93, 20	
6. ἀλλ' οὐδὲν — ἐπιμελεῖς] om. CFGI	extat	extat
7. οὐχ ἧττον, μᾶλλον δὲ	οὐχ ἧττον, μᾶλλον δὲ	οὐχ ἧττον] οὐχ ἧττον ἄλλων δὲ vfbr
ἢ τῷ*	ἢ τῶν	ἢ τῶν
p. 633 b	p. 93, 26	p. 902 E
15. τὸν θεὸν	τὸν θεὸν	τόν γε θεὸν
c 5. ἐπιμελεῖσθαι καὶ δυνάμενον*] ἐπιμελεῖσθαι δυνατὸν εἶναι καὶ δυνάμενον DEFG	ἐπιμ. δυνατὸν εἶναι καὶ δυνάμενον	ἐπιμελεῖσθαι καὶ δυνάμενον
p. 634 a	p. 93, 40	p. 903
9. συντείνων*] συντεῖνον CFGD	συντεῖνον	συντεῖνον
p. 634 d	p. 75, 1	p. 904 B
12. τοῦ ποίου τινὸς	τοῦ ποίου τινὸς	τὸ ποίου τινὸς
p. 635 b	p. 75, 6	
3. μείζω δὴ*	μείζων δὲ δὴ	μείζω δὲ δὴ
p. 635 d	p. 93, 45	p. 905
11. τὴν συντέλειαν] τὴν om. CFG	τὴν συντέλειαν	τὴν συντέλειαν.

Theodoretus igitur legisse videtur *θεοὺς μὲν, ἀλλ' οὐδὲν — ἐπιμελεῖς, οὐχ ἧττον, μᾶλλον δὲ, ἢ τῶν, τὸν θεὸν* omisso *γε*. *ἐπιμελεῖσθαι δυνατὸν εἶναι καὶ δυνάμενον, συντεῖνον, τοῦ ποίου τινὸς, μείζω(ν ?) δὲ δὴ, τὴν συντέλειαν*. Atque cum p. 75, 1 et p. 93, 8 decimum Legum librum citet, apud Eusebium vero p. 630 b extr. Philebi locum verba ex Legibus allata excipiant, pauca Eusebii verba inter duos illos locos posita, quibus lemma continebatur ut *καὶ ἐν τῷ δεκάτῳ τῶν Νόμων λέγει* excidisse in archetypo arbitror [Extat *ἐν τῷ ι τῶν νόμων* apud Gaisfordium l. c. p. XVIII ante c. 52 p. 630 c; cf. errorem Freudenthalii l. c. p. 5].

49. Eus. 640 c	Theod. 46, 35	Plato Epin. 980
d 2. *κατὰ τὸν ὕστερον λόγον*	*κατὰ τὸν ὕστερον λόγον*	*κατὰ τὸν ἔμπροσθεν λόγον.*

Itaque iam in Theodoreti codice Praeparationis extabat *ὕστερον*.

50. Eus. 644 a	Theod. 75, 50	Plato Rep. 380 C
b 1. *περὶ θεοῦ*	*περὶ θεοῦ*	*περὶ θεοὺς*
2. *τούς τε*	*τούς τε*	*τοὺς*] *τούς τε* cod. tv

Theodoretus *περὶ θεοῦ* et *τούς τε* legit.

51. Eus. 654 b	Theod. 171, 42	Plato Criton. 49 B
10. *καλῶς λέγεις*	*καλῶς λέγεις*	*ἀληθῶς λέγεις*
c 1. *πάσχῃ τις*	*πάσχῃ τις*	*πάσχῃ*
p. 659 ab	p. 156, 50	p. 54 B
b 1—2. *ταῦτα πάντα*	*ταῦτα πάντα.*	*πάντα ταῦτα.*

Ergo scriptum invenit Theodoretus: *καλῶς, πάσχῃ τις, ταῦτα πάντα.* Quin autem ea et quae apud Theodoretum 15, 14 (vid. Eus. 651 b) et 27, 1 (Eus. 652 d) leguntur, ex Eusebio p. 651—659 fluxerint, nemo dubitabit; ut omittam lectionum consensum, eo ipso, quod apud Eusebium, sicut apud Theodoretum p. 156—157 locum Critonis sequitur locus ex Apologia desumptus, illud probabile fit. Iam vero apud Eusebium p. 651 a extr. lemma non extat, et cum Theodoretus neque p. 15, 14, neque p. 27, 1, neque p. 171, 42 quo in dialogo loci citati legantur dicat, nescio an cui verisimile videatur, iam in codice Praeparationis, quo usus est Theodoretus, lemma p. 651 defuisse. Sed p. 156, 50 Theodoretus locum citat *ἐν τῷ Κρίτωνι*, ergo aut p. 655 a extr., aut 653 c extr., aut 651 a extr. lemma legisse putandus est. Quo vero eorum locorum positum fuerit lemma dici nequit. [Extat lemma apud Gaisfordium l. c. p. XVIII ad Eusebii pagg. 651 a et 653 c].

52. Eus. 660 b	Theod. 119, 52	Plato Apol. 28 D
εἰ καὶ ἀγαθὰ φοβηθήσομαι CDFG	*εἰ καὶ ἀγαθὰ φοβηθήσομαι*	*εἰ ἀγαθὰ φοβήσομαι.*

Vides Theodoretum cum Eusebio consentire. Apud Theodoretum 157 (vide supra) aeque atque apud Eusebium 659 extr. locum Critonis sequitur locus Apologiae; inde (vide etiam infra) probatur hosce et qui infra sequentur locos Platonis omnes Theodoretum ex Eusebio 651 (vide supra) — 663 sumpsisse. Si vero id ita se habere tibi persuaseris, statuendum erit, quo-

niam Theodoretus et p. 157 et p. 119 se ex Apologia afferre, quae citat, affirmat, eum apud Eus. 659c extr. (ubi nunc Critonis et Apologiae loci ne verbo quidem separati leguntur) lemma etiam tum legisse.[1]) Iam autem p. 120, 9 sqq. Theodoretus duos locos ex Apologia (p. 41 C et 30 C) affert, quos, si Eusebium p. 651—663 fontem doctrinae Theodoreteae esse concesseris, a Praeparationis archetypi scriba p. 661c et 662c omissos esse tibi statuendum est. Neque id probabilitate caret: desinit p. 661c locus Platonicus (30 C extr.) medio enuntiato abrupto, et totus ille Eusebii locus p. 651—663 valde neglegenter scriptus esse videtur, quod ipsis ex lemmatis omissis elucere puto.

53. Eus. 661c	Theod. 157, 3	Plato Apol. 40 C
9. *μηδέν τι*	*μηδέν τι*	*μηδὲν.*

Itaque in Theodoreti codice erat *μηδέν τι* (de lemmate apud Eus. p. 659c vide supra).

54. Eus. 663ab	Theod. 118, 35	Plato Rep. 469 A
3. *ὡς δαίμονας γεγονότας*	*ὡς δαίμονας γεγονότας*	*ὡς δαιμόνων.*

Legit Theodoretus *ὡς δαίμονας γεγονότας* et fortasse 662d extr. lemma (falso Theodoretus *ἐν τῷ δεκάτῳ τῆς πολιτείας* pro libro V Reip. citat), quod nunc apud Eusebium desideratur. [Apud Gaisfordium l. c. p. XIX hoc tantum extat *Ἐκ τῶν τοῦ Πλάτωνος*].

55. Eus. 697a	Theod. 157, 23	Plato Phaedon. 81E
4. *τὰ τοιαῦτα*	*τὰ τοιαῦτα*	*τοιαῦτα*
b 2. *φαῖμεν*	*φαῖμεν*	*φαμὲν*
p. 697c	p. 158, 20	Phaedrus p. 248
τρὶς] *τοῖς* CDFG	*τρὶς*	*τρὶς*

Apparet Theodoretum in codice suo *τὰ τοιαῦτα, φαῖμεν, τρὶς* scripta invenisse.

56. Eus. 706b	Theod. 129, 35	Plato Rep. 457 B
1. *γυμναῖς ταῖς γυναιξὶ*	*γυμναῖς ταῖς γυναιξὶ*	*γυμναῖς γυναιξὶ*] *γυμναῖς ταῖς γυναιξὶ* m
2. *ἅτε δὴ*	*ἅτε (δὴ)*] *δὴ* om. BVa	*ἀτελῆ*] *γρ. ἅτε δὴ* A

Theodoretus legit *γυμναῖς ταῖς γυναιξὶ* et *ἅτε δὴ*.

---

[1]) [Extat lemma ap. Gaisford. l. c. p. XVIII.]

57. Eus. 708ab sqq.	Theod. 130,12	Plato Legg. 771E
a 11. *παιδιᾶς**] *παιδείας* DFGI	*παιδείας*	*παιδιᾶς*
b 1. *χόρους τε καὶ*	*χόρους τε καὶ*	*χόρους καὶ*
p. 708c	p. 130,29	Rep. 458C
4. *Εἰκός, ἔφη, Σὺ** *μὲν*] *ἔφη Σὺ* om. CDFGI	*Εἷς μὲν*] *εἰς κῶμεν* C	*Εἰκός, ἔφη, Σὺ μὲν*
4. *ἐξέλεξας* deest	deest	*τοὺς ἄνδρας ἐξέλεξας*
p. 709a	p. 131,20	p. 460E
5. *μέχρι τεσσαρακονταέτιδος**] om. CDFGI	om.	*μέχρι τεσσαρακονταέτιδος*] om. *Φr*
p. 709b	p. 131,28	p. 461B
1. *μὴ*	*μὴ*	*μηδ'*
2. *τις*	*τις*	*τι*] *τις* v
p. 710c	p. 131,49	Phaedrus 256D
11. *διαγαγόντας**	*διάγοντας*	*διάγοντας*

Ergo Theodoreti in codice Praeparationis extabant lectiones: *παιδείας, χόρους τε καὶ, μὴ, τις*; non erant in eo *ἔφη Σὺ, ἐξέλεξας, μέχρι τεσσαρακονταέτιδος*, neque *διαγαγόντας* dittographia corruptum legebatur.

58. Eus. 725a	Theod. 23,45	Plato Sophist. 242C
7. *ἔθνος ἅπαν** *ἀπὸ*	*ἔθνος δ' ἀπὸ*	*ἔθνος ἀπὸ*
11. *ἀσφαλέστερον*	*ἀσφαλέστερον*	*ἀσφαλέστατον.*

Theodoretus legit *ἔθνος* (*ὅ*?) *ἀπὸ* et *ἀσφαλέστερον.*

59. Eus. 745d	Theod. 25,16 et 175,35	Xenoph. ad Aeschin.[1])
2. *Πυθαγόρα**	*Πυθαγόρου*	*Πυθαγόρου*
3. *ὧν τὸ περιττὸν*] *ὡς* DFG	*ὧν τὸ περιττὸν*	*ὧν τὸ μὲν περιττὸν*
3. *καὶ μὴ*	*καὶ μὴ*	*καὶ τὸ μή.*

Theodoretus scriptum invenit: *Πυθαγόρου, ὧν τὸ περιττὸν, καὶ μὴ*

60. Eus. 822b exscripsit Theodoretus p. 73,48 et putavit esse ea quae compilavit Numenii, sunt autem Arii Didymi (cf. Gaisford. p. 821C et Diels l. c. p. 470); hoc errore Theodoreti confirmatur iam in codice eius lemma defuisse, quo Numenii et Didymi loci separarentur. [Deest etiam apud Gaisford. l. c. p. XXII—XXIII].

---

[1]) Ex Stobaei Floril. CXXX 12 ed. Hercher in Epistolographis.

61. Eus. 853 e	Theod. 60, 30	Xenoph. Mem. I 1 1 (ed. Schenkl)
1. *οὔτε ἀνόσιον*	*οὔτε ἀνόσιον*	*οὐδὲ ἀνόσιον*
5. *ἢ περὶ τῶν ἄλλων ὡς οἱ πλεῖστοι*	*ἢ περὶ τῶν ἄλλων ὡς οἱ πλεῖστοι*	*ἥπερ τῶν ἄλλων οἱ πλεῖστοι*
7. *ἔχει*	*ἔχει*	*ἔφυ*
d. [*περὶ*] *αὐτῶν*] *περὶ* om. BCDEFGI	*περὶ* deest	*περὶ* om. Y, recepit in textum Schenkl.
9. *τοὺς μέγιστα φρονοῦντας*	*τοὺς τὰ μέγιστα φρονοῦντας*	*τοὺς μέγιστον φρονοῦντας*
p. 824 a		
2. *ξύλα καὶ λίθους τοὺς τυγχάνοντας**] *λίθους καὶ ξύλα τὰ τυχόντα* habet B et similiter E	*λίθους καὶ ξύλα τὰ τυγχάνοντα*	*λίθους καὶ ξύλα τὰ τυχόντα.*

Legisse Theodoretum censuerim: *οὔτε, ἢ περὶ τῶν ἄλλων ὡς, ἔχει, τοὺς (τὰ?) μέγιστα φρονοῦντας, λίθους καὶ ξύλα τὰ τυγχάνοντα.*

Restat ut breviter de iis veterum scriptorum locis agam, quos Theodoreto et ex Clemente et ex Eusebio haurire licuit. De talibus enim locis quaeritur, utrum eos huic, an illi debeat. Ratio autem eorum locorum diversa est: aut Clemens sive ipse, sive apud Eusebium exscriptus a Theodoreto compilari potuit, aut idem veteris cuiusdam scriptoris locos apud utrumque legitur. Iam quod ad illud locorum genus attinet, cum Eusebius qua erat fide et diligentia Clementem exscripserit, scripturam discrepantia inter eos fere nulla est, quo fit, ut discernere non possimus, utrum Theodoretus compilaverit. Ita res se habet his locis: Theod. 33, 5 — Clem. 700, Eus. 669 b (exscribitur Plato Tim. 48 C); Theod. 55, 2 — Clem. 701—702, Eus. 670 c (Legg. 896 D); Theod. 55, 35 — Clem. 702, Eus. 670 (Phaedrus 240 A); Theod. 89, 15 — Clem. 708, Eus. 674 b; Theod. 88, 47 — Clem. 708, Eus. 674 b; Theod. 14, 22 — Clem. 714, Eus. 678 b; Theod. 49, 26 — Clem. 714, Eus. 678 d; Theod. 36, 42 — Clem. 718, Eus. 681 d; Theod. 88, 50 — Clem. 721, Eus. 683 d. Atque cum aut Theodoreti diligentia describendi minor fuerit, quam Eusebii, aut eius textus magis corruptus sit quam Clementis et Eusebii, ad emendandum Clementem multo minoris momenti est (cf. tamen cap. I) Cyrensis, quam Eusebius. Miror autem Clementis, Eusebii,

Theodoreti consensus Clementis et Eusebii textum non semper ab interpolationibus defendisse. E. gr. Clem. p. 701—702 *Μίαν ἢ πλείους; Ἐγὼ* vitiosum scriptum est; idem habent Eusebii p. 670c codices BCDFGI, idem habet Theodoretus p. 55, 2; tamen Dindorfius apud Clementem, Gaisfordius (quem secutus est Dind.) apud Eusebium verba, quae in codicibus scripta sunt, ex Platonis loco corrigere ausi sunt. Item Clem. p. 708 traditum *ἐπόπτης*, quod tuentur Eusebius et Theodoretus, Dindorfius nimis audacter correxit, scribens *ἐπόπτας*.

De his igitur locis decerni non potuit, utrum Theodoretus eos Clementi an Eusebio deberet. Facilius quaestio diiudicatur, si locum, qui apud Theodoretum extat, et Eusebius et Clemens per se ipsi exhibent, non Eusebius Clementem exscripsit. Ita locum Timaei (p. 31A) Theodoretus p. 64, 22 Clemens p. 693, Eusebius 530c proferunt (cf. supra p. 17); neque quisquam neget, Theodoretum compilavisse Clementem; nam ut omittam utrumque *ἕνα οὐρανὸν εἰρήκαμεν* (Eusebius: *προσειρήκαμεν*, sed codd. CFG *εἰρήκαμεν*) et *ἦν λέγειν* (Eusebius: *λέγειν ἦν*) scripsisse, prorsus eadem verba *Πότερον οὖν ὀρθῶς* usque ad *δεδημιουργημένος ἔσται* uterque sermoni suo immiscuit, cum apud Eusebium ex Platone verba *Τὸ γὰρ περιέχοι — οὐκ ἂν εἴη* addantur (cf. infra).

Fusius vero nobis de tribus similibus Theodoreti locis disserendum est.

1. Pag. 25, 50 enim Theodoretus Orphei eosdem versus, quos Clemens p. 693, attulit; sed videas quaeso miram lectionum discrepantiam:

	Theodoretus:	Clemens:
v. 1.	*αὐτοῦ ὕπο πάντα τελεῖται*	*ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται* (ἢ „*πέφυκεν*“ *γράφεται γὰρ καὶ οὕτως*) *ἐπιφέρει*
v. 2.	*ἐν δ᾽ αὐτοῖς αὐτὸς περινίσσεται οὐδέ τις αὐτὸν*	. . . . *οὐδέ τις αὐτὸν.*

Ceteri versus consentiunt. Iam apud Eusebium quoque p. 665 (qui Theodoreti fons esse omnino putari non debet) versus illi leguntur, sed non soli sicut apud Clementem et Theodoretum; textus autem duorum illorum versuum Eusebianus plane consentit cum Theodoreteo. Praeterea apud nonnullos alios quoque

scriptores ei versus Orphei reperiuntur,[1]) sed nullus locus Theodoreteo similior est quam Clementis p. 693. Et ex Clemente 693 Theodoretus (vide supra) Timaei locum descripsit. Quare mihi verisimile videtur etiam illos Orphei versus (sicut ceteros ex Clem. 723) a Theodoreto ex Clem. 693 sumptos esse. Cogitari enim potest, hunc locum Clementis corruptum iam a librario quodam lectum et aliqua ex parte adhibito priore loco (p. 64) emendatum esse. Commendet fortasse hanc argumentationem glossema (sic recte Dindorfium iudicavisse puto) illud *ἢ „πέφυκεν“ κτλ.* et lectio *αὐτοτελής*, quae etiam apud Theodoretum reperitur, cum Clemens p. 64 *αὐτογενής* scripserit.

2. Theodoretus p. 32, 1 locum Platonis (Epist. p. 323 D) affert, quem Clementi p. 710 (extat ap. Eus. 675 c) aut Eusebio p. 534 d debere potest. Primo obtutu Clementem (sive Eusebium p. 675, qui accuratissime Clementem descripsit) compilasse videtur, quia eadem verba *ἐπομνύντας* — *εἴσεσθε* atque Clemens habet. Sed textus minime consentiunt:

Clem. 710 et Eus. 675	Theod. 32, 1	Eus. 534 d
desunt	desunt	*Ταύτην τὴν ἐπιστολὴν κτλ.* usque ad *ὅ ἐστι δίκαιον*
Ἐπομνύντας	*Ἐπομνύντας*	*ἐπομνύντας*
ἀμούσῳ καὶ	*ἀμούσῳ καὶ τῇ*	*ἀμούσῳ καὶ τῇ*
παιδείᾳ	*παιδείᾳ καὶ*	*παιδείᾳ καὶ*
τὸν πάντων	*τὸν πάντων*	*τὸν τῶν πάντων*] *τῶν* om. BFG
θεὸν αἴτιον τοῦ ἡγεμόνος	*θεῶν ἡγεμόνα τῶν τε ὄντων καὶ τῶν μελλόντων τοῦ τε ἡγεμόνος*	*θεὸν ἡγεμόνα τῶν τε ὄντων καὶ τῶν μελλόντων τοῦ τε ἡγεμόνος*
καὶ deest	*καὶ κυρίου*	*καὶ* deest
φιλοσοφήσητε, εἴσεσθε	*φιλοσοφήσητε, εἴσεσθε*	*φιλοσοφῶμεν, εἰσόμεθα πάντες σαφῶς εἰς δύναμιν ἀνθρώπων εὐδαιμόνων.*

Platonis textus prorsus cum Eusebio p. 534 d facit. Quoniam Theodoreti librum ex Platone interpolatum esse probari vix

---

[1]) cf. Potteri adnott. ad Clem. 693 et 64, et Lobeck, Aglaophamus I p. 439.

poterit (certe equidem eius rei vestigia non repperi; cf. p. 19 sq.), hanc coniecturam probabilem duco. Excerpsit Theodoretus utrumque scriptorem (Clementem vel ipsum vel ex Eus. 675 c), postea se eundem Platonis locum bis exscripsisse vidit et adhibito Eusebii 534 d loco excerptum Clementinum prout ei placebat emendavit. Certe aliam viam scripturarum discrepantiae explicandae non video; et fortasse tibi quoque ea magis arridebit, si locorum indicem (p. 7) comparaveris.

3. Theodoretus p. 168, 45 Platonis locum (Theaet. p. 173; illud *ἔπειτα* Theodoreti ignorantiam prodit, cum ea Platonica, quae supra attulit p. 176 legantur) exhibet, quem aut Clementi 706—707 (extat apud Eus. 672 d) aut Eusebio 602 c furatus est. Horum locorum ratio eadem esse videtur, atque eorum de quibus modo verba fecimus. Textus Clementis et Eusebii 672 d fere consentiunt [scilicet, si apud hunc deleveris interpolationem scribarum, qui ad *νόμους δὲ καὶ ψηφίσματα γεγραμμένα* addiderunt *λεγόμενα ἢ* — desunt in DFGE — et editorum qui pro *εὖ δὲ ἢ κακῶς τις* — sic CFGI — *εὖ δὲ ἢ κακῶς τι* receperunt] et item textus Eusebii p. 602 fere cum Platonico. Itaque hunc lectionum conspectum ponamus licebit.

Clem. 706—707 = Eus. 672 d	Theod. 168, 46	Eus. 602 c
λέγωμεν δὴ περὶ τῶν κορυφαίων	*λέγωμεν δὴ περὶ τῶν κορυφαίων*	*λέγωμεν δὴ ὡς ἔοικεν ἐπεὶ σοί γε δοκεῖ περὶ τ. κ.*
Οὗτοι δέ που οὔτε εἰς ἀγόρὰν ἴσασι τὴν ὁδὸν οὔτε	*Οὗτοι δέ που οὔτε εἰς ἀγορὰν ἴσασι τὴν ὁδὸν οὔτε*	*Οὗτοι δέ που ἐκ νέων πρῶτον μὲν εἰς ἀγορὰν οὐκ ἴσασι τὴν ὁδὸν οὐδὲ*
ψηφίσματα γεγραμμένα	*ψηφίσματα λεγόμενα ἢ γραφόμενα*	*ψηφίσματα λεγόμενα ἢ γεγραμμένα*
ἑταιρειῶν καὶ σύνοδοι καὶ οἱ σὺν αὐλητρίσι κῶμοι οὐδὲ	*ἑταιρειῶν ἐπ᾽ ἀρχὰς καὶ ξύνοδοι καὶ δεῖπνα καὶ οἱ σὺν αὐλητρίσι κῶμοι οὐδὲ*	*ἑταιρειῶν ἐπ᾽ ἀρχὰς καὶ ξύνοδοι καὶ δεῖπνα κτλ.*
κακῶς τις	*κακῶς τι*	*κακῶς τι*
γεγονὸς ἐκ προγόνων	*ἐκ προγόνων γεγονὸς πρὸς ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν*	*ἐκ προγόνων γεγονὸς πρὸς ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν*
αὐτοὺς	*αὐτοὺς*	*αὐτὸν*
ταῦτα	*ταῦτα πάντα*	*ταῦτα πάντα*

desunt omnia	*οὐδὲ γὰρ αὐτῶν ἀπέχεται τοῦ εὐδοκιμεῖν χάριν, ἡ δὲ διάνοια ταῦτα πάντα ἡγησαμένη σμικρὰ [καὶ] ὡς οὐδὲν ἀτιμάσασα πανταχῇ*	extant *ὡς* deest (extat ap. Platonem)
αὐτὸ δὲ πέταται ἀστρονομῶν et *ἐρευνώμενος*	*πέταται ἀστρονομοῦσα* et *διερευνωμένη*	*πέταται ἀστρονομοῦσα* et *ἐρευνωμένη τῶν ὄντων ἑκάστου ὅλον εἰς τῶν ἐγγὺς οὐδὲν ἑαυτὴν συγκαθιεῖσα* et sequuntur permulta ex Theaeteto.

Qui factum sit, ut textus Theodoreti modo cum Clementino, modo cum Eusebiano (p. 602) faciat, fortasse sicut supra conati sumus explicemus; nempe statuendum videtur esse Theodoretum excerptum Clementinum ex Eusebio correxisse. Sed certum indicium ne de eo quidem loco proferre ausus sim.

Commentationem alteram, qua de doctrina Theodoreti et de studiis scholae Antiochenae animadversiones continebuntur, data occasione publici iuris faciam.

EPIMETRUM.

De Platonis codicibus.

Eduardo Hillero auctore factum est, ut cum Eusebium et Theodoretum Platonicorum verborum testes compararem, ad eas potissimum lectiones animum attenderem, in quibus scriptorum illorum exemplaria cum libris nonnullis Platonis invita ceterorum codicum auctoritate consentirent. Tali enim comparatione instituta et de codicibus Platonis deque ratione quam inter eos esse hodie putant aliquid repertum iri sperari poterat, et de Eusebii codice Platonico, cuius naturam et indolem cognovisse nostra interesse debet, indicium argumentis firmatum proferri posse videbatur. Cum vero Platonica, quae nunc apud Eusebium in praeparatione evangelica leguntur, non uno loco ex Platonis ipsius libris (cum a librariis, tum etiam saepius, ut mihi videtur, ab editoribus) interpolata esse certum sit, eos dialogos delegi, quorum locos quosdam ampliores Theodoretus (cf. indicem in Gaisfordii Graec. fabular. editione) Eusebio furatus est. Sunt autem hi dialogi:

I. Apologia, Crito, Phaedo, Cratylus, Theaetetus, Sophista, Politicus, Philebus, Phaedrus, Alcibiades I, Gorgias;

II. Respublica, Timaeus, Leges.

Contuli autem locos Platonicos ab Eusebio ex his dialogis desumptos omnes[1]) (vide indicem apud Gaisford. aut Dindorf.) primum cum Bekkeri, deinde cum Stallbaumii[2]) et Schanzii editionibus et commentariis criticis.

[1]) De iis locis verba non feci, in quibus nihil quod ad rem pertineret reppereram.

[2]) ed. Lipsiae 1821—25, XII voll.; plerumque alteram quoque editionem commentariis exegeticis instructam inspexi.

De codicibus lector benevolus sciat me in indicandis variis scripturis Bekkeri notis uti idque etiam tum facere, si ex iisdem codicibus Stallbaumius quoque lectiones afferat neque Bekkero adversetur; Stallbaumii autem signis me uti, si huic soli lectionum cognitio debeatur[1]); scripturas a Schanzio indicatas me seorsum adnotare. Ceterum quod ad libros manuscriptos attinet, cf. Bekkeri vol. I et Comm. crit. I praefatt. et Stallb. vol. XII.

I.

Nemo ignorat nuper M. Schanzium Platonis verba e codicibus eruendi rationem valde simplicem esse multa opera demonstrare studuisse: in tetralogiis Thrasylleis sex prioribus artem criticam versari in comparandis solis codd. Clarkiano sive Bodleiano (𝔄) et Veneto T (Bekkeri t), in tetralogia VII solum codicem T esse adhibendum[2]) (cf. eius librum qui inscribitur „Ueber den Platocodex der Markusbibliothek in Venedig etc." Lips. 1877). Nam eos codices esse integerrimos testes archetypi cuiusdam, qui dialogos Platonis secundum ordinem Thrasylli duobus voluminibus (vol. I tetralogias I—VII, vol. II tetralogias VIII—IX et *νοθευόμενα* quaedam continentibus) scriptos exhibuerit[3]) (cf. Schanzium, „Studien zur Geschichte des Plat. Textes" 1874).

Iam vero patet, si qui codex (aut codices aliquot) praeter 𝔄t cum Eusebii libro Platonico, ut ita dicam, in dialogis tetralogiarum I—VI plures lectiones — praecipue eosdem errores — communes habeat, neque talis codex adhibito Eusebio, neque Eusebius adhibito eo codice interpolatus esse videatur, putandum nobis esse — siquidem archetypum post Eusebii aetatem

[1]) Est vero Stallbaumii *Bodl.* = 𝔄, *Paris.* = B, *Par. 1642* = K, *Par. 1812* = F, *Par. 1807* = A, *Vat.* = Δ, *Ven. a* = Σ, *Ven. b* = Π, *Vind. 2* = Y, *Vind. 6* = Φ, *Flor. a* = z, *Flor. b* = α, *Flor. x* = b Bekkeri; denique *Flor. c* = c (cf. Hiller. apud Schanz. „Studien" p. 66 et Schanzium Hermes X p. 173 sq.). Stallbaumii sigla a Bekkerianis sic distinxi, ut illa exceptis litteris graecis obliquis typis imprimenda curarem. Sigla Graeca, quibus Stallbaumius usus est cum Bekkeri signis vix commutari possunt.

[2]) De tetralogia VII hic non quaeritur, quoniam Eusebius eius dialogos non citat.

[3]) De tetralogiis VIII—IX vide cap. II.

scriptum esse existimamus —, aut talem codicem non ex archetypo librorum 𝔄t fluxisse, aut eum archetypi nonnullas scriptiones (sive rectas sive vitiosas) servasse, quas 𝔄t non servaverunt; sed cogitari etiam id potest omnino codicem archetypum ipsum aetate Eusebium antecedere; hac enim sola ratione explicari existimo [1]), quod Eusebius easdem corruptelas — excipio eas vulgares, quae per se in multis codicibus esse possunt, nullo quem vocant nexu causali — monstrat, quas codex aliquis habet. Atque iam quae in singulis dialogis notatu digna putavi proferam.

1. Apologia.

Schanzius in editione (1875) his libris usus est B = 𝔄[2]), C, Crusiano sive Tubingensi (de quo cf. Teuffelium in Mus. Rhen. vol. XXIX et Schanzium Nov. Comm. p. 158 sqq.), D = *Π*, E = *Ξ*, F = r[3]), quorum codicum manus recc. litteris b c d e f signavit cf. eius praefationem. Lectiones Veneti t quod sciam publici iuris nondum factae sunt.

Bekker I 2	ed. Schanz.	Apol. 28B ex rec. Bekker, Stallb.	Eus. p. 659
28B = 112,15	πότερα BD] πότερον EF, Eus., Stob., alii	πότερον] πότερα 𝔄C DT et *dh Vind. 4*	πότερον
28D = 113,11	τάξῃ E Eus. Theod. alii] τάξῃ ἢ BDF sed ἢ punctis notavit b	τάξῃ ἢ] ἢ add. 𝔄*Π* *Φ*ST et *Vind. 1. 4*	τάξῃ (et sic Theodoretus p. 119,52)
28E = 113,21	δεῖν	δεῖν] δεῖ *Flor. bc*	δεῖ
29A = 114,1	ἢ θάνατον] ἢ om. E, supra versum add. e	ἢ θάνατον] ἢ om. *Y*[4]) et *Ven. a* (= *Σ*) *Vind. 5 Zitt.*	ἢ θάνατον] ἢ om. DEFGI
29,D = 115,11	ἄνδρες BD] ὦ ἄνδρες EF Eus.	ὦ ἄνδρες] ὦ om. 𝔄*Π* CDST	ὦ ἄνδρες

[1]) cf. Peipers, Quaestt. crit. de Platonis Legg. 1863 pag. 108 et Sauppei iudicium, quod de libro Schanzii „Studien zur Gesch. des Plat. Textes“ protulit in Jenaer Litt.zeitg. 1875, 13; et infra p. 59.

[2]) Cf. Schanzium Nov. Comm. p. 105 sqq.

[3]) De iis libris cf. Schanzium „Studien“ p. 4 sqq.

[4]) De codd. *YΣ* cf. Schanzium „Platocodex“ p. 100, ibidem adn. I.

		Apol. 40C	Eus. p. 661c
40C = 137,7	ἐννοήσωμεν δὲ	ἐννοήσωμεν δὲ] δὴ Φ	ἐννοήσωμεν δὴ
40C = 137,12	om.	δὴ om. 𝔄ΠΦDST et *dh Vind. 1. 4 Vat.*	δὴ
40D = 137,15	ὁ θάνατος] ὁ om. Eus.	ὁ θάνατος] ὁ om. Γ	[ὁ] θάνατος] ὁ om. CEF GI
40E = 138,1	πλείων] πλείω D	πλείων] πλεῖο Φ, πλεῖον *Vind. 6* (= Φ)	πλεῖον
41B = 138,19	τὸ] καὶ om. BDF, habent E Eus.	καὶ τὸ] τὸ om. 𝔄ΦD ST et *Vat. Ven. b* (= Π) *Vind. 1 dgh*	καὶ τὸ
41B = 138,21	τις ἂν αὐτῶν BDF] om. E, MS coniecit δὴ	τις αὐτῶν] τις ἂν αὐτῶν 𝔄ΦDST et *Ven. b* (= Π) *Vind. 1 Vat.*	τις αὐτῶν

M. Schanzius Apologiae codices in has duas classes discedere probare studuit („Platocodex" p. 53)

I. 𝔄ΠΦDST et *dgh Vind. 1. 4*;

II. TB (*ΔΞΥ*CHgu) et *(ab*[1]*)cei Vind. 5 Zitt.) Vind. 3*[2])

et alterius classis codices fluxisse ex Veneto t contendit. Lectionibus 113,21 quidquam effici nemo affirmaverit; sed scripturis 112,15. (113,11). 114,1. 115,11. 137,12 (fortasse etiam 137,15). 138,19. 138,21 demonstratur Eusebium interdum codicum secundae classis scripturas tueri; quid in codice t his locis scriptum sit, ignoratur; suspicari autem licet, quoniam Eusebius etiam in aliis dialogis saepe libri t lectiones confirmat (vide infra), qui factum sit, ut his locis codices illi scripturas supra notatas exhibeant Veneti t lectionibus evulgatis explicatum iri. — Praeterea notari debet codicem Φ bis solum cum Eusebio facere 137,7 et 138,1.

---

[1]) Hunc codicem *Flor. b* Stallbaum. saeculo XII tribuit, codicem Paris. B Bekkerus saeculo XIII; Schanzius qui *b* ex B fluxisse putat, de sententiis illorum virr. doct. nihil dixit. De aetate codicis *Flor. c* Stallbaumius erravit, cf. p. 46 adnot. 1.

[2]) Codicis *Vat.* i. e. Vaticani 225, Bekkeri *Δ*, a Stallb. collati rationem Schanzius illo loco non habuit; cf. de eo „Studien" p. 48 et 87 et Philolog. vol. XXXV p. 368. 649.

2. Crito.[1])

Bekker I 2	ed. Schanz.	Crito p. 47	Eus. p. 651b
47A = 151,6	*δόξας τῶν*] *τὰς τῶν* Eus.	*δόξας τῶν*] *τὰς τῶν* *Φ* et *d* *Vind.1 Vat.*	*δόξας τὰς τῶν* BCFGI
47B = 152,4	*ἤ ἢ* Eb] *ἤ εἰ* BCd, *ἢ* *D	*ἢ ἤ*] *ἤ εἰ* 𝔄DS et rc. *Π* et *fh Ven.b* (= *Π*) *Vind.1. 7* *ἢ Φ*	*ἢ*
47C = 152,8	*πολλῶν λόγους* BCD] *πολλῶν* E (saepius E corrigit verba omittens) Eus.	*πολλῶν*] *πολλῶν λόγους* 𝔄*ΠΦΨ* et *Vind.4 Tub. dfh*	*πολλῶν*
47C = 152,18	*ἡ βουλὴ ἡμῖν ἐστιν* BCD] *ἡ. ἐ. ἡ β.* E	*ἡμῖν ἐστιν ἡ βουλὴ* *ς] *ἡ βουλὴ ἡμῖν ἐστιν* 𝔄*ΠΦΨ*DS *Tub. di Vind.1. 4. 7 Vat.*	*ἡ βουλὴ ἡμῖν ἐστιν* (et sic Theod. 27, 1)
48A = 153,22	*τί* BCD] *ὅτι* E	*ὅτι*] *τί* 𝔄*ΠΦΨ*DS et *Tub. Vind.1. 4*	*τί*
		Crito p. 49A	Eus. p. 653d
49A = 156,2	*οὔτε ἀγαθὸν οὔτε καλὸν*] d fortasse ut Eus. scribere voluit	*οὔτε ἀγαθὸν οὔτε καλὸν*] *καλὸν οὔτε ἀγ.* *Φ* et *d Vind.1 Vat.*	*καλὸν οὔτε ἀγαθὸν*
49B = 156,9	*ἐλέγετο ἡμῖν* BCD] *ἡμῖν ἐλέγετο* E	*ἐλέγετο ἡμῖν* 𝔄*ΠΦΨ* DS *Vind.1. 4. 7 dh Tub.*] *ἡμῖν ἐλ.* *ς	*ἐλέγετο ἡμῖν*
		Crito p. 52	Eus. p. 655b
52C = 163,21	*τῶν νόμων*	*τῶν νόμων*] *τὸν νόμον* *Φ* et *Vind.1*	*τῶν νόμων*] *τὸν νόμον* BCDF
52D = 164,1	*δοῦλος* BCD] *δοῦλος ὁ* E	*δοῦλος*] *ὁ* om. 𝔄*Π* *ΦΨ*DSE et *Tub. Vind.1 dh Vat.*	*δοῦλος ὁ*
52D = 164,3	*τὰς ὁμολογίας* BCDE] *τὰς* om. Eus.	*τὰς ὁμολογίας*] *τὰς* om. *Ψ*	*ὁμολογίας*
52D = 164,4	*πρῶτον μὲν* BCD] *μὲν* om. E	*πρῶτον μὲν*] *μὲν* add. *ΠΦΨ*DS et *Tub. Vat. Vind.1. 4. 7 dh*	*πρῶτον μὲν*
52E = 164,15	*δίκαιαι*] *δίκ*[*αιαι*] inclusa in rasura E	*δίκαιαι*] *δίκαια* *Ψ*	*δίκαια*

---

[1]) De libris a Schanzio adhibitis vide supra 1. Apol. et eius ad Apolog. praefat.

		Crito p. 53	Eus. p. 658 b
53C = 166,3	ἄσχημον ἂν BCD] ἂν om. E	ἄσχημον ἂν] ἂν add. ΠΨDS et *Tub. Vat. Vind.1. 6* (= Φ) 7 *dh*	ἄσχημον
54B = 167,6	ἐαν BCD] ἐὰν μὲν E	ἐὰν μὲν] μὲν om. 𝔄ΠΦΨDS et *Tub. Vind.1. 4 dh*	ἐὰν] μὲν om. BCFGI
54B = 167,13	πάντα ταῦτα BC] ταῦτα πάντα DE Eus. Theod.	ταῦτα πάντα] πάντα ταῦτα 𝔄 *Tub.*	ταῦτα πάντα (et sic Theod. 156,50)

Critonis libri manuscripti secundum Schanzium l. c. sic discedunt:

I. 𝔄ΠΦΨDS et *dgh Vind.1. 4. 7*

II. ΓB (ΞYCEHu) et *(abcfi Vind.5 Zittav.) Vind.3*

hi omnes ex Veneto t ducti.

Videmus Eusebium prioris classis lectiones exhibentem 152,18. 153,22. 156,9. 164,4. 167,6, secundae classis scripturas confirmantem 152,8. 164,1. 166,3. 167,13, sed hoc postremo loco multos libros prioris classis cum Eusebio facere ex silentio editorum concludere licet. Porro monendum est bis codicem Ψ solum cum Eusebio consentire 164,3 et 164,15 [1]), deinde, ut hoc, sicut etiam codicis Φ 152,4 cum Eusebio consensus fortunae lusui tribuatur, certe 151,6. 156,2 [2]) codices Φ et *Vind.1. Vat., d* miro modo cum Eusebio consentire et 163,21 Φ et *Vind.1* idem habere, quod in quattuor Eusebii codicibus (invitis optimis EI) legatur.

3. Phaedo.[3])

Bekker II 3	ed. Schanz.	Phaedo p. 79	Eus. p. 551c
79B = 48,16	ἀλλὰ BCD] ἀλλὰ μὲν d, ἀλλὰ μὴν E	ἀλλὰ μὴν] μὴν om. 𝔄G pr. Π et *Tub.*	ἀλλὰ μὴν (et sic Theod. 76,23)
80B = 50,14	κατὰ BCD] καὶ κατὰ E	καὶ κατὰ] καὶ om. 𝔄ΠΦGs	κατὰ BCFGI

[1]) Neque eum consensum neque codicem Ψ magni faciam, de quo cf. Bekker. vol. I praef. et Schanzium, Hermes XI p. 115.

[2]) Ad 156,2 non neglegenda est Schanzii de codice Π m. sec. adnotatio, vide supra.

[3]) De libris Schanzii vide p. 47, 1. Apolog.

80B = 50,15	ψυχή BCD] ψυχὴν E	ψυχὴν] ψυχὴ 𝔄ΔΠΦ CEGs et *Aug. abc dm*	ψυχὴν
80B = 50,16	πολυειδεῖ καὶ ἀνοήτῳ BCD] ἀν. κ. πολ. E Eus. Stob.	ἀνοήτῳ καὶ πολυειδεῖ] πολ. καὶ ἀνοήτῳ 𝔄Π *Tub.*	ἀνοήτῳ καὶ πολυειδεῖ
80C = 51,4	τὸ σῶμα] τὸ om. E	τὸ σῶμα] τὸ add. 𝔄Δ ΠΦs et *Tub. Vind.1 d Paris.* (= B)	τὸ σῶμα
		Phaedo p. 81E	Eus. p. 696d
81E = 54,1	εἰς τοιαῦτα BE] εἰς τὰ CD	εἰς τοιαῦτα] τὰ om. ΓYCL et corr. Δ et *Paris.* (= B) *Zitt. acm*, εἰς τὰ τ.*ς	εἰς τὰ τοιαῦτα (et sic Theod. 154,23)
82A = 54,6	θηρίων	θηρίων] om. YCEHIL et pr. Δ et *Zitt. Paris.* (= B) *aim*	θηρίων (sic Theod. 154,23)
82A = 54,7	ἀδικίας τε	ἀδικίας τε] τε om. H	ἀδικίας
82B = 54,20	πολιτικόν τε BCD] τε om. E	πολιτικόν τε] τε add. 𝔄ΔΠΦGs et *Tub. d*	πολιτικὸν
		Phaedo p. 97	Eus. p. 750d
97C = 85,20	τὸ τὸν	τὸ τὸν] τὸ om. L et *c*	τὸ τὸν] τὸ om. CFG, τὸν om. B, deest locus in DI
97C = 86,3	ταύτῃ	ταύτῃ] om. Φ	om.
97D = 86,8	αὐτοῦ ἐκείνου BCDE] ἐκείνου deletum in DE	αὐτοῦ] αὐτοῦ ἐκείνου 𝔄ΞΠY et rc. G et *Tub. Zitt. Ven. a* (= Σ)	αὐτοῦ
98B = 87,14	ἐλπίδος ὦ ἑταῖρε	ὦ ἕταιρε ἐλπίδος] ἐλπ. ὦ ἕτ. 𝔄ΞY *Zitt. Ven. a* (= Σ) *Ven. b* (= Π)	ὦ ἑταῖρε ἐλπίδος
99A = 88,18	νεῦρά τε	νεῦρά τε] τε om. ΓΔ ΦCEGHILs et *ab cdim Aug.*	νεῦρα
99C = 89,17	Ἄτλαντα ἄν ποτε] ἄν ποτε Ἄτλαντα e et Stob.	ἄν ποτε Ἄτλαντα] Ἄτλαντα ἄν ποτε 𝔄ΞΠY et *Zitt. Ven. a* (= Σ)	ἄν ποτε Ἄτλαντα
		Phaedo p. 108D	Eus. p. 564d
109C = 110,2	τῶν περὶ τὰ	τῶν περὶ τὰ] περὶ om. pr. Γ et *Vat. d*	τῶν τὰ

[illegible] A = [illegible] φύσει [illegible] Eus.	φύσει ἄξιον λόγου οὐδέν, φύσει οὐδὲν ἄ. λ. 𝔄ΞΠΥ et Zitt. Ven. a = Σ d	φύσει ἄ. λ. οὐδέν
[illegible] = [illegible] καὶ [illegible] BCDE [illegible] Eus.	καὶ θαυμαστήν, καὶ om. ΓACEHIL et abcim	θαυμαστήν, καὶ om. BCDFGI
[illegible] = [illegible] χρόνος	ἢ χρόνος, καὶ χρόνον Γ	καὶ χρόνος
[illegible] L = [illegible] καθαροί	καθαροί εἰσι, εἰσι καθαροί 𝔄ΞΠ et Zitt. Ven. a (= Σ)	καθαροί εἰσι
[illegible] E = [illegible] ἢ E [illegible] Eus. Theod. [illegible] om. BCD et [illegible]	ἢ ἢ καὶ EI et Vat. d. om. pr. 𝔄Π et Tub.	ἢ cf. p. 699 b (sic Theod. 151 init.).

De Phaedonis [illegible] manuscriptis Schanzius egit l. c. p. 66 et divisit eos sic:

I. 𝔄Π Tub. et [illegible] interpolati et Γ (Ξ Zitt.) inde a 61. 20. Γ inde a 95. 15;

II. ACEHIL et [illegible] = B [illegible] et Γ (Ξ Zitt.) usque ad 61. 19. Γ usque ad 95. 15.[1]

Codices secundae classis [illegible] ex I.

Eusebius cum codicibus I familiae facit 50, 14. 51. 4 (sed hic etiam [illegible] cum Eusebio consentit B codex alterius classis) 54. 6. secundae classis scripturas habet 48, 16. 50. 15. 50. 16. 54. 20. 56. 8. 57. 14. [illegible] 89. 17. 111. 8. 112. 3. 112, 20. 118. 19. Quod cum solo codice H consentit 54. 7 et cum L 85. 20 casui tribuo; consensum cum Γ 110, 2 et 112. 5 apparentem fortasse libri [illegible] lectiones evulgatae explicabunt. Denique codicis Φ cum Eusebio 56. 3 consensum nexus alicuius documentum esse arbitror atque atque lectiones in Apolog., Crit. notatas.

[1]) Codices [illegible] 2. 3. 4. 5. 7. 8 non adhibuit propterea, quod lectiones ex iis nimis paucas editores afferrent. De libro Vind. 1 cf. Schanzii praef. ad Euthydemum (ed. [illegible] 1872) p. VII et Iordanum. Gött. Gel. Anz. 1878. I p. [illegible] sq.

4. Cratylus.

Bekker II 2	ed. Schanz.	Cratylus p. 390	Eus. p. 515 b
390E = 19, 3	τὸ εἶδος B] τό τε T	τὸ εἶδος 𝔄ΔΞΠΖΦGH *d Zitt. Gud.*] τό τε *Γ* ΔBCFIXlm et *Darmstad. ci*, τό γε *ς	τὸ εἶδος
		Cratylus p. 399	Eus. p. 517 a
399C = 37, 2	ὄπωπε Gudianus 44 et Eus.] τὸ ὄπωπε BT	τὸ ὄπωπε] τὸ om. G et *Gud.*	ὄπωπε.

Itaque Eusebius 19, 3 lectionem libri 𝔄 confirmat (de ceteris cf. „Platocodex"); consensum Eusebii (cuius locum Theodoretus non exscripsit) cum codd. G[1]) *Gud.* 37, 2 casui tribuerim. Cetera verba ab Eusebio ex Cratylo desumpta nihil praebent, quod sit dignum memoratu.

5. Theaetetus.

Bekker II 1	ed. Schanz.	Theaet. p. 152 D	Eus. p. 720 d
152E = 197, 13	ἑξῆς οἱ T sed ης ex em., Stob.] ἐξαίσιοι B Eus.	ἑξῆς οἱ *Ven.a* (= Σ) et Bekker] ἐξαίσιοι habent 𝔄ΔΠ	ἑξῆς οἱ] ἐξαίσιοι BCDFGI
		Theaet. p. 173 C	Eus. p. 602 c
173E = 242, 14	οἶδεν οἶδεν T] οἶδεν ὃ εἶδεν B	οἶδεν οἶδεν] οἶδεν δ' εἶδεν 𝔄 et *Vat.*	οἶδεν οἶδεν (cf. p. 672d et Theod. 169 init.)
175B = 245, 8	τύχῃ] τύχη B	τύχῃ] τύχηι 𝔄	τύχῃ
175B = 245, 9	δυναμένων B] δυναμένῳ T	δυναμένων] δυναμένῳ *Γ*ΔΞYBH et pr. E et *abci*	δυναμένων
175B = 245, 15	ἄνω T Iambl. Eus.] om. B	ἄνω] om. 𝔄Δ	ἄνω
175C = 246, 3	περὶ τούτων ἁπάντων B] περὶ πάντ. τ. T Iambl. Eus.	περὶ τούτων ἁπάντων 𝔄ΔΠ] περὶ παντ. τ. *ς	περὶ πάντων τούτων
175E = 246, 18	οὐδέ γ'	οὐδέ γ'] γ' om. 𝔟	οὐδ'
176B = 247, 10	οὐ πάνυ B Iambl.] οὐ πάνυ τι T Eus.	οὐ πάνυ τι] τι om. 𝔄Δ et pr. *Π*	οὐ πάνυ τι
176B = 247, 13	ἵνα μὴ B] ἵνα δὴ μὴ T Iambl. ἵνα δὲ μὴ Eus.	ἵνα δὴ μὴ] δὴ om. 𝔄 et pr. *ΔΠ*	ἵνα δὲ μὴ

[1]) De codice G cf. Schanzium in Philolog. vol. XXXV p. 647.

176B = 247.14	ταῦτα B] ταῦτα μὲν T Eus. Iambl.	ταῦτα μὲν] μὲν om. 𝔄ΔΠ	ταῦτα μὲν
177B = 249.8	ὅτι ἂν BT] ὅτ' ἂν exc. Vatic. 173 Vind. supp. 7	ὅτι ἂν] ὅτε ἂν mgF ὅταν b	ὅταν
		Theaet. p. 179 D	Eus. p. 723 b
179D = 254.7	διακρούοντα T] διακούοντα	διακρούοντα] διακούοντα 𝔄Δ et pr. Π	διακρούοντα.

Theodoretus quamquam nonnullos Theaeteti locos ex Eusebio descripsit, tamen has quas attuli scripturas non confirmat: hos enim locos omisit. Codicis b[1]) 246,18. 249,8 scripturas casui tribuere licebit. Et 197,13 exemplo esse potest vetustissimae corruptelae verborum Platonis. In ceteris vero animadvertendum est Eusebium 242,14. 245,8. 245,15. 254,7 cum libro t et 245,9 cum 𝔄 bonam scripturam tueri, sed 246,3. 247,10. 247,13. 247.14 eadem, ut videtur, quae t vitia habere, atque illa 247,10. 13. 14 ita comparata esse, ut iis antiquam lectionum discrepantiam indicari verisimile sit.

6. Sophista.

Bekker II 2	Soph. p. 242 C	Eus. p. 724 d
242C = 182,3	ἅττα πῃ] ἀγάπῃ 𝔄Δ et pr. Π	ἅττα πῃ (sic Theod. p. 23, 43)
242C = 182,3	καὶ φίλα] καὶ add. 𝔄Δ et i	καὶ φίλα (sic Theod.)
242D = 182,10	ξυνενόησαν] ξυνενοήκασι 𝔄ΔΠ	ξυνενόησαν (sic Theod.)
	Soph. p. 245 E	Eus. p. 725 b
246B = 190,6	φησί] φύσει 𝔄ΔΠ	φύσει
246B = 190,10	προσέτυχον 𝔄ΔΠ] περιέτυχον*ς	προσέτυχον.

Codicis t lectiones publici iuris nondum factae sunt. Bekkeri et Stallbaumii codices ex sententia Schanzii l. c. sic apte segregantur

I. 𝔄ΔΠ

II. ΓΒ (ΛΞΣΥCEFH) et *(abci Zitt.)*,

qui ex t manasse putandi sint.

[1]) cf. de eo Bekkeri comm. crit. VII, Schanzii praefat. ad Theaetetum, Iordanum in Gött. Gel. Anz. 1879 p. 40.

Eusebius igitur secundae classis scripturas habet 182, 3. 182, 10; primae classis 182, 3. 190, 6. 190, 10. Memorabile autem est codicem *i* 182, 3 priorem classem sequi.[1])

7. Politicus.

Bekker II 2	Polit. p. 269 C	Eus. p. 559 d
269 C = 273, 6	εἰληχὸς] εἰληφὸς *Γ*	εἰληφὸς
269 D = 273, 13	πολλῶν μὲν] οὖν add. 𝔄*ΔΠ*	πολλῶν μὲν (et sic Theod. 63, 12)
269 E = 273, 19	ὅτι Bekker et *abci Zitt.*] τι 𝔄*Δ* et pr. *Π*	ὅτι
270 A = 274, 3	αὖ δύο τινὲ] δύω *ΓΞΣΥ*BCFH τινε δύο *i*	αὖ τινὲ δύο] αὖ τ' εἶναι δύο BCDFG
270 A = 274, 10	διὰ τὸ] διὰ δὲ τὸ 𝔄*ΓΔΠΣΥ*	διὰ τὸ
	Polit. p. 271 A	Eus. p. 561 b
271 B = 277, 4	ἕπεσθαι] om. 𝔄*Δ* et pr. *Π*	ἕπεσθαι
	Polit. p. 271 extr.	Eus. p. 586 b
272 A = 278, 14	ὕλης ἄλλης] ἄλλης om. *Δ*[2]) ἄλλης ὕλης *i*	ὕλης
	Polit. p. 272	Eus. p. 562 a
273 A = 280, 16	προελθόντος] προσελθόντος 𝔄*ΔΠ*	προελθόντος
273 E = 282, 3	μὲν οὖν τέλος] οὖν om. F	μὲν τέλος.

Politici libros eadem ratione atque Theaeteti Schanzius l. c. disiunxit:

I. 𝔄*ΔΠ*

II. *Γ*B (*ΔΞΣΥ*CEFH) et *(abci Zitt.)*,

quorum fontem item esse t putat. Quoniam huius libri scripturae ignorantur, de locis 273, 6. 274, 3. 274, 10. 278, 14. 282, 3 iudicari nequit. Quod ad cetera attinet, vides Eusebium 273, 13. 273, 19. 274, 10. 277, 4. 280, 16 lectiones secundae classis praebentem.

8. Philebus.

Bekker II 3	Pileb. p. 28	Eus. p. 628 b
28 C = 168, 3	οὐρανοῦ τε καὶ] τε add. 𝔄*ΔΠ*	οὐρανοῦ τε καὶ (et sic Theod. 90, 40)
28 D = 168, 11	τόδε τὸ] τὸ om. *ΓΔ*BCEFHw*abci*	τόδε τὸ
28 E = 168, 21	δοξάσαιμι] δόξαιμι *Γ*	δόξαιμι

[1]) cf. Schanzium „Platocodex“ p. 57 adn. 1.

[2]) Hunc librum *Δ* Schanzius accurate descripsit in Herm. X p. 175.

29B = 169,21	ἔστι μὲν] μὲν ἔστι 𝔄ΔΠ	ἔστι μὲν
29D = 170,10	γὰρ 𝔄ΔΠ] γ' ἂν *ς	γὰρ
29D = 170,12	πάντων ὅσων] πάντων add. 𝔄ΔΠ	ὅσων
30A = 171,17	πέρας] om. 𝔄Π, in mg. ponit Δ	πέρας
30B = 172,2	τὴν] διὰ 𝔄Δ et pr. Π qui rec. διὰ τὴν	τὴν
30D = 172,16	καθότι] καθὸ 𝔄Δ et pr. Π	καθότι
	Phileb. p. 65 C	Eus. p. 770 b
65D = 249,9	ὡσαύτως 𝔄ΔΠ] αὖ οὕτως corr. Σ ὡς οὕτως *ς	ὡσαύτως
65E = 249,19	Ἀρ' οὖν φρόνησιν] Ἀρ' οὖν ἢ φρόνησιν 𝔄Π et pr. Δ	Ἀρ' οὖν φρόνησιν
66A = 250,11	χρὴ τοιαῦτα 𝔄ΔΠΣ] τοιαῦτα χρὴ *ς	χρὴ τοιαῦτα
66C = 251,2	ἀγαθοῦ γε] γε om. 𝔄ΔΠ	ἀγαθοῦ
66E = 251,22	νῦν δὴ διελήλυθα καὶ δυσχεράνας][1] νῦν δὴ δυσχεράνας διελήλυθα καὶ δυσχεράνας 𝔄ΔΠ, νῦν ΓΛΞΣBC FHwac, νυνί *ς	διελήλυθα καὶ δυσχεράνας
66E = 252,1	εἴη 𝔄 pr. ΔΠ] ἂν εἴη Δb, εἴη ἂν *ς	εἴη
66E = 252,1	μακρῷ] μακρὸς 𝔄	μακρῷ
67A = 252,9	ἱκανώτατα] ἱκανώτατον 𝔄ΔΠ et pr. Ξ	ἱκανώτατα
67A = 252,18	μετρίῳ γ'] γ' om. 𝔄ΔΠ	τριῶν γ' BCDEFGI
67B = 253,5	ἔρωτας] ἐρῶντας 𝔄ΓΔΠ	ἔρωτας.

Quae in codice t legantur, adhuc nescimus. ceteros codices Schanzius in has duas classes dividi censuit:

I. 𝔄ΔΠ

II. ΓB(ΛΞΣCEFHw) et *(abci Zitt.)*.

Cum 𝔄ΔΠ consentit Eusebius 168,3. 168,11, 170,10. 249,9. 250,11. 251,2. 252,1: secundae classi favet 169,21. 170.12. 171,17. 172,2. 172,16. 251.22. 252,1. 252,9. 252,18. 253,5. Eusebii cum codice Γ 168,21 consensus non eius generis est, ut eo nexum quendam inter eos esse demonstrari putem.

9. Phaedrus.

Bekker I 1	ed. Schanz.	Phaedr. p. 255 B	Eus. p. 709 c
256 A = 58,19	μὴ ἂν T] μὴ B Eus.	μὴ ἂν] ἂν om. 𝔄ΔDΣGT et pr. Ψ et cϑ	μὴ
256 A = 59,1	ἐὰν T] ἂ B	ἐὰν] ἂ 𝔄ΔGT et pr. Π	ἐὰν

[1]) cf. Schanzium „Studien" p. 46 sq.

256 A = 59, 1	τεταγμένην τε	τεταγμένην τε] τε om. ΠDNOPT et pr. Ξ et *Mon. Vind.4 gh*	τεταγμένην
256 A = 59, 3	μακάριον μὲν	μακάριον μὲν] μὲν om. NOP	μακάριον
256 D = 59, 19	ἡγουμένῳ Apographa] ἡγουμένων BT	ἡγουμένῳ] ἡγουμένων 𝔄ΓΔΠBCEGT et corr. r et *aci Vind.1*	ἡγουμένῳ

Ex Theodoreto nihil lucramur; tamen Eusebii scripturis praeter 59, 19 fidem habendam esse censeo; ergo, si Schanzium sequimur, habet 58, 19 idem vitium atque 𝔄, veram lectionem tuetur cum t contra 𝔄 59, 1; falsa tradit 59, 1 omisso illo τε cum multis libris Platonis consentiens, omisso μὲν cum tribus NOP[1]); sed utrumque fortuito factum esse quispiam contenderit.

10. Alcibiades I.

Bekker II 3	ed. Schanz.	Alcib. p. 133	Eus. p. 551b
133 C = 368, 4	θειότερον T] νοερώτερον BCD	νοεώτερον ΔΠ] νοώτερον 𝔄, θειότερον *ς	θειότατον (sic Theod. 76, 26)
133 C = 368, 5	ἐστιν B] om. T	ἐστιν] add. 𝔄ΔΠ	ἐστιν (sic Theod.)
133 C = 368, 7	θείῳ T] θεῷ B	θεῷ ΔΠ] θείῳ *ς	θεῷ (sic Theod.)

Ergo Eusebius codicis t lectionem antiquam esse probat semel 368, 4; cum 𝔄 facit 368, 5 et 368, 7. Ceterum de verbis, quae exstant apud Eusebium, desunt in codicibus Platonicis, cf. Schanzium „Studien" p. 36 sq.

11. Gorgias.

Bekker II 1	ed. Schanz.	Gorg. p. 524	Eus. p. 577b
524 C = 166, 9	μέγα ἦν	μέγα ἦν] ἢ μέγα x	ἦν μέγα
		Gorg. p. 526 B	Eus. p. 579c
526 B = 169, 14	τῶν δυναστῶν. Ὅπερ	τῶν δυναστῶν. Ὅπερ] τῶν δικαστῶν c	τῶν δὲ δικαστῶν ὅπερ (et sic Theod. 156, 10)
526 D = 170, 10	σκοπῶ BT] ἀσκῶ γρ. T	σκοπῶ] ἀσκῶ Γ et γρ. ΞB et *acdmo*	σκοπῶ (sic Theod.)
526 D = 170, 11	τὰς τιμὰς τὰς τῶν	τὰς τιμὰς τὰς τῶν] alterum τὰς om. ΣΥV et pr. Ξ	τὰς τιμὰς τῶν (sic Theod.)

---

[1]) De origine codicum NOP cf. Schanzium in Herm. vol. XI p. 113 et 116.

526 D = 170, 12	σκοπῶν BT] ἀσκῶν Eus.	σκοπῶν] ἀσκῶν *x*	ἀσκῶν (sic Theod.)
526 E = 170, 20	δικαστὴν τὸν	δικαστὴν τὸν] „*x* add. ἐκείνοις cum Eus. Theod." Stallb.	δικαστὴν ἐκεῖνον τὸν (sic Theod.)
527 A = 170, 21	ἐπιλαβόμενος ἄγῃ	ἐπιλαβόμενος ἄγῃ] ἐπιλαβόμενος ἐκεῖνος ἄγῃ *x*	ἐπιλαβ. ἐκεῖνος ἄγῃ (sic Theod.)
527 A = 171, 1	σὺ ἐκεῖ	σὺ ἐκεῖ] καὶ σὺ ἐκεῖ V	καὶ σὺ ἐκεῖ
527 A = 171, 4	ὥσπερ γραὸς	ὥσπερ γραὸς] ὑπὸ γραὸς *x*	ὥσπερ ὑπὸ γραὸς (sic Theod.)
527 A = 171, 7	τῶν νῦν Ἑλλήνων	τῶν νῦν Ἑλλήνων] νῦν om. *d*	τῶν Ἑλλήνων (sic Theod.)

Apparet inter codicem Florentinum *x*[1]) et Eusebium nexum quendam esse, eaque ipsa res nos cautos reddere debet, ne ceteros inter codices aliquos et Eusebium nexus casu factos esse credamus. Omitto 169,14; sed mirum certe est V et *d* codices semel solos cum Eusebio consentire, de quibus Schanzius „Platocodex" p. 68 sq. unde fluxerint non satis clare mihi videtur monstravisse.[2]) Codicem *x* ex B Schanzius l. c. derivatum censet; quod si ita se habet, statuatur oportet, in eum (*x*) interpolationes et correctiones ex Eusebii verbis fluxisse (cf. cap. II quae de Reipublicae libris proferam).

Ex hoc lectionum conspectu, qui pertinet ad VI tetralogias Thrasylleas priores, haec effici putaverim. In Cratylo, Theaeteto, Politico, Phaedro, Alcibiade I ullum (praeter 𝔄t) codicem (Bekkeri aut Stallbaumii) cum Eusebii libro Platonico cohaerere certis indiciis demonstrari nequit. Codices *Π Tub.*[3]) quos ut antiquos interdum cum Eusebio consentire fortasse aliquis suspicetur, in his dialogis lectionem cum Eusebio communem soli omninò habent nullam.

---

[1]) cf. Schanzii adnotat. 2, p. 69 libri „Platocodex".

[2]) Cf. etiam Iordanum, Gött. Gel. Anz. 1879, I p. 40 sq.

[3]) Schanzius utrumque ex 𝔄 fluxisse putat Philol. vol. XXXVIII pag. 365.

In Apologia et Phaedone inter *Φ*, in Critone inter Vat. *Δ* (ex quo *d* prodiisse fertur) atque *Vind. 1* (ex quo *Φ* derivatur) et Eusebium fortasse nexum quendam statuas; quamquam indicia certe exigua sunt. In Gorgia aperte *x* [1]) et Eusebius vinculo aliquo cohaerent.

Denique hac comparatione Eusebii cum libris Platonis instituta probabile mihi videtur, Schanzii codicem archetypum, si qui fuit [2]), aut talem fuisse, qualem eum Peipersius l. c. esse voluit, aut ante Eusebii aetatem scriptum fuisse.

II.

1. Respublica.

Praeter Bekkerum et Stallbaumium etiam Schneideri editionem inspexi.

Bekker III 1	Resp. p. 345	Eus. p. 614c
345 C = 39,8	*ποιμαίνειν*] *πιαίνειν* A, *παχύνειν* tv*xα* *et a supersc.* F [3])	*πιαίνειν* CDFGI
345 D = 39,15	*βελτίστη*] *βελτίστην* vF	*βελτίστην*
345 D = 39,17	*ούτω δὲ*] *οὕτω δὴ* v et *x* E [4])F	*οὕτω δὴ*
	Resp. p. 377	Eus. p. 576b
377 A = 94,3	*οἶσθα*] *οἶσθ'* tvmr*Φ* [a])*abcαγ* EF Lobc.	*οἶσθ'*
377 B = 94,4	*ἄλλως τε καὶ*] *ἄλλως τε δὴ καὶ* vF	*ἄλλως τε δὴ καὶ*
377 B = 94,8	*τοὺς ἐπιτυχόντας ὑπὸ τῶν ἐπιτυχόντων μύθους*] *ὑπ. τ. ἐπ.* om. t et *α*	*τοὺς ἐπιτυχόντας μύθους*
377 B = 94,12	*πρῶτον δὴ*] *πρῶτον μὲν δὴ* v et *x*FE	*πρῶτον μὲν δὴ*
	Resp. p. 377	Eus. p. 640d cf. 692d et 693d
377 B = 95,5	*πρῶτον καὶ*] *πρῶτόν τε καὶ* v et *x*F	*πρῶτόν τε καὶ* (sed *πρῶτον καὶ* p. 693d)

---

[1]) Num codicis Vind. F, quo in Republica Schneiderus usus est, lectiones ad Gorgiam pertinentes publici iuris factae sint, ignoro; cf. cap. II p. 63 sq.

[2]) cf. Iordanum, Hermes XIII p. 480 sq.

[3]) F est Schneideri cod. Vind. F (Collar. LV); cf. Schneideri praefat. vol. I et indicem vol. III.

[4]) Schneideri cod. Vind. E (Nessel. I).

[a]) Teste Schneidero.

	Resp. p. 377E	Eus. p. 76c et 641c
378A = 95,16	*ἂν εἰ ἦν, εἴη* v et *x*	76c *ἂν εἰ ἦν*] *ἂν ἀνείη* A. *ἂν ἦ* H; 641c *ἂν εἰ ἦν, ἂν εἴη* BCFG, *ἦν* om. I; Theod. 41,1 *ἂν εἰ ἦν*] *εἴη* C
378B = 96,6	*δοκεῖ* vmF (videtur) et *x*] ceteri *δοκῶ*	*δοκεῖ* p. 76 et 641 et sic Theod.
378C = 96,10	*φυλάξειν*] *φυλάττειν* v et *x*F	p. 76 *φυλάξειν*] *φυλάττειν* F, ξ *φυλάττειν* G; p. 641 *φυλάσσειν* et *φυλάττειν* Theod.
378C = 96,14	*μέλλομεν*] *μέλλοιμεν* v et *x*	*μέλλοιμεν* p. 76 et 641
378C = 96,16	*λεκτέα μᾶλλον*] *λεκτέον* om. AΞΦr et pr. Θ. post *μᾶλλον* ponit v et rc. Θ et *x*F	*μᾶλλον λεκτέα* p. 76 et 641
	Resp. p. 378D	Eus. p. 642b
378E = 97,8	*ἡμᾶς αὐτὰ ἄττα*] *ταῦτα* AΘΞ tm et *acγ*. *τί ταῦτα* Φr, om. vF (et fortasse *x*)	*ἡμᾶς ἄττα*
379A = 97,17	*ὁ θεὸς ὤν*] *ὢν ὁ θεὸς* vF*x*	*ὢν ὁ θεὸς*
379A = 97,18	*ἐάν τε ἐν μέλεσιν*] om. AΘΞΦmr	*ἐάν τε ἐν μέλεσι*
379B = 97,19	*ὅ γε θεὸς*] *ὁ* ΠΦDKqtr*α*ϑ D[a]) Lobe.	*ὁ θεὸς* (sic Theod. 75,23)
379E = 99,1	*ταμίας ἡμῖν*] *ἡμῖν* om. v et *x*F	*ταμίας ἡμῖν*] *ἡμῖν* om. BCDFGI
379E = 99,1	*Ζεὺς*] *ὁ Ζεὺς* tv*ac*EF	*ὁ Ζεὺς*
380A = 99,3	*Θέμιτός*] *Θέμιδός* tvEF	*Θέμιδός*
380C = 100,8	*τοὺς λέγοντας*] *τούς τε λέγοντας* tv*acxa*EF	*τούς τε λέγοντας* (et sic Theod.)
381A = 101,7	*καὶ ἀμφιέσματα*] om. AΘΞΦmr	*καὶ ἀμφιέσματα*
381A = 101,10	*ἔστι δὴ ταῦτα*] *ἔστι ταῦτα* *a* pr. F	*ἔστι ταῦτα*
381B = 101,12	*ὁ θεός τε*] *γε* ΠDKqϑD[a])	*ὁ θεός γε*
381B = 101,15	*δῆλον ἔφη ὅτι*] *ὅτι ἔφη* v et *x*F	*δηλονότι. ἔφη*
381B = 101,17	*καὶ τὸ αἴσχιον*] *καὶ αἴσχιον* *a*	*καὶ αἴσχιον*
381C = 102,2	*ἔφην*] om. vF	*ἔφην* om. BCFGI
381C = 102,2	*θεῷ*] *θεὸν* v et *x*F	*θεὸν*
381C = 102,5	*ἅπασα*] *πᾶσα* v et *x*F	*πᾶσα*
381D = 102,10	*Πρωτέως καὶ*] *Πρωτέως τε καὶ* vΘ*x*	*Πρωτέως τε καὶ*

a) Hic est codex Schneideri. Vindob. cf. eius praef. in vol. I.

381 E = 102, 21	*ἡμῖν*] *ἡμᾶς* vEF*acx*	*ἡμᾶς*
382 A = 103, 1	*φάντασμα*] *φαντάσματα* tv et *xa*F	*φαντάσματα*
382 A = 103, 3	*τοῦτο*] *τοῦτ'* v et *x*F	*τοῦτ'*
382 B = 103, 15	*ἄγνοια ἡ τοῦ ἐψευσμένου*] *τοῦ ἐψευσμένου ἄγνοια* v et *x*F (hic *ἐψ. ἀγ.*)	*τοῦ ἐψευσμένου ἄγνοια*
382 C = 104, 4	*νῦν δή*] *νῦν* om. *Φ*vrEF	*νῦν δή*] *νῦν* om. CFG
382 D = 104, 11	*ψευδὴς ἐν θεῷ*] *ἐν θεῷ ψευδής* v	*ἐν θεῷ ψευδής*
382 E = 104, 12	*ψεύδοιτο*] *ἂν ψεύδοιτο* v et *x*F	*ἂν ψεύδοιτο*
382 E = 104, 18	*ἔν τε ἔργῳ καὶ ἐν λόγῳ*] *καὶ λόγῳ* *Π*DKqv*x*F	*ἔν τ' ἔργῳ καὶ λόγῳ*] *τ'* om. BCFG
382 E = 104, 19	*οὔτε κατὰ φαντασίας*] om. A *ΘΞΦ*mr Lobc.	*οὔτε κατὰ φαντασίας*
383 A = 105, 3	*ποιεῖν*] *ἀκούειν* *Π*DKqtv*αβx*F	*ποιεῖν*
383 A = 105, 4	*αὐτοὺς γόητας ὄντας*] *ὄντας* om. A	*αὐτοὺς γόητας ὄντας*
383 C = 106, 4	*ἂν χρῴμην*] *ἂν αὐτοῖς χρῴμην* tv*acxa*E	*ἂν αὐτοῖς χρῴμην*
	Resp. p. 390	Eus. p. 693 b
390 C = 114, 21	*ἐπιλανθανόμενον*] *ἐπιλαθόμενον* tv et *acx*F (. . . *ος*)	*ἐπιλαθόμενον*
	Resp. p. 415	Eus. p. 613 b
415 A = 160, 16	*τοῖς τε γεωργοῖς*] *τοῖς γεωργοῖς* *ΘΦ*tr Lob. D[a])	*τοῖς γεωργοῖς*
415 B = 161, 1	*φυλάξουσι*] *φυλάξωσι* *ΘΦ*vr*nx* Lob. D[a]) F	*φυλάξωσι*
415 C = 161, 5	*ὤσουσιν εἰς*] *ἤσουσιν ἢ εἰς* v, *ἤσουσιν* *x*	*ὤσουσιν ἢ εἰς*
415 C = 161, 6	*ἢ εἰς γεωργούς*] *εἰς* om. K*n*	*ἢ γεωργούς*
	Resp. p. 421 E	Eus. p. 610 c
422 A = 169, 16	*ἐμποιοῦντα*] *ποιοῦντος* (aut . . . *τες*) habent A*ΘΠΦ*DKmr Lob. D[a]) *αγ*, om. q	*ἐμποιοῦντος*
422 A = 169, 16	*τοῦ δέ*] *τῆς δέ* vt*ax*F	*τῆς δέ*
	Resp. p. 457 B	Eus. p. 706 b
457 B = 230, 6	*γυμναῖς γυναιξί*] *γυμναῖς ταῖς γυναιξί* mD[a])	*γυμναῖς ταῖς γυναιξί* (sic etiam Theod. 129, 25)
457 B = 230, 7	*ἀτελῆ*] *ἅτε δὴ γρ.* A et *Paris.* (= K)	*ἅτε δή* (sic Theod.)
	Resp. p. 457 C	Eus. p. 708 b
457 C = 230, 21	*τούτῳ*] *τούτων* mE	*τούτων* (sic Theod. 130, 20)

[a]) Vide p. 60 adnot. [a].

	Resp. p. 460 E	Eus. p. 709 a
460 E = 237,6	μέχρι τετταρακονταέτιδος] om. Φr Lobc.	om. (om. Theod. 131,20)
	Resp. p. 461 B	Eus. p. 709 b
461 C = 238,10	ἐὰν δέ τι] τις vx	ἐὰν δέ τις (sic Theod. 131,28)
	Resp. p. 468 E	Eus. p. 663 a
469 A = 252,13	ἀνθρώπων — θεοῦ] om. ΘΠΦ DKqrβ Lob.	extat (extat etiam apud Theod. 118,32)
	Resp. p. 500 C	Eus. p. 593 a
501 B = 305,12	ἑκατέρωσ'] ἑκατέρωσε vF et xβ, ἑκατέρως *ς	ἑκατέρωσε
501 C = 305,20	μάλιστα] μάλιστα τὰ vxF	μάλιστα τὰ
	Resp. p. 521 D	Eus. p. 745 d
522 A = 340,3	ἔφη] ἔθη vxF et corr. Π, om. α	ἔθη
522 A = 340,5	ἀγαθὸν] ἄγον γρ. Π, om. x, ἀγ F, ὂν ἀγαθὸν v	ἄγον
522 A = 340,6	νῦν] om. zxF	νῦν] om. EFGI (deest locus in D)
	Resp. p. 530 E	Eus. p. 746 d
531 A = 357,2	ἔτι] ὅτι K, om. vxF	ὅτι
	Resp. p. 588 C	Eus. p. 615 c
588 C = 458,6	λέγονται — γενέσθαι][1] om. ΘΠDKr et β Lobc.	om. CFGI
588 D = 458,13	λόγος] ὁ λόγος K	ὁ λόγος
	Resp. p. 599	Eus. p. 618 d
599 D = 474,14	ἀνθρώπου] ἀνθρώπων Φ *Monac.*	ἀνθρώπων
600 A = 475,11	Ἀναχάρσιος] ἀναχάρσιδος m et *Monac.* aEΦ[b])	Ἀναχάρσιδος
600 B = 475,11	ὑστέροις] ὕστερον D[b])Kr Lob.	ὕστερον
600 D = 476,12	ἐπιστατήσωσι τῆς παιδείας A ΞΦm et acay] τῆς π. ἐπιστ. ΘΠKvrqβx Lob. F	τῆς παιδ. ἐπιστατ.
601 A = 477,11	ἑτέροις] ἐν τοῖς AΦmacγE	ἑτέροις
	Resp. p. 620 A	Eus. p. 698 a
620 A = 513,12	ὡς τὸ εἰκὸς] τῷ Θ, ὡς τὸ om. AΦKvbm et pr. D, ὡς om. acay	εἰκὸς] ὡς τὸ om. BC EFGI
620 B = 513,16	τούτῳ] τούτω τοῦ r	τούτῳ τοῦ
620 C = 514,6	ἀπράγμονος] καὶ ἀπράγμονος r Lob.	καὶ ἀπράγμονος

---

[1]) Totum locum apponam: ... καὶ ἄλλαι τινὲς συχναὶ λέγονται ξυμπεφυκνῖαι ἰδέαι πολλαὶ εἰς ἓν γενέσθαι. Λέγονται γάρ, ἔφη κτλ.

[b]) Teste Schneidero.

Quae ratio inter codices Reipublicae intercedere videretur, nuper M. Schanzius (Hermes XII 173 cf. 574; „Platocodex" p. 77 sqq.) et A. Iordanus (Hermes XIII 474) quaesiverunt; uterque libros Parisinum A[1]) et Venetum *Π* ceterorum codicum fontes esse putat.[2])

Atque Eusebius modo codici A modo *Π* favet; huius enim lectiones tuetur 97,18. 97,19. 101,7. 101,12. 104,18. 104,19. 105,4. 458,6. 476,12. 477,11, illius 39,8. 105,3. 252,13. 513,12. — Praeterea autem plurimis locis consentit cum codicibus tv*xα*F, nonnunquam cum *Φ*r Lobc., raro invita ceterorum librorum auctoritate cum m et K[3]). Codicem *Φ*[4]) — quod ad VI priores libros Reipublicae attinet — Schanzius ex r fluxisse affirmat („Platocodex" p. 78); ipsum r ex Lobcoviensi, quem descriptum esse censet ex *Vind.1*[5]) (cf. p. 62 et 100). Hunc autem ex codice quodam, qui usque p. 389 D (113, 15) ex t (hic ex A, Schanz. „Platoc." p. 78), inde ab eo loco ex *Π* ductus erat, Schanzius derivat (p. 102). Quid in *Vind.1* locis 94,3. 160,16. 161,1. 237,6. 475,11. 513,16. 514,6 scriptum sit nescimus (cf. Schneiderum, vol. I praefat. p. XVI)[6]); nexum autem intercedere inter codices istos et Eusebium vix negari posse putaverim.

Porro codicem v ex *x* („Platocodex" p. 79. 106), *x* ex F[7]) (p. 106), t ex *a* (p. 80), *x* (ergo F quoque?)[8]) et *α* ex *a* (p. 80)[9]) per suum quisque rivulum fluxisse putant. Librum *a* ipsum ex

---

[1]) De Par. A cf. Rhein. Mus. XXXIII 303.

[2]) cf. etiam Schanzium in Bursiani Ann. 1879.

[3]) De codice m cf. Schanzium „Platocodex" p. 81 et Iordanum l. c. p. 475; de codice K Schanzium, Hermes XI 112, XII 172. 177, Iordanum p. 474.

[4]) cf. Schanzium, Hermes XII 174.

[5]) De *Vind.1* conferendum esse etiam Schanzium ad Euthydemum (ed. Wirzeburgi 1872) praef. p. VII iam dixi p. 52.

[6]) Quod Iordanus (Hermes XIII 475) *Vind.1* Vindobonensem E Schneideri putare videtur, non intellego cf. Schanzium „Platocodex" p. 62 et 100 et Schneideri praef.

[7]) cf. Schneideri praef. vol. I, indicem vol. III et adnotationem ad Remp. p. 353 A.

[8]) cf. Iordanum, Hermes XIII p. 475 et 470.

[9]) cf. Iordanum l. c. p. 470 et 475.

A Schanzius derivat.[1]) Si res ita se habet, in istos codices interpolationes ex Eusebii verbis permultas fluxisse manifestum est. Codex *a* autem his tantum locis eas interpolationes ostendit 100,8. 102,21. 106,4; ergo aut *a* neglegentissime collatus est, aut iterum codices F et *a* interpolatos esse putemus oportet, et *α* quidem his locis 94,8.[2]) 99,1. 101,10. 101,17. 102,21. 103,1. 114,21. 169,16; codicum F*x*v lectiones enumerare nolo, conferas conspectum. Iudicent viri doctissimi, qui Platonis verba restituere sibi proposuerunt. Quoniam codices, de quibus agitur, recentioris aetatis sunt omnes (*a* XIV s., *α* XV s., *x* XV s. ex sententia Stallbaumii, t recentem esse, v XVI saec.[3]) scriptum esse Bekkerus adnotat; cf. praeff.[4])), eos non ex A originem ducere, non contendo; sed quod ad singulas illas derivandi rationes attinet, Schanzii et Iordani argumentis me non omni ex parte fidem habere confiteor.

2. Timaeus.

Bekker III 2	Tim. p. 29	Eus. p. 542 b
29 E = 25,14	*γενέσθαι ἐβουλήθη* Ab] *ἐβουλήθη γενέσθαι* *ς *Stallb.*	*ἐβουλήθη γενέσθαι*
	Tim. p. 32 B	Eus. p. 702 d
32 B = 28,18	*Ὅτι περ πῦρ*] *περ* add. Ab et corr. F et *xv*	*Ὅτι πῦρ*
32 C = 29,2	*συνελθὸν*] *συνελθεῖν* Ab et *cod. Corron.*	*συνελθὸν* (et sic p. 559 c)
32 C = 29,2	*ὑπὸ τοῦ ἄλλου* Ab] *ὑπὸ τῶν ἄλλων* *ς *Stallb.*	*ὑπὸ τῶν ἄλλων* (et sic p. 559 c)
	Tim. p. 34 B	Eus. p. 703 a
34 B = 31,11	*περιεκάλυψε ταύτῃ*] *ταύτῃ* add. A	*περιεκάλυψε*
	Tim. p. 37 E	Eus. p. 524 d
37 E = 36,15	*καὶ τό τ' ἦν τό τ' ἔσται*] *ἦν καὶ* A, *τ'* ante *ἦν* om. F	*τὸ ἦν καὶ ἔσται* (et sic Theod. 26,22)
37 E = 36,16	*ἃ δὴ*] add. Ab et rc. F*x*	*ἃ δὴ* (sic Theod.)
38 A = 36,19	*ἐν χρόνῳ*] *ἐν τῷ χρόνῳ* A	*ἐν χρόνῳ* (sic Theod.)

[1]) cf. Iordanum l. c. p. 475—76 et Schanzium (praeter „Platocodex") in Philolog. vol. XXXVIII p. 364.

[2]) cf. Schanzium „Platocodex" p. 80.

[3]) De codice v cf. etiam Schanzium, Philolog. vol. XXXV p. 668.

[4]) Etiam codex Schneideri F, chartaceus, quem ex *a* derivant, recens videtur; cf. Schanz. „Platocodex" p. 106.

38 A = 37, 1	*διὰ χρόνου οὐδὲ γενέσθαι*] add. AFqb, quorum q *διὰ τὸν χρόνον*, F *διὰ χρόνον* et sic *βx Tub.*	*διὰ χρόνου οὐδὲ γενέσθαι*
38 A = 37, 2	*τοπαράπάν τε*] *δὲ* eo, *τε* om. pr. F, delevit *Θ*	*τοπαράπαν*
38 A = 37, 4	*αἰῶνά τε*] *αἰῶνας* YSVsxegо*ab*c*wo*; *τε* om. Ab	*αἰῶνα*
38 B = 37, 7	*ἔτι δὲ*] *δὲ καὶ* F, *τε* A, om. o*x*	*ἔτι τε*
	Tim. p. 40 D[1])	Eus. p. 75 d. 639 d. 692 c
40 D = 42, 9	*σαφῶς δέ που*] *γέ* o*x*	*σαφῶς γέ πως* (et sic Theod. 12,35 cf. 43,20)
40 D = 42, 9	*εἰδόσιν*] *εἰδότων* o et *x*	*εἰδότων*
40 E = 42, 12	*φάσκουσιν*] *φασκόντων* Ao*x Tub.*	*φασκόντων*
	Tim. p. 41 A	Eus. 703 d (559 cd)
41 A = 42, 21	*ἐθέλωσι θεοὶ*] *οἱ θεοὶ* Ab	*ἐθέλωσι θεοὶ*
41 A = 43, 3	*ἃ δι' ἐμοῦ γενόμενα*] *ἃ* om. o et *x*, *τάδε γρ.* A; *γενομένων* (*γίνομαι x*) *πάντα ταῦτα ἄλυτα* o*x*, *ἃ δ. ἐ. γεν.* om. *Tub.*	om. p. 703 d et item p. 559 c
41 A = 43, 3	*ἐμοῦ γ' ἐθέλοντος*] *εἴ γε μὴ θέλοντος* A, *τε* s	*ἐμοῦ μὴ θέλοντος* (et sic p. 559).

De Timaei libris egerunt Schanzius in Iahnii Annalibus 1877 p. 485 et in libro „Platocodex", Iordanus in Hermis vol. XII p. 467 anno 1878. Sed inter viros doctissimos non convenit. Schanzius ex Ao *Tub.* (omissis iis libris, quos ex Ao *Tub.* fluxisse putat) et secundo loco multo deterioribus ex libris *YΘ* verba Platonis restituenda esse putat, atque propter praestantiam libri A codices o *Tub.* sine damno neglegi posse. [Valde verisimile porro iudicat *YΘ* ex *a* fluxisse (p. 498).][2]) Contra Iordanus ex A (fonte unius b) et *Y* solis Timaei dialogi cetera exemplaria pendere contendit. Itaque de eo quidem consentire videntur, duos fontes codicum Timaei esse. Iam vides Eusebium cum A facientem 36, 15. 36, 16. 37, 4. 37, 7. 42, 12. 43, 3; contra auctoritatem libri A praebet lectiones secundae familiae (sive codicis *Y* sive codicum *YΘ* sive aliorum[3])) 25, 14. 28, 18. 29, 2 bis. 31, 11. 36, 19. 42, 21. Sed praeterea *Tub.*[3]) solus consentit (cf. 37, 1) 43, 3 cum Eusebio, et cum propter aetatem *Tub.*

---

[1]) cf. p. XXII diss. meae.

[2]) Contra cf. „Platocodex" p. 86 et p. 89 et Herm. vol. XIV 156, Philolog. XXXVIII 364, Iordanum in Gött. Gel. Anz. 1879 I 42.

[3]) cf. etiam Schanzium, Philolog. XXXVIII 364.

libri de interpolatione cogitare non possimus, fortunae casus autem certe satis mirus videatur, hoc consensu *Tub.* auctoritatem augeri eumque non omittendum esse puto. Codicis F vero (quem ex *Tub.* Schanzius derivat) consensum 36, 15 et 37, 2 nihili faciam. De codicum o et *x* cum Eusebio consensu (36, 16. 42, 9. 42, 12) iudicium proferre non possum, quia quid in codice Schneideri F scriptum sit ignoro; ex eo enim codicem *x* totum descriptum esse Iordanus contendit [1]), et Schanzius („Platocodex" p. 105) etiam o ex F (cod. Schneid.) fluxisse verisimile putat.

3. Leges.

Bekker III 2	ed. Schanz.	Leges p. 626	Eus. p. 600 b
626D = 183,8	*λέγομεν* a Eus.] *λέγωμεν* A	*λέγομεν* r et *Hχ* et corr. A] *λέγωμεν* *ς	*λέγομεν*
		Leges p. 639A	Eus. p. 609 b
639A = 207,17	*τὸν τοῦ τοιούτου*] *τοῦ* om. Eus.	*τὸν τοῦ τοιούτου*] *τοῦ* om. f, *τὸν τοιοῦτον* *Voss.*	*τὸν τοιούτου* (et Theod. 170,39 *τὸν τοιοῦτον*)
		Leges p. 671A	Eus. p. 597 d
671C = 269,21	*δυναμένῳ τε*	*δυναμένῳ τε*] *τε* add. A	*δυναμένῳ τε*
		Leges p. 673 extr.	Eus. p. 598 c
674A = 275,13	*τῷ τῶν Καρχηδονίων*	*τῷ Καρχηδονίων*] *τῷ τῶν* KAΩf𝔥r et *Bado*	*τῷ Καρχηδονίων*
674A = 275,16	*δούλην μήτε δοῦλον*	*δοῦλον μήτε δούλην*] *δούλην μήτε δοῦλον* A	*δούλην μήτε δοῦλον* CFGI
		Leges p. 677A	Eus. p. 587 c
677A = 279,4	*κατακλυσμῷ ποτε*	*κατακλυσμῷ ποτε*] *ποτε* om. 𝔥	*κατακλυσμῷ*
		Leges p. 689 B	Eus. p. 581 c
689C = 304,10	*ἀμαθαίνουσι*] *μανθάνουσι* A	*ἀμαθαίνουσι*] *μανθάνουσι* AΞΩfracδox sed mrg. *acδ* *ἀμαθαίνουσι*	*ἀμαθαίνουσι* (et sic Theod. 9,25)
Bekker III 3		Leges p. 844E	Eus. p. 713 c
845A = 107,1	*δὲ δὴ*] *δὴ* om. 𝔥		*δὲ*
		Leges p. 857A	Eus. p. 612 b
857A = 125,21	*χείσθω*] *ἐπιχείσθω* of et *γρ Ω*; *a* in mrg. *ἀλλαχοῦ· ἐπιχείσθω*		*ἐπιχείσθω*

---

[1]) cf. Hermes XIII p. 470; eandem de codice *x* sententiam dixit Schanzius l. c. p. 105.

	Leges p. 874	Eus. p. 612c
874 B = 159, 16	*τις*] om. A et pr. *Ω*	*τις*
892 B = 191, 21	*πᾶς*] om. A et pr. *Ω*	*πῶς*
892 C = 192, 2	*διαφερόντως ὅτι φύσει*] *ὅτι* om. A et pr. *Ω*	*διαφερόντως φύσει*
	Leges p. 895	Eus. p. 624a
896 A = 199, 18	*Τὸ ἑαυτὸ*] *τοῦτον* AΩvfr et (omisso:) Ξ et sic *Florentini*, sed mrg. codd. *acδ ἐν ἄλλοις· τὸ ἑαυτὸ*	*Τὸ ἑαυτὸ*
896 C = 200, 18	*πρόσθεν* A] *ἔμπροσθεν* *ς	*πρόσθεν* (et sic 601d)
897 B = 202, 5	om. A et rc. *Ω*] *καὶ πικρὸν* *ς *Stallb. codd.*	[*καὶ πικρὸν*] om. DFGI
	Leges p. 899	Eus. p. 630c
899 E = 208, 7	*ἀνοσίους*][1]) om. pr. AΩ	[*ἀνοσίους*] om. CD FGI
900 A = 208, 9	*τὰ νῦν ἐν*] *νῦν ὅταν* Ξv et mrg. *Ω*, *νῦν ὅτ' ἐν* f, *ὅταν ac*	*τανῦν ὅταν ἐν*
900 A = 208, 16	*ὑπό τινος* (sic etiam *Florentini*)] *τε* in mrg. posito *τινος* A	*ὑπό τε*
900 C = 209, 13	*ἧττον ἢ*][2]) *ἧττον ἄλλων δὲ ἢ* v fhr et *Florentini*	*ἧττον μᾶλλον δὲ* CDFGI (et sic Theod. 93, 20)
901 A = 210, 21	*γέ τοι*] *τοι* Ξvfhr*acδo*, om. A	*γέ τι*] *τι* om. CDFGI
901 E = 212, 10	*ὁμολογοῦμεν*] *λέγομεν* f et *γρ. Ω* r et *o* et mrg. *δ*	*λέγομεν*
902 E = 214, 13	*οἱ λιθολόγοι*] *οἱ* om. pr. A	*οἱ λιθολόγοι*] *οἱ* om. CFGI
903 E = 216, 15	*λόγον*] om. A et pr. *Ω*	*λόγον*] om. CFGI
904 B = 217, 10	*πεφυκὸς ὅσον*] *ὂν* mrg. *Ω*, *ὂν* r et *aδ*	*πεφυκὸς ὂν*
	Leges p. 914A	Eus. p. 711b
914A = 232, 6	*μηνύσας δὲ*] *μηνύων δ'* f et *μη-* *ων* *νύων o*, *μηνύσας a*	*μηνύων δὲ.*

Post Peipersium (Quaestt. crit. de Platonis Legibus, Gottingae 1863) de codicibus Legum disputaverunt Iordanus (Hermes XII 161) et M. Schanzius („Platocodex" p. 95), quos conferas. Iordanus et Schanzius (cf. etiam Legg. lib. I—VI ed. M. Schanz 1877) Parisinum A fontem omnium librorum manuscriptorum

[1]) cf. Peipersium, Quaestt. crit. etc. p. 31.
[2]) cf. Peipersium l. c. p. 36.

esse quibus Leges continentur, existimant. Atque monendum sane est paucos videri codicum quorundam cum Eusebio consensus, quos enotavi, si reputaveris, quam multa Eusebius (cf. indicem ap. Gaisford. aut Dindorf.) ex Legibus descripserit (quae si continuo scriberentur, plus quam viginti quinque paginas Stephanianas implerent). Quam multum autem afferat Eusebius ad emendandos Legum libros ex Schanzii editione cognoscas. Locis citatis A libri lectiones habet II 269, 21. 275, 16. III 192, 2. 200, 18. 202, 5. 208, 7. 208, 16. 210, 21. 214, 13. 216, 15; certa nexus cuiusdam cum ceteris codicibus indicia haec praebet: (ut II 207 omittam) cum vfђr et *Florentinis* III 209, 13, cum ђ II 279. 4. III 107. 1 (ex silentio) adstipulantibus codd. *acδ* mrgg. III 199. 18, cum f III 232, 6, cum mrg. aut γρ. Ω et nonnullis aliis, quos ex Ω fluxisse Peipersius [1]), Iordanus, Schanzius demonstraverunt, III 125, 21. 208, 9. 212, 10 cf. 217, 10. [2]) De iis lectionibus idem sentiendum erit, quod Peipersius p. 40—41 de III 209, 13 exposuit. Aut ex antiquo codice Platonis, aut ex ipso Eusebio in illos codices devenisse eas statuendum est.

Multis igitur locis Eusebii liber Platonicus in dialogis tetralogg. VIII—IX cum codicibus quibusdam, plerumque recentioribus aut recentissimis ita consentit, ut aut isti libri ex Eusebio interpolati videantur, aut aliter nobis de eorum origine censendum sit, atque vulgo post Schanzii et Iordani disputationes fieri solet. Suspicio autem interpolationis omnino abest a solo *Tub*, quem in Timaeo dialogo semel eandem, quam Eusebius habet, corruptelam praebentem vidimus. Eaque re ipsa iudicium supra p. 65 sq. pronuntiatum paullulum commendari putaverim.

III.

Postremo pauca de codice Platonico Eusebii addenda videntur. Et primum quidem patet, cavendum nobis esse, ne

[1]) l. c. p. 39.

[2]) Codicem Ω, chartaceum, post Bekkerum nemo inspexisse videtur; fortasse de accurata lectionum adnotatione non uno loco dubitare licet; idem dicendum de libro ђ, quem ex δ fluxisse Schanzius p. 96 putat; obstarent lectiones II 279, 4. III 107, 1, si adnotationem apud Stallbaumium accuratam esse censeres.

corruptelas, quae hodie locis Platonicis ab Eusebio descriptis inveniuntur, illi tribuamus. Eusebii praeparationem evangelicam nobis satis corruptam, praecipue codicis archetypi librarii neglegentia deformatam servari notum est (cf. Freudenthalium l. c. et quae in diss. dixi); itaque si Eusebius lectiones alienas a bonis et vetustis libris Platonis habet (non dico tales lectiones cum codd. deterioribus communes, de quibus modo agebam), quae corruptelae apertae sint, eas codici Platonico, quo usus est, tribuere ineptum esset. Ipsum Eusebium permagna fide rem suam egisse etiam comparatio supra instituta demonstrat. Quare lectiones pravae a codicibus Platonicis dissentientes, quae in praeparatione evangelica hodie inveniuntur, Eusebii exemplari pro certo tum tantum tribuendae sunt, si aut testimoniis scriptorum, qui Eusebium expilaverunt, defenduntur, aut bis apud Eusebium eodem modo scripta leguntur, quod nonnunquam accidit. Tales lectiones enumerare hic inutile sit. Uno autem loco scriptura, quae apud Eusebium (pr. evang. p. 569a et p. 699c cf. Theodoretum p. 155, 23) invenitur, *ἄνευ καμάτων* pro *ἄνευ σωμάτων* in Phaedon. p. 114B (agitur de sapientium et bonorum vita aeterna) suspicionem movere potest Christianum Eusebium aut falso legisse aut consulto mutasse, quod in codice suo Platonico fuit. Ceterum Platonis librum, quo usus est Eusebius, bonum et Stobaei exemplari Platonico similem fuisse facile ex Schanzii adnotatione critica cognosces; eum saepius easdem corruptelas atque nostros codices Platonis exhibere omnino consentaneum est (cf. Schanzium praeter libros „Studien" et „Platocodex" in Iahnii Ann. 1877 p. 488).

Corrigenda.

p. 16 lin. 26 post p. add. 30.
p. 17 lin. 4 post p. add. 41.
p. 22 lin. 12 del. signum * post *πον*.

H. KARBAUM:

DE AUCTORITATE AC FIDE GRAMMATICORUM LATINORUM IN CONSTITUENDA LECTIONE CICERONIS ORATIONUM IN VERREM.

Proximo anno ab amplissimo philosophorum ordine universitatis Halensis haec quaestio philologica proposita erat „Quaeratur de locis ex Ciceronis libris a grammaticis Latinis citatis et quos quisque libros usurpaverit et quid testimonia grammaticorum ad constituendam lectionem conferant explicetur“. In certamen litterarium descendere auso mihi contigit, ut commentatio mea praemio digna iudicaretur.

Ita autem quaestionem illam institui, ut totam disputationem distribuerem in quattuor capita haec:

Cap. I: De grammaticorum studiis Ciceronis.

Cap. II: Quos quisque libros usurpaverit.

Cap. III: De locis ab illis ex Cicerone laudatis.

§ 1. Qua ratione in citandis inscriptionibus librorum usi sint.

§ 2. Qua in citandis ipsis verbis.

§ 3. Quibus ex fontibus ea exempla manaverint imprimis Prisciani ratione habita.

§ 4. Afferantne grammatici eos locos Tullianos ita ut invenerunt in fontibus.

Cap. IV: Qua fide et auctoritate singuli grammatici sint et quid conferant ad lectionem constituendam in orationibus in Verrem habitis: Priscianus, Probus, Sacerdos, Charisius, Diomedes, ceteri.

Cuius commentationis copiosioris nunc ad impetrandos summos in philosophia honores quartum caput typis exprimendum eligere satis habui, quod facillime et salvo sententiarum conexu a ceteris seiungi posse video. Cetera aliis temporibus typis mandabo.

Quaerimus igitur quid grammatici locis ab illis citatis conferant ad genuinas scripturas textus Ciceronis restituendas. Etiamsi enim Ciceronis editores fere semper grammaticorum suis locis mentionem fecerunt locique ab iis citati magna ex parte

ad Ciceronem emendandum in auxilium vocati sunt, tamen eorum studia, nisi quid me fugit, nondum sub uno conspectu considerata neque continua disputatione perlustrata sunt. Desideratur igitur accuratior disputatio de auctoritate singulorum grammaticorum eorumque in citando fide. In omnibus enim grammaticis perpendendis uno eodemque iudicio plerumque usi, satis habuerunt vanis fere verbis dicere, cavendum esse, ne nimis fidei tribueretur grammaticorum testimoniis. Sed deest quaestio satis iusta et accurata.

Itaque primum necessarium est inquirere, quae auctoritas ac fides in citando singulis grammaticis tribuenda sit. Deinde cum fieri non posset, ut perscrutaremur, quid valerent grammaticorum lectiones ad textum omnium Ciceronis librorum corrigendum, quaestionem in angustiores fines redegimus et studium contulimus in orationes in Verrem habitas, idque maxime idcirco, quod inde plerique pleraque exempla deprompserunt[1], deinde quod textus earum orationum gravissime corruptus et interpolatus[2]) est ab Italis, interdum vero adeo mutilatus, ut fides scripturae fere uno libro manuscripto contineatur.

Iam vero ut a Prisciano incipiamus, magni momenti est et

---

[1]) Crebro ab omnibus fere grammaticis orationes in Verrem citatae sunt. Frequentissime autem has orationes Priscianus allegavit, sequuntur deinceps, numero exemplorum computato, Nonius, Arusianus Messius, Servius (Aen. comment.), Sacerdos, Probus, Gellius, Diomedes, Charisius. Quin etiam tam singulari studio grammatici eas orationes complectebantur, ut nonnulli, qui rarissime laudant Ciceronem, testimonia ex his potissimum orationibus repeterent. Ut exemplis rem demonstrem, Servius vel Sergius, qui composuit commentum in artem Donati, decies citat Ciceronem, sex autem loci ex hoc numero pertinent ad hos libros. Ex quindecim exemplis, quae Agroecius laudat duodecim adnumeranda sunt Verrinis. Plurima ex his orationibus Probus et Sacerdos attulerunt, perpauca ex aliis orationibus, nulla ex scriptis philosophicis et rhetoricis, nulla ex epistulis. Ex sedecim denique exemplis — ne nimis lectoris fastidium moveam — a Cledonio ex Cicerone desumptis decem orationibus in Verrem tribuenda sunt. Certe hic tantus numerus exemplorum explicatur praecipue veterum grammaticorum studiis, qui in regulis explicandis libentissime has orationes ad partem vocasse videntur.

[2]) Madvig, Epistula critica ad Orellium p. 6 sq., p. 48; De Quinti Asconii Pediani et aliorum veterum interpretum in Ciceronis orationes commentariis disputatio critica p. 101 adn. 3.

valde auctoritatem fidemque huius grammatici auget, quod maxime probabile vel potius certum est, eum in exemplis ex nonnullis scriptoribus repetendis complures eosque antiquissimos codices inspexisse et contulisse. Quod apparet ex his locis:

Prisc. vol. II p. 256, 16: nam apud Horatium duplicem invenio scripturam et ‚fastos' et ‚fastus' in III carminum: Per memores genus omne fastos et ‚fastus' in aliis codicibus. —

Prisc. II 344, 21: Cic. in Verrinarum IV: quod Siculus a ‚civi' Romano etc., sic enim veteres codices habent, quos imperitia quorundam corrupit mutantium scripturam. —

Prisc. II 350, 15: Cicero de signis: immo vero alia ‚compluria'; in quibusdam tamen codicibus invenitur ‚complura'. —

Prisc. II 527, 23: Sallustius in Iugurthino: et omnem aetatem Arpini ‚altus'; in quibusdam autem codicibus etiam ‚alitus' invenitur. —

Prisc. II 535, 18: Cic. in divinatione: ipse profecto metuere incipies, ne innocenti periculum ‚facesseris'; invenitur tamen in quibusdam codicibus ‚facessieris'. —

Prisc. II 540, 18: idem praeteritum in II georgicon: Mollibus in pratis unctos ‚saliere' per utres; in quibusdam tamen codicibus invenitur etiam ‚saluere' scriptum. —

Prisc. II 592, 18: ‚hocce' unde ‚hoc' quasi duabus consonantibus sequentibus solent poetae producere, ut: Hōc erat, alma parens quod me per tela per hostes | Eripis? — et sic in antiquissimis codicibus invenitur bis 'c' scriptum etc. —

Prisc. III 162, 13: Verg. in I Aeneidos: . . . . sed melius in quibusdam codicibus sine m ‚pharetra' ablativus invenitur . . . . idem in Aen. VII . . . . sed melius hic quoque in quibusdam invenitur . . . . in v. 24 eandem quaestionem habet etiam illud: Iustitiane prius mirer, belline laborum; sed invenitur etiam: Iustitiaene prius mirer, quod est aptius. —

Prisc. III 408, 16: denarius quoque decem librarum nummus per X perscriptam notatur $\overset{\text{X}}{-}$; eorum pleraque in Verrinis Ciceronis licet invenire in antiquissimae scripturae emendatis codicibus. —

Iam haec sententia, Prisciano illis locis re vera codices complures ante oculos fuisse et ab eo collatos esse ea re confirmatur, quod haec additamenta apud eum non inveniuntur in exemplis

laudatis nisi eorum scriptorum, qui usitatissimi in consuetudine scholarum erant, Terentii, Vergilii, Horatii, Sallustii, Ciceronis; quorum multos antiquos codices ea aetate exstitisse satis notum est. Nec vero omnium librorum Ciceronis codices se in manu habuisse Priscianus contendit, sed de Verrinis orationibus tantum hoc adnotavit, id quod re vera sententiae nostrae subsidio videtur esse.

Nec verisimile est has adnotationes ‚invenitur in codicibus etc.' ex fontibus in libros a Prisciano translatas esse; neque enim apud ullum ex ceteris grammaticis, quos una cum Prisciano iisdem fontibus usos esse constat, ullum talis additamenti vestigium exstat. Qua de causa satis certum videtur esse Priscianum in eis ipsis exemplis, quae ex veterum grammaticorum libris apposuit, interdum complures inspexisse libros manuscriptos, ut quas in fontibus invenit lectiones ipse in examen vocaret eoque magis firmaret. Hic dixerit quispiam nimium tribui studio et operae grammatici. Non alienum illud est a Prisciani singulari diligentia et assiduitate eximia, quam ubique praestitit in exemplis afferendis. Haud dubie enim quam diligens fuerit in exemplis laudandis vel inde apparet, quod ubique [1]) plenissimis atque accuratissimis inscriptionibus utitur; quas omnes ab eo in fontibus inventas esse prorsus non probabile est et comparatis aliorum grammaticorum libris refutatur. Quas ut adderet exemplis e libris veterum grammaticorum repetitis, certe ei inspiciendi erant codices Tulliani; nam ex memoria omnes has inscriptiones tam plenas et accuratas manavisse Prisciani, neminem puto credere, qui etiam obiter Prisciani libros oculis perlustret. — Iam vero huic sententiae, quam supra proponimus, Priscianum codices eosque complures quorundam certe scriptorum in usum adhibuisse, hoc suffragatur, quod se codices antiquos oculis vidisse in libro ‚de figuris numerorum' profitetur. Ibi enim, cum grammaticorum Graecorum libris usus sit, „Latinorum [2]) scriptorum exempla ipse composuisse videtur". Describit denique nonnullis locis codices talibus verbis, ut dubitationi iam nullus locus sit.

[1]) Tribus solis locis, ni fallor, in exemplis ex omnibus scriptis Ciceronis citatis Priscianus minus pleniore titulo utitur. Paucissimis locis errat in titulis; nec vero tales minutiae evertunt rem universam.

[2]) haec sunt Keilii verba in Prisc. vol. III praef. p. 394.

Nec vero silentio praetermittam, esse aliquid, quod huic opinioni obstet. Suspicionem enim movet et dubitationem unum exemplum, ap. Prisc. III 320, „idem in eadem (Ter. Andr.): Ausculta pauca: et quid ego te velim et tu quod quaeris scies; sic enim habent antiqui codices teste Donato commentatore eius", unde manifestum est hoc fluxisse ex Donato. — Sed tantum abest, ut hoc exemplo sententia nostra refutetur, ut contra reliquorum additamentorum origo evincatur. Nam hac ipsa re quod hoc uno loco se Donati auctoritatem sequi adnotavit, videtur demonstrari, Priscianum aliis locis, ubi se complures codices inspexisse affirmat, libros manuscriptos in manibus habuisse. Conferas vol. III p. 281, 11, ubi grammaticus idem exemplum Terentianum afferens addere non neglexit, se eam scripturam illius versus in Donati commento invenisse, verbis: „quod etiam Donati commentum approbat", qua re summa diligentia Prisciani certe cognosci potest. Denique Priscianus (vol. III p. 256, 17) clarissime se ipsum praedicat codices inspexisse cum dicat: ‚invenio'.

Relinquitur [1]) igitur, ut omnibus, quae modo dixi, iterum in memoriam revocatis Prisciano complures codices quorundam scriptorum ante oculos fuisse dicamus.

Iam vero etiam iis locis, ubi de ipsa re nihil adnotavit codices illos antiquos ab ipso Prisciano evolutos esse, luce clarius est. Ac fortasse eos aut unum ex eis imprimis adhibuit in eis exemplis, quae debuit suo ipsius studio et operae. Nam quamquam plurima exempla apud Priscianum et apud alios grammaticos deprompta esse ex veterum grammaticorum libris in tertio capite satis comprobavimus, tamen quaedam ipsi addidisse putandi sunt. — Atque sua sponte Priscianum suspicamur exempla attulisse codicibus illis aut uno inspectis loco lib. XVIII p. 257 —264, ubi amplius quadraginta exempla ex Cicerone affert atque omnia ex uno eodemque libro actionis secundae in Verrem, quam citare solet titulo ‚de praetura urbana'. Adscribit autem

---

[1]) Ceterum si quis hoc uno exemplo demonstrari putabit illa additamenta ‚invenitur in quibusdam codicibus' ex fontibus in libros Prisciani fluxisse, concedet, exemplis fidem haudquaquam detrahi vel etiam augeri, quippe quae tum etiam multo antiquioribus codicibus debeantur.

ea exempla — quae sunt satis ampla — deinceps uno tenore ita, ut diligenter ordinem servet non solum capitum sed etiam paragraphorum uno loco, quarto excepto. Saepius l. l. Priscianus compluria verba omittit, interdum etiam totos versus Tulliani textus, qui non faciunt ad res demonstrandas, sed semper recte et accurate periodum ad finem perducit.

Scripta autem sunt exempla hoc ordine:

Prisc. vol. III p. 256, 24 ‚Cicero de praetura urbana' 1) act. II lib. I 42, 107; 2) p. 257, 2 act. II lib. I 53, 139; 3) p. 257, 16 act. II lib. I 54, 141; p. 258, 1—264, 15; 4) lib. I 56, 148; 5) 55, 145; 6) 57, 149; 7) 57, 150; 8) 59, 154; 9) 59, 154; 10) 60, 155; 11) 60, 157; 12) 40, 103; 13) 41, 105; 14) 41, 106; 15) 41, 106; 16) 41, 106; 17) 42. 109; 18) 43, 110; 19) 43, 111; 20) 44, 114; 21) 45, 115; 22) 45, 115; 23) 45, 116; 24) 45, 117; 25) 46, 118, 26) 46, 120; 27) 46, 121; 28) 47, 122; 29) 47, 123; 30) 47, 123; 31) 48, 125; 32) 48, 125; 33) 48, 126; 34) 48, 127; 35) 50, 131; 36) 56, 146; 37) 59. 154; 38) 1, 3; 39) 2, 6; 40) 3, 7; 41) 4, 9.

Hanc tantam exemplorum seriem manare non potuisse ex memoria per se elucet. Nunc quaeritur, utrum Priscianus haec exempla ipse addiderit an veterum grammaticorum vestigiis in citando institerit. — Ipsum ea addidisse puto propterea, quod in libris XVII et XVIII Priscianus imprimis Apollonium Dyscolum et Herodianum secutus crebrius res grammaticas tractat, quae numquam [1]) antea ab ullo Romanorum grammaticorum tractatae aut certe leviter ab iis tactae erant.

---

[1]) Nec vero Christio, viro doctissimo, (Philol. vol. XVIII p. 149). consentio, qui arbitrari videtur exempla in libris XVII et XVIII inventa Prisciani unius operae ac studio tribuenda esse. Huic sententiae enim obstat cum aliorum tum Arusiani Messii cum Prisciano consensio. Magnam enim exemplorum copiam in his libris deinceps consonantem invenies cum Arusianis; debentur igitur vel ipsi Arusiano vel eius auctoribus, ita ut quo iure Christius illud contenderit, intellegi nequeat. Haec exempla utriusque grammatici communia afferre satis habui:

Prisc. lib. XVIII	p. 273, 4	Verg. georg. II	Arus. vol. VII p. 492, 7
	p. 273, 9	Ter. in Andr.	Arus. vol. VII p. 492, 6
	p. 273, 11	Ter. in Phorm.	Arus. vol. VII p. 492, 12
Prisc. lib. XVIII	p. 273, 15	Sall. in Cat.	Arus. p. 494, 3.
	p. 274, 10	Ter. in Eun.	Arus. p. 499, 16.
	p. 274, 12	Cic. in I invectiv.	Arus. p. 499, 15.

Praeterea autem ne unum quidem exemplum ex hoc tam ingenti numero — ob easdem quidem res grammaticas citatum — apud ceteros grammaticos repperi. Denique omittendum non est, quid Priscianus omnibus his exemplis prolatis addiderit (vol. III p. 264, 16): „Ideo ex uno libro Ciceronis tot usus proponere studui, ut docerem, quam frequentissime hac constructione usi sint auctores eloquentiae Latinae, in hoc quoque maxime imitati Atticos, quorum similiter usus necessarium esse existimavi collectos subicere“.

Prisc. lib. XVIII	p. 300, 8	Verg. in III georg.	Arus. p. 497, 30.
	p. 300, 10	idem in eodem	Arus. p. 497, 25.
Prisc. lib. XVIII	p. 333, 27	Cic. invectiv. II	Arus. p. 498, 3.
	p. 333, 28	Ter. in ad.	Arus. p. 498, 6. Serv. ad Aen. III 278.
	p. 334, 2	Idem in eodem	Arus. p. 498, 7.
	p. 334, 4	Sall. in Iugurth.	Arus. p. 498, 4. cf. Non. p. 498 M., Serv. ad Aen. III 278.
Prisc. lib. XVIII	p. 283, 7	Cic. pro Mur.	Arus. p. 481, 27.
Prisc. lib. XVIII	p. 320, 14	Cic. primo invectiv.	Arus. p. 451, 1.
	p. 320, 16	Sall. in Cat.	Arus. p. 451, 2.
Prisc. lib. XVIII	p. 292, 7	Sall. in Cat.	Arus. p. 501, 10.
		idem in Iug.	Arus. p. 501, 11.
		Verg. georg. I	Arus. p. 501, 12.
		idem in IV	Arus. p. 501, 13.
		idem in III	Arus. p. 501, 14.
Prisc. lib. XVIII	p. 354, 21	Sall. in Cat.	Arus. p. 499, 13.
Prisc. lib. XVIII	p. 354, 25	Verg. in III Aen.	Arus. p. 512, 2. Non. p. 377, 33.
	p. 355, 1	Verg. georg. III	Arus. p. 512, 3. Non. p. 377, 1.
	p. 355, 3	idem in X	Arus. p. 512, 5.

cf. Prisc. lib. XIV p. 32, 12; 53, 10; lib. XVII p. 188, 10; lib. XVIII p. 229, 21; p. 343, 14; 355, 1.

Prisc. lib. XVIII	p. 277, 8	Verg. in I Aen.	Arus. p. 499, 16.
	p. 277, 10	Cic. Philipp. V	Arus. p. 449, 18.
	p. 277, 11	Idem invectiv. III	Arus. p. 449, 19.
Prisc. lib. XVIII	p. 226, 6	Verg. in II Aen.	Arus. p. 489, 8.
Prisc. lib. XVIII	p. 288, 5	Verg. in XI	Arus. p. 470, 4.
	p. 288, 11	Ter. in Andr.	Arus. p. 472, 19.
	p. 291, 20	Cic. pro Mil.	Arus. p. 498, 20.
Prisc. lib. XVIII	p. 377, 5	Sall. in Iug.	Arus. p. 477, 32.
Prisc. lib. XVIII	p. 231, 3	Ter. in Ad.	Arus. p. 500, 7.

Videamus nunc, utrum lectiones in his exemplis a Prisciano propositae deteriorum codicum genus — quos quidem nos noverimus — sequantur an meliorum, quos antiquissimos et praestantissimos esse nonnumquam[1]) asseveravit Priscianus. Quam in rem diligentius inquirere maxime necessarium est, ne sine firmo ac stabili fundamento temere ex Prisciani lectionibus Ciceronis textum emendare conemur. —

Ac primum pervestigantes, quibus locis, ubi inter meliores et deteriores Ciceronis codices[2]), dissensio intercedit, grammatici scripturae cum deterioribus consentiant l. l., invenimus hos:

Prisc. III 264, 2 ‚paratus'; Cic. codd. dett. S = scholiasta Gronovianus.	Cic. act. II lib. 1, 2 ‚paratus' omis. Cic. codd. mell. G 1 G 2 Ld = G 3, ς C.
Prisc. III 264, 11 ‚liberum' r Prisciani praestantissimus codex cum codd. in lib. VII § 24 (vol. II 307, 1), ubi idem locus citatur; cf. Non. p. 365, 32 M., qui ipse quoque ‚liberum' praebet; ‚filiorum' Prisc. codd. OD; ‚liberum' Cic. codd. dett.	Cic. or. l. 3, 7 ‚librorum' omis. Cic. codd. mell. G 1 G 2 al.
Prisc. III 260, 8 ‚ex utroque genere'; Cic. codd. dett.	Cic. or. l. 40, 103 ‚ex' omis. Cic. codd. mell. G 1 G 2 D ς.
Prisc. III 256, 25 ‚illum ipsum'; Cic. codd. dett.	Cic. or. l. 42, 107 ‚ipsum illum' Cic. codd. mell.
Prisc. III 261, 11 ‚istius institutum'; Cic. codd. dett. et opt. cod. V.	Cic. or. l. 43, 111 omis. haec verba Cic. codd. mell.

[1]) cf. p. 75. huius comment.

[2]) De codicibus Ciceronianis conferenda sunt, quae dicit Jordanus in notarum explicationibus, quas singulis orationibus praemisit; praeterea supplementum apparatus critici ad quattuor libros priores orationum Verrinarum, quod Jordani editioni addidit Carolus Halmius cf. Orellii edit. alt. vol. II, 1 p. 443 sqq. Madvig, Epistula critica ad Orellium, Havniae 1818. Orelli, Epistula critica ad Madrigium. Halm. Gel. Anz. d. bayr. Academie No. 29 sqq.: Ueber die Handschriften der verrinischen Reden. H. Meusel, Utri Verrinarum codici maior fides habenda sit palimpsesto Vaticano an Regio Parisiensi. Berlin 1876 diss. inaug. Quae omnia de libris manuscriptis in editionibus commemoraverunt recentiores Ciceronis orationum in Verrem interpretes Zumpt (Berlin 1831), Kayser (Leipzig 1861), Klotz (ed. altera emendatior Leipzig 1863), C. F. W. Müller (Leipzig 1880); Halm, Richter-Eberhard: div. in Caec., act. II lib. IV et V. — Alia quae singulis locis adnotavi

Prisc. III 262, 11 ‚illud edictum suum'; Cic. codd. dett.	Cic. or. l. 46, 119 ‚illud ipsum edictum suum' Lg. 29.

Consentit igitur Priscianus sex locis cum Ciceronis deterioribus codicibus ita, ut quattuor his locis (Cic. lib. I 1, 2; 3, 7; 40, 103; 43, 111) deteriorum lectiones scripturis meliorum utique praeferendae et in textum recipiendae sint, reliquis autem locis (Cic. lib. I 42, 107; 46, 119) et meliorum et deteriorum lectio certe defendi possit.

Iam vero dissentit Priscianus a deteriorum scripturis et cum omnibus melioribus libris aut plurimis facit his locis:

Prisc. III 263, 22 ‚convictus' cod. opt. gram. r, ‚convinctus' huius cod. pr. m. ‚convictus' Cic. codd. mell. G 1 G 2 λ Lg. 29 S (Lg. 42 teste Halmio); omnes editt.[1]	Cic. or. l. 1, 1 ‚evictus' Cic. codd. dett. ς (?).
Prisc. III 264, 13 ‚contentus fuerit'; Cic. codd. mell. G 1 G 2 Ld. ς Lg. 29, Jul. Sev. p. 343; omnes editt.	Cic. or. l. 4, 9 ‚contentus erit' Cic. codd. dett.
Prisc. III 264, 1 ‚est idem Verres'; Cic. codd. mell. et omnes editt.	Cic. or. l. 1. 2 ‚est enim idem Verres' Cic. codd. dett. et Lg. 29 (Lgg. 29 p. m., 42, 5, 27 teste Halmio).
Prisc. III 260, 4 ‚illo myoparone' cf. Prisc. III 189, 8, ubi eadem forma legitur; sic Cic. codd. mell; omnes editt.	Cic. or. l. 35, 90 ‚de illo myoparone' Cic. codd. dett. nonn. (Lg. 5 et 27 soli teste Halmio).
Prisc. III 260, 4 ‚domesticarum legum', Cic. codd. mell G 1 G 2 ς Lg. 29 A = Ascon. personatus; omnes editt.	Cic. or. l. 35, 90 ‚legum domesticarum' Cic. codd. dett.
Prisc. III 264, 15 ‚liberarint' ἠλευθέρωσαν ἄρα ut Prisc. explicat; liberarint Cic. codd. mell; omnes editt.	Cic. or. l. 4, 9 ‚liberarent' Cic. codd. dett.

[1]) Editores quas lectiones receperint propterea plerumque apponam, ut intellegatur, quam inconstanter in Prisciani testimoniis adhibendis se gesserint.

Prisc. III 260, 17 ‚condonabat' Prisc. codd. VNDr ‚condanabat' cod. R, condonavit cod. M; condonabat Cic. codd. mell. G 2 Ld. ς Lg. 29 V; omnes editt.	Cic. or. l. 41, 106 ‚condonarat' Cic. codd. dett.
Prisc. III 261, 3 ‚is non omnia'; Cic. codd. mell. ς V Parr. Lall.; Jord. Kays. Kotz. Muell. Madvig., cf. de Ascon. Ped. disp. crit. p. 45 adn., op. I p. 328.	Cic. or. l. 42, 109 ‚omnia' verbis ‚is non' omissis Cic. codd. dett. ‚is omnia' Cic. codd. G 2 Ld. Lg. 29; sic Zumpt.
Prisc. III 261, 6 ‚hominis causa'; Cic. codd. mell. G 2 ς V Lg. 29; omnes editt.	Cic. or. l. 42, 110 ‚causa hominis' Cic. codd. dett.
Prisc. III 261, 8 ‚iam hoc'; Cic. codd. mell. G 2 Ld. ς, ψ unus e dett. num.; omnes editt.	Cic. or. l. 43, 111 ‚itaque' Cic. codd. dett.; eV = editio Vaticana (‚iam' habet V, ‚ita iam' Lg. 29 teste Halmio).
Prisc. III 261, 10 ‚G. Verres'; Lg. 29.	Cic. or. l. 43, 111 ‚Verres' Cic codd. dett. et V.
Prisc. III 261, 13 'dicto' omnes Cic. codd. mell. et omnes editt.	Cic. or. l. 44, 114 ‚edicto' Cic. codd. dett.
Prisc. III 261, 17 ‚in disciplinam ei'; Cic. cod. Lg. 29 et omnes editt.	Cic. or. l. 45, 115 ‚ei in disciplinam' Cic. codd. dett.
Prisc. III 261, 21 ‚certaret'; Cic. codd. mell. et omnes editt.	Cic. or. l. 45, 115 ‚certatur' Cic. cod. Urs. e dett. num.
Prisc. III 261, 21 ‚faceret ita'; Cic. codd. mell.	Cic. or. l. 45, 115 ‚faceret et ita' Cic. cod. Urs., Ps.-Asc.
Prisc. III 262, 7 ‚habitant' cod. Lg. 29 p. m.; omnes editt.	Cic. or. l. 46, 118 ‚habitabant' Cic. codd. dett.
Prisc. III 262, 19 ‚iste' cf. Non. p. 288, qui eadem verba afferens ‚iste' omisit; ‚iste' Cic. codd. mell. (‚ste' i. e. ‚iste' cod. V); omnes editt. et Madvig., op. I, p. 328.	Cic. or. l. 47, 123 ‚is' Cic. codd. dett.

Prisc. III 259, 17 ‚eiusmodi iudiciorum'; Cic. cod. Lg. 29; omnes editt.	Cic. or. l. 60, 156 ‚iudiciorum eiusmodi' Cic. codd. dett.
Prisc. III 260, 19 ‚conscripserit' *συνέγραψεν ἄρα ἢ συγγεγράφοι ἄρα* explicat gramm.; Cic. codd. mell. (conscribserit cod. V); omnes editt.	Cic. or. l. 41, 106 ‚scripserit' Cic. codd. dett.
Prisc. III 263, 6 ‚liberos'; Cic. codd. mell. et omnes editt.	Cic. or. l. 48, 127 ‚liberos homines' Cic. codd. dett (liberos homines omnes Lgg. praeter Lg. 28, qui melioribus solus adnumerandus est, teste Halmio).
Prisc. III 263, 10 ‚se inventurum'; Cic. codd. mell. et omnes editt.	Cic. or. l. 50, 131 ‚se' omis. Cic. codd. dett.
Prisc. III 258, 7 ‚deiectum' Cic. cod. mel. Lg. 29, cf. p. 88 huius comment.	Cic. or. l. 55, 145 ‚delectum' vel ‚deletum' Cic. codd. dett.
Prisc. III 258, 9 ‚petissem'; Cic. cod. Lg. 29 p. m.	Cic. or. l. 57, 149 'petivissem' Cic. codd. dett. et cV (‚petivissem' Cic. codd. dett. et V teste Halmio).
Prisc. III 258, 13 ‚quod eum codicem'; cod. Lg. 29 et cod. Urs.; omnes editt.	Cic. or. l. 57, 149 ‚quod tum codicem' Cic. codd. dett.

Videamus igitur Prisciani lectiones sex locis consentire cum deterioribus, viginti quattuor locis — nisi quid me fugit — discrepare ab iisdem, atque ita ut his locis grammaticus easdem scripturas exhibeat ac meliores omnes Ciceronis codices vel plurimi [1]) eorum. Itaque apparet Prisciani lectiones utique inclinare ad praestantiam meliorum codicum, nec temere contendere mihi videor, Priscianum exemplaria Tulliana vel exemplar optimae et spectatae fidei in his locis afferendis inspexisse. Qua

[1]) Animadvertendum est nonnumquam melioribus codicibus nos destitutos esse propter crebras eorum lacunas, qua de causa Priscianus consentire non potest nisi cum Lg. 29, in quo nusquam lacuna exstat.

de causa hae Prisciani lectiones scripturis praestantissimorum codicum Ciceronis auctoritate et gravitate exaequandae sunt: idque eo magis quod quattuor ex illis sex locis, ubi Priscianus facit cum deterioribus, deteriorum lectiones utique praeferendae sunt meliorum scripturis, id quod supra indicavi.

Atque cum quaerimus, cui potissimum codici ex eis quos nunc habemus Prisciani liber manuscriptus similis fuerit, hoc mea quidem sententia diiudicari non potest. Nam si conferimus grammatici lectiones cum Lag. 29, quem integrum per totum hunc librum habemus, haud dubie persaepe inter se consentiunt, sed aliis nec paucioribus locis discrepant, Prisciano cum aliis libris faciente. Nec vero cum ullo ex ceteris codicibus Priscianus ita conspirat, ut Priscianum archetypum illius secutum esse contendere tibi liceat. Huc spectat etiam Prisc. II 350. 15. quo loco codices Prisciani scripturas a nostris multo diversas praebuisse ex ipsius grammatici verbis elucet: „‚compluria', in quibusdam tamen codicibus invenitur ‚complura'". Nullus autem ex nostris codicibus aliud praebet nisi ‚complura'. — Inutile igitur est quaerere, cui ex nostris illi Prisciani codices imprimis similes fuerint. Satis habemus intellexisse Prisciani lectiones in hoc tanto numero exemplorum ex primo libro act. sec. depromptorum, lectionibus optimi codicis auctoritate et bonitate pares esse.

Hoc fundamento posito iam perscrutemur, quid haec testimonia Prisciani ad Ciceronis textum restituendum conferant. — Ac primum comprobatur et firmatur scriptura, ubi grammaticus cum omnibus Ciceronis manuscriptis libris consentit. Cuius rei permulta exempla in medium proferre possum, sed omitto, quod uniuscuiusque paginae (lib. XVIII p. 257—264) fere unusquisque versiculus testatur. — Gravioris autem momenti, ut ad alterum genus progrediar, auctoritas grammatici est, ubi dissentiunt inter se codices Ciceronis. Ac patet eis codicibus maiorem vim et gravitatem accedere, quorum lectionem confirmat grammaticus. Quo spectant imprimis omnes illi loci, ubi facit Priscianus cum melioribus libris contra deteriores, quos supra in p. 81 sqq. indicavi.

Iam Prisciani lectio, congruens cum uno compluribusve Ciceronis libris manuscriptis, aliorum librorum scripturis praestat his locis:

Prisc. III 263, 21 ‚testibus'; omnes editt. — Cic. act. sec. lib. I 1, 1 ‚iudicibus' Cic. codd. mell. G 1 G 2.

Prisc. III 264, 13 ‚ac non sic'; omnes editt. — Cic. or. l. 4, 9 ‚ac si non' G 2.

Prisc. III 260, 10 ‚digna sint'; Cic. codd. λ Lg. 29 p. m. — Cic. or. l. 40, 103 ‚digna sunt' Cic. codd. G 1 G 2 plerique; sic Zumpt., sed iniuria, nam vereor, ut quisquam huius causas comprobet „sed grammaticum, quamvis optimo codice usum putemus, hoc loco crimen plurium locorum premit in unum confusorum". Conferas potius quod dixi de hac serie exemplorum p. 77 sq.

Prisc. III 260, 11 ‚oporteat', quod ad ipsam rem grammaticam demonstrandam citatur et repetitur a Prisciano verbis ‚οὐκ ἄρα χρή'; omnes editt. — Cic. or. l. 40, 103 Cic. cod. G 1.

Prisc. III 260, 15 ‚in rationem inducerent'; omnes editt. — Cic. or. l. 41, 106 [1]) ‚in rationem ducerent' Cic. cod. V teste Brunnio.

Prisc. III 260, 18 ‚ereptam liberis'; Cic. cod. praest. V; sic solus Jordan. Fallitur Zumptius cum dicit restituimus ‚a liberis' pro vulgato ‚liberis' adstipulante Prisciano"; quandoquidem tantum duo codices grammatici iique minoris notae ‚a liberis' praebent, ceteri et praestantissimi ‚liberis'. Atque etiamsi verba eripiendi cum praepositione ‚a' coniuncta aliquotiens [2]) apud Ciceronem invenimus, tamen multo usitatior est constructio ‚eripi cum dativo', cf. infra § 113, § 114 ubi ter in eadem re dativus legitur. Quam ob causam praefero ‚ereptam liberis' praesertim cum haec lectio Palimpsesto Vaticano et Prisciani gravissimo testimonio commendetur. — Cic. or. l. 41, 106 ‚ereptam a liberis' Cic. codd. G 2 Ld. ς Lg. 29.

Prisc. III 261, 10 ‚G. Verres'; Lg. 29; Zumpt. Muell: Propter Prisciani auctoritatem praenomen in textum recipiendum est. — Cic. or. l. 43, 111 ‚Verres' Cic. codd. dett. et V; Jord. Kays. Klotz.

— Eodem pertinet exemplum:

[1]) Inde a § 105 desinit G 1; incipiunt in eadem paragrapho inde a verbis ‚docet hominem' usque ad § 114 ‚usitata satis' fragmenta Pal. Vatic. (V.) a Maio edita. [2]) cf. Ellendt ad ‚de oratore I § 225'.

Prisc. III 258, 9 ‚petissem' „hic quoque confirmative dixit, οὐκ ἂν ᾔτησα etc." Cic. cod. Lg. 29, alii; sic. Zumpt. Jord.

Cic. or. l. 55, 145 ‚petivissem' codd. dett. et eV = editio Vaticana; sic Kays. Klotz. Muell.

Prisc. III 261, 20 ‚litis vindiciarum'; cett.[1] Cic. codd., A; omnes editt.

Cic. or. l. 45, 115 ‚litis fidei usores (i. e. fideiussores) fructuum' Lg. 29.

Prisc. III 261, 21 ‚faceret, ita' cett. Cic. codd.; Zumpt. Jord. Quod praebet codex Ursini ‚et' nullius momenti est, quia is in dett. numero habendus est. Asconii autem, qui vulgo dicitur personatus, auctoritas idem ‚et' prae se ferentis satis compensatur Prisciani gravitate. Cum igitur ceteri Ciceronis libri omittant particulam ‚et', sequitur, ut eicienda sit, cum prorsus non necessaria sit.

Cic. or. l. 45, 115 ‚faceret et ita' cod. Urs., A; Kays. Klotz. Muell.

Prisc. III 261, 19 ‚non exstaret, lege ageret'; omnes editt.

Cic. or. l. 45, 115 ‚non exstaret, non lege' Lg. 29 p. m.

Prisc. III 262, 2 ‚quid ad praetorem'; Cic. cod. Mein. e dett. num. Cf. Halmii adn. in ed. II Orell. p. 449 „praefero cum Prisciano ‚quid ad praetorem'; cf. infra § 124 (p. 167, 10), pro Rosc. Am. § 92, pro Rosc. Com § 34." Et profecto hoc loco praeferenda est Prisciani simplicissima lectio et gravissima.

Cic. or. l. 45, 116, ‚quid ad id praetorem' Lg. 29; sic Zumpt. Jord. Klotz; ‚quid ad praetorem' ctt. Cic. codd.

Prisc. III 262, 9 ‚totum eorum'; omnes editt.

Cic. or. l. 46, 119 om. ‚totum' Lg. 29.

---

[1]) Desinunt in § 111 Cic. codd. G2 Ld. ς, desiit iam antea in § 105 G 1, desiit in § 114 Pal. Vat. usque ad § 119. Cum igitur cod. Parisiensis D cum in actione prima tum in libris act. II non collatus sit nisi paucis locis (Orell. edit. alt. p. 119), relinquuntur codd. mell. / Lg. 29, qui tamen medium tantum locum tenet inter meliores et deteriores, C = Cuiacianus, ex quo varias lectiones aliquotiens adnotavit Lambinus (edit. Orell. p. 103). Quae cum ita sint nemo non intellegit Prisciani lectiones eo maiorem gravitatem et pondus habere et dignas esse, quarum diligenter in Ciceronis textu restituendo ratio habeatur.

Prisc. III 262, 14 ‚in iure dicendo' Cic. cod. Lg. 29, alii; — Cic. or. l. 46, 120 ‚dicundo' cod. V.
sic solus Zumpt. Adnotat Jord. Priscianum ‚dicundo' praebere, sed Hertzius nihil de hac scriptura commemorat. Nec vero quidquam interest inter formas ‚dicundo et dicendo' ‚dicundi et dicendi', cum Cicero modo hac modo illa forma utatur; cf. Merguetii lex. ad Cic. orr. sub v. ‚dico' p. 103 (ius). Qua de causa h. l. nullius rei ratio habenda est nisi auctoritatis codicum. Nec tamen Palimps. Vat. valet ad eiciendas scripturas quas complectuntur Lg. 29 et alii Ciceronis libri una cum gravissimo testimonio Prisciani.

Prisc. III 262, 16 ‚nisi'; omnes editt. — Cic. or. l. 46, 121 ‚ni' cod. V.

Prisc. III 263, 3 ‚in eas hereditates'; Cic. cod. V; sic Madvig., op. I p. 328 cui iure assentiuntur cett. recent. editt. — Cic. or. l. 48, 125 ‚ad eas hereditates' cett. codd; Zumpt., qui adnotat „Ceterum Lamb. ex Prisciano ‚in eas hereditates' male."

Prisc. III 263, 2 ‚coeperit' rell. Cic. codd.; sic solus Zumpt. Mea quidem sententia et ‚coepit' — Cic. or. l. 48, 125 ‚coepit' cod. V.
et ‚coeperit' locum habet; cum autem ‚coeperit' et maiore codicum auctoritate et Prisciani lectione nitatur, hoc certe praeferendum esse censeo et eo magis, quia propter ipsam hanc coniunctivi formam grammaticus exemplum Tullianum citavit. cf. Handii Turs. vol. I p. 402.

Prisc. III 263, 4 ‚venissent' ‚ἐληλύθασιν ἄρα' ut explicat grammaticus; cett. Cic. codd.; sic recte omnes editt. — Cic. or. l. 48, 125 ‚fuissent' cod. V.

Prisc. III 260, 13 ‚docet quid posset'; Cic. cod. V. Coniunctivus imperf. summa auctoritate — Cic. or. l. 41, 105 ‚possit' cett. Cic. codd.
Prisciani et codice Vat. confirmatus praeferendus esse mihi videtur. cf. Muelleri adn. ad. p. 115, 20, Kuehneri gramm. p. 774, 2; praeterea respice verba, quae sequuntur, quibus probatur, verbum ‚docet' praesens historicum esse.

Prisc. III 258, 7 ‚deiectum'; Cic. cod. Lg. 29. Non intellego, cur nonnulli interpretes verbum ‚deiectum' meliore Ciceroniano codice Lag. 29 et Prisciani illustrissimo testimonio stabilitum, textu amoverint et ad coniecturas confugerint, praesertim cum etiam lectio Vaticana ad hoc verbum spectare videatur. Sensus autem omnium aptissimus est et bene inter se respondent ‚vetus tectorium deiectum' et ‚novum inductum' cf. Zumptii adn. ad h. l.

Cic. or. l. 55, 145 ‚delectum' vel ‚deletum' Cic. codd. dett. Librum Vaticanum praebere ‚delitum' contendit Kays., ‚devectum' Hertz., ‚de-ectum' omnibus aliis scripturis refutatis Halm., „nam littera post ‚de' est incerta; ‚delitum' praebet Jordano auctore eV, et vulgo post Manutium."

Prisc. III 262, 20 ‚superbia vero qua fuerit'; Cic. codd. Lgg. 42 et 45. Jordan. adnotat Priscianum ‚quae' tradere, sed Hertz. nihil de tali lectione indicat. Forma autem ‚qua' h. l. certe multo aptior est.

Cic. 47, 123 ‚quae' codd. V Lg. 29 al; sic omnes editt.

Prisc. III 258, 16 ‚non esset usus' Ob haec verba locus a grammatico affertur; praeterea addit Priscianus „confirmative dixit ‚non esset usus' οὐκ ἂν ἐχρήσατο, nam si quis accessisset dubitative protulit". ‚non esset usus' Cic. codd. Lg. 29 et Par. Lall; omnes editt; cf. quod indicat Zumpt. l. l., nam ad Ernestii et Beckii ineptias non descendo; cf. Rau, Variae lectt. ad Cic. oratt. lib. II p. 17.

Cic. or. l. 57, 150. cett. codd. omis. haec verba.

Hi sunt loci, ubi Priscianus cum compluribus Ciceronis libris, aliquotiens cum uno faciens tanto adiumento est, ut scripturae nonnullorum codicum, Prisciani auctoritate comprobatae et confirmatae, lectiones aliorum codicum refutent. — Iam vero

facit Priscianus, ut supra commemoravi, nonnumquam cum deterioribus libris contra omnes meliores. His locis autem deteriorum codicum lectioni tantum auctoritatis accedit, ut per se non minus fidei habeat quam meliorum lectio. Quos locos cum supra in p. 80 sq. protulerim, hic eos solos repetam, ubi editores dissentientes aut comprobant deteriorum lectiones et Prisciani aut reiciunt aut cum dubitatione aliqua in textum recipiunt.

Prisc. III 264, 11 ‚pro sepultura liberum'; Cic. codd. dett.	Cic. lib. I 3, 7 ‚liberum' omis. codd. mell. G 1 G 2 al.

Adnotat Zumpt., haud ita libenter hanc vocem in textu ponens „Et tamen nescio, quid nobis faciendum fuerit cum abesse ‚liberum' certe possit". Minime. Nam bene respondent verba ‚pro sepultura liberum' antecedentibus ‚parentes pretium'. Usurpavit enim h. l. Cicero eam verborum collocationem, quam chiasticam vocant. Huc accedit, quod exhibet illud ‚liberum' Priscianus altero loco (vol. II p. 307, 1) et Nonius idem verbum in p. 365, 32 M. sub voce ‚pretium'. Quibus de causis omnino dubium non potest esse, quin haec lectio utique recipienda sit.

Prisc. III 261, 11 ‚istius institutum'; Cic. codd. dett. et V; Zumpt. Jord. Klotz. Muell.	Cic. or. l. 43, 111 omis. haec verba Cic. rell. codd.; inclus. uncis tamquam interpolata Ernesti, Bake, Kayser.

Sensum si respicis haec verba non reicienda sunt, sed sine ulla offensione aptissime poni possunt. cf. Zumptii adn. ad h. l. Iam quoniam confirmantur tribus testimoniis, Cic. codd. deterioribus et Vaticano et Prisciani libris, certe his magis fides habenda est quam ceteris codicibus.

Venio nunc ad tertium genus, quod cum minus late pateat quam primum tamen sine dubio maximi momenti est in Ciceronis textu restituendo. Dico eos locos, ubi discrepant grammatici scripturae ab omnibus codicibus. Integra autem et genuina lectio ab uno Prisciano suppeditatur in primo libro actionis secundae his locis:

Prisc. III 264, 9 ‚iste unus inventus est'; ‚unus' in textum recipere omnibus editoribus	Cic. or. l. 3, 7 voculam ‚unus' omis. omnes codd.

Lambino auctore placuit praeter Zumptium. Et est aptissimum, ut non dicam necessarium: quandoquidem hac voce impudentia atque nequitia Verris — id quod Cicero certe voluit — dilucide apparet. Fulcitur vero ‚unus' altero loco Prisciani (vol. II p. 306, 24), ubi grammaticus eodem exemplo Verrino usus est sed ad alium usum dicendi comprobandum. Inconstantem se praebet Zumpt., qui omisit hoc verbum tam aptum et necessarium huic loco: idem eodem loco in textum recipit vocem ‚liberum' „quamvis — haec sunt Zumptii verba — abesse certe possit".

Prisc. III 263, 16 ‚quaerimus'. Recipiendum est quod tradidit grammaticus, quia huic	Cic. or. l. 59, 154 ‚quaeremus' omnes codd.

verbo respondet insequens ‚dubitamus'; qua de causa hanc praesentis formam omnes comprobarunt; ipse Zumpt. praesens tempus praetulit, sed Prisciani testimonii omnino mentionem non fecit.

Prisc. III 260, 11 ‚parvum aut mediocre'; cum Garatonio praefero h. l. ‚aut'.	Cic. or. l. 40. 103 ‚ac' omnes codd. et recentt. editt.
Prisc. III 262, 7 ‚uterentur'; haec lectio multo simplicior et rectior est quam ea, quae Ciceronis manuscriptis libris traditur, exempla autem, quae affert Zumpt. scripturam ‚uteremur' defendens, inepta mihi videntur.	Cic. or. l. 46, 115 ‚uteremur' omnes codd.
Prisc. III 259, 6 „ferrent, viderent ὁρῷεν ἄρα pro omnimodo aspicerent" adnotat grammaticus. Secuti sunt plerique	Cic. or. l. 59, 154 ‚ferrent' omnes codd.: videbunt Lg. 29 tres alii; viderunt cett. codd.

recentiorum editorum Graevii coniecturam, qui proposuit ‚ferent, videbunt'. Atque quamvis mutatio non gravis sit tamen non habeo, cur reiciamus quod servant (‚ferrent') omnes codices et dilucide et distincte Priscianus testatur; quin etiam ‚videbunt' haud ita aptum esse videtur propter ‚cotidie', quia exspectatur ‚vident'.

Prisc. III 259, 9 ‚re vera'. „Necessarium esse eius modi verbum fatentur omnes" cf.	Cic. or. l. 60, 155 ‚re vera' omis. omnes codd.

Zumptii adn. ad h. l. Hac de causa Lambinus coniecturam Hotomanni secutus posuit ‚re'. „Sed — pergit Zumpt. — quanto praestat, si semel abeundum sit a codicum fide, illud sequi, quod aliquam certe auctoritatem habet quam quod nullam?" Recte illud quidem; quamquam nunc Prisciani auctoritate examinata, illi scripturae non modo „aliqua certe auctoritas" sed summa tribuenda est.

Prisc. III 259, 21 ‚conatus sit'. Coniunctivum testatur Priscianus dicens „ecce hic	Cic. or. l. 60, 157 ‚est' omnes codd.

quoque de re indubitabili posuit subiunctivum ‚conatus sit ἐπεχείρησεν ἄρα". Confirmatur autem Prisc. lectio testimonio Asconii personati. ‚Conatus sit' h. l. unice verum est.

Hi sunt loci in libro primo act. sec., ubi scriptura grammatici omnium Ciceronis codicum consensui praeferenda est. Sunt autem loci, ubi grammatici libri genuinam scripturam non praebent, sed ubi verbis, quae citat Prisc., diligenter examinatis facile scriptura genuina restitui potest. Testimonio est exemplum ap. Prisc. lib. XVIII 264, 10 ‚et a complexu parentum' Prisc. lib. VII 306, 24 ‚ex complexu parentum' [1]) cf. Cic. lib. I 3, 7,

[1]) Non nimis offensionis praebere debet, quod Priscianus idem exemplum aliter altero loco citat; nam hanc diversitatem in iisdem exemplis diversis locis laudatis perraram ap. Prisc. inveni: Prisc. III 188, 5; 352, 17; 355, 12; 369, 11. div. in Caec. 13, 41. — Prisc. III 189, 7. Cic. act. II lib. I 35, 90. Prisc. III 260, 4; (h. l. fortasse ‚factum sit' Priscianus sua sponte commutavit in ‚factum est', quia grammatici saepius usurpant indicativum, ubi legitur in scriptorum libris, ex quibus colligunt exempla, coniunctivus, enuntiatum primarium substituentes). — Prisc. II 427, 22 in oratore 13, 41 Prisc. II 434, 24. — Quibus locis minimae discrepantiae inveniuntur, quae certe nihil valent ad Prisciani auctoritatem minuendam; atque eo minus si respicitur haec tanta copia exemplorum, in quibus identidem laudandis Priscianus summam constantiam praestitit. Conferas quaeso:

Prisc. III 283, 7	pro Mur. 12, 26	Prisc. III 302, 6
Prisc. II 520, 2	pro Cluent. 62, 173	Prisc. II 522, 24.
Prisc. II 410, 11; 411, 7; 425, 26	in Cat. I 1, 1	Prisc. III 233, 28.
Prisc. III 89, 1	in Cat. I 1, 1	Pric. III 139, 9; 320, 14.

ubi omnes codices omittentes ‚et' exhibent ‚e complexu' (Lg. 29 pro ‚e' ‚ei' teste Halmio). Iure igitur receperunt illud ‚et', quod profert grammaticus. Kays. Klotz. Muell. Garatonium secuti, quem „admodum probabiliter" coniecisse ipse Jord. confitetur. ‚Et' enim reiecerunt Jord. et Zumpt. —

Paucis locis Prisciani quas tradidit lectiones non comprobaverim. sive erravit grammaticus sive has mendosas scripturas in codicibus suis invenit.

Prisc. III 262, 23 ‚adimas'.	Cic. or. l. 47, 124 ‚adimis' omnes codd.
Prisc. III 263, 12 ‚traderetur'.	Cic. or. l. 51. 134 'traditur' omnes codd.
Prisc. III 259. 1 ‚commoveretur'; sic cett. Cic. codd., qua re elucet, antiquissimis ipsis temporibus saepius eadem menda in Cic. libris fuisse quae recentioribus.	Cic. or. l. 59, 154 ‚commoneretur' solus Lg. 48 e dett. num.
Prisc. III 260, 2 ‚conflagrarit' Prisc. cod. r. cum VONDL; sic teste Riglero ap. Krehlium et Heinio M: ‚conflagravit' M. teste Halmio; ‚conflagravit' Prisc. Putschii; ‚conflagrarit' Cic. cett. codd.	Cic. or. l. 61, 157 ‚conflagravit' solus Lg. 29 p. m.
Prisc. III 261, 7 ‚legerit'.	Cic. or. l. 43, 110 ‚leget' G 2 legaverit Lg. 42, legarit cett. codd. rectissime.

Sunt denique loci ubi grammatici et Ciceronis codicibus

Prisc. III 82, 12	in Cat. I 1, 3	Prisc. III 109, 8.
Prisc. III 274, 12	in Cat. I 9, 24	Prisc. II 379, 1.
Prisc. III 249, 17	in Cat. II 6, 12	Prisc. III 275, 11; 207, 9.
Prisc. II 503, 2	in Cat. II 9, 19	Prisc. III 281, 16; 297. 15; 333, 27.
Prisc. III 61, 1; 16	in Cat. 10, 24	Prisc. III 96, 9.
Prisc. III 94, 19	pro Marc. 3, 8	Prisc. III 220, 5.
Prisc. II 181, 12	pro Marc. 7, 21	Prisc. II 226, 4.
Prisc. III 273, 19	pro Deiot. 12, 33	Prisc. III 325, 1.
Prisc. III 246, 6; 249. 1	divin. in Caec. 1, 1	Prisc. III 254, 23.
Prisc. II 199, 6	Cic. act. II lib. II 54, 136	Prisc. II 247, 12.

plane inter se discrepantibus, dubium est, utra lectio praeferenda sit, cum ex usu dicendi nihil peti possit adiumenti ad rem diiudicandam, utraque lectione bonum aptumque sensum exhibente. Hoc fieri solet in levioribus rebus, quo pertinent defectus singularum litterarum, quae et addi et deesse possunt; eodem spectat collocatio verborum, quae melius ex ipsis exemplis cognoscuntur:

Prisc. III 259, 21 ‚calamitatem a sese'. Cic. or. l. 60. 157 ‚ab sese calamitatem'. — Prisc. III 259, 4 ‚furtorum tuorum'. Cic. or. l. 59, 154 ‚tuorum furtorum'. — Prisc. III 261, 18 ‚esse heredem'. Cic. or. l. 45, 115 ‚heredem esse'. — Prisc. III 262, 6 ‚esse existimasti'. Cic. or. l. 46, 118 omis. ‚esse' codd. — Prisc. III 259, 24 ‚a te audisse'. Cic. or. l. 61, 157 ‚ex te'. — Prisc. III 261, 16 ‚huic tempori atque iudicio'. Cic. or. l. 44, 119 ‚huic tempori atque huic iudicio'. — Prisc .III 257, 17 ‚cogitare coepit'. Cic. or. l. 54, 141 ‚coepit cogitare'. — Prisc. III 258, 3 ‚opus totum'. Cic. or. l. 56, 148 ‚totum opus'.

Atque in his rebus levissimis — ut alias mittam — cedere lectionem grammatici libris manuscriptis Tullianis manifestum est. Nam omnium Ciceronis codicum consensui, bonam scripturam exhibentium, auctoritas Prisciani et omnium grammaticorum posthabenda est, nisi hae voculae expressis verbis laudantur et tum etiam saepius aliqua cautione opus est.

Intelleximus plurimum valere Priscianum in hac parte libri primi act. sec., quam protulit uno tenore, ad Ciceronis textum et confirmandum et restituendum.

Nunc quaeramus, num etiam in ceteris exemplis, diversis et dissipatis locis in institutionum libris citatis eadem auctoritate dignus sit. Atque quamvis verear, tot locis supra prolatis, ne fastidii plenum videatur esse lectori omnes illos innumeros locos a Prisciano ex Verrinis laudatos perlustrare, cum textu Tulliano comparare menteque perpendere, ubi grammatici lectio comprobanda sit, ubi reicienda, tamen utique necessaria est disputatio, ut recte ac plane cognoscatur, quanti Priscianus aestimandus sit ad Ciceronis textum et comprobandum et emendandum. Sed ea potissimum verba in examen vocabo, ob quae ipsa Priscianus exempla allegat et quae ea de causa summi momenti et auctoritatis sunt, cum minus periculum sit, ne per

librariorum neglegentiam aut per ipsius grammatici lapsum mutati sint. Accedit, quod haec verba sola in exemplis ex vetustissimis grammaticis depromptis certo et sine dubio referri possunt ad eorum doctrinam vel bonitatem antiquorum codicum, ut in capitis III quarta paragrapho satis demonstravi.

Iam vero verba, quae dilucide protulit Priscianus, his locis cum omnibus Ciceronis codicibus vel cum plerisque congruunt:

Prisc. III 335, 20 ‚cum vehementius contendi' Cic. div. 7, 23.

Prisc. III 338, 22 ‚ad hominem non inertissimum' Cic. div. 21, 67.

Prisc. III 68, 22 ‚affabre' Cic. act. I 5, 14.

Prisc. III 299, 6 ‚nuntio'[1] Cic. or. l. 7, 19.

Prisc. II 485, 1 „sicut et ‚iuratus' tam active quam passive profertur ‚iurato'" Cic. or. l. 10, 32.

Prisc. II 223, 25 ‚sequestres' Cic. or. l. 12, 36.

Prisc. II 506, 21 ‚inbibisset' Cic. or. l. 14, 42.

Prisc. II 120, 4 ‚acrimoniam' Cic. or. l. 17, 52.

Prisc. III 245, 12 „similiter indicativis utuntur etc. ‚sin absolvitur'" Cic. act. II lib. I 2, 6.

Prisc. II 490, 7 ‚obsoleta' Cic. or. l. 21, 6.

Prisc. II 307, 1 ‚liberum' pro ‚liberorum' Cic. or. l. 3, 7.

Prisc. II 307, 1 ‚sestertium' Cic. or. l. 36, 92.

Prisc. III 203, 20 ‚tu ipse' cf. v. 11 sqq. Cic. or. l. 43, 112.

Prisc. II 179, 19 ‚cuia res' cf. v. 8 sqq. Cic. or. l. 54, 142.

Prisc. III 307, 3 ‚liberum' Cic. or. l. 58, 153.

Prisc. II 280, 8 ‚augurabantur' cf. p. 379, 2 sqq. Cic. lib. II 6, 18.

Prisc. II 247, 16 ‚in praesentia Timarchidi' Cic. or. l. 28, 69.

Prisc. II 426, 12 ‚ob absolvendum' Cic. or. l. 32, 78.

Prisc. II 490, 13 ‚interlitas' cf. v. 7 sqq. Cic. or. l. 42, 104.

Prisc. II 307, 5 ‚senum septenumque denum senatorium'

---

[1]) Suspicor a Prisciano ipso scriptum esse ‚renuntio', quod exhibent Cic. codd., hoc verbum autem male commutatum esse librariorum neglegentia in ‚nuntio'. Nam antecedit ap. Prisc. „ἀπήγγειλα πρὸς τὴν βουλὴν καὶ τῇ βουλῇ dicunt illi. Cicero Verrinarum II: nuntio tibi etc." Cui verbo ἀπήγγειλα certe melius opponit grammaticus ‚renuntio' quam ‚nuntio', quandoquidem praepositionem graecam ‚ἀπό' idem valere ac Latinam ‚re' satis constat. Quod vitinm nuntio pro renuntio facile in textum irrepere potuit.

cf. v. 6 sq. „denum pro denorum, senum pro senorum, septenum pro septenorum“ Cic. or. l. 49, 122.

Prisc. III 414, 10 ‚inter binos ludos’ Cic. or. l. 52, 130.

Prisc. II 199, 6 ‚matres familias’ cf. p. 247, 14 Cic. or. l. 54, 136.

Prisc. II 339, 6 ‚imbri’ in v. 2 „imber ab imbri“ Cic. lib. III 11, 36.

Prisc. II 534, 14 ‚obsitum, cf. v. 10 Cic. or. l. 18, 47.

Prisc. II 307, 8 ‚medimnum’ pro ‚medimnorum’ Cic. or. l. 21, 54.

Prisc, II 307, 9 ‚iugerum’ pro ‚iugerorum’ Cic. or. l. 29, 70.

Prisc. III 348, 12 ‚pluris dimidio’ Cic. or. l. 33, 77.

Prisc. II 307, 15 ‚modium’ pro ‚modiorum’ Cic. or. l. 46, 111.

Prisc. III 341, 10 ‚inopi’ cf. v. 9 Cic. or. l. 70, 164.

Prisc. II 526, 20 ‚revellistis’ Cic. lib. IV 11, 26.

Prisc. II 357, 4 ‚peripetasmatis’ Cic. or. l. 12, 28.

Prisc. II 495, 19 ‚inquiunt’ cf. v. 14 sqq. Cic. or. l. 14, 32.

Prisc. II 357, 6 ‚emblematis’ cf. v. 4 Cic. or. l. 17, 37.

Prisc. II 114, 20 „equus equuleus“ ‚equuleos’ Cic. or. l. 20, 42.

Prisc. II 105, 1 ‚lepusculis’ Cic. or. l. 21, 47.

Prisc. III 338, 18 ‚ut[1] in iudiciis’ Cic. lib. V 22, 57.

Prisc. III 352, 20 ‚Tyndaritani illius venit in mentem’ Cic. or. l. 47, 124.

Prisc. II 107, 18 ‚casus bellicos exprobrare’ Cic. or. l. 50, 132.

Prisc. III 255, 1 ‚ita sim versatus’ „ita sim pro ita inveniar vel cognoscar“; idem exemplum III 249, 4 „ita sim dixit non dubitans sed approbans, ‚οὕτως ἄρα ἀναστραφεὶς εἴην’“; cett. Cic. codd.	Cic. div. 1, 1 ‚sim ita versatus’ Lg. 29 teste Halmio.
Prisc. III 189, 7 ‚illo myoparone’ cett. Cic. codd.	Cic. lib. I 35, 90 ‚de illo myoparone’ codd. dett.
Prisc. II 487, 14 ‚extersum’.	Cic. lib. II 21, 52 sic omnes Cic. codd. praeter Lg. 42 p. m.,

---

[1]) Negari non potest h. l. ap. Cic. mendum statuendum esse, sed dubium est, utrum illud insit – id quod plerique editores arbitrantur – in vocula ‚ut’, propter quam affert Prisc. exemplum, an in aliis verbis; fortasse nonnulla verba iam antiquis temporibus omissa sunt.

qui h. l. nimis mendosa tradit, qua de causa eius lectio non respicienda est. cf. Halmii adn. ad h. l. in suppl. adn. ad lib. II p. 453 Or. ed. alt.

Prisc. II 220, 20 „,Xeno' pro Ξένων graeco": Cic. codd. Lg. 29 NV.

Cic. lib. III 22, 55 Xenon aut Xenonem codd. dett.

Prisc. II 361, 6 ‚artificum' „artificum pro artificium et iudicum pro iudicium;" sic cett. Cic. codd.

Cic. lib. IV 2, 4 ‚artificium' cod. opt. R.

Prisc. II 215, 4 ‚nihil minus ferendum' „pro nihil intolerabilius"; Cic. codd. mell G 1 2 D.

Cic. lib. IV 38, 83 ‚nihil minus' omis. Cic. codd. dett.

Prisc. II 344, 8 ‚navi', in v. 7 „navis a nave vel navi", ‚navi' Cic. codd. mell. R G 1.

Cic. lib. V 18, 45 ‚nave' cod. Lg. 29 cum dett.; ‚navim' C. narram G 2 Ld.

Prisc. II 221, 2 „Dexo pro Dexon"; Cic. codd. mell. R 3 λ V.

Cic. lib. V 42, 108 ‚Dexio' codd. dett.

His igitur exemplis elucet summa fide et auctoritate in citando Priscianum dignum esse, neque id tantum in ea parte, quam fere uno tenore ex primo libro act. sec. sumpsit, sed in omnibus orationum Verrinarum libris, in iis certe verbis, e quae exempla afferuntur. Atque hac disputatione nixus iis locis, ubi Priscianus discrepat ab omnibus vel plerisque libris manuscriptis Ciceronis, has lectiones amplectendas esse statuo, quarum alias Ciceronis orationum editores comprobarunt, alias Prisciani auctoritate nondum satis examinata aut satis cognita in textum recipere dubitaverunt.

Prisc. III 246, 7 ‚forte miratur' cf. Prisc. III 249, 3; 254, 23. Consentit h. l. cum Prisc. unus ex Cic. codd. mell. G 1 et unus e dett. Lg.[1]) 42. — Grammatici lectionem recte se habere per se patet.

Cic. div. 1, 1 ‚forte mirantur' codd. mell. D G 2 Ld; Pomp. ap. Hensing. ad off I 41, 10.

[1]) In dett. codd. numero habendus est Lg. 42 in div., act. prima, act. sec. lib. 1; melioribus vel optimis tribuendus est idem codex in cett. libris Verrinarum.

Prisc. III 373, 10 Cic. div. 17, 57. Incipit Prisciani exemplum a verbis, ‚e vestigio' quibus explicetur usus dicendi, quem modo tractavit. Nec vero efficitur ex hoc testimonio, grammaticum verbum ‚repente', quod ante verba ‚e vestigio' in Cic. codd. scriptum est, in suis codicibus non invenisse, ut arbitratur Jordanus in ed. l. l. „repente om. Prisc." Immo saepius fit, ut Priscianus — id quod pertinet etiam ad ceteros grammaticos — verba regulae cuiusdam comprobandae causa promat, verbis antecedentibus, quae arte consociata sunt cum subsequentibus, omissis; quae verba, ut sententiam redderet plenam, melius addidisset. Cf. Prisc. II 262, 2, ubi eodem modo omissum est ‚iam'. Quae cum ita sint, h. l. de voce ‚repente' Prisciani testimonio nihil tribuendum est. — Iam vero praebent Cic. codd. omnes, ut modo dixi, ‚repente e vestigio'. Certe his verbis pleonasmus quidam continetur, qui tamen hic suo loco exstat, ut celeritas et repentina commutatio rerum valde urgeatur. Retinuerunt igitur iure in textu haec verba plerique editores; ‚e vestigio' secl. Hirschfelder., ‚repente' Kayser. Exstat ap. Jul. Rufinianum ‚repente' verbis ‚e vestigio' omissis (cf. Halm, rhett. lat. min. 1863 p. 39, 26). Sed huic rhetoris testimonio obstat Prisciani auctoritas multo gravior et omnium Cic. codicum consensus; praeterea autem Rufinianus verba illa obiter laudat sententiae complendae causa, Priscianus ‚e vestigio' dilucide, ut usum dicendi exemplo demonstret.

Prisc. III 188, 9 ‚Aciliae legis veniat in mentem' „pro Acilia lex" ut explicat grammaticus; sic Cic. codd. dett., A. — Rectissime Priscianus.	Cic. act. I 17, 51 ‚leges Aciliae veniant in mentem' codd. mell. G 1 2 D <.
Prisc. III 70, 9 ‚inhumaniter'; Cic. cod. V. Expressis verbis haec forma a Prisciano laudatur; cf.	Cic. lib. I 52, 138 ‚inhumane' cett. Cic. codd.

Cled. vol. V p. 66, 6; Pomp. vol. V p. 245, 4, qui idem exemplum iisdem verbis ac Priscianus affert. Qui consensus docet, haec verba ex communi fonte fluxisse. ‚Inhumaniter' in textum receperunt omnes editores praeter Zumptium, nimis grammaticorum auctoritatis contemnentem. Cf. Madvig. op. I p. 328, qui ‚inhumaniter' comprobat.

Prisc. II 344, 21 ‚a civi Romano'; Cic. cod. Lg. 42 p. m. — Cic. lib. II 12, 32 ‚cive' cett. codd.

Prisc. II 344, 22 ‚quod civis cum civi ageret'; Cic. codd. N Lg. 42 p. m. — Cic. l. l. ‚cive' cett. codd.

„In V incertum est cive an civi legatur" adn. Jord.; ‚civi' habet V teste Brunnio. Prisc. addit his duobus locis haec verba: „civi, sic enim habent veteres codices, quos imperitia quorundam corrupit mutantium scripturam".

Prisc. II 247, 12 ‚in Timarchidi potestate'. — Cic. lib. II 54, 136 ‚Timarchidis' omnes codd.

Hunc genetivum in textum iure receperunt fere omnes interpretes, nam ob ipsam hanc formam h. v. a grammatico citatur. Dicit autem Zumpt., invitus Prisciani auctoritati cedens, „Res nota et quamvis codices nostri h. l. non suffragentur, tamen quia III 66 et IV 12 veterem formam pro vulgari Timarchidis habent in uno nomine non videtur inconstans esse potuisse". Sane sed hoc nomen frustra requiris in lib. IV 12; praeterea altero loco, quem citat Z. lib. III 66, genetivum ‚Timarchidis' omnibus Cic. codicibus contineri ipse adnotat. Ceteris denique locis, ubi occurrit hoc nomen plerumque quam plurimi codices exhibent ‚Timarchidis'. Itaque Zumptio ipsi quoque concedendum est, genuinam lectionem ‚Timarchidi' fere Prisciani unius opera servatam esse. Non comprobavit h. f. unus Klotz.

Prisc. II 362, 1 ‚litis';[1]) Cic. cod. F; Kays. Muell. Hoc loco certe respicienda est Prisc. scriptura confirmata auctoritate Fabriciani codicis vetustissimi. — Cic. lib. III 57, 132 ‚lites' Cic. codd. rell.; sic Zumpt. Jord. Klotz.

Sed inconstantes futuros esse interpretes putat Zumpt. ‚litis' in textu ponentes, cum aliis locis Cicero usus sit ‚lites'. Fugit eum utraque forma uti Ciceronem et fugit eundem, se ipsum hanc inconstantiam admisisse in act. II lib. II 32. Ponit enim illic v. 4 ‚civis cum cive'

— —

[1]) Neue, Formlehre d. lat. Spr. vol. I p. 352: „Häufiger und gesicherter ist die Form is oder eis im Acc. Plur. der Nomina, welche im Gen. Plur. ium haben". Buecheler, Grundr. der lat. Declin. edit. repetita ab J. Wentekilde p. 55.

Cic. codices secutus, in v. 12 eiusdem paragraphi ‚a civi Romano' Prisciani lectionem praeferens, in subsequenti paragrapho ‚civis cum civi' iterum grammatico parens. Mea autem sententia neque hic neque illic interpretes inconstanter se gessisse argui possunt; potius cum utraque forma non abhorreat ab usu dicendi, semper ea forma praeferenda est, quae maiore auctoritate commendatur. Qua de causa ‚litis' in textum restituere prorsus non dubito.

Prisc. II 199, 12 ‚patribus familiis'; Cic. codd. mell. FV Lg. 29. Formas ‚pater familiae et familiarum et familiis' in usu fuisse confitetur ipse

Cic. lib. III 79, 183 ‚patribus familias' rell. codd.; (Lg. 42 Reifferscheidio [1]) teste) sic solus Mueller.

Priscianus in v. 7. Diiudicanda igitur res est auctoritate codicum vel testium. Nec vero cuiquam dubium esse potest, quin Cic. codd. boni FV Lg. 29, insigni testimonio Prisciani confirmati, multo superent reliquos codices, etiamsi in eorum numero est praestantissimus Lg. 42.

Prisc. II 157, 12 ‚antistitae', in v. 11 „invenitur etiam antistita pro antistes" cf. Char. [2]) vol. I p. 100, 23 „et antistes

Cic. lib. IV 45, 99 ‚antistatae' codd. R λ ‚antistes' E G 1 G 2 ‚antist' Ld. antistites rell. Lgg.

[1]) cf. Muelleri edit praef. XL „beneficio Aug. Reifferscheidi praestantissimum cod. Lg. 42 etc."

[2]) Liceat mihi h. l. breviter repetere quae de horum grammaticorum consensu in commentatione supra dicta disputans de hoc exemplo scripsi: Referri possunt ad genuinos fontes exempla a Prisciano laudata, aliorum grammaticorum libris in auxilium vocatis. Hoc enim apparet imprimis ex consensu, qui est inter Priscianum et Diomedem et Charisium, quos iisdem auctoribus Probo et Plinio usos esse constat. — Affert enim Charisius vol. I p. 100, 23 „et antistes habet etc." Invenitur autem idem exemplum ap. Prisc. II 157, 11 de eadem re grammatica, quamvis Priscianus — quod saepius vel saepissime fieri solet — in exemplo afferendo multo plura verba reddat quam Charisius. Confirmatur autem haec sententia, qua utrumque eorum eandem doctrinam redolere statuimus, etiam ea re, quod paulo ante adhibuit Charisius Plinium. Nam idem exemplum Vergilianum caedemque res grammaticae, quae leguntur Char. p. 100 reperiuntur Char. p. 123, ubi nominatim affert identidem Charisius Plinium. Idem autem exemplum invenitur ap. Prisc. p. 217, 5, ubi exstat etiam

habet antistitam ut Varro divinarum IV et Cic. in Verr. IV. cf. Gell. N. A. XIII 21, 22; ‚antistitae' Cic. codd. Lg. 1, 45, 4. — Lectio ‚antistitae', quam perpauci Cic. codd. iique e deteriorum familia tradunt ita confirmatur grammaticorum testimoniis, ut aliorum librorum scripturae utique eiciendae sint.

Prisc. II 220, 19 ‚in Leonte Imacharensi', in v. 18 „unde Cicero in libro Verrinarum, qui est de suppliciis proprium nomen Leon, Leontis declinavit."

Cic. lib. V 7, 15 Leonida R... quod significat consensum inter codd. Cic. R G 1 G 2 Ld.

‚Leonte' Cic. codd. Lgg. — Pravam scripturam praebent optimi Cic. codices, integram s... Lagomarsiniani, qui omnes in numero deteriorum habendi s... praeter Lg. 29, „qui quamquam melioribus est adnumerand... tamen optimis paulo inferior est." Qua de causa Priscian. testimonium l. l. summi momenti est. — In eodem exemp... servat praeterea grammaticus genuinam scripturam vocis ‚Im... charensi', quae vox varie corrupta invenitur in Ciceronis cod... cibus et optimis et deterioribus: Macharensi Lg. 29, acarensi R (sed pr. m. ‚leonidā acarensi' i. e. Leonida Macarensi) G1 G2 Ld. Acharensi codd. Lamb., Magarensi 4 Lgg., Megarensi al., Imacharensi solus cod. Ursini e dett. familia. Hoc loco ipse Zumpt... Prisciani testimonium ‚certissimum' esse dicit et comprobat sin... ulla dubitatione lectionem quam tradidit grammaticus ‚Leont... Quin etiam nomen ‚Imacharensi', quamvis non dilucide pro... ratur a grammatico, Zumpt. iure non reicit sed comprobat c... niecturam Fulvii Ursini et Garatonii apud Cic. et Krehlii apu... Prisc., qui ediderit recte e codicibus ‚Imacharensi'. Conferas quod Hertzius adnotat ‚Imacharensi' r, qui est praestantissim...

---

exemplum Vergilii „Omnis Arabs etc.", quod occurrit nobis ap. Char. 123, 16. — Ex quibus omnibus colligitur, et Charisium et Priscianum Plinii doctrina tamquam communi vinculo arte coniunctos esse. Cum vero cognoverimus Plinium ap. Charisium I 100 adhibitum esse, ita ut exemplum illud Tullianum ex oratione in Verrem citatum ad eundem spectaret, sequitur, ut idem exemplum apud Priscianum et eodem fonte repetendum sit; quo fonte usus est Priscianus per Caprum. Spectat igitur forma ‚Leonte' — nam huius formae causa exemplum adscriptum est — certe ad multo antiquiorem aetatem quam Prisciani et Charisii, qua haud dubie Ciceronis libri etiam integriores erant.

codex grammatici, ‚imachar ×××' cod. R; levissime discrepant ab integra lectione codd. L K, ita ut eadem sine ulla opera cognosci possit. Unde apparet integram scripturam ipsam puram exstare in Prisciani institutionibus grammaticis, ita unius Prisciani studio servatam esse. Nec enim multum valent ad germanam scripturam restituendam ceteri duo loci, ubi idem nomen ap. Cic. scriptum videmus; nam lib. III § 47 praebent omnes codices ‚Macharensis', § 100 eiusdem libri: ‚ymacharensi' Lg. 29, ‚Macharenses' B, ‚Acharenses' N. Codici autem Ursini, qui h. l. cum Prisciano consentit, ne aliqua quidem vis tribuenda est.

Prisc. II 343, 20 „locuples quoque, quia trium est generum e locuplete vel locupleti	Cic. lib. III 19, 48 ‚locuplete' omnes codd. et omnes editt.

facit ablativum. Cic. in frumentaria: in provincia locupleti ac referta". Utramque igitur formam in usu fuisse docet Prisc.; qua de causa h. l. ‚locupleti' ab eo lectum esse in codicibus luce clarius est. Forma in ‚i' exiens multo usitatior est quam quae in ‚e' desinit, si modo hanc rem Neue[1]) bene perspexit. Itaque cum forma in ‚e' praeterea pertineat plerumque ad homines,[2]) ‚locupleti' ad res, hoc loco, quo vox ‚provincia' cum illo adiectivo coniungitur, utique restituenda est lectio ‚locupleti', etiamsi omnes Cic. codd. praebent ‚locuplete'.

Prisc. II 350, 17 ‚compluris'[3])	Cic. lib. V 52, 137 ‚complures' omnes codd. et omnes editt.

Per se utraque forma et ‚complures' et ‚compluris' apud Ciceronem locum habet; sed ‚compluris', quod Priscianus legebat, codicibus longe vetustioribus quam quibus nos utimur servatur, praesertim cum verisimile sit hoc exemplum ex antiquioribus grammaticis ab eo receptum esse; cf. Char. vol. I p. 125, 3, ubi idem exemplum Terentianum exstat, quod ap. Prisc. II 350, 14; h. l. autem Charisius Plinium nominat.

Prisc. II 355, 10, in v. 4 „quod autem etiam ‚parentium' non irrationabiliter dicitur etc."	Cic. lib. V 52, 138 ‚parentum' omnes Cic. codd. et omnes editt.

---

1) cf. Neue, II p. 42.

2) ibid. p. 49.

3) Neue, I p. 147. 148. II p. 140. 141. Buecheler p. 57.

„Cicero de suppliciis: navium . . . . . . parentium[1]) suorum etc.' Et forma ‚parentium' et ipsum Cic. exemplum debet Priscianus doctrinae Capri vel Plinii, cf. Char. vol. I p. 138, 10 „itaque Cicero rationis memor parentium saepe dicit", in v. 12 Plinius nominatim affertur. Itaque idem de hoc loco valet, quod modo ad ‚compluris' formam adnotavi.

Nonnullis locis eadem codicum discrepantia, quae hodie exstat, iam apud Priscianum cernitur: ut Prisc. II 535, 18 „Cic. in divinatione ‚ipse . . . . facesseris'; invenitur tamen in quibusdam codicibus ‚facessieris'" [2]); Cic. div. 14, 45 ‚facessieris' Cic. cod. Lag. 29, ‚facesseris' cett. codd.
Prisc. II 350, 15 ‚compluria' in quibusdam tamen codicibus invenitur ‚complura'.[3]) Cic. lib. IV 46, 102 ‚complura' omnes codd.

Quibus locis verisimillimum videtur, ipsum Priscianum eam lectionem praeferre voluisse, quam priore loco posuit, tamen, quae genuina sit lectio diiudicare non ausim. — Ipsum autem illud, quod interdum Priscianus varias lectiones accurate notat optionemque dat, argumento est, quam diligens in codicum scripturis afferendis fuerit. Tamen in hac tanta diligentia tribus locis accidisse, ut deteriorem lectionem reciperet, cum nostris codicibus verum contineatur, mirum non videbitur, si cogitabimus antiquissimo tempore errores librariorum in manuscriptos codices irrepsisse.[4])

Hi sunt loci ap. Prisc: vol. III p. 250, 7 ‚fateatur', quamquam etiam h. l. scrupulus mihi residet, meliusne sit rem in medio relinquere. — Cic. lib. II 57, 141 ‚fatetur' omnes Cic. codd.

Prisc. II 307, 11 ‚in iugerum seritur'. — Cic. lib. III 47, 112 ‚iugero' Lagg (praeter 5, 27). A B N φ, ‚iugere' Lagg 5 27, alii.

Prisc. III 250, 11 ‚respiciat'; notandum est, hic ‚respiciat' non ob ipsum verbum sed ob coniunctivi formam laudari, ita ut corruptela illa levior appareat. — Cic. lib. III 60, 148 ‚perspiciat' omnes Cic. codd.

Consentaneum est, hanc vitiorum paucitatem in tanta lectio-

---

[1]) cf. Neue, I p. 264—266; Buecheler p. 83 (203).

[2]) cf. Neue, II p. 487. 488.

[3]) cf. Neue, II p. 142.

[4]) cf. Cic. ep. ad Att. XIII, 23: „tantum librariorum menda tollantur"; Liv. lib. XXXVIII, 55; Martial II, 8.

num unice verarum multitudine certe nihil valere ad infirmandam eam sententiam, quam de fide Prisciani supra concepimus.

Convertamus nunc mentes ad ceteros grammaticos inquiramusque, quid eorum testimonia ad constituendas lectiones in Verrinis orationibus conferant. — Atque primum in medium proferam, quae citaverunt Probus et Sacerdos et maxime idcirco, ut non omnes grammaticos cum Prisciani fide ac religione comparari posse luculentissime appareat. Magnopere enim cavendum est, ne quis, multis illis et praeclaris testimoniis Prisciani adductus, falsum iudicium ferat de ceteris grammaticis, neve arbitretur, omnibus illis eandem auctoritatem tribuendam esse in Cicerone emendando ac Prisciano, diligentissimo fere omnium. Ac differunt primum Probus et Sacerdos aliquantum a Prisciano, cum multo pauciora exempla Tulliana eaque minus ampla quam Priscianus afferant. Persaepe enim vel semper nihil amplius eorum exemplis continetur, nisi verba, propter quae afferunt ea. Quod exspectamus his de causis illis locis reperiri scripturas ex puro limpidoque fonte deductas, valde decipimur. Ea enim, quae Probus affert in catholicis, valde dissentiunt a scripturis, quas praebent libri Tulliani nostri; ita ut statim labefiat et evertatur bona opinio, si quis eam de grammaticis animo concepit, locis respectis, quos diligenter congessit Priscianus. Sane saepius difficillimum diiudicatu est, si modo fieri potest, utrum vitia debeantur librariis an ipsis grammaticis. Sed utcunque se res habet, illud apparet, ad emendandam lectionem haec omnia nihil fere afferre.

Iam conferamus haec Probi exempla cum Ciceronis codicum scripturis atque ita, ut cum iis componamus, quae citavit Marius Plotius Sacerdos, quandoquidem uterque eorum eodem fonte usus eadem exempla decerpsit. Hae autem discrepantiae inveniuntur:

Prob. vol. IV p. 42, 30 „bacchius a longa et molossus: ‚causamque cognovit'.“ Sacerd. vol. VI p. 495, 13 om. exemplum Sac. cod. B, add. v = editio Vindobonensis. — Cic. div. 1, 1 ‚si mei consilii causam rationemque cognoverit' omnes codd.

Prob. 42, 25 „amphimacrus et antispastus: ‚maxime labo-

raret’.“ Sac. 495, 9 ‚maxime laborare’ cod. B. — Cic. or. l. 3, 9 ‚maxime laboraret’ omnes codd.

Prob. 41, 2 ‚id quod populus Romanus iam flagitat exstincta atque deleta sint’. Sac. 493, 15 ‚quod P. R. iam diu flagitat exstincta atque deleta sit’. (‚sit’ v, ‚sint’ τῷ n obelo transfixo B). — Cic. or. l. 8, 26 ‚id quod populus Romanus iam diu flagitat exstinguenda atque delenda sit’ omnes codd.

Sac. 460, 12 ‚Quid? cum accusationis tuae dividere membra coeperit (non partiri, quia una accusatio est) et in digitis singulis partes constituerit’. Hoc exemplum non exstat apud Probum. — Cic. or. l. 14, 45 ‚membra dividere’ ‚partes causae constituere’ omnes codd.

Prob. 43, 2 Diiambus et hippius secundus ‚iniuriis commoveri’. Sac. 495, 19 ‚iniuria commoveri’. — Cic. or. l. 20, 61 ‚iniuriis’ omnes codd.

Sac. 495, 21 dactylus et hippius quartus ‚procellam temporis devitare’. Prob. 43, 5 idem praebet. — Cic. act. prima 3, 8 ‚devitaret’ omnes codd.

Sac. 445, 25 ‚etenim quod sit ingenium’. — Cic. or. l. 4, 10 ‚est’ omnes codd.

Sac. 495, 22 iambus et ditrochaeus ‚diu machinatur’ Prob. 43, 5 idem praebet. — Cic. or. l. ‚machinetur’ omnes codd.

Sac. 493, 24 cf. v. 20 sqq. ‚in quo meam voluntatem P. R. perspicere possit’. Prob. 41, 11 idem praebet. — Cic. or. l. 12, 34 ‚in quo meam in rem publicam voluntatem populus Romanus perspicere posset’ omnes codd.

Sac. 494, 2. in p. 493, 31 „et aliquo pede trisyllabo, qui positus bene sonet etc. ‚sententia sua liberat’“. Prob. 41, 21 ‚sententia sua liberaverant’. — Cic. act. sec. lib. I 4, 9 ‚sententia sua liberarint’ vulgata; idem ‚liberàrint’ praebet Prisc. III 264, 15 cf. p. 81 huius comment.

Sac. 495, 11 trochaeus et bacchius a longa ‚securi esse percussum’. Prob. 42, 27 idem praebet. — Cic. or. l. 5, 14 ‚securi percussum esse’ omnes codd.

Sac. 495, 12 proceleusmaticus et ditrochaeus ‚populus Romanus voluerit vindicare’. Prob. 42, 29 idem praebet. — Cic. or. l. 8, 22 ‚populus Romanus de nobis voluerit iudicare’ omnes codd.

Sac. 453, 21 (cf. v. 19) ‚teneat nunc Metellus testes meos'. — Cic. lib. II 56, 139 ‚teneat iam sane meos testes Metellus' omnes codd.

Sac. 453, 18 (cf. v. 16 sq.), ‚filiusque eius impuber nudus stans sub fornice'. — Cic. lib. II 63, 154 ‚huius fornix in foro Syracusis est, in quo nudus filius stat' omnes codd.

Prob. 41, 25 (cf. v. 22 sqq.) ‚ad meam capsam admisero'. Sac. 494, 6 ‚meas capsas'. — Cic. div. 16, 51 ‚meas capsas' omnes codd.

Prob. 42, 32 antispastus et bacchius a longa ‚voluptate concedam' Sac. 495, 15 ‚voluntate'. — Cic. div. 9, 27 ‚voluntate' omnes codd.

Prob. 42, 33 dactylus et antispastus ‚corpora perhorresco'. Sac. 495, 27 idem praebet. — Cic. div. 13, 41 ‚corpore perhorresco' omnes codd.; idem recte tradit Priscianus (vol. III p. 188, 8; p. 352, 20).

Videmus, quanta insint vitia in verbis ex Verrinis citatis et apud Sacerdotem grammaticum et apud Probum. Itaque fere nihil ad textum Ciceronis restituendum conferunt. Nam etsi in eorum libris lectiones interdum inveniuntur, quae a codicibus Ciceronis discrepantes bonum sensum prae se ferunt, tamen eae lectiones efficere non possunt — id quod Prisciani praeclaris scripturis aliquotiens fieri concessimus — ut verba, quae plurimis vel omnibus atque optimis Ciceronis codicibus tradita nihil offensionis habent, e textu eiciantur. Atque eo minus si cogitamus multos illos locos neglegenter, accuratiore titulo orationum non addito, scriptos certe ex memoria[1]) allatos esse. — Quae cum ita sint, grammatici illi fere nihil novi ad Ciceronem emendandum afferunt eorumque testimonia nullam omnino vim habent nisi ut quibusdam locis lectiones Tullianas comprobent et confirment.

Transeamus nunc ad Charisium et Diomedem. Utrumque eorum ex iisdem auctoribus suam doctrinam deprompsisse constat; nam Diomedem non usurpasse Charisium aut vice versa Charisium Diomedem nisi perpaucis locis, subtiliter et docte iamdudum demonstravit Keilius cf. vol. I praef. p. L sq. Unde

[1]) Cf. Sac. 453, 21: 453, 18 alios locos, quos supra collegi.

fit, ut crebro exempla exstent, quae communia sunt utriusque grammatici. Saepius autem haec exempla ita inter se consentiunt, ut conicere possimus, etiam cetera exempla, quae non communia praebent, fideliter et accurate ex antiquiore fonte translata esse. — Iam vero ex orationibus in Verrem nulla exempla communia ab utroque praebentur, ne in iis quidem partibus, ubi saepe inter se consonant. Atque ex septem testimoniis, quibus utitur Diomedes, nonnullae discrepantiae in tribus inveniuntur. Consentit autem Diomedes cum Ciceronis codicibus his locis:

Diom. vol. I p. 468, 7 ‚si quis vestrum etc'. — Cic. div. 1, 1.
Diom. 470, 5 ‚neminem praeponendum etc'. — Cic. or. l. 1, 1.
Diom. 468, 12 ‚illa vero expugnatio etc'. — Cic. lib. I 19, 50.
Diom. 466, 24 ‚aderat ianitor carceris etc'. — Cic. lib. V 45, 118.

Discedit autem Diomedes a Ciceronis libris his locis:

Diom. 470, 7 etiam anapaestus clausulis convenit, sed mollis et fluens atque in rhytmi modum profluens trochaico anteposito, ubi erit imperii nomen [et] dignitas'. — Cic. lib. IV 11, 25 ‚imperii nomen et dignitas' omnes codd. rectissime.

Diom. 445, 25. De epanalepsi. Epanalepsis est cum maiore significatu repetitio; p. 446, 7 ‚haec navis onusta praeda Siciliensi, cum et ipsa[1]) esset ex praeda'. — Cic. lib. V 17, 44 ‚ipsa quoque' omnes codd. cf. Quint. IX 3, 34 variant Quint. codd. inter ‚ipsa quoque' et ‚et ipsa'.

Diom. 467, 25 ‚cuius ut adulescentiae maculas ignominiasque praeteream, quaestura, primus gradus honoris, quid habet aliud in sese nisi Cn. Carbonem spoliatum a quaestore suo pecunia publica, nudatum, inquam, a quaestore et proditum consulem, desertum exercitum, relictam provinciam, sortis necessitudinem religionemque violatam'? cf. p. 467, 30 sqq. — Cic. act. prima 4, 11 ‚quid aliud habet in sese' omnes codd., ‚inquam a quaestore' omis. omnes codd.

Atque cum quaerimus, quid afferant haec exempla Diomedis ad lectionem constituendam, iterum confiteri debemus, grammatici testimonia, quamvis non absurda tamen minime paria esse codicum consensui, qui item bonam scripturam habent. Valde

---

[1]) cf. R. Kuehner, Gramm. d. lat. Spr. II p. 460. adn. 17.

mihi arridet illud ‚inquam a quaestore', quae verba desunt in codicibus Ciceronis, sed ab eius genere rhetorice dicendi et elegantia minime abhorrent. Nec tamen ea verba in textum recipiam, quod grammaticus ea non dilucide testatur; praesertim cum hoc additamentum facile licentia scribentis in textum irrepere potuerit, si minus Diomedis, fideliter fontibus usi, attamen auctoris, cuius vestigia ille pressit. Aliter res se habet in eodem exemplo in verbis ‚primus gradus honoris', quas voces uncis circumscripserunt Halm., Kays., Muell., et ‚Cn. Carbonem', quae inclusit solus Kays., vir doctissimus sed idem nimis curiosus interpolationum indagator. Nam etiamsi codices Diomedis corrupti sunt — praebet cod. A ‚quaesturam minus gravis', cod. B ‚quae structura minus gravis', cod. M ‚structuram minus gradus' — tamen elucet, additamentum, quod reperitur in omnibus Ciceronis codicibus, haud dubie locum apud grammaticum habuisse. Ego vero haec verba ne tum quidem eicerem, si scripta essent in solis Ciceronis libris; eo minus in suspicionem adduco, cum codicum Ciceronis consensus adiuvetur vetustissima lectione Diomedis. Neque enim propterea, quod sane supervacanea sunt, eicere debemus; certe multa alia inveniuntur apud Ciceronem, quae expellere potes universo sensu non commutato. Similiter adiuvatur Diomedis testimonio omnium codicum scriptura ‚Cn. Carbonem spoliatum', quae verba ab uno Kaysero spuria habita esse modo dixi. In his praeter Diomedem accedit testimonium Asconii personati, idem ‚Cn. Carbonem' exhibentis.

Apud Charisium hunc consensum cum omnibus Ciceronis codicibus et hanc discrepantiam ab illis deprehendimus:

Char. vol. I p. 218, 8 ‚interea sane etc.' — Cic. lib. II 17, 42.

Char. 209, 4 ‚ostiatim'. — Cic. lib. IV 22, 48 et 24, 53; in § 48 levissime discrepantes exhibent R 3 E ‚hostiatim', in § 53 ‚ostiatim' omnes codd.

Char. 100, 23 ‚et antistes habet antistitam' cf. p. 99 sq. huius comment.

Char. 53, 12 ‚tantum emblematum'. Invenitur saepius in Ciceronis quarto libro Verr. forma emblematum cf. § 54 ‚tantam vim emblematum', in eadem paragrapho ‚tantam multitudinem emblematum'; nusquam ‚tantum emblematum'.

Char. 143, 14 „senati [1]) Sallustius ‚senati decretum fit' ut lauri, Cicero quoque [de] divinatione in Verrem et pro Oppio II ‚senati'; Kays. Klotz. — Cic. div. 5, 19 ‚senatus' omnes codd.; sic. cett. recentt. editt.

Referendum est illud exemplum ad vetustissimam doctrinam Romani [2]) vel Plinii, quorum uterque summa fide dignus est. Itaque cum Ritschelio, si universum spectas, consentio (cf. mus. rhen. vol. VIII p. 494) et hanc formam in textum restituendam esse puto; atque eo magis quod Charisius, etiam aliis locis [3]) magna fide dignus, hanc ipsam formam testatur.

De reliquis grammaticis disputare et quid quisque ad Verrinarum textum constituendum contulerit perscrutari in animo non habeo. Nam ut non dicam fieri omnino vix posse, ut magnam illam silvam exemplorum in examen vocemus, accedunt aliae causae easque gravissimae, cur ceterorum locos cum textu Tulliano comparare et accuratius pertractare non instituam. Aliorum enim textus ita corruptus et interpolatus est velut Arusiani Messii, [4]) Nonii, [5]) ut statim eluceat eos haud ita multum valere posse ad emendandum nec prorsus operam compensari eventu. Alii pauciora exempla ex Ciceronis libris universis collegerunt, quam ut iudicium certum de eorum auctoritate ac fide ferri possit. Itaque etiamsi quaedam ab iis prodentur, quae a lectione Ciceronis prorsus recedentia aptam sententiam prae-

---

[1]) de forma ‚senati' cf. Neue I 352. Buecheler p. 19 (39).

[2]) Apud Charisium ad Romanum vel ad Caprum, quem adhibuerat Romanus, vel ad Plinium et Probum, quibus usus erat Caper, multa exempla Tulliana referenda sunt. Copiam exemplorum ex Cicerone citatam vides in Charisii libri primi capite ‚de analogia', quod ex Romano se hausisse grammaticus ipse profitetur verbis „De analogia ut ait Romanus" cf. Char. 116, 29—147, 16 (cf. vol. I praef. p. XLV); in horum numero invenitur exemplum, quod supra indicavi: Cicero Verrinarum IV ‚senati'.

[3]) Omnibus enim exemplis, quae Char. ex Ciceronis libris desumpsit, collatis, in iis quidem verbis, quorum causa ea adscripsit, grammaticum inveni plurimis locis cum plerisque Ciceronis codicibus atque melioribus conspirantem.

[4]) Gr. Lat. vol. VII p. 439, 444, 446.

[5]) Quicheratii edit. praef. p. VII „quamvis omnes grammatici a librariis male habiti sint nullus tamen plura vulnera Nonius accepit etc."

beant, tamen has scripturas amplecti iure dubitabis, si modo in lectionibus, quas exhibent libri Cic. nulla offensio inest; praesertim cum apud nonnullos in his paucissimis testimoniis etiam multa manifestis vitiis foedata sint. Quod ne quis credat a me vanis fere verbis, sine certis argumentis contendi, exempli causa in extrema disputatione omnia ea colligam, quae Cledonius allegavit exempla Ciceroniana.

Cled. vol. V p. 77, 6 cf. v. 3 sqq. ‚decem fiscos ad oratorem illum relictos', ‚illos' cod. Bern. Cled. — Cic. act. prima 8, 22 sic omnes codd. praeter Iannoct., qui ‚relatos' et Urs., qui delatos exhibet.

Cled. 42, 31 vina apud Tullium in Verrinis ‚vina Graeca ceteraque, quae ex Asia facillime comportantur'; qua, facillima, cod. Bern. — Cic. lib. I 36, 91 ‚vina ceteraque, quae in Asia facillime comparantur' omnes codd. cf. Serv. ad Verg. ecl. V, 36, qui cum Cic. libris facit.

Cled. 66, 4 ‚inhumanus inhumaniter' cf. p. 97 huius comment.

Cled. 60, 14 doma et domui et domavi facit; nam in quinta Verrinarum Tullius ‚perdomavit'. Hoc exemplum vel haec forma nusquam in Verrinis reperitur nec in reliquis Ciceronis scriptis.

Cled. 76, 22 Adversum: Tullius ‚adversum leges moresque maiorum'. — Cic. lib. III 84, 194 ‚adversus leges, adversus rem publicam cum maxima sociorum iniuria' omnes codd.

Cled. 12, 16 adde quod Cicero Verrinarum septimo id est supplicium dicit totiens: ‚praefectus classis et praefectus classium Cleomenes'. Quae verba nusquam in hoc libro reperiuntur, sed identidem ‚praefectus navium'. In lib. V, 91 ‚exstat reliqui praefecti. . . . . . Cleomenem persecuti sunt', qui locus menti Cledonii obversatus videtur esse.

Cled. 52, 13 apud Tullium in frumentaria ‚cuicuimodi est'. Hoc exemplum falso citatum a Cledonio potius invenitur in quinti libri cap. 41. Idem vitium in eodem exemplo citando occurrit ap. Pomp. vol. V p. 207, 32. Arbitratur autem Cledonius, ut erat inscius, ‚cuicuimodi' esse dativum, cf. potius Prisc. III 7, 18 ‚cuicuimodi' pro ‚cuiuscuiusmodi'. Gell. N. A. IX, 2.

Cled. 65, 1 ut Cicero ‚ad Messanam' pro ‚Messanam'. Cic.

lib. V 62, 160 ‚eoque ipso die casu Messanam Verres venit'. ‚Messanam' omnes codd. Cic.

Cled. p. 28, 18 ut ait Cicero in Siciliensibus[1] * accidunt; locus in Cled. cod. Bern. nimis mendosus est, ut intellegi non possit, quo spectet.

In his tot et tam gravibus discrepantiis, quae apud Cledonium nobis obviam sunt, consentaneum est, parum fidei habere, si quae inveniuntur, quae ab omnibus codicibus dissentiunt, quamvis per se nullam offensionem habeant. Huc accedit neglegentia, qua in citando Cledonius utitur, ut qui saepius exempla non suis locis laudet et exempla Ciceroni atque Verrinis tribuat, quae re vera Ciceronis non sunt. Atque idem fere etiam apud Pompeium, Servium vel Sergium, ceteros usu venit.

His expositis rationem subducam et summam rei quam erui brevi comprehendam: Singulorum grammaticorum auctoritas prorsus diversa est nec idem iudicium de omnibus ferendum est. Summi momenti est Priscianus, qui quanta in citando diligentia fuerit et qua fide dignus sit ex iis quae disputavi satis luculenter apparere existimo. Aliquid nonnumquam valent in textu orationum Verrinarum constituendo Charisius et Diomedes, multo minoris faciendus est in universum ceterorum grex.

---

[1]) Haec verba mutilata pertinent fortasse ad orationem secundam act. II. Quae oratio interdum a grammaticis citatur titulis ‚de praetura Siciliensi, in praetura Siciliensi, in Verrem Siciliensi'. Arusianus semper eam affert inscriptione ‚in Siciliensi'; cf. vol. VII 451, 27 ‚ad quidam pro iuxta vel circa poni dicunt Siciliensis exemplo: (in Verr. II 6, 17) statim Romae et ad urbem etc.' Semel tantum sub eodem titulo aliam orationem in Verr. act. II lib. V laudat, cf. vol. VII 487, 3; nec vero ex uno illo exemplo concludam, Arusianum titulum in Siciliens. — nam saepius ita codicibus titulus traditur — generaliter etiam in ceteris orationibus in Verr. citandis adhibuisse; potius grammaticus noster in citando h. l. errasse videtur, praesertim cum etiam aliis locis titulos accuratius in examen vocantes errores inveniamus.

E. TH. SCHULZE:

DE Q. AURELII SYMMACHI VOCABULORUM FORMATIONIBUS AD SERMONEM VULGAREM PERTINENTIBUS.

Cum in sermonem scriptorum Africanorum qui vocantur iam saepius inquisitum sit, aliorum scriptorum tertii et quarti p. Chr. nat. saeculi dicendi usus nondum satis pertractatus est, quamvis, ut recte monuit Hartel (Philol. Anzeiger, vol. XIII, Supplh. II, pag. 786) non prius de sermone Africano certum iudicium proferri possit, quam etiam aliorum illius aetatis scriptorum dicendi genus accurate examinatum sit. In numero scriptorum, qui ad hunc diem fere neglecti sunt, primum obtinet locum Q. Aurelius Symmachus. Cuius sermo imprimis qui accuratius tractetur dignus est propterea, quod Symmachus natione erat Romanus et quod summa floruit auctoritate et apud paganos et apud christianos suae aetatis. Unus O. Koren in disputatione, quae inscribitur „quaestiones Symmachianae" Vindobonae 1874 pag. 39—46 nonnulla de Symmachi ‚latinitate' protulit. Sed ut tota commentatio leviter est conscripta (cf. Literar. Centralbl. 1875 p. 941) et erroribus scatet[1]), ita illa parte satis brevi vix maxime insignia perstringuntur (cf. Bursians Jahresber. IV (1876) 2, p. 255). Putat Koren hanc tenuitatem excusari posse eo, quod „oratoris epistularum recentissima editio prodierit a. 1617, quae multis locis aperte vitiosa praebeat". Quod quamvis in universum recte sese habeat, non aptam praebet excusationem. Nam alia exstant subsidia, quibus Koren niti poterat. Non dico editionem quam post Pareum imprimi fecit Gerh. Wingendorp Lugd. Batavorum a. 1653. Nam quamvis

[1]) E. g. pag. 13 ex epp. X, 71 et 78 concluditur, Q. Aurelium Symmachum etiam in christianos usum esse magna aequitate. Attamen hae epistulae non oratoris sunt sed alius Symmachi, qui tunc cum Romae mortuus est Zosimus episcopus (a. 418), erat praefectus urbi. Miror quod idem error etiamnunc exstat ap. Teuffel. Röm. Littg.[4], pag. 1001.

multi errores in ea sint correcti, tamen nova vitia textui immiscuit. Alia autem subsidia, quibus nisus quaestionem de sermone Symmachiano aggressus sum nova editione nondum facta, sunt haec. Primo loco nominanda est collatio optimi codicis Parisini P, quam publici iuris fecit Oct. Clason in libello, qui inscribitur „de Symmachi epistularum codice Parisino" Bonnae 1867. — Sed cum codex P nunc tantum epistulas ab I, 52 usque ad VIII, 41 contineat, in reliquis epistulis tractandis secutus sum editionem Lectii secundam (1598), quam cum codice P semper fere consentire animadverti. — ‚Relationum' exstat editio Meyeri a. 1872 Lipsiae in lucem prolata. — Orationum denique usus sum praeter editionem ab A. Mai confectam nova collatione et recensione O. Seeckii in commentatt. Mommsen. p. 600 sq.[1]).

Sed priusquam ad rem ipsam accedam, et nonnulla de sermone Symmachiano generaliter mihi explicanda sunt, et demonstrandum est, quo modo disputationem meam instituturus sim.

Cum iam inde ab exeunte secundo p. Chr. nat. saeculo sermo vulgaris in omnium fere scriptorum dicendi genus latius emanaverit, apud omnes huius aetatis scriptores iure quaeri potest, quantopere sermoni vulgari indulserint. Quod imprimis operae pretium est in scriptis Symmachi. Nam si pauca orationum fragmenta omittis, traditae nobis sunt solae Symmachi epistulae. Quo in litterarum genere praecipue sermonem cotidianum admitti nemo nescit. Iam epistulae Symmachianae mea quidem sententia eodem loco collocandae sunt quo epistulae Ciceronianae ad Atticum missae, non comparandae sunt epistulis Plinii minoris (cf. Wölfflin, Philolog. vol. XXXIV p. 139 et 144). Symmachus, si ipse epistulas edidisset, quod eum non fecisse constat (cf. Teuffel l. l. Koren l. l. p. 36 s. Seeck p. XXIII sqq.), fortasse nonnulla sed non omnia vulgaria amovisset. Nam etiam in orationum imprimis priorum fragmentis non pauca inveniuntur, quae certe sunt sermonis vulgaris. Cf. vv. „usurpator, adflexus, occentatio, inermitas, praesegmen, impetrabilis, glacialis, angu-

[1]) Cum tota fere disputatio iam elaborata esset, publici iuris facta est nova editio Symmachi per Seeckium diligentissime confecta. Perlegi eam et iis locis ubi aut nova aut discrepantia inveni, vel disputationem meam correxi vel illa adnotavi. Praeterea numeros paragraphorum, in quas Seeckius singulas divisit epistulas, adieci.

losus, veteratus, viduatus, calculare, pullulare, sublimare, ventilare, contractus, exortus, excongruus, subiugare, intersecare, obmurmurare, incruentus" alia, quae deprehenduntur in orationibus, quas Symmachus ipse sine dubio edidit. Iam satis memorabile est iudicium quod Symmachus de sermone illius aetatis profert ep. III, 11: *Trahit nos usus temporis in plausibilis sermonis argutias. Quare aequus admitte linguam saeculi nostri et deesse huic epistulae Atticam sanitatem boni consule .... Quodsi novitatis inpatiens es, sume de foro arbitros, mihi an tibi stili venia poscenda sit. Crede calculos plures merebor, non ex aequo ac bono, sed quia plures vitiis communibus favent ..... Stet igitur inter nos ista pactio, ut .... te non paeniteat scriptorum meorum ferre novitatem.* Monendum quidem est, sermonem familiarem et neglegentem illa aetate in scribendis epistulis nonnumquam etiam affectatum fuisse. Testis est ipse Symmachus in epistula ad filium data (VII, 9): *Scintillare acuminibus atque sententiis epistulas tuas gaudeo .... Sed volo, ut .... huic generi scriptionis maturum aliquid et comicum misceas; quod tibi etiam rhetorem tuum credo praecipere. Nam .... ingeniorum varietas in familiaribus scriptis neglegentiam quandam debet imitari.* Accedit aliud. Satis enim constat scriptores posterioris aetatis imprimis Africanos, qui sermonem vulgarem admiserunt, etiam sermonem priscum saepius imitatos esse. Idem praedicandum est de Symmacho, qui maxime in prioribus epistulis multa ex prisco sermone sumpta exhibet. Ipse hanc quamvis omnino satis modicam imitationem testatur ep. III, 44: *ἀρχαϊσμὸν scribendi non invitus adfecto.* Attamen Symmachi archaismos qui vocantur a ceteris vulgaris sermonis vestigiis non segregandos esse putavi, ne similia divellerentur. Praeterea non semper pro certo dici potest, utrum vocabulum vel locutio aliqua ex prisco an ex cotidiano sermone sumpta sit. Constat enim multa, quae apud priscos poetas leguntur, in sermone vulgari servata esse et inde posteriore aetate denuo in scriptorum dicendi usum emanasse. Imprimis in sermone Symmachiano tractando cavendum est, ne putemus oratorem aliquid ex prisco sermone repetivisse, quod revera debet linguae iurisconsultorum, apud quos multa vulgaria ex prisco sermone servata sunt. (Cf. e. g. Rebling, Charakteristik der

röm. Umgangssprache[2] p. 17). Evenit etiam, ut id, quod ex sermonis prisci imitatione ortum esse videtur, profectum sit ex imitatione alius scriptoris, qui illud vocabulum ex prisco dicendi genere quodammodo denuo in sermonem suae aetatis introduxit. (Cf. usum adiectivi ‚delenificus' apud Symmachum). Accedit, quod non propterea scriptores posterioris aetatis tot vocabula et locutiones ex priscis scriptoribus repetiverunt, quod prisca erant, sed propterea, quod vulgari sermoni, quem adamabant, congruentia erant. Quae cum ita sint, omnia vulgaria, quae apud Symmachum inveniuntur, una tractanda esse putavi, sive debentur imitationi vel priscorum scriptorum vel aliorum auctorum, sive Symmachus ea ipse formasse vel ex sermone suae aetatis assumpsisse videtur. Qua quidem in re primo id contendebam, ut omnia sermonis vulgaris vestigia investigarem. Attamen cum et tempus et locus me deficiat, nunc tantum de iis vocabulis verba facturus sum, quae propter formationem ad sermonem vulgarem pertinere videntur. Ita enim intellegendus est titulus, quem disputationi meae praefixi, non quasi ea tantum vocabula vulgaria tractaturus sim, quae Symmachus ipse formasse videtur.

Restat, ut sigla afferam, quibus usus sum in laudandis libris, qui per totam disputationem saepius nominandi sunt.

Stin. = A. Stinner, de eo quo Cicero in epistolis usus est sermone. Oppeln 1879[2] (1849—64).

Vog. = Th. Vogel, de A. Gellii sermone. Comment. I: De copia vocabulorum. Zwickau 1862. Progr.

Schmil. = G. Schmilinsky, de proprietate sermonis Plautini usu linguarum Romanicarum illustrato. Diss. Hal. 1866.

Ldw. = E. Ludwig, de Petronii sermone plebeio. Diss. Marburg 1869.

Rö. = H. Rönsch, Itala und Vulgata. Marburg u. Leipz. 1869.

Pauck. I = C. Paucker, de latinitate scriptorum historiae augustae meletemata ad apparatum vocabulorum spectantia. Diss. inaug. Dorpati 1870.

Rbl. = O. Rebling, Versuch einer Charakteristik der röm. Umgangssprache. Kiel (1873) 1883[2].

Wlffl. I = E. Wölfflin, Bemerkungen üb. d. Vulgärlatein. Philol. XXXIV, p. 137—165.

Lor. = Lorenz, Ausgewählte Komödien d. Plautus. IV: Pseudolus Berl. 1876 praefat. p. 36—64.

Guer. = H. v. Guericke, de linguae vulgaris reliquiis ap. Petronium et in inscriptt. pariet. Pompei. Diss. Königsberg 1875.

Stnk. = L. Stuenkel, de Varroniana verborum formatione. Diss. Strassburg 1875.

Köhl. = A. Koehler, de auctorum belli Africani et belli Hispaniensis latinitate. Erlangae 1877 = acta semin. phil. Erlang. vol. I p. 367—471.

Hllm. = H. Hellmuth, de sermonis proprietatibus, quae in priorib. Ciceronis oratt. inveniuntur. Erlangae 1877 = acta sem. phil. Erlang. vol. I p. 101—174.

Ldgr. I = G. Landgraf, de Ciceronis elocutione in oratt. pro Quinctio et pro Roscio Amerino conspicua. Diss. Würzburg 1878.

Thlm. I = Ph. Thielmann, de sermonis proprietatt. quae leguntur ap. Cornificium et in primis Ciceronis libris. Diss. Strassburg 1879.

Wlffl. II = E. Wölfflin, über die Latinität des Afrikaners Cassius Felix i. Sitzungsberr. d. K. b. Akademie der Wissenschaften z. München. Philos.-histor. Cl. 1880, H. 4 p. 381—432.

Thlm. II = Ph. Thielmann, stilistische Bemerkgg. z. d. Jugendwerken Ciceros i. Blätter f. d. bayer. Gymnas.-wes. XVI (1880) p. 202 ff. p. 352 ff.

Ldgr. II = G. Landgraf, Bemerkgg. z. sermo cotidianus i. d. Briefen Ciceros u. an Cicero i. Blätter f. d. bayer. Gymn. wes. XVI (1880) p. 274—280; 317—331.

Bart. = F. Barta, sprachliche Studien z. d. Satiren d. Horaz. Progr. Linz I, 1879. II, 1881.

Schm. I = I. H. Schmalz, üb. d. Sprachgebr. der nichtciceron. Briefe i. d. ciceron. Briefsammlgg. i. Ztschr f. d. Gymn. wes. XXX (1881) p. 87—141.

Schm. II = I. H. Schmalz, üb. d. Latinität d. P. Vatinius i. d. b. Cicero ad fam. V, 9 u. 10 erhalt. Briefen. Mannheim 1881. Progr.

Thlm. III = Ph. Thielmann, üb. Sprache u. Kritik d. lat. Apolloniusrom. Speier 1881. Progr.

Krt. = K. Kraut, üb. d. vulgäre Element i. d. Sprache d. Sallustius. Progr. Blaubeuren 1881.

Wlffl. III = E. Wölfflin, d. Aufgaben d. lat. Lexicographie i. Mus. Rhen. XXXVII (1882) p. 83—123.

Dress. = Dressel, lexicalische Bemerkgg. z. Firmicus Maternus. Zwickau 1882. Progr.

Sttl. = K. Sittl, d. lokalen Verschiedenhtt. d. lat. Sprache. Erlangen 1882.

Schm. III = I. H. Schmalz, üb. d. Sprachgebr. d. Asinius Pollio. Festschr. z. XXXVI Philologenvers. i. Karlsruhe (1882) p. 76—101.

Gor. = O. Gorges, de quibusdam sermonis Gelliani proprietatibus observatt. Diss. Hal. 1883.

Ge. = K. E. Georges, lat.-dtsch. Handwörterb. Leipzig 1880.[7]

Merg. = H. Merguet, Lexikon zu den Reden des Cicero. Jena 1873 ff.

Ant. = Antibarbarus d. lat. Sprache v. Krebs-Allgayer. Frankfurt 1876.[5]

Drks[1]) = H. E. Dirksen, manuale latinitatis fontium iuris civ. Romanorum. Berol. 1837.

---

[1]) Ubi nihil additur Ge. Ant. Drks. sub eo verbo conferendi sunt, de quo agitur.

Caput I.

De derivatione.

§ 1. De substantivis in -o exeuntibus.

Recte Ldgr. II, 319 et postea Wölfflinus (Archiv f. lat. Lexicographie u. Grammat. Leipzig 1884 pag. 16) monuerunt, substantiva suffixo -o conformata, quae personas significant, praecipue sermonis vulgaris fuisse. Cf. etiam Stnk. p. 20 s., Stin. p. 6, Pauck I p. 14* s. Apud Symmachum duo inveni eiusmodi substantiva, quae sine dubio sermoni cotidiano attribuenda sunt.

Curio = praeco: VI, 12, 1 [1]) bis. — Mart. praef. ad lib. II. Treb. Poll. (V. Ge. no. II).

Ganeo: IV, 18, 1 *vino anhelus est ganeo.* — Naev. com. 118, ubi praeterea vocabula eodem suffixo formata „lustro" et „aleo" inveniuntur. Ter. Varr. Sat. Men. Cic. Catil. II, 7 (cf. Ldgr. II, 319). Sall. Cat. Val. Max. Sen. ep. Lact. Prud. (V. Ge.) — Non dubium mihi videtur, quin Symmachus vocem ex sermone cotidiano sumpserit, non ex comicorum lectione.

§ 2. De substantivis in -tor (-sor) et -trix desinentibus.

Substantivorum in -tor et -trix desinentium usus, cum apud bonae prosae scriptores artis finibus circumscriptus fuerit, in sermone vulgari latius propagatus est. Exhibentur autem talia substantiva vario sensu; nam partim per iocum vel per indignationem, ita ut homo aliquis macula afficiatur, partim ut brevitas quaedam exprimatur, ea formari videmus. Iam Stin. p. 6 recte animadvertit, Ciceronem in epistulis haec substantiva facilius admisisse quam in ceteris scriptis. Pauckerus docet (cf.

---

[1]) Cum numeris nihil adiectum est, epistulae intellegendae sunt.

Materialien z. lat. Wörterbildgsgesch. II Adiectiva auf -orius p. 2) 2294 formas in -tor et -trix exstare, quarum 1515 tantum post Hadriani aetatem inveniantur. Usum horum substantivorum ap. Tertullianum accurate tractavit Jos. Schmidt in commentatione „de nominum verbalium in -tor et -trix desinentium ap. Tertullianum copia et vi". Erlangae 1878. Progr. Inveniuntur ap. illum scriptorem primum 150 substantiva in -tor (50 ἅπαξ εἰρημένα), quorum 33 in linguam Italicam, 17 in linguam Francogallorum recepta sunt. Cf. Schmidt p. 19 s. Sttl. p. 141. — Ex Symmachianis vocabulis in -tor haec attribuerim sermoni cotidiano:

Adfectator: V, 75 *adf. fori quietioris.* — Quint. Apul. Spart. Volc. Gall. Eutr. (v. Ge.)

Adprobator: IV, 14. — Cic. ad Att. XVI, 7, 2. Gell. August. (v. Ge.)

Adsertor: I, 46, 2. III, 19. VII, 100 = IX, 32 *me adsertore* = me teste, adiutore IX, 7, 2. rel. 10, 1. — Vox ex iurisconsultorum sermone assumpta est ab Livio, ap. quem significat eum, qui hominem aliquem in servitutem petit. (v. Ge. no. I. B.) Tum est ads. is, qui hominem in libertatem petit, vel qui asserit, hominem aliquem revera liberum esse. Cf. Gai. IV, 14 (v. Drks. § 1). Itaque postea vocabulum significat aut testem aut adiutorem. (v. Ge. no. I A et II.) Ab hoc vocabuli usu non multum recedit significatio, quae deprehenditur in codice Theodosiano, ut sit ads. = confessor, velut *dogmatis catholici ads.* (v. Drks. § 2.)

Admirator: I, 39. VI, 36, 1. — Phaedr. Vell. Sen. Quint. (v. Ge.)

Altor: III, 82, 2 *alt. generis humani.* — Cic. nat. deor. II, 54, numquam in oratt. Sall. Ov. Sil. Nemes. (v. Ge.)

Circumscriptor: IV, 68, 1 *circumscr. feminae.* — Cic. hoc vocabulo semel usus est (Catil. II, 2), ubi in Catilinam invehitur verbis ex sermone vulgari petitis. (cf. v. „ganeo" § 1). Sen. mai. Iuven. Ambros. — Alio sensu vocem adhibuit Tert. uno loco Mc. I, 27, cum Mc. II, 7 nostrum vocis usum admiserit. (cf. Schmidt l. l. p. 24 v. Ge.)

Commendator: I, 40. IX, 10, 1; 59: tantum in locutione

promptus comm. insinuo. — Iuvenitur vocabulum ap. Plin. min. primum (ep. VI, 23, 4.), deinde ap. Vop. et Nazar.

Conductor: IX, 52 *cond. rei meae Siciliensis.* — Caes. semel. Col. Plin. min. Inscr. August. Auct. prol. ad Plaut. Asin. Alia significatione („Unternehmer") vox invenitur ap. Caton. Cic. in epp. (v. Stin. p. 6). Val. Max. Isid. Gloss. (v. Ge.)

Confirmator: VIII, 13 *conf. boni.* — Hac vi vox ap. Tertull. primum legitur Mc. IV, 36, deinde ap. Lact. et ICt. (v. Drks.) Cicero vocabulo semel sed alio sensu usus est: Clu. 72 *conf. pecuniae* (= Gewährleister).

Decessor: rel. 23, 4. 25, 2. 34, 2, 3. 38, 3. — Cic. Scaur. fr. 33. Tac. Agr. Ulp. Spart. Amm. August. Cod. Theod. (v. Drks.) (Cf. Ant. et Ge.)

Discussor generaliter usurpatur: V, 76, 2 *disc. operis.* — Eadem vi invenitur vox ap. Tert. (cf. Schmidt l. l. p. 12), deinde ap. Macr. Cassian. Ennod. (v. Ge.) — Praecipue autem nominatur disc. examinator rationum publicarum: rel. 34, 3, 6, 9. — Cod. Theod. saepius (v. Drks.) Cassiod. (v. Ge.)

Donator ex iuris consultorum sermone, ut videtur: rel. 28, 7. — Sen. Phaedr. 1226. Ulp. ICt. (v. Drks.) Vulgata. (Cf. Rö. p. 56. Ge. no. I.)

Enarrator: VII, 49. — Vox saepius ap. Gellium occurrit, postea ap. Cassiod. (v. Ge.)

Exactor: II, 64, 1. V, 25. VI, 38, 2. — Vox sine dubio ex iurisconsultorum sermone originem ducit. Exstat ap. Caes. semel, b. c. III, 32, 4, ap. Liv. Col. Quint. Suet. Lampr. Firm. Mat. Cod. Theod. (v. Drks.)

Executor: ex iurisconsultorum dicendi usu: rel. 35, 2. 41, 1. 48, 2. — Vell. Suet. Apul. Tert. Amm. Ambros. ICt. (v. Drks.) Cf. Ge.

[1]Expetitor:** VIII, 46, 1 *animus meus vestri exp.* — Vox, quantum video, ap. alium scriptorem non legitur.

Explorator: VII, 18, 3. — Plaut. Pseud. 1167. Caes. per-

---

[1]) Vocabula, quibus duos asteriscos (**) appinxi, ap. unum Symmachum leguntur. Vocibus, quae aut omnino aut certa aliqua significatione ante Symmachum non deprehenduntur, unum asteriscum apposui. Crucibus denique significavi verba, quae aut coniectura sunt invehta, aut aliqua ex parte criticam movent dubitationem.

raro ex sermone militari. Liv. Vell. Petr. Sen. ep. Mart. Tac. Hygin. grom. Suet. Apul. Claud. Cod. Theod. Inscr. (V. Ge.)

Frustrator ex iurisconsultorum sermone: rel. 31, 3 *frustr. iudicum*. — Vox praeter hunc locum exstat ap. Tryphon. dig. aliosque ICt. (cf. Drks.)

Grassator: or. II, 19 *grass. Cecropiae nobilitatis* sc. Minotaurus. — Cato. Varr. Cic. de fato 15. Quint. Petron. Suet. ICt. (Drks.) (v. Ge.)

Incentor = auctor: V, 32. VII, 99 rel. 16, 2 *vocis inc.* ubi vocabuli vis primaria sentitur, cum aliis locis evanuerit. — Heges. Ambros[1]). Vulg. (cf. Rö. p. 57) Amm. Avien. Paul. Nol. Oros. Sidon. Isid. cf. Ant.

Incubator = iniustus invasor: X, 2, 3 *inc. iudiciorum*. — Primaria vi verbum usurpatur ap. Tert. (cf. Schmidt l. l. p. 17); translate praeter Symmachi locum ap. Macr. Serv. ad Verg. Aen. VII, 266 (*licet apud nos incub. imperii tyrannus dicatur*). Cod. Theod. (v. Ge.)

Insessor: II, 48, 1 *ins. viarum*. — Vocabulum praeterea legitur ap. Iul. Val. sed alia adhibita significatione. (v. Ge.)

Inspector: VI, 9. — Vi generali ap. Sen., sensu speciali ap. ICt (v. Drks.); deinde translate ap. August. (v. Ge.)

Invasor: IX, 123. — Ambros. Aur. Vict. ICt. (v. Drks. et Ge.)

****Invector** = is qui invehit: IV, 70, 2. rel. 14, 3 *lanati pecoris inv.* — Quamvis vox, quantum nunc diiudicari potest, ap. alium scriptorem non legatur, verisimile est, eam ap. ICt. in usu fuisse.

Iurator: or. VI, 1, 2. — Est ap. Symm. iurator is, qui in legendo senatore (non, ut putat Ge., in creando consule) iureiurando affirmat, candidatum dignum esse, qui legatur. Aetate liberae reipublicae censoribus iuratores praesto erant, qui commemorantur ap. Plaut. Caton. fr. Liv. Qua ex vi orta est translata vocis significatio ap. Plaut. et ap. Sen. apoc. Apud Macr. iurator est is, qui iurat. (v. Ge.)

---

[1]) Nonnullos locos Heges. et Ambros. debeo disputationi H. Rönschii: „die lexical. Eigenthümlichktt. d. Latinität d. sogen. Hegesippos" i. Roman. Forschgg. I, 2, p. 256—321. Etiam ex disputatiuncula Fr. Vogel, quae inscribitur „Zu Hegesippus" (Romanische Forschgg. I, 3, p. 415 sq.), nonnullos locos Ambros. mihi assumpsi.

Litigator: III, 36, rel. 23, 4, 12. — Cic. ep. XII, 30, 1. Quint. Tac. ann. Plin. min. Suet. Amm. ICt. (Drks.) — Apud Plin. mai. et fort. etiam ap. Lact. vox generaliter usurpatur de homine litigioso. (Cf. Ant. et Ge.)

Ostentator: V, 64, VII, 50, 1 *gaudii ost.* — Plaut. Cornif. rhet. (cf. Thlm. I, p. 88) Liv. Tac. Auson. August. Gloss. (v. Ge.)

***Perlator**: V, 30 *perl. litterarum.* VII, 24 *perl. epistulae* = IX, 37. IX, 133, 2. — Quantum video, vocabulum primum ap. Symm. obviam fit; deinde ap. Amm. Paul. Nol. August. (Cf. Rö. p. 61 et Ge.)

****Persultator**: VI, 22, 1 *Baiani littoris pers.* — Vox, quae hoc tantum loco exstare videtur, fortasse ex Symmachi indignatione originem duxit, fortasse etiam in sermone vulgari usitata fuit.

****Pervector**: IV, 64, 1 *perv. epistularum.* Cf. v. „perlator."

Plausor: IV, 18, 6 *plaus. scriptorum.* — Hor. ep. II, 2, 130. Petron. Quint. Plin. min. Suet. Cod. Theod. Sidon. (forma „plosor"). (v. Ge.)

†**Portitor** (cf. v. „perlator"): VI, 56. VII, 5 *epistulae port.* VII, 42. IX, 80 *port. officii.* — I, 90, 1 cod. P et V exhibent: „*fit enim plerumque ut levia rerum portator festivus exornet*" et ita Seeckius edidit. Attamen cum reliquis locis Symmachianis exstet forma *portitor*, etiam hoc loco puto scribendum esse portitor, ut est in F. Vis quidem et usus vocabulorum *portit.* et *portat.* non multum differt, quamvis origo diversa sit. — Invenitur vox *portitor* ap. Verg. Col. poet. Stat. Lucan. Ambros. Hieron. Claud. Cod. Theod. (Drks.) Sidon. Eugipp.[1]) (v. Ge.)

Precator: II, 80. III, 73. IV, 37 *me precatore.* VII, 26; 126 *prec. accedo* = IX, 122. rel. 48, 3. or. VII, 1. — Plaut. Ter. Donat. Amm. Macr. Cod. Theod. (Drks.) (v. Ge.). — Quamvis post Terent. usque ad saeculum quartum p. Chr. nat. nullum vocis vestigium exstet, non putaverim, vocabulum Symmachi aetate ex comicorum lectione repetitam esse, sed censuerim, vocem in sermone cotidiano imprimis in lingua iurisconsultorum semper in usu fuisse.

****Prodecessor**: rel. 20, 1. 25, 3. 33, 2. Est autem *prod.* non „Amtsvorgänger", ut explicat Ge., sed „Amtsvorvorgänger."

---

[1]) Locos Eugippii debeo indici editionis Saupplanae.

Praeterea ap. Ge. etiamnunc s. v. „praedecessor“ non recte locus Symmachianus affertur, quamvis, ut recte docuit Meyerus in adnot. ad rel. 20, 1, omnibus locis Symmachianis scribendum sit *prodecessor* pro *praedecessor*.

Protector = Trabant: II, 74. III, 67 *protectorum dignitas* rel. 32, 1. 36, 2. 41, 1, 6. — Vox usurpatur primum a Tertulliano sensu generali. Deinde exstat ap. Cypr. Lact. Scriptt. hist. Aug. Heges. in Vulgatae libris, ap. Amm. ICt. (Drks.) Oros. (Cf. Rö. p. 58 et Ge.)

Repertor: II. 77 *rerum novarum rep.* — Jam Stnk. p. 19 docuit, vocem abhorrere ab usu bonae prosae Ciceronemque pro verbo *rep.* uti voce „auctor“ vel „inventor“. Invenitur vocabulum praeterea ap. Varr. Verg. Hor. Ovid. Sall. fr. Cels. Plin. mai. Quint. Tac. Apul. Macr. (Cf. Ant. et Ge.)

Salutator: IV, 35. VIII, 41. — Qu. Cic. Col. Sen. Stat. Mart. Cypr. (v. Ge.) Spart. (v. Pauck. I p. 8*.)

Scrutator: VI, 42. — Lucan. Stat. Suet. Iustin. Lact. Pacat. Amm. Serv. (v. Ge.)

****Sequestrator:** VIII, 54 *dolor corporis officiorum familiarium sequestr.* = qui impedit. (v. Ge.)

Signator: rel. 41, 3, 5. — Est signator his locis et ap. Sall. Val. Max. Iuven. Suet. ICt. (Drks.) testis, qui adest imprimis in conficiendo testamento. Longe alia significatione vocem usurpatam invenimus in Inscrr. et deinde nova ap. Augustin. (v. Ge.)

Sospitator: IX, 83, 2 *penes sospitatores tui deos.* — Apul. Arnob. (v. Ge. et Ant. s. v. „sospes“).

Strator: rel. 38, 2, 5. — Vox, quae hoc loco de milite praetoriano intellegenda est, invenitur ap. Ulpianum primum et postea varia adhibetur significatione. (v. Ge. et Drks.)

Subscriptor: rel. 41, 3, 4. — Symm. vocabulo variandi causa utitur, cum plane idem significet ac vox „signator“. (v. Drks. s. v. „signator.“) Ap. Ge. haec verbi significatio non affertur. — Ab hac significatione non multum distat ea, quae adhibetur ap. Cicer. div. in Caecil. 47 et 51 et ap. Caelium in Cicer. epp. VIII, 8, 1 ut intellegendus sit *subscr.* is, qui cum aliis libellum subscribit. Translate deinde vox usurpatur ap. Gell. pro „laudatore“ vel „approbatore“. (v. Ge.)

Supplicator: rel. 33, 3. — Prud. August Iornand.

Testator: rel. 41, 3, 5. — Suet. ICt. (Drks.). Ap. Prud. vocabulum pro voce „testis" positum invenimus.

***Usurpator**: or. I, 22 *usurp. tanti nominis* sc. Procopius. — Postea Amm. XXVI, 7, 12 eundem Procopium fortasse ex imitatione loci Symmachiani dicit *usurpatorem indebitae potestatis*. Praeterea vox invenitur in nov. Val. III (Drks.) — In sermone vulgari vox sine dubio usitatior fuit. (cf. Ant. s. v. „usurpare" et Ge.)

Veterator: V, 66, 2. — Symm. verbo in malam partem utitur ut Ter. Lucil. Cic. de fin. II, 16, 53. Cod. Theod. (Drks.) cf. Donat. ad Ter. Andr. II, 6, 26: *veter. est vetus in astutia.* — Raro vox etiam in bonam partem usurpatur ut a Cicerone de rep. III, 26 et a Gellio. (cf. Ldgr. I, 28 et Ge.)

Ex substantivis feminini generis in -trix desinentibus haec attribuerim sermoni cotidiano:

***Invitatrix**: I, 59 *hortatio invit. religionis.* — Exstat vox praeterea ap. Cassiod. (v. Ge.)

Ostentatrix (cf. v. „ostentator"): I, 37 *laetitia ost. sui.* — Apul. Macr. Prud. (v. Ge.)

Salutatrix (cf. v. „salutator"): VIII, 55. *sal. pagina.* — Mart. (*sal. charta*) Iuven. (v. Ge.)

Addo his ea substantiva in -tor, quae etiam in bonae prosae oratione in usu erant, sed quae ea adhibita significatione, qua ap. Symm. deprehenduntur, sermoni cotidiano attribuenda sunt.

Actor = Verwalter: V, 87 *actores locorum.* IX, 6; 15, 2. rel. 28, 1, 3. — Col. Tac. Plin. min. Suet. Tert. (cf. Schmidt l. l. p. 26) ICt. (Drks.) (cf. Ge. no. III, 2, c.)

Adsectator = alumnus, discipulus: IX, 33 *adsect. litterarum.* rel. 21, 3 *ads. religionis.* — Plin. mai. saepius. Plin. min. Gell. (Cf. Ant. et Ge. no. II, 2.)

Adstipulator translate = testis, adiutor: II, 15; 65. III, 74, 1; 87 (ex bona Seeckii coniectura). V, 60 *me adstipulatore.* VI, 24. — Cic. ac. II, 67. Val. Max. Hieron. August. Sidon. (v. Ge. no. II.)

Aestimator translate: IV, 59, 1. VI, 1 *beneficiorum aestim.* — Liv. Curt. Plin. min. (v. Ant. et Ge. no. II).

Cultor = Verehrer: V, 50; 81. VII, 34. IX, 56 *domus tuae cult.* — Cic. semel de off. I, 31. Sall. (cf. Fabri ad Iug. 54, 3). Liv. Sen. Arnob. (v. Ge. no. II, 1).

Fabricator translate = auctor: rel. 21, 2 *scenae fabr.* — Lucr. III, 472. Verg. Aen. II, 264: *doli fabr.* Qui locus fortasse Symmacho, qui saepissime imitatus est Vergilium, ante oculos obversatus est, cum illa verba scripsit. — (v. Ge. no. II). — Vox etiam primaria adhibita vi duobus tantum locis Ciceronianis in scriptis, quae sunt de philosophia, legitur (cf. Schnetzii lexic. Ciceronian.).

Spectator: Primaria vi vox significat eum, qui spectat: VII, 30. IX, 72. Ita verbum etiam a Cicerone usurpatur (cf. Merg.). — Deinde spect. dicitur, qui aliquid accurate spectat et propterea bene compertum habet: II, 2 *bonarum artium spect.* III, 11: *spect. veteris monetae.* X, 2, 4. — Ter. Eun. Liv. Claud. Donat. (v. Ge. no. II).

Suffragator = adiutor: VII, 105, 2. — Plaut. Varr. Plin. min. Suet. Apul. Cod. Theod. (v. Drks. et Ge.).

Vector active: V, 52 *vect. litterarum.* IX, 13 *muneris vect.* IX, 36 *scripti vect.* — Ov. Val. Fl. Apul. ICt. (v. Drks. § 2 et Ge. no. I).

Venator = gladiator: V, 59 bis. — Ulp. Tert. Veget. ICt. (v. Drks. § 2 et Ge. no. II.).

§ 3. De substantivis IV declinationis in -us exeuntibus.

Etiam horum substantivorum copiam in sermone vulgari multo maiorem fuisse quam in bono dicendi genere persuasum habeo. Saepe enim plane supervacanea sunt, cum substantiva ab eadem stirpe suffixo -tio formata vel alia praesto fuerint et in bonae prosae oratione sola admittantur (cf. Jos. Schmidt, de latinitate Tertullianea P. I. Progr. Erlangae 1870 p. 14). Nonnulla substantiva IV declinationis, quae posterioris sunt aetatis affert Pauck. I p. 6* in adnot. Imprimis casus sextus talium verborum in familiari dicendi usu usitatissimus fuisse videtur, cum alii eiusdem vocis casus saepe non deprehendantur. Quod iam vidit P. Boehmer, qui in disputatione „Die latein. Vulgärsprache“ P. II. Progr. Oels 1869 p. 14 s. v. „adspersu“ (= adspersione) adnotat: „Die Ablativendung auf -u scheint in der gemeinen Verkehrssprache eine der beliebtesten gewesen zu sein.“ Opinatur deinde non sine probabilitatis specie, casum nominativum talium

ablativorum numquam formatum fuisse. Iam Stnk. p. 13 recte putat, illum ablativum ad analogiam formae supini II (in -u exeuntis) formatum esse. Haec vocabula uncis quadratis inclusi. Leguntur autem ap. Symm. haec vulgaria substantiva in -us:

Abscessus = abitus, discessus: V, 35. VI, 61 *modo abscessu modo reditu.* — Cic. semel, nat. deor. I, 10, 24. Verg. Tac. Lact. Dict. Cod. Theod. (cf. Drks. § 1. Ant. s. v. „abscedere". Ge.).

[**Accensus**]: III, 48 *accensu luminum.* — Plin. mai. bis (v. Ge.).

Accitus: I, 22 *accitu tuo.* VI, 7, 1 *similis accitus.* IX, 94; 119; 121. — Cic. Verr. III, 68. Verg. Tac. Dict. (cf. Ant. et Ge.).

****Adflexus**: or. II, 20 *duorum fluminum benignus adfl.* — Ap. Ge. vocabulum, quod hoc tantum loco exstare videtur, desidero.

[**Adiutus**]: II, 26, 1 *adiutu Dei.* II, 36, 1. VII, 116 *publico adiutu.* — Auct. itin. Alex. Iul. ap. August. Macr. (v. Ge.).

[Adnisus**]: V, 75 *alieno adnisu iuvari* (v. Ge.).

Ausus: I, 74 *servili ausu.* II, 33. III, 15, 1. IV, 45. V, 54, 4. rel. 41, 2. 47, 2. — Auct. belli Alex. 43, 1. Petr. Val. Fl. Veget. August. ICt. (v. Drks. et Ge.).

Captus = facultas intellegendi: VI, 57 *pro captu consilii mei.* — Vox hac significatione saepius occurrit in locutione *ut captus est* c. gen. personae ap. Ter. Afran. Cicer. semel, Tusc. II, 27, Caes. semel, Gell. Quae locutio sine dubio sermoni cotidiano attribuenda est. Cum praepositione „pro" vox praeter hunc locum coniuncta invenitur ap. Gell. Ter. Maur. ICt. (Drks.) et cum praepositione „supra" in Inscrr. (cf. Ant. et Ge.).

*[**Consultus**] = consultum: III, 39 *consultu patrum.* — Fortasse vox hoc loco primo exstat, nam ap. Cic. Verr. II, 40. Sall. Cat. 42, 3. Liv. III, 62, 2 al. nunc ex auctoritate optimorum codicum legitur „consulto" pro „consultu". — Exstat „consultus" praeterea ap. Isid. (v. Ge. et Ant.).

Contemptus = contemptio: I, 100, 1. II, 28: IV, 68, 2. V, 92. IX, 27. rel. 23, 1. or. II, 11. — Lucr. (Plur.) Caes. (sed tantum in locutione „contemptui esse"). Liv. Sen. Quint. Tac. Gell. (cf. Vog. p. 11) Lact. Aur. Vict. Cod. Theod. (cf. Drks. Ant. Ge.).

Contractus = pactum: II, 87 *bonae fidei contr.* II, 91

III, 42. V, 66, 2. VII, 55 *contr. amicitiae.* VII, 60; 104, 2. or. VII, 2. — Gai. Ulp. Papin. Serv. Sulp. ap. Gell. Gell. Chalcid. Ambros. (cf. Drks. Ant. Ge.).

Contuitus = conspectus (quo vocabulo aliis locis Symm. utitur): VI, 81. — Curt. Plin. mai. Amm. (cf. Schm. I p. 95 et Ge.).

Convictus: vox generali sensu usurpatur semel ap. Cicer. off. III, 5, cum Cicero fil. vocabulo „convictio" utatur (cf. Cic. ep. XVI, 21, 4). Praeterea vox generali sensu adhibetur ap. Nep. Luccei. in Cic. epp. Ovid. ex Ponto (v. Ge. no. I). Deinde vox vi speciali admittitur pro verbo „convivium". Ita duobus locis Symmachianis deprehenditur, quamquam vis generalis subintellegenda est uno loco: VI, 81 ... *vobiscum, quorum contuitus atque convictus commendare nonnumquam solet etiam parca convivia.* V, 85 *convictum parare.* — Cels. Vell. Sen. Tac. Plin. min. Inscrr. (cf. Ant. et Ge. no. II).

Defectus = inopia: I, 15, 1 *in defectu rerum.* I, 23, 1 *defectui succedit ubertas.* I, 76. II, 7, 3. IV, 58, 1. VI, 14, 2; 18 *def. alimentorum.* VIII, 58 *def. virium.* IX, 112, 2. rel. 35, 2. 40, 3. — Liv. Plin. mai. Aur. Vict. Chalcid. Amm. (v. Ge. et Ant.).

****Demensus** = mensio (cf. demensio): I, 1, 1 *non ad lancem neque ad demensum verba tribuere.* — Ap. Ge. vox non affertur.

Dilectus = amor, studium: I, 84 *dilect. religiosi animi.* — Vox praeterea ita usurpatur ap. Paul. et Chalcid. (v. Drks. § 2 et Ge. no. I).

Esus: I, 14, 4. II, 47 *esui esse.* — Varr. (cf. Stnk. p. 17). Cels. Gell. Tert. Auct. itin. Alex. Macr. Hieron. ICt. (Drks.) Sidon. Salv. Isid. (v. Ge.).

Excursus = excursio, iter: II, 3. V, 38. VI, 53. VII, 24; 27. IX, 100; 127. or. II, 10. — Caes. semel in sermone militari; Auct. b. Alex. Verg. ge. IV, 194 (*apum exc.*) Tac. Plin. min. Solin. (v. Ge. no. I. A.). Deinde vox translate usurpatur = „digressio": IV, 26 *laudis exc.* VI, 13 *sermonis exc.* VII, 129. IX, 83, 2. rel. 38, 1. 39, 3. — Quint. Plin. min.

Exortus: (De hoc vocabulo alio loco agendum erit).

[Fretus**] = fiducia: II, 83 *sancti animi tui fretu* (v. Ge.).

Frustratus: II, 73 *me opinio frustratui habet.* — Plaut

Men. 695. Non. (*frustratui esse*). Non dubium est, quin Symm. locutionem ex Plauti imitatione sibi assumpserit.

Gressus: 1) = gradus: VI, 29, 1 *gr. infirmus*. VI, 74 *stabilis gr.* — Verg. Ov. Phaedr. Cels. Val. Max. Col. Plin. mai. Gell. Nazar. Aur. Vict. (v. Ant. et Ge. no. I.) — 2) = pes: VII, 43 . . *libertate caeli gressum reformans, cuius me usus post dolorem moratur*. — Arnob. Itala ap. Cypr. Prud. Anthol. Isid. (v. Ge. no. II.)

Indutus = indumentum, vestis: III, 10 *vestis . . . indutui est*. — Varr. (cf. Stnk. p. 17) Tac. Apul. Amm. (v. Ge.)

[Inpensus**] = inpensa, inpendium (sed tantum translate usurpatum): IV, 65 *magno inpensu* (= inpendio, magnopere) *gratulor*. I, 11, 1 *inpensu maiore* (= inpensius) *gaudetur* (v. Ge.)

Instinctus = impulsus, monitus: V, 20, 2. — Cic. paucis locis in scriptis, quae sunt de philosophia, numquam in oratt. praeterea tantum casu sexto admisso. Quint. Tac. Lact. ICt. (v. Drks. Ant. Ge.)

Interiectus: II, 48, 1 *pro interiectu itineris*. VI, 11, 3 *interi. muri*. — Eodem modo de loco interiecto vox semel adhibetur a Cicer. nat. deor. II, 103 (*luna interpositu interiectuque terrae repente deficit*) fortasse propter verba quae erant in libro Graeco, quo Cicero hoc loco usus est. — De tempore vocabulum saepius ap. Tacit. usurpatum invenitur et alio sensu ap. Apul. et Chalcid. (v. Ge.)

Intuitus = ratio (cf. contemplatio): II, 14 *rogantis intuitu*. II, 91, 2. V, 57; 72. — Ulp. Scriptt. hist. Aug. (cf. Pauck. I p. 102) Veget. ICt. (Drks.). Vi primaria saepe legitur in Vulg. ap. Heges. Ambros. Claud. Eugipp. (v. Ge.).

Meatus = cursus fluminis: VIII, 24. IX, 83. or. II, 3. — Lucr. Verg. Mela. Lucan. Sen. Quint. Tac. Plin. mai. et min. Lact. Cael. Aurel. Cod. Theod. (Drks.) (cf. Ge. et Ant. s v. „meare".)

Natatus = natatio: VIII, 23, 3 *procaces natatus*. — Stat. Silv. I, 5, 25. Apul. Jul. Val. Pall. Auson. Claud. August. Cod. Theod. (Drks.) Fulgent. (v. Ge.)

Neglectus = neglegentia: IV, 10 *familiaris officii negl.* VII, 42. or. I, 19. — Ter. Haut. 357. Plin. mai. Cod. Theod. (Drks.) Greg. ep. (cf. Ant. et Ge.)

Obiectus: I, 43, 2. rel. 16, 1. 28, 1. 39, 3. or. I, 5. II, 4 *obi. montium*. — Lucr. Caes. in sermone militari. Verg. Plin. mai. Tac. Gell. Apul. ICt. (v. Drks. et Ge.).

Obtentus idem fere significat ac v. „obiectus": III, 69, 1. IX, 150, 1 *obt. epistulae*. or. IV, 8 *obt. honoris*. — Qua significatione translata tantum casus ablativus et dativus vocis in usu videntur fuisse. Inveniuntur ap. Liv. Val. Max. Tac. Justin. Gell. Lact. ICt. saepissime (Drks.) Eugipp. Vocabulum alio sensu etiam ap. alios scriptores legitur, sed numquam ap. Cicer. et Caes. (cf. Ant. et Ge.)

Oratus (cf. v. petitus, precatus): III, 37 *meo oratu*. — Plaut. Cic. semel, Flacc. 92. Sidon. Coripp. — Falso in Ant. sententia profertur, ut videtur, solum casum sextum vocis inveniri. (cf. Ge.)

[**Petitus**]: V, 32. VI, 8 *petitu meo*. VIII, 27, 2. rel. 28, 7. — Gell. (cf. Vog. p. 10) Apul. Cypr. — Ap. Lucret. etiam casus nominativus sed longe alia significatione legitur. (v. Ge.)

Positus = situs; VII, 20 *quid hic in positu aedium venustatis est*. Symm. sine dubio vocabulo variandi causa utitur, cum in subsequenti enuntiato, quod Hauptius (Herm. V, p. 317 = op. III, 540) optime sic restituit *quis situ ex edito fit iactus oculorum!* legatur vocabulum „situs". — Sall. fr. Ov. Cels. Tac. Gell. (v. Ge. et Ant.)

Potus = potio: VI, 4 *potuum continentia*. VIII, 62 *in potu fontium*. — Cic. semel, div. I, 29 *(potu atque pastu)* Cels. Curt. Plin. mai. et min. Tac. Justin. Gell. Nemes. ICt. (Drks.) (cf. Ge. et Ant. s. v. „potio".)

[Praefatus**] = praedictio: rel. 9, 5 *meo praefatu*.

Precatus: IX, 3 *meo precatu*. IX, 25, 2. — Stat. saepius. Amm. Sidon. (v. Ge.)

Profectus = progressus: IV, 20, 3; 59, 2. VI, 34; 51; 76 *prof. sanitatis*. VII, 6 *prof. ingenii* = VII, 11. rel. 26, 6. — Varr. (cf. Stnk. p. 17.) Liv. Ov. Vell. Col. Sen. Plin. mai. et min. Quint. Suet. Auson. Cael. Aur. Salv.[1]) (cf. Ant. et Ge.)

† **Provectus** = rel. 25, 3 *prov. aedificationis*. — Vox hoc uno loco Symmachiano deprehenditur eodem sensu, quo v. „profectus" rel. 26, 6 adhibetur. Quod vocabulum in codice *Γ* (cf.

---

[1]) Locos Salviani sumpsi ex indice edit. Halmianae.

edit. Gelenii) etiam hoc loco fuisse videtur. Attamen, cum vox „prov." etiam ap. alios exstet scriptores, ap. Pall. Amm. Aur. Vict. August. Sidon. Cassiod. et Symm. saepius pro una eademque re diversa usurpet vocabula, recte editores vocem „provect." in textum receperunt.

Relatus: 1) Vox apud primum Symm. usurpatur pro v. „remuneratio" (= Erwiederung): III, 71 *relatu vicissitudinis*. IV, 10 *scriptorum relatu* (ex probabili Seeckii coniectura) IX, 71, 7 *relatu gratiae*. Hunc vocis usum ap. Ge. non allatum inveni. 2) Deinde vox ap. Symm. idem significat ac v. „relatio": IV, 55 *aliorum relatu comperi*. V, 64. — Quo sensu vox iam ap. Sen. et Tac. deprehenditur (v. Ge.)

Transcursus primaria vi = transitus: III, 82, 2 *navium transc.* IX, 52. — Sen. saepius. Suet. ICt. (Drks.) — Deinde translate: V, 50 *brevi transcursu*[1]) *cum mihi voluptatem adferant, negant satietatem* sc. litterae. Usus autem est Symm. hoc loco rara voce sine dubio variandi causa, nam sequuntur verba *nec quicquam durius sumas quam placitae orationis citum transitum*. — Vell. Plin. mai. August. (v. Ge.)

Venatus 1) = venatio: I, 53, 1. IV, 31 *venatui togam praeferre*. IX, 28. — Plaut. Cic. in familiari dicendi genere. Ov. Col. Plin. mai. Quint. Gell. Amm. — 2) = praeda venatica: VIII, 52 (cf. V, 68, 1 *venatu capta*.) — Vox „venatio", quae certe pro „praeda venatica" in sermone vulgari imprimis posterioris aetatis usitatissima erat (cf. Rö. p. 327. Wlffl. II p. 399) ap. Symm. non legitur. (cf. v. „captura"). — Idem verbi „venatus" usus praeterea exstat ap. Plin. mai. et Amm. (v. Ge, no. II.)

Ululatus: or. IV, 13 *ulul. adulterum*. — Catull. Caes. semel. Verg. Ov. Liv. Stat. Plin. mai. et min. Tac. Apul. Lact. Amm. August. (v. Ge.)

Propter significationem a bono dicendi usu recedentem afferenda mihi sunt haec vocabula:

Actus = actio: I, 1, 2; 40; 53; 79; 87. II, 32, 1; 40. III, 8; 57; 71. IV, 9; 20, 2; 70, 1. V, 40; 43. VII, 18, 2; 50, 2. VIII, 68. IX, 37; 59; 109; 122. rel. 23, 4. 38, 1. — Lucr. Varr.

---

[1]) Ita enim pro perversa lectione codicum „*erant orsu*" recte sine dubio reposuit Iuretus.

Vell. Sen. Quint. Tac. Plin. min. Suet. Tert. Minuc. Lact. Scriptt. hist. Aug. Claud. ICt. (Drks.) Salv. (cf. Ant. et Ge. no. II. C.)

Ambitus translate = circuitus: III, 87 *longus orationis amb.* IV, 60, 1. V, 31 *amb. longae orationis.* VI, 3. VII, 116 *longus amb. litterarum.* IX, 137. — Val. Max. Col. Petr. Quint. (v. Ge. no. I. c.) — Alia significatione vox exstat VII, 15; 53. IX, 7. rel. 8, 4. or. II, 17.

Conflictus = conflictio: rel. 28, 5 *quaestio variis agitata conflictibus.* 33, 2 *extra conflictum locatus.* or. I, 18. — Gell. Scriptt. hist. Aug. Pacat. Mart. Cap. (cf. Ant. et Ge. no. II.)

Despectus = contemptio: II, 18, 2. *despectu amici.* or. I, 6 *alqm despectui habere.* — Non igitur recte in Ant. et ex eius auctoritate ap. Thlm. I p. 42 s. docetur, huius substantivi ea quam dixi significatione adhibita nullam in usu esse formam nisi dativum singularis numeri. — Corn. rhet. Tac. Suet. Arnob. Aur. Vict. (v. Ge. no. II.)

Instructus = apparatus: V, 11; 20, 2 *instr. muneralium praemiorum.* — Cic. verbum semel translata vi exhibet = ornatus orationis, de Or. III, 23. — Eodem sensu, quo ap. Symm. vox deprehenditur, invenitur ap. ICt. (Drks. s. v. „instructum", quod non statuendum esse puto.) Simili deinde significatione legitur in Vulg. exod. et ap. August. (cf. Rö. p. 315.) Denique Paulin. ap. August. dicit *instructu tuo* = iussu tuo. (cf. Ge.)

Interventus = intercessio, auxilium: I, 69; 71; 93. II, 91, 2. III, 34. V, 58. VII, 95; 109. IX, 7, 2; 50; 61. — Plin. min. Suet. ICt. (Drks.) Primaria vi, quam adhibitam invenimus ap. Cicer., vox legitur ap. Symm. I, 102. III, 50. IV, 68, 2. VII, 7. (v. Ge.)

Nisus = intentio, conatus: IX, 121; *nis. operae meae.* IX, 141 *suffragii tui nis.* — Quint. Plin. min. ICt. (cf. Drks. et Ge. no. II.) — Alia vi legitur vocabulum or. II, 9 *tardior nis per. adclive.* — Sall. Quint. (v. Ge. no. II. B. 2.)

Obtutus = adspectus: IX, 72 *obtutibus gestorum facies subditur.* — Ov. Apul. Mamert. Ambros. Amm. ICt. (Drks.) Sidon. (cf. Ant. et Ge. no. II.) — Apud Cicer. vox, quantum video, semper c. genet. „oculorum" coniungitur.

Procinctus = aula: I, 39 *in procinctu tenere.* VIII, 48 *in procinctum vocare.* rel. 21, 3. — Haec vocis significatio, cuius

etiam in codice Theodos. deprehenduntur vestigia, ap. Ge. non adnotatur.

Tractatus = consultatio, deliberatio: II, 52, 2; 57, 2. IV, 52, 4. V, 18. VI, 12, 5; 22, 3; 74. or. I, 8. — Quint. Tac. Plin. min. Gell. Veget. Cod. Theod. saepius. (cf. Drks. et Ge. no. II, 2.)

§ 4. De substantivis suffixo -tio vel -sio formatis.

Quamvis horum substantivorum tabula generalis mihi non praesto sit, persuasum habeo, longe plurima substantiva hoc suffixo a verbo derivata sermonis esse vulgaris. Rem ita sese habere, iam intellexerunt Schmil., qui (p. 32) ex substantivis Plautinis in -tio desinentibus 25 aut omnino aut aliqua adhibita significatione sermoni vulgari tribuit et Stin. qui p. 7 s. recte observavit, ap. Cicer. imprimis in epistulis multa substantiva in -tio exeuntia deprehendi, quae Cic. in reliquis scriptis non admittit. Ex exemplis Symmachianis afferenda sunt haec:

Abitio = abitus, discessio: I, 90, 1. — Plaut. Ter., ex quorum lectione sine dubio Symm. aliique ut Jul. Val. vocem receperunt (v. Ant. et Ge.).

Ablatio = ademptio: rel. 3, 13 *abl. facultatum.* — Itala Ezech. Tert. Hier. Cassiod (v. Ge. et Ant.).

Ablegatio = relegatio: VIII, 19 *intuta abl.* — Liv. VI, 39, 7. Plin. mai. Cassian. Eccl. (v. Ge.).

Aditio 1) = postulatio, interpellatio: rel. 28, 1 *crebra aditione conqueri.* — ICt. (cf. Drks. § 3). — 2) = acquisitio hereditatis: rel. 34, 10, 12. — ICt. (cf. Drks. § 4). — Deinde probabili coniectura vocem restituit Seeckius or. II, 17, ubi idem significat ac v. „aditus, ingressus“ (cf. Drks. § 2). Simili sensu ap. Plaut. semel legitur (v. Ge. no. I).

Adiectio: II, 35, 1. III, 11, 4. IV, 52, 3. VI, 9 *decem pedum adi.* = Anbau (cf. Ge. no. II. 1. c.). VII, 34 *adi. novi cultoris.* VII, 96, 2. IX, 22 *evectionum adi.* rel. 40, 2. — Liv. Vitr. Sen. Quint. Tac. Gramm. ICt. (cf. Drks. et Ge.)

Adportatio: VIII, 44. IX, 81 *litterarum adp.* — Vitr. II, 9, 16 (v. Ge.).

Adsertio = affirmatio, confirmatio: I, 16 2 *epistulae ads.* I, 61. II, 27. IV, 28, 2. *linguae ads.* IV, 29, 2. V, 9, 2; 52; 80; 98 *ads. verborum.* VI, 9. VII, 14 *nuntiorum ads.* VII, 16 *brevis*

est ads. veritatis. VII, 100. IX, 55; 108 *tuae vocis ads.* rel. 30, 4. 49, 3. or. II, 23. — Auct. itin. Alex. Arnob. ICt. (Drks. § 2). Sidon. — De aliis vocis significationibus v. Ge.

Adseveratio uno loco: IV, 36, 1 *ads. commeantium palam fecit.* — Corn. rhet. I, 4. Cic. ad Att. XIII, 23, 3. Val. Max. Plin. mai. Quint. Tac. Justin. Min. Fel. Chalcid. ICt. (cf. Drks. et Ge.).

Adstipulatio = testimonium, suffragatio: II, 16. V, 4; 48; 72 *secundae adstipulationis auxilium.* V, 84 *testimonii adst.* VII, 86. VIII, 16; 17. rel. 41, 3. — Plin. mai. Quint. Cod. Theod. Boet. (v. Ge.).

Adtemptatio (cf. v. temptamentum): VI, 9 *inanis adt.* — Cod. Theod. (cf. Drks.).

Adtestatio: De hac voce alio loco disputandum est.

Agnitio: VI, 38, 1 *veteris amicitiae agn.* — Semel ap. Cicer. nat. deor. I, 1. Plin. mai. Quint. Marc. dig. Cypr. Lact. Ambros. Macr. Cod. Justin. (v. Ge.).

Allectio = cooptatio in numerum allectorum: VII, 96, 1. — Capit. Cod. Theod. (Drks.) — De aliis vocabuli significatt. v. Ge.

Alucinatio = ineptiae: I, 1, 4 *alucinationis meae prodo secretum.* — Sen. de brev. vit. Auct. inc. ap. Non. Arnob. Cael. Aurel. Ennod. (v. Ge.).

Apparitio = apparitorum cohors: IV, 70, 2. V, 63, 2. VI, 12, 3. rel. 23, 6; 25, 3; 34, 7. — Cic. ep. XIII, 54. ad. Quint. fratr. I, 1, 4, 12 (cf. Stin. p. 7). Amm. ICt. (cf. Drks. et Ge.).

Causatio 1) = excusatio: II, 22, 2; 36, 1 *exspectationem pia causatione frustrari.* V, 78 *silentii mei non est iniusta caus.* IX, 69. — Gell. (cf. Vog. p. 7) Pall. ICt. (Drks.) August. Mart. Cap. (v. Ge. no. 1) — 2) = id quod excusationem provocat, impedimentum: I, 9 *causationibus obstrepi.* IV, 18 *adhuc manet de fruge caus.* — Qui vocis usus ap. Ge. non affertur.

Circumspectio = providentia: III, 88, 2. IV, 50 *boni principis circumsp.* IX, 64. — Cicer. semel, Acad. II, 11, 35. fragm. Vatic. Macr. Vulg. (v. Ge.).

Commonitio = admonitio: VII, 105, 2 *adieci commonitionem.* — Quint. IV, 2, 51. ICt. (cf. Drks.).

Commoratio: VI, 62 *urbana comm.* VI, 76 *suburbana comm.* VII, 37. — Cic. fam. VI, 19. Qu. Fratr. III, 1 (= mora) orat. III, 52 (sensu rhetorico); numquam in oratt. Quint. Vulg. (v. Ge.).

Confabulatio = sermo, colloquium: IX, 89, 2 *epistulae confabulationem praesentis imitentur.* — Tert. Hier. Sidon. (cf. Ant.).

Consternatio = conturbatio: VI, 45 *constern. animi.* = rel. 11. — Liv. Val. Max. Tac. (v. Ge.)

Consummatio = perfectio: IV, 70, 2 *consumm. operum.* rel. 48, 5 *consumm. negotii.* — Cels. Vell. Val. Max. Col. Sen. mai. Quint. Plin. mai. et min. ICt. (Drks. § 2). — De aliis vocabuli significatt. v. Ge. Drks. § 1 et 3. Rö. p. 310.

Contextio = confectio: IV, 42, 2 *litterarum cont.* or. II, 26. *cont. pontis.* — Auson. Veget. Macrob. August. ICt. (Drks.) (cf. Ge.)

Conventio = interpellatio, exactio: V, 92. VI, 29, 2 *conv. iudicialis.* VII, 83. IX, 11, 2; 70; 117 *a verecundia ad pecuniam translata conv.* IX, 150, 1. rel. 19, 4, 9. 23, 3 *civilis conv.* 30, 1. 34, 11 *pulsari incongrua conventione.* — Hunc vocis usum sermoni iurisconsultorum attribuendum esse, nemo non videt (cf. Drks. § 2). — De alia vocabuli vi v. Ge. et Drks.

Decertatio: De hac voce alio loco verba facienda sunt.

Delegatio: I, 51 *divinae rei delegatio.* rel. 33, 2 *cognitio negotii delegatione mandata.* — Sen. ep. 27, 3. Non multum diversa significatione vox exstat ap. Cic. ad Att. XII, 3, 2; longe alia ap. ICt. (cf. Drks. et Ge.)

Demensio (cf. v. demensus): Or. II, 6 *temporum demensiones.* — Auson. ep. 5, 11. (v. Ge.)

Denominatio: IX, 129. — Cod. Theod. (Drks.) Euanth. — Diversa significatione legitur vocabulum ap. Corn. rhet. IV, 43 et ap. Boet. (cf. Ge. et Thlm. I, p. 40.)

Deploratio = querela: IX, 139 *auditis infelicium deplorationibus.* — Sen. Tert. Cod. Theod. saepius. (cf. Drks.)

Depraedatio = direptio: VIII, 27, 1 *piratica depr.* — Lact. Mamert. August. ICt. (cf. Drks. § 1.)

Destinatio = consilium: VI, 75 *animi nostri dest.* IX, 26. — Liv. Plin. mai. et min. Tac. Gai. Amm. ICt. (cf. Drks. et Ge.)

†**Detentio**: IV, 68, 3 in codicibus perverse legitur *exoptat ... ut improbissimus inquilinus locorum intentione pellatur.* Mercerus coniecit scribendum esse *locorum detentione,* quod receperunt editores. Invenitur quidem v. „detentio" pro v. „retentio" ap. ICt. (cf. Drks.) sed non alio loco Symmachiano ex-

stat. Quae cum ita sint, non dubito quin restituendum sit *locorum retentione*, cum vox „retentio“ etiam aliis locis Symmachianis occurrat et imprimis II, 30, 2 inveniatur *parvi agelluli retentione recedere*.

Dictatio = actus dictandi: VI, 4 *dictatione properata*. — Paul. Dig. Interpr. Iren. Sidon. ICt. (cf. Drks.)

Dignatio = gratia, benignitas: II, 17, 2 *optimi principis dign.* II, 62, 2; 67 *pro dignatione, qua clarus es*. IV, 11. VII, 93. IX, 68; 106; 120. — In tituli fere locum vox recepta est: II, 10. VIII, 44. — Sen. mai. Liv. Vell. Curt. Tac. Suet. Iustin. ICt. (cf. Drks. et Ge.)

Discretio = distinctio: II, 82, 2. IX, 40. or. IV, 15 *iudicii discr.* — Tert. Lact. Chalcid. Macr. Pall. Ambros. Vulg. (cf. Rö p. 73) Amm. Prisc. ICt. (Drks.) Eugipp. (v. Ge.)

Discussio = quaestio, cognitio: IV, 70, 1. V, 76, 1. rel. 26, 2 *investigatio discussionis*. — Hier. Macr. Eccl. ICt. (Drks.) — De alio vocis usu v. Ge., qui non recte affert, vocabulum ap. Symm. V, 74 (76?) munus examinatoris rationum publicarum significare.

Editio 1) = ludus, munus (cf. functio): Ita vox saepissime ap. Symm., nonnumquam variandi causa, usurpatur: II, 46, 1; 77. IV, 7; 8, 2; 12, 2; 58, 2. V, 21; 56; 82. VI, 34. VII, 8; 48, 1 *praetoria filii mei editio*. VII, 82; 90; 106; 110, 2. IX, 12; 15, 1; 20, 1; 21; 23, 4; 74; 125 *quaestoriae editiones*. IX, 132; 135; 137; 141; 144; 149; 152 *editio ludorum*. rel. 8, 1. — Lact. Eutr. ICt. (cf. Drks. et Ge. no. IV.) — 2) = communicatio vel promulgatio: rel. 28, 10 *sententiae exemplar emisi, cum eius editionem procurator postulasset*. — Quint. Tac. ICt. (cf. Drks. § 2 et Ge. no. II.)

Emendatio 1) = actio emendandi: II, 13, 3. IX, 13; 136, 1. rel. 3, 9 *sera et contumeliosa est emend. senectutis*. or. IV, 15. — Cic. bis, quantum video: fin. III, 9. Acad. fr. (cf. Schuetz, lexic Ciceron.) Val. Max. Sen. Quint. Plin. min. Tert. Apul. Mamert. Macr. ICt. (Drks.) — 2) = perfectio: I, 25. III, 51. V, 41, 2 rel. 3, 6. Hunc vocis usum Ge. non distinxit.

Evectio = facultas cursu publico utendi vel diploma usum cursus publici concedens: I, 21 *accepi evectiones quatuor*. IV, 7 VII, 48 *evectionum adminicula*. VII, 96, 2; 105; 106. IX, 22. —

Simili sensu iam ap. Caton. fr. or. 2 vox usurpatur; saepissime deinde ap. ICt. (cf. Drks.) — De aliis vocabuli significatt. ap. Eumen. Paul. ex Fest. Apul. v. Ge.

Examinatio: or. III, 11 *perpensa examinatione librare.* — Vitr. Cypr. Veget. Mart. Cap. ICt. (cf. Drks. et Ge.)

Exemptio = ademptio: rel. 46, 2. — Varr. (cf. Stnk. p. 25) Col. ICt. (v. Drks.)

Exhibitio ex sermone iuris consultorum: II, 41. VI, 11, 2; 29. — Gai. Gell. Ulp. Paul. Cod. Theod. et Iustin. (cf. Drks. et Ge.)

Expensio = impendium: II, 78 *votiva exp.* V, 76, 3. VI, 26, 1 *parca exp.* rel. 8, 3. 25, 4. 37, 2. — Cod. Theod. (cf. Drks.)

Exploratio = quaestio: I, 29; 100, 2 *utendi expl.* = Praxis. IV, 61, 2. V, 74 *fida exploratione disquirere.* rel. 26, 5. — Col. Sen. Apul. Chalcid. (v. Ge. no. II.) Alio sensu vox deprehenditur ap. Tac. Iul. Val. Solin. August. (v. Ge. no. I.)

Expressio = descriptio: VI, 22, 3 *sub ea expressione iudicii.* — Chalcid. Ambros. Acron. Cod. Theod. (Drks.) — Vi quodammodo primaria vox saepius ap. Vitr. et ap. Pall. invenitur. (v. Ge.)

Executio: II, 87 *sententiae exec.* IV, 63. IX, 80. rel. 23, 8. — Sen. mai. Tac. Plin. min. ICt. (cf. Drks. Ge. Ant.)

Frustatio: II, 91, 2 *frustrationibus ludi.* — Plaut. (sed non plane eadem adhibita vi), Varr. Planc. in Cic. epp. Liv. Col. Quint. Justin. ICt. (v. Drks. et Ge.)

Helluatio: VIII, 23 *nulla in conviviis hell.* — Cic. post red. in sen. 13. Treb. Poll. (v. Ge. Pauck. I, p. 100.)

Impetratio: II, 74. IV, 8, 1. VII, 12; 83; 128, 2. IX, 2; 9 *impetr. prompta.* IX, 49; 146, 1. — Cic. ad Att. XI, 22, 1. Donat. Hier. August. Cod. Theod. et Justin. (Drks.) Ennod. Cassiod. (v. Ge.)

Inlatio = solutio: V, 20, 2 *inl. pretii.* rel. 30, 4. 37, 3 *inl. sollemnis inpendii.* — Itala exod. Val. imp. ap. Vopisc. Cod. Theod. saepius (Drks.) Cassiod. — De alia verbi vi cf. Ge. et Drks.

Inspectio 1) = contemplatio vel lectio: IV, 5, 1 *gestorum curialium inspectione cognosces.* IV, 29, 2 *sola argumenti insp.* IV, 52, 1. V, 9, 2. — Quint. Trai. ap. Plin. min. Vopisc. Au-

gust. ICt. (cf. Drks. § 2. Ge. no. I). — 2) = actus examinandi: VI, 49, 1 *iudicium meae inspectionis*. VII, 45 *morum insp*. = VII, 51 = VII, 123. rel. 25, 2. — Col. Ambros. ICt. (Drks. § 1.) Veget. (v. Ge. no. II.)

Integratio (cf. v. instauratio): III, 73 *rei familiaris integr.* rel. 28, 1. — Ter. Andr. 555. Nov. Val. III. (cf. Drks. et Ge.)

Interpositio: VII, 13 *dierum interpos*. — Cic. inv. I, 8; ad fam. XVI, 22, 1. Vitr. Quint. Prisc. Chalcid. Macr. Gloss. (cf. Ge. et Thlm. I, p. 90.)

Investigatio = inquisitio: II, 75. IV, 48. VI, 74 *chartarum invest*. rel. 26, 2 *invest. discussionis*. — Cicero tribus, quantum video, locis, Ac. I, 34; fin. V, 4, 10; off. I, 13 et 19. Postea Vulg. Ies. Firm. Mat. ICt. (cf. Drks. et Ge.)

Itio = iter: I, 20, 3 *itiones longae*. — Ter. Phormio 1012. Cic. Div. I, 68, ad Att. XI, 16, 1. XIII, 50, 4. Arnob. (v. Ge.)

Lactatio = ludificatio: I, 3, 2 *falsa lactat*. ita enim ex Iureti codice recte recepit Seeckius, cum codices V et M male praebeant „iactatio". Vox „lactatio" praeter hunc locum tantum exstare videtur in interpret. Iren. (v. Ge.)

Libratio = deliberatio (cf. v. librare): rel. 14, 1 *libr.*[1] *clementiae vestrae*. — Vitr. VIII, 8, 3. Vulg. De alio vocis usu ap. Vitr. et Min. Fel. v. Ge.

Litatio = sacrificium feliciter peractum: VIII, 26 *ut in honore numinum solet fieri, litationi addo donarium*. — Plaut. Pseud. 334. Liv. Inscrr. (v. Ge.)

Ludificatio (cf. v. frustratio): IV, 70, 1 *vereor ne ludificationibus res iniuncta frigescat*. — Cic. semel, Sest. 75 (cf. Merg.) Liv. August. (v. Ge.)

Novatio = renovatio: rel. 32, 3 *temporibus novationis exactis*. — Tert. Arnob. Paul. Nol. Inscrr. ICt. (Drks.) Apud ICt. etiam alia significatione vox adhibetur. (Cf. Drks. § 2 et Ge.)

Oblatio = donum, munus: I, 103 *obl. consularis*. II, 77. IV, 15, 1. VI, 12, 1; 26, 1 *carnis obl*. VI, 54; 57; 64, 2; 79; 80 *oblationis exilitas*. IX, 104 *exilis oblat*. IX, 107; 119. rel. 13, 2. — Ambros. Amm. Ps. Ascon. Cael. Aur. ICt. (Cf. Drks. et Ge.)

---

[1]) Ita codex *Γ* recte praebet; in *T* et *M* legitur *liberatio*.

Obligatio: III, 25, 2. VII, 120 *vinctae obligatione pignorum nuptiae.* IX, 30 *nexu obligationis absolvere.* — Cic. ad Brut. I, 18, 3. Iustin. Gai. Papin. Vulg. ICt. (Cf. Drks. et Ge.)

Obreptio = impetus repentinus: VII, 11, 2 *clandestina obr.* rel. 38, 3 or. II, 10. — Frontin. Ulp. Arnob. Ambros. August. ICt. (Cf. Ge. et Drks.)

Obstinatio = pertinacia: I, 77. IX, 36 *obstinatione decedere.* — Cic. voce, quantum video, uno loco prov. cons. 41 utitur. Praeterea exstat vocabulum ap. Nep. Sen. Tac. Plin. min. ICt. (Cf. Drks. et Ge.)

****Occentatio**: or. II, 5 *occent. bucinarum.*

Omissio: III, 48 *istam veluti omissionem laudis.* — Aur. Vict. Iul. Rufin. (v. Ge.)

Operatio = opera: V, 78 *hiberna oper.* — Vitr. VI, 2, 9 (sed non plane eadem vi). Plin. mai. Donat. Vulg. Alio sensu ap. Tert. Lact. Iul. Val. Heges. Prud. Inscrr. (v. Rö. p. 330 et Ge.)

Opitulatio = auxilium: III, 33. VI, 14, 3 *divina opitul.* = VI, 32, IX, 11, 2. — Interpr. Iren. Arnob. Iulian ap. August. Heges. Vulg. (cf. Rö. p. 76) ICt. (Drks.) Oros. Fulgent. Gloss.

Pollicitatio = promissio: IX, 130. rel. 6, 2. — Plaut. Trin. 738. Ter. Corn. rhet. Caes. Auct. b. Afr. Nep. Sall. Asin. Poll. Sen. Plin. min. Donat. Vulg. ICt. (Drks.) Inscrr. (Cf. Ge. Thlm. I, p. 91. Krt. p. 3. Schm. III, p. 92.)

Portio = pars: III, 66 *nosse digneris, quanta sit in domino meo Flaviano pectoris mei port.* (cf. IV, 22 *Eusebius pars pectoris mei.*) — Cels. Curt. Plin. mai. et min. Quint. Iuven. Iustin. Veget. ICt. (Drks.) — Apud boni stili auctores invenitur tantum locutio „pro portione". Cf. Ant.

Praebitio (cf. v. oblatio): IX, 103 *lignorum praeb.* rel. 35, 3. 40, 4. — Varr. Sat. Men. (cf. Stnk. p. 26). Iustin. Aurel. Vict. Vulg. (cf. Rö. p. 76) ICt. (Drks.) (v. Ge.)

Praelusio = prolusio: II, 77. IV, 8, 2 *ludicrae quaestorum praelusiones.* — Plin. ep. VI, 13, 6. Marc. Emp. (Cf. Ant. s. v. „praeludium" et „prolusio.")

Praesumptio = opinio, coniectura: IX, 40 *certa est de bonorum mente praes.* — Sen. Iustin. Spart. ICt. (cf. Drks. § 3). — De aliis vocis significatt. ap. Quint. Plin. min. Apul. Tert. Ambros. August. ICt. (Drks. § 1, 2) cf. Ge. et Ant.

Precatio = petitio: II, 41. III, 33 *prec. geminata.* VII, 66 *familiarem precationem adnecto.* rel. 48, 2. — Cicer. bis, Muren. 1 et nat. deor. III, 20 (cf. Schuetz, lex. Cicer.) Liv. Plin. mai. ICt. (Cf. Drks. § 1 et Ge.)

Properatio = festinatio: I, 38. II, 12, 1. IV, 56, 1. — Cic. ep. V, 12, 2. Amm. (v. Ge.)

Protestatio: I, 56 *prot. amoris.* — Vulg. II Mach. Leo epp. (Cf. Rö. p. 77.)

Redhibitio = restitutio: rel. 23, 10. — Quint. Gell. Salv. ICt. (Drks.)

Refectio = relaxatio: I, 85. II, 55, 1. III, 47. VI, 32; 38, 2; 39. VIII, 46, 1. IX, 14; 83, 3 *ref. corporis.* — Cels. Sen. Quint. Plin. min. Amm. Cassian. — Apud Vitr. Col. Suet. ICt. (Drks.) vox pro vocabulo „reparatio" ponitur. (v. Ge.)

Reformatio = restitutio: VI, 11, 2 *possessionis ref.* rel. 28. 1. — Cod. Theod. (cf. Drks. § 2. Ge. no. II). — De vocabuli significatione ap. Sen. et de usu ap. Apul. et Iul. ep. Nov. (Drks. § 1) v. Ge. no. I.

Refragatiò = renovatio: rel. 30, 2. — Ambros. (cf. Rö. p. 82) ICt. (Cf. Drks.)

Reparatio: = recusatio: VI, 1, 3. IX, 136, 2 (variandi causa, nam antecedit v. „instauratio.") rel. 19, 4. 32, 2. 38, 4 *tempus reparationis.* 39, 3, 4. — Prud. Veget. ICt. (Drks.) Oros. Inscrr. (v. Ge.)

Restauratio: rel. 39, 2 *integri rest.* — ICt. (Cf. Drks. et Ant.)

Subvectio: IX, 142 *ursorum subv.* — Caes. b. Gall. VII. 10, 1. Vitr. Liv. Tac. Vulg. Veget. August. ICt. (Cf. Drks. et Ge.)

Suggestio = Mündliche Vorstellung (cf. insinuatio): II, 31. III, 69, 1. IX, 6; 8; 11, 1; 22; 55 rel. 21, 5. 31, 2 *apparitores partim notoriis partim suggestione signarunt.* 31, 3. 34, 1 *suggestionum veritas.* 34, 9, 12. — Vopisc. (cf. Pauk. I p. 113) ICt. (Drks.) Vict. Vit. Eccl. Inscrr. — Alio sensu vox adhibetur ap. Quint. alia vi ap. Cael. Aurel. (v. Ge.)

Transactio = pactio: VI, 74. — ICt. (Drks.) — Tert. vocabula pro voce „confectio" utitur. (v. Ge.)

Tuitio = praesidium: IX, 24, 2. *iudiciaria tuit.* rel. 23, 3, 8 *tuitionis auxilium.* — Cic. top. 90. Ulp. Firm. Mat. Hier. Macr. Cod. Theod. (Drks.) Oros. Salv. Inscrr. (v. Ge.)

Vectatio: VII, 18, 2 *crebra vect. campi aut maris.* — Sen. Suet. August. Prisc. (v. Ge.)

Venio nunc ad ea substantiva in -tio exeuntia, quae etiam ap. bonos scriptores inveniuntur sed non ea vi, qua ap. Symm. aliosque scriptores sermoni vulgari inservientes.

Absolutio = vacatio: I, 42, 2 *publici muneris absol.* II, 27. V, 28. — Pall. Ambros. ICt. (Cf. Drks. § 3. Ge. no. II, 1. d.)

Adspiratio = favor: I, 64, 2 *voti tui adspiratio vela faciat impetratis;* ubi vis primaria quodammodo sentitur. — Amm. (v. Ge. no. II. b.) — Apud Cicer. vox tantum vi primaria adhibetur. Vocabulum „favor" ap. Symm. saepissime legitur.

Allegatio = affirmatio rei, quae vel testimonii vel excusationis causa affertur: I, 20, 3. III, 69, 2 *auditis eorum allegationibus.* VIII, 60. IX, 55 bis; 69 *„morae allegati".* IX, 139; 140. rel. 19, 8, 10. 27, 4 *subditis allegationibus partium.* 28, 9. 32, 2. 48, 1, 5. — Apul. Mar. Victor. ICt. saepius. (Cf. Drks. Ge. no. II.)

Castigatio = moderatio, brevitas: I, 25 *imitabor Sallustiani testimonii castigationem.* — Plin. mai. Macr. Sat. II, 4, 12 (*cast. loquendi.*) (v. Ge. no. II). — Usitata significatione, qua vox etiam ap. Cicer. quamvis rarius legitur, ap. Symm. exstat III, 88. IV, 54; 59.

Cessatio = cunctatio, mora: III, 2; 15; 56. IV, 54, 1 *litteraria cess.* IV, 65; VI, 70. VII, 11; 16, 1; 42. VIII, 59. or. I, 23 *civilium rerum nulla cess.* — Plaut. Poen. 794. Qu. Cic. in Cic. ep. XVI, 26, 2. ICt. (Cf. Drks. § 2 et Ge.) — Cicero voce non nisi sensu vocis „otium" utitur.

Comperendinatio translate = dilatio: VII, 7 *comper. ludorum.* rel. 34, 12. 36, 1. — Itin. Alex. Ambros. (v. Ge.)

Congressio = congressus, tantum de venatione in ludis usurpatur: VI, 43 *crocodilli secundis ludis congressionum more confecti sunt.* Eodem sensu sine dubio vox adhibita est II, 76 *leonum adventus posset efficere, ut ursorum defectum congressio Libyca repensaret.* Puto enim verba *congressio Libyca* interpretanda esse „congressus cum bestiis Libycis h. e. cum leonibus in ludis factus." — De pugna vocem „congressio" saepius usurpatam invenimus ap. Iustin. Sed etiam alia huius

usus exempla exstant ap. Quadrigar. ap. Gell. IX, 13, 15. Lact. Veget. (Cf. Ant. et Ge. no. II. c.)

Conlatio = res, imprimis pecunia collata: VI, 26, 1 *amplissimi ordinis secunda conl.* VII, 68. rel. 14, 1 *conl. equorum.* 20, 3. — Liv. Tac. Plin. min. Suet. Serv. ICt. (Cf. Drks. § 2—4. Ge. no. I. b.)

Contemplatio = ratio (cf. v. intuitus): V, 31; 38 *hiemis contempl.* VII, 15 *amicitiae nostrae contempl.* VII, 57 *contemplatione honestatis.* IX, 122; 140 *contemplationem gerere* = rationem habere. — Iustin. Lact. ICt. (Drks.) Inscrr. (v. Ge. no. II. b. β.)

Devotio = obsequium, verecundia: III, 82. IV, 50. rel. 4, 1. 15, 2. 22, 2 *praelata devotione.* 43, 2. 45. 47, 2. or. I, 10 *erat verecundiae tuae, ut repugnares sed non minus devotionis, ut cederes.* I, 19. II, 1, 8. III, 1, 4. — Scriptt. hist. Aug. Eccl. ICt. (Cf. Drks. et Ge. no. II.)

Dimensio = mensura, spatium: II, 3. VI, 28 *iustis itineris dimensionibus.* — Hyg. astr. Apul. Amm. Macr. ICt. (Cf. Drks. et Ge. no. I. 1 a.)

Disceptatio = quaestio, iudicium: I, 69. IV, 71 *discept. alterius rectoris.* VII, 81. IX, 121 rel. 21, 7 *imperialis disc.* — Liv. Quint. ICt. (Cf. Drks. § 2 et Ge. no. II.)

Discessio = discessus: I, 34, 1. II, 65. *festinata disc.* VI, 55; 66, 1. — Ter. Andr. 568. Sall. fr. Gell. (v. Ge. no. I.)

Dispositio = exstructio: VI, 66, 3 *dispos. clivi mollioris.* — Saepissime ap. Vitr. (v. Ge. no. b.)

Dissimulatio = neglegentia: IX, 80; 92; 100. rel. 3, 3. or. I, 22. — Plin. min. Heges. Veget. ICt. (Drks. § 2) Gloss. (Cf. Rö. p. 328. Ge. no. II. B.)

Fabricatio = actus fabricandi: IX, 17. or. II, 19 *quid prius mirer ignoro, ceteros ab usu fabricationis, te per te ipsum scisse qui*[1]) *conderes.* — Vitr. II, 1, 9. Tert. August. ICt. (Cf. Drks. et Ge. no. I.)

Frequentatio 1) = usus frequens: VIII, 23, 3 *freq. balnearum.* — Apul. August. (v. Ge. no. I. a.) — 2) = festinatio

---

[1]) Ita enim cum Baehrensio scribendum esse puto pro *quid conderes,* quod est in codice.

aedificandi: VI, 70 *frequentationem* (sc. domus) *soliditati conditor primus antetulit.* — Qui vocis usus ap. Ge. non affertur; cf. tamen no. II.

Functio: (cf. v. editio, pensio): 1) = actio, munus: rel. 14, 3 *suillae carnis functio.* 44, 2. 45. — Capit. Cod. Iustin. (v. Ge. no. II. a.) — 2) = tributum, vectigal: V, 87 *functiones publicae.* rel. 23, 2 . . . *quosdam functionibus absolutos sumptum debitum reipublicae non dedisse.* 28, 5 *annuae functiones.* — ICt. (Drks. § 2—3). Sidon. (cf. Ge. no. II. b.) — 3) saepius = sumptus pro ludis factus, ludus ipse. Hoc sensu Symm. voce aeque ac verbo „editio" saepe variandi causa utitur: II, 64, 1. IV, 58, 2; 60, 2. V, 20, 2; 65; 83. VII, 4; 8; 105, 1; 121. IX, 6; 12; 15, 1; 25, 1; 125; 126; 134; 141. rel. 8, 1. 30, 1.

Haesitatio = dubitatio: IX, 43, 1. — Cic. ep. III, 12, 2. Sen. Quint. Tac. Plin. min. Mart. Cap. Vulg. ICt. (Cf. Drks. Ge. no. II.)

Inquisitio (cf. v. investigatio) vi primaria: VI, 42 *inquis. equorum.* IX, 27. — Plaut. Curt. Val. Max. Apul. Solin. (v. Ge. no. I.) — Eo sensu, quem etiam ap. Cicer. adhibitum invenimus, vocabulum deprehenditur: IV, 20, 2; 70, 2. V, 54, 4; 66, 3; 76, 2. VI, 77, 2. VII, 18, 1. rel. 21, 3, 6. 33, 3. 34, 3.

Inscriptio = accusatio: rel. 49, 1. — ICt. (Cf. Drks. § 3 et Ge. no. I. B.)

Insinuatio (cf. v. suggestio): I, 87 *insin. actuum meorum.* IV, 67, 2. V, 43. IX, 16 *petitionem domestica insinuatione suggerere.* rel. 30, 3. 39, 5. 45 *gestorum insin.* or. II, 26 *stricta insin.* — ICt. (cf. Drks. Ge. no. II. B.). — Vocem non semper, ut putare videtur Ge., significare „indicium per litteras factum", apparet ex loco I, 87 *familiarior tabellarius non solum epistulam, sed insinuationem quoque actuum meorum tibi fideliter exhibebit.*

Instauratio (cf. v. restauratio): IV, 68, 3. VI, 32. IX, 136, 2 bis. — Eumen. Vulg. Veget. ICt. (Cf. Drks. et Ge. no. II.)

Instructio = institutio: VI, 74. IX, 10, 2. rel. 46, 1 *fides publicae instructionis.* — Arnob. V, 15. ICt. (Cf. Drks. Ant. Ge. no. II. 3.)

Locatio = pactio: IX, 6 *locationibus adscripta persolvere.* — Cic. ad Att. I, 17, 9. Liv. ICt. (Cf. Drks. Ge. no. II. b.)

Observatio = usus (cf. v. observantia): IV, 23, 1 *observ.*

quaedam me hucusque cohibebat. — Plin. mai. Quint. Suet. Gell. (v. Ge. no. II, C.)

Pensio = vectigal: V, 87. IX, 130. — Col. Mart. Iuven. Suet. ICt. (cf. Drks. Ge. no. II, A. 3.)

Perceptio = actus accipiendi: I, 102 *epistularum perc.* III, 41. VII, 41 *muneris perc.* VII, 78 *litterarum perc.* VII, 122, 2. IX, 130. — Capit. Ambros. ICt. (cf. Drks. § 2. Ge. no. I, a.)

Scriptio = actus scribendi, tum = epistula: I, 35; 82; 98. II, 5. III, 46. VII, 2; 5 *adsiduitas scriptionis.* IX, 5 *munus scriptionis.* — Cic. ad Att. X, 17, 2. Cod. Theod. (cf. Drks. Ge. no. I.) — Liceat mihi hoc loco afferre vocabula, quibus Symm. maxime variandi causa utitur praeter vocem „epistula". Sunt haec: „litterae, scriptum, scriptio, pagina, stilus, adfatus, oris munus, officium, adloquium, conloquium, vicissitudo, chartula".

†**Spectatio**: rel. I, 2 omnes codices sic scriptum exhibent: *Sed intellego, quanto plus sollicitudinis habeat magistratus, qui ex iudicio quam qui ex gratia venit; ille enim ut meritis datus spem sui debet aequare: iste ut per beneficium quaesitus a periculo spectationis alienus est.* Pro voce „spectationis" Gruterus aliis comprobantibus coniecit scribendum esse „praestationis". Seeckius facillima adhibita coniectura in textum posuit „expectationis". Sed non video cur vox „spectationis" ferri non possit. Nam quod vox alio loco Symmachiano non legitur, nihil refert. Significat autem vox idem ac vocabulum „examinatio". Eodem modo etiam v. „spectator" ap. Symm. sensu translato usurpatur. (cf. § 2.) Similis verbi „spectatio" usus iam deprehenditur ap. Cicer. Verr. III, 181. (cf. Ge. no. I, 2.)

Vindicatio = vindiciae: III, 25, 1 *amica vindic.* — Trai. in Plin. ep. X, 48. ICt. (cf. Drks. Ge. no. I.)

§ 5. De substantivis suffixo -ura derivatis.

Iam Stnk. (p. 27) ex eo, quod haec substantiva usurpantur imprimis de iis rebus, quae ad agricolarum et rusticorum negotia pertinent, coniecit, ea vulgari potissimum sermoni placuisse. Quod quam recte disputatum sit, intellegitur ex tabula horum substantivorum, quam Pauckerus (cf. Zeitschr. f. östr. Gymnas.

XXVI p. 891 sq.) accuratissime composuit. Nam ex 282 substantivis hoc suffixo conformatis tantum 27 ap. Cicer. inveniuntur; 10 ap. unum, 15 ap. primum Vitruvium deprehenduntur; 135 post Hadriani demum aetatem inveniuntur. Uno tantum loco exstant (ἅπαξ εἰρημένα) 33 apud veteres, 92 apud recentiores scriptores. Copiam horum verborum in sermone vulgari re vera maximam fuisse ex linguis Romanicis colligi potest (cf. Pauck. l. l. p. 896). — In plurimis horum substantivorum exemplis (203) iuxta formationem in -ura formatio in -io invenitur vel eodem vel alio adhibito sensu. (cf. Pauck. l. l. p. 898). — Symm. non multa vulgaria substantiva in -ura exeuntia exhibet; nam praeter usitata velut „coniectura, quaestura" etc. haec admisit, quae aut omnino aut aliqua ex parte sermoni cotidiano attribuerim:

Captura (cf. v. venatus § 3): VIII, 2 *capturae silvestris eventus*. — Sen. mai. (sed translate). Val. Max. saepius. Plin. mai. Suet. Tert. (v. Ge.)

Tritura: IV, 74, 2 *frugum trit.* — Varr. Verg. ge. Col. Pall. (v. Ge. no. II.)

Propter significationem ab usu bonorum auctorum recedentem commemoro haec:

Censura = severitas in iudicando: III, 81, 2 *exercere censuram in alqm.* — Vell. Plin. mai. ICt. (cf. Drks. § 1. Ge. no. II. A.)

Cultura = agricolendi exercitium: V, 78 *oculos pasco culturis, quas hiberna exercet operatio.* VI, 81 *neque ager cultura nitet.* — Varr. Hor. Col. Quint. ICt. (cf. Drks. Ge. no. I. 2.) — Ap. Cicer. tantum occurrit „agri" vel „vitis cultura", ita ut unum fere vocabulum efficiatur.

§ 6. De substantivis in -tas desinentibus.

Tabulam horum substantivorum generalem exhibet Pauckerus (cf. Zeitschr. f. vergl. Sprachforschg. XXIII p. 138 sq.). Apparet inde (cf. Pauck. l. l. p. 151), exstare 889 talia substantiva. (Vocem „inermitas", quae in tabula desideratur, adnumeravi.) Quorum substantivorum sunt vetera 377, recentiora (post Hadriani aetatem) 512. Ap. Cicer. et Caes. 250 deprehenduntur; attamen ex his 10 omnino (velut „admirabilitas, graviditas, illiberalitas" alia) 25, ante Hadriani aetatem non denuo usurpantur, ita ut

tantum 215 i. e. pars quarta omnium bonae prosae orationi attribuenda sint. Sed etiam de his certe nonnulla detrahenda sunt, quae non nisi in Ciceronis vel prioribus vel posterioribus libris leguntur, aut quibus Cicero in solis epistulis usus est (cf. Stin. p. 8). Dolendum est, quod Pauckerus in tabulis suis hanc differentiam numquam distinxit. Utcunque res se habet, apparet, substantiva in -tas in sermone vulgari usitatissima fuisse et in ea inquirendum esse, cum de sermonis vulgaris vestigiis apud aliquem scriptorem occurrentibus disputatur. — Quamvis ap. Symm. non multa nova horum substantivorum inveniantur ut ap. Tert. qui 51 primus, ap. Apul. qui 22 primus, ap. August. qui 26 primus exhibet, tamen numerus eorum, quae sermoni vulgari attribuenda sunt, non parvus est.

Adfabilitas: VII, 59 *oris adfab.* — Cic. semel, de off. II, 48. Petron. Arnob. Cassian. Ambros. (v. Ge.).

Amabilitas: I, 94. Tituli fere locum vox usurpavit in epistulis nonnullis ad filium datis: VII, 3; 4; 5; 6; 11. — Quamvis vox, quantum nunc diiudicari potest, praeterea ap. unum Plautum (Stich. V, 4, 58. Poen. V, 4, 1) exstet, non crediderim, Symmachum vocabulum ex comicorum lectione repetivisse, cum eo pro titulo utatur.

Animositas = animus, studium: IX, 134; 151 *propria me impellit animositas.* — Amm. Sidon. Nov. Val. III (Drks.). Alia vi (= ira) ap. Cypr. Macr. Vulg. (cf. Rö. p. 305. Ant. Ge.)

Autumnitas: III, 23 *autumnitate defrui.* — Cato, Varr. Sat. Men. Min. Fel. Arnob. (v. Ge.)

†**Congruitas**: IX, 49 *cuius rei impetrationem facilem fore personarum promittit aequatio et honestate et possibilitate congruitas.* Ita enim ex codicibus F[1 2] recte in textum recepit Seeckius pro *congruitis* quod est in *ΠΓ* F.[3] — Vox praeterea ap. unum Priscianum (sensu grammatico) exstare videtur.

Curiositas: IV, 30, 2 *litterata curiosit.* — Cic. ad Att. II, 12, 2. Tert. Apul. Scriptt. hist. Aug. Vulg. August. Macr. ICt. (cf. Drks. et Ge.)

Enormitas: rel. 29, 1 *auri enorm.* — Sen. Quint. (alia vi.) Spart. Capit. (cf. Pauck. I p. 98.) Veget. ICt. (Drks.) Salv. (v. Ge.)

Eximietas tituli loco: III, 3, 2 *certe illud spondeo, multa eximietatem tuam coram in eo reperire posse, quae tacui, nulla*

ex his desideraturam[1] *esse, quae scripsi.* VII, 62. VIII, 64. IX, 24 *eximietatis tuae homines.* — Ambros. August. (v. Ge.)

Fraternitas tituli loco: IV, 21, 2 *fratern. tua.* — Tac. Ann. Quint. decl. Lact. Vulg. ICt. (cf. Drks. et Ge.)

Generalitas: II, 91, 1 *praefata gener.* VI, 13 *salutationis religiosa gener.* IX, 40. — Donat. Hilar. Serv. ICt. (cf. Drks. Ant. Ge.)

Generositas: V, 8 *generos. tua.* V, 55 *singularis gener. tua.* Itaque vox ap. Symm. tituli fere locum explet. — Plin. mai. saepius. ICt. (cf. Drks. et Ge.)

Genialitas: IV, 27, 2 *mensae gen.* (cf. locutionem *indulgere genio:* II, 47) — Amm. XXX, 1, 22 (*hostilis mensae genial.*). Non recte igitur Pauckerus l. l. p. 143 addita littera s significat, vocem ap. unum Ammianum inveniri. (v. Ge.)

Inaequalitas = morbus (cf. v. aegritudo §. 7): VII, 12 *inaequalitatis tuae nuntius.* — Ambros. Cael. Aur. Alio sensu ap. Varr. Col. Plin. mai. Quint. Gell. Firm. Mat. (Dress. p. 22) ICt. (cf. Drks. et Ge.)

****Inermitas**: Or. II, 17 *inerm. conpulit breve spatium postulari.* — Vox ap. Ge. et Paucker. non affertur.

Laudabilitas pro titulo: IX, 27 *laudab. tua.* — Not. Vatic. Iul. ap. August. ICt. (cf. Drks. et Ge.)

Magnanimitas: IV, 31 *peractis super omnium magnanimitatem consularibus festis.* — Cic. semel, off. I, 152 fortasse ex conversione graecae vocis *μεγαλοψυχία.* Sen. ep. Plin. mai. et min. Flor. Lampr. Amm. Macr. Nov. Val. III (cf. Drks. Ant. Ge.)

Opimitas: VIII, 19, 1 *opim. segetis.* — Plaut. Tert. Vulg. Amm. (cf. Ge. Rö. p. 52.)

Placabilitas tituli loco: I, 19 *placab. tua.* — Cic. off. I, 88. Hier. Salv. (v. Ge.)

---

[1]) Codex P scriptum exhibet: *certe ill. spondeo, multa exim. tuam coram in eo reperire te posse, q. tac. nulla ex his desideraturum esse, q. scr.* et ita Seëckius edidit, non recte ut mihi videtur. Nam infinitivus „desideraturum esse", quippe qui ad „eximietatem tuam" referendus sit, vix tolerari potest. Apparet, scribendum esse „desideraturam esse". Hoc iam recte vidit Clason l. l. p. 20. Sed ut aliis locis etiam hic Seeckius sententiam a Clasone prolatam plane neglexit.

Placiditas = lenitas: VIII, 65 *plac. civium.* or. VII, 4. — Varr. (cf. Stnk. p. 29) Gell. Lact. Heges. (alio sensu) Ambros. Amm. Cassian. (cf. Ge. et Ant.)

Possibilitas: VI, 4 *subscribendi possib.* IX, 49 *honestate et possibilitate* (= possessione) *congruitas.* — Arnob. Pall. Heges. Ambros. Vulg. ICt. (Drks.) Cael. Aurel. Sidon. (cf. Rö. p. 53).

Prolixitas = longitudo: I, 50, 2 *prol. querelae nostrae.* II, 8. III, 57. — Apul. Arnob. Edict. Diocl. August. ICt. saepius (Drks.) Sidon. (cf. Ge. Rö. p. 54.)

Puritas = integritas: III, 29. rel. 3, 12 *aerarii pur.* — Arnob. Capitol. Pall. Vulg. Macr. Hieron. ICt. (cf. Drks. Ge. Ant.)

Quantitas: II, 57, 2 *quant. postulatae rei.* — Vitr. Plin. mai. et min. Quint. Apul. Ps. Apul. ICt. (Drks.) Mart. Cap. (cf. Ge. et Ant.)

Rusticitas: VIII, 42, 2 *nostra rust.* — Ov. Sen. Calpurn. Quint. Plin. min. Suet. Scriptt. hist. Aug. Pall. ICt. (cf. Drks. et Ge.)

†**Seritas**: III, 28 in omnibus codicibus traditum est: *Desine igitur animum nostrum epistularum severitate* (*P: severitatem*) *mereri.* Quam lectionem perversam esse patet, sed quomodo locus sanandus sit, minime constat. Gruterus proposuerat legendum esse *desine an. nostr. epist. seritate metiri.* Hanc coniecturam a Scioppio probatam, a Pareo et Wingendorpio receptam laudavit Hauptius (cf. Herm. III, 149 = op. III, 402). Quae lectio, quamvis bonum praebeat sensum, (cum antecedant verba *quod tibi sermo noster sero traditur*) ex eo laborat, quod vox „seritas" omnino non nisi in glossis occurit. (cf. Haupt. l. l.) Ego quidem dubitaverim, hoc vocabulum Symmachi epistulis coniectura inserere, praesertim cum Symm. saepius voce „tarditas" utatur, quae etiam nostro loco exspectanda esset. Certe ap. Ge. qui s. v. „seritas" hunc locum Symmachianum affert, addendum erat, vocabulum coniectura esse inventum. Seeckius novissime edidit *severitate metiri* quod iam exhibent Scioppius et Iuretus.[2] Attamen ita scribi non posse apparet; nam, ut iam Clason p. 34 recte animadvertit, ad Symmachi epistulas necessario severitas illa referenda esset, cum ex initio epistulae pateat, eam potius ad Mariniani epistulam referendam esse. Sed ne Seeckius quidem hanc coniecturam recte sese habere putare

videtur, cum in notis criticis ipse novam proferat coniecturam. Proponit autem Seeckius scribendum esse *ep. sedulitate metiri.* Quae coniectura eodem loco habenda est ac facilior coniectura Lectii (quam Seeckius ne affert quidem in adnotatione) scribentis: *ep. celeritate metiri.* Nam duae voces et „celeritas" et „sedulitas" hoc loco ut ita dicam „relative" intellegendae essent, cum revera non de „celeritate" sed de „tarditate" epistularum, non de „sedulitate" sed de „segnitia" in scribendo agatur. Quae cum ita sint, mihi hae coniecturae non probantur. — Affert deinde Seeckius coniecturam Mommseni proponentis ... *ep. raritate metiri.* Bonus ita evadit sensus et coniectura aliis locis Symmachianis fulciri videtur. (cf. V, 89. VIII, 11; 32. IX, 92; 101). Sed animo est tenendum, etiam Mommseni coniectura duo vocabula immutari: „severitate" et „mereri.„ Praeferenda autem sine dubio est ea coniectura, qua una tantum vox immutatur. Hoc usu venit in coniectura Clasonis, qui (cf. p. 34) coniecit restituendum esse: *des. ig. anim. nostr. epist. severitate mordere.* Verbum „mordere" Symm. admodum adamavit et praecipue locutio „animum mordere" saepius occurrit in epistulis (cf. I, 65. II, 76. III, 1; 88. V, 42; 44 *dissimulati officii obiurgatione morderis in epistula blandiore.* VI, 51. VIII, 6 *gratae quidem semper tuae litterae nunc legentis animum momorderunt.* VIII, 70. IX, 31; 72; 117. cf. et. III, 17). — Recipiendam igitur puto hanc Clasonis coniecturam.

Simplicitas: II, 12, 2. V, 28; 85, 1. VII, 123 *Romana simplic.* IX, 25, 2. — Lucr. Ov. Liv. Vell. Val. Max. Mart. Plin. mai. Scriptt. hist. Aug. (cf. Pauck. I, p. 10*) Ambros. ICt. saepius (Drks.) Prisc. (Cf. Ge.)

Sinceritas: II, 85. III, 80 *animorum fida sincer.* IX, 92 *amicitiae sincer.* — Val. Max. Sen. Plin. mai. Gell. Pall. Val. ap. Vop. (cf. Pauck. I, p. 10*) ICt. (Cf. Drks. et Ge.)

Sospitas = salus: I, 91. III, 71 *indicium sospitatis.* V, 8; 61. VII, 101; 118. — Chalcid. Vulg. Amm. Macr. Hieron. ICt. (Drks.) Sidon. Eugipp. (Cf. Rö. p. 53. et Ge.)

Sublimitas: sensu proprio: or. II, 20 *stat mediae arcis aurata sublim.* — Translate: II, 34, 2 *subl. ingenii tui.* IX, 91. — Deinde tituli loco: IV, 8, 3 *eminentissima et semper mihi reverenda sublim. tua.* IV, 12, 3 *praeclara sublim. tua.* IV, 42, 2

iuret alios sublimitatis titulo adtolli. IX, 66. — Col. Plin. mai. Quint. Cypr. Porphyr. ICt. (Drks.) Salv. (v. Ge.)

Suburbanitas: II, 22, 1 *intuta est latrociniis suburb.* III, 13, 2 *Spoletum suburb. nostra est.* VII, 39. — Cic. semel, Verr. II, 7. Exstat vox praeterea ap. Sidon. fortasse ex Symmachi imitatione, quae ap. Sidon. saepius statuenda est. (v. Ge.)

. **Unanimitas** pro titulo familiari: I, 16, 1 *unanimitas tua.* I, 34, 2. II, 72 *praeclara unan. tua.* V, 49 *eximia unan. tua.* VI, 2 *sancta unan. vestra.* VI, 5; 6, 1; 7, 1; 10; 12, 3; 19; 23; 24; 27; 38, 1; 44; 46; 60. VII, 123. — Pacuv. tr. 109. Liv. (Cf. Ant. s. v. „unanimis".)

†**Validitas**: IX, 10, 2 tradita lectio est: *postulant capitulani taxationem tironis ab hominibus meis nulla super hoc publicae utilitatis monumenta promentes* (ita bene Lypsius restituit pro „promittis" vel „promittentes"). Juretus et Seeckius recte viderunt, illud „utilitatis" tolerari non posse. Non enim de monumentis publicae utilitatis sed publicae auctoritatis agitur. Itaque Seeckius facili adhibita mutatione coniecit scribendum esse „publ. validitatis." Attamen quamvis hoc vocabulum ap. Apul. Heges. Ambros. legatur, mihi persuadere non possum, ita scripsisse Symmachum, cum apud eum alio loco vox non inveniatur et, quod maioris est momenti, apud iurisconsultos, quibus saepius de publica auctoritate verba facienda erant, quantum video, vocabulum numquam usurpetur. Dicunt autem illi „vigor publicus" (cf. Drks. et Symm. I, 68; IV, 68, 1) vel „auctoritas publica" (cf. Drks. et Symm. IX, 48 *ni publica succurrat auctoritas* rel. 5, 1). Quae cum ita sint, puto etiam IX, 10, 2 cum Iureto legendum esse *nulla sup. h. publicae auctoritatis monumenta promentes.*

Verbositas = loquacitas (quo vocabulo Symm. saepius utitur): VIII, 48 *vitium senile verbos.* — Interpr. Iren. Prud. August. ICt. (Cf. Drks. et Ge.)

Propter significationem inusitatam addo haec:

Aeternitas pro titulo imperatoris saepissime usurpatur: rel. 2, 2. 3, 3. 7. 5. 3. 6, 1. 8. 4. 10, 1. 14, 3. 18, 2. 21, 7. 23, 1, 15. 23, 1, 2. 3. 26, 6 etc. — ICt. (Drks. § 3) Leo ep. (Cf. Ge. no. II. c. et Chr. Schöner, über die Titulaturen der röm. Kaiser in actis semin. phil. Erlangens. II p. 496 s.)

Antiquitas = cura: I, 28 *pro mutua diligentia et antiquitate amicitiae nostrae.* I, 79. III, 73. VI, 3 *perficiendae coniunctionis antiq.* IX, 118. — Sall. hist. fr. 1, 14. Fortasse Symm. hunc usum ex lectione Sallustii repetivit. De aliis apertis imitationibus Sallustianis in Symmachi epistulis cf. Fr. Vogel in actis sem. phil. Erlangens. II p. 411 s. Apud alium scriptorem hic vocis usus non exstare videtur. (v. Ge. no. I.)

Auctoritas: VII, 96, 3 tituli loco habetur: *praestans auctorit. tua.* — ICt. (Cf. Drks. § 6.)

Brevitas = parvitas: VIII, 2 *brev. ferae.* — Lucr. Caes. perraro. Vitr. Plin. mai. (v. Ge. no. I. b.)

Exilitas = parvitas: VI, 80 *oblationis exil.* IX, 110, 1 *mei ingenii exil.* — Plin. mai. — De usu Ciceroniano cf. Ge.

Inbecillitas = morbus (cf. v. aegritudo): II, 49. IV, 56, 1 *mea per hos dies inbec.* VI, 59, 1 *stomachi tui inbec.* — Quint. Suet. (v. Ge. no. I. 2). — Sed iam ap. Cicer. in familiari dicendi genere huius usus vestigia inveniuntur. cf. Att. XI, 6. XII, 26. Fam. VII, 1.

Infirmitas = morbus (cf. v. aegritudo) VI, 32 *nepticulae meae infirm.* VII, 83. — Plin. min. Suet. Iustin. Vulg. ICt. (Drks. § 2) Inscr. Fulgent. (Cf. Ge. no. I. 2. Antib. Wlffl. II p. 390.)

Perennitas pro titulo honorario principis: rel. 6, 2. 13, 3. 18, 2. 20, 1. 21, 3, 6. 23, 3, 11. 24, 1. 25, 4. 28, 11. 32, 4 etc. — Sex. Ruf. Veget. ICt. (Cf. Drks. § 2. Ge. no. b. Schöner l. l. p. 497.)

Proprietas = ius possessionis: rel. 28, 8 *haec cum ad proprietatis causam dicerem pertinere.* — Suet. Iustin. ICt. (Drks.) (Cf. Ge. no. II et Ant.). Usitato sensu vox adhibetur I, 89 (*propr. verborum.*)

Sanctitas pro titulo familiari tantum in epistulis ad Nicomachum Flav. datis: VI, 9; 12; 19; 30; 35; 37; 38; 39; 41; 42; 52. — Itaque Ge. no. II. c. non recte docet, titulum solis episcopis tribui (ap. Hier. August.) In Cod. Theod. XVI, 14, 4 senatui tribuitur (cf. Drks. § 3). Etiam imperatoribus hic titulus attributus est a Plin. pan. 3, 19, 63. (Cf. Schöner p. 499.)

Serenitas: II, 8 *quid in aeterno principe serenitatis inveneris.* — Deinde pro titulo imperatorio duobus locis: rel. 8, 3. 24, 3 *serenit. vestra.* — Capit. Veget. Cod. Iust. (Drks.) Inscrr. (Cf. Schöner p. 498. Ge. no. II.)

Soliditas 1) = firmitas: II, 87 *ad soliditatem transscriptae in novum dominum possessionis.* VI, 70 *frequentationem soliditati conditor primus antetulit.* — Vitr. (cf. Ge. no. I. c.) ICt. (cf. Drks. § 3) — 2) = universitas: IV, 35 *licet singulis vobis solid. mei amoris accesserit.* — Ambros. ICt. (cf. Drks. § 2. Ge. no. II.)

Tranquillitas vox pro titulo imperatoris raro adhibita: rel. 33, 2 *tranquillitatis vestrae delegatio.* — Eutr. Ambros. Veget. Faust. et Marc. lib. prec. ICt. (cf. Schöner p. 994. Drks. § 2. Ge. no. II. 3.)

§ 7. De substantivis suffixo -tudo (-edo) formatis.

Pauckerus (cf. Zeitschr. f. vergl. Sprachforschg. XXIII p. 159) bene animadvertit, saepius iuxta substantiva in -tas desinentia inveniri substantiva ab una eademque stirpe suffixo -tudo vel -edo derivata, quae per se eandem habeant significationem. Est autem forma in -tudo antiquior, quae saepe in sermone vulgari servata est, cum apud bonos auctores forma in -tas inveniatur. Iam Corssen (Beitrr. p. 524) et Guer. p. 30 s. demonstraverunt poetas comicos formam in -tudo praecipue adamasse. — Inveniuntur praeterea in sermone vulgari substantiva in -tudo desinentia, quibus substantiva in -tas exeuntia non opponi possunt. — Apud Symmachum has inveni formas vulgares:

Amaritudo: II, 18, 1. IV, 71, 1 *amar. querimoniae.* VI, 65, 1. VII, 38, 1; 78 *amar. lectionis.* VII, 100. VIII, 70 *rerum tuarum amar.* — Quamvis vox „amaritudo" saepius usurpetur quam vox „amaritas", apud bonos auctores non legitur. Exstat ap. Varr. (cf. Stnk. p. 31). Sen. mai. Val. Max. Plin. mai. et min. Quint. Iustin. Lact. Apul. Lamprid. (cf. Pauck. I p. 10*) Ambros. Vulg. August. vario adhibito sensu. (cf. Ge.)

Beatitudo: I, 40 *saeculi beat.* — Cicero vocem uno loco eadem vi ac vocem „beatitas" exhibet, de nat. deor. I, 95. Petron. Apul. Ambros. ICt. (Drks.) Sidon. (cf. Ge. et Ant.)

Celsitudo pro titulo in duabus prioribus litteris Symmachianis admittitur: II, 44. X, 1, 1. *celsit. tua.* — Cod. Theod. (cf. Drks.) — Alia significatione ap. Vell. Auct. itin. Alex. Amm. August. (v. Ge.)

Desuetudo: I, 59 *iners desuet.* Or. II, 29. — Liv. I, 19, 2. Ov. Fronto. Sulp. Sev. ICt. (cf. Drks. Ge. Ant.)

Hilaritudo: III. 75. — Cum vox, quae ap. Plautum ter legitur (cf. Schmil. p. 32), apud alios scriptores non exstare videatur, non dubito, quin Symmachus vocem ex comicorum lectione sibi assumpserit.

Inquietudo = molestia: I, 79. — Ambros. ICt. (Drks. § 1); alio sensu in sermone medicorum ap. Solin. Marc. Emp. Cael. Aurel. (cf. Ge.)

Intercapedo = intervallum: VI, 47 *intercap. dolorum* VII, 131 *conloquii interc.* IX, 35. — Cic. fin. I. 18; numquam in oratt. Cic. fil. in Cic. epp. Plin. min. Suet. August. ICt. (v. Drks. et Ge.) (cf. Quint. VIII, 3, 46. Cic. Fam. IX, 22, 4.)

Maestitudo = maestitia: VI, 34. IX, 68. — Plaut. (cf. Schmil. p. 32) Acc. Postea ap. Pall. Heges. Ambros. Sulp. Sev. Cael. Aurel. August. Leon. fortasse ex priscorum scriptorum imitatione. (cf. Rö. p. 68 et Ge.) — Vocem „maestitas", quam Guer. p. 30 vocabulo „maestitudo" respondere dicit, nusquam inveni.

Plenitudo: II, 38 *rerum plenit.* V, 37 *officii plen.* IX, 81 *ad plenitudinem prosperorum.* — Corn. rhet. IV, 20, 28. Col. Plin. mai. Tert. Solin. Cypr. Lact. Veget. Vulg. (cf. Thlm. I p. 93 et Ge.) — Vox „plenitas" ap. unum Vitruvium legitur.

Teneritudo: or. III, 6 *tener. primaeva.* — Varr. Suet. Vulg. (cf. Rö. p. 67) Cael. Aurel. — Vox „teneritas" ap. Cicer. occurrit.

Tristitudo = tristitia: III, 21. — Apul. met. III, 11, apol. 32. Fragm. Vat. Sidon. (cf. Drks. Ant. s. v. tristimonia.)

Rarioris usus sunt haec:

Aegritudo = morbus: I, 100, 2. III, 11, 4; 56; 86, 1 *impedito per aegritudinem visu.* VI, 4; 16; 17 *reliquiae longae aegritudinis.* VIII, 18 *pedum aegr.* 47; 58. — Col. Mela. Plin. mai. Tac. Flor. Apul. Solin. Arnob. Capit. Spart. Eutr. August. (cf. Ge. no. I. Ant. Pauck. I p. 92.) — Putaverit quispiam, vocem „morbus" apud Symmachum non iam usurpari, cum tot vocabula eandem rem significantia apud eum deprehendantur. (cf. Wlffl. II p. 386 sq. Thlm. III p. 32). Sed vox „morbus" viginti fere locis occurrit. Praeter ea vocabula, quae iam tractavi: „inaequalitas, inbecillitas, infirmitas" Symmachus octo locis utitur voce „dolor", uno loco I, 100, 1 voce „vitium", uno loco VI, 64

vocabulo „causa“, saepius verbo „valetudo“ appositis adiectivis „mala, saucia, misera, infirma, adversa.“

Gravedo: VI, 41 *grav. capitis*. — Plin. mai. Apul. Fulgent. (v. Ge. no. II. A. a). — IV, 18 (*nautam sequitur grav.*) vocem eo sensu, quo ap. Cicer. Att. X, 16. XVI, 11 adhibitam invenimus, usurpatam esse conicio.

Mansuetudo vox pro titulo imperatoris raro adhibita: rel. 13, 2. 29, 2. 34, 2, 8. 36, 3. — Eutr. praef. ad Valent. imper. Cod. Theod. (cf. Drks. Ge. no. II. b.)

Necessitudines = propinqui: II, 23; 32, 2 *adsunt etiam ceterae venerabiles necessitudines tuae*. II, 81, 1; 85. III, 75. V, 66. rel. 34, 10 *me ac necessitudines meas*. — Curt. Tac. Plin. min. Suet. Eutr. Amm. ICt. (cf. Drks. § 3. Ge. no. II. 3.)

§ 8. De substantivis in -itia et -ia exeuntibus.

Substantiva hoc suffixo formata in vulgari dicendi usu saepius admittuntur pro usitatis formis in -tas, -tio etc. Praeterea posteriore aetate multa nova imprimis a participio praesentis activi derivata ex vulgari sermone in scriptorum dicendi usum recepta sunt. Tabulam eorum substantivorum, quae posteriore aetate conformata sunt, exhibet Pauck. I p. 11* in adnot. Ex Symmachianis exemplis huc pertinent:

Coniventia = indulgentia: VI, 49, 2 *per coniventiam*. — Donat. Ps. Ascon. Capitol. Lamprid. Ambros. August. ICt. (Drks.) Schol. Iuven. (cf. Rö. p. 51. Ant. Ge.)

****Convalescentia**: III, 11, 4 *iam — modo mihi venia dicti sit — convalescentiae portus aperitur*. — Iam id, quod Symmachus addit verba *venia dicti sit*, quamvis non ad unum illud vocabulum „conval.“ sed ad totam elocutionem pertinere videantur, indicat, Symmachum hoc loco sibi indulsisse. Ac re vera vox „convalescentia“, quantum nunc diiudicari potest, ab alio scriptore non usurpatur. Itaque verisimile est, Symmachum vocem ipsum formasse. (cf. Ant. s. v. „convalescere.“)

Efficacia = efficacitas: VI, 19 *voti effic*. — Plin. mai. Lact. Amm. Cod. Theod. (cf. Drks. Ge. Ant.)

Flagrantia: I, 5, 1 *aestiva flagr*. IX, 83 *flagr. torridae aestatis*. — Eodem sensu ap. Gell. (cf. Vog. p. 4) Apul. Solin.

Arnob. Ambros. Macrob. alia vi ap. Plaut. (Schmil. p. 31) Cicer. semel, Prud. August. (cf. Ge. Rö. p. 51).

Haesitantia = haesitatio, cunctatio: IX, 88 *remota est causa haesitantiae.* — Cicero vocabulum uno loco, Phil. III, 16 adhibuit. In posterioribus scriptis Ciceronianis imprimis in orationibus Philippicis non minus quam in prioribus libris saepius vulgaria inveniri recte monuerunt Hllm. p. 5. Ldgr. I p. 33.

Honorificentia = honor (cf. v. munificentia): II, 91, 1. III, 40 = VIII, 50 *honorif. scriptionis.* III, 60. IV, 50. V, 81. VII, 34; 72. IX, 8; 140: *honorif. salutationis* (cf. *honor salutationis:* III, 76. VI, 23. VIII, 67. IX, 15.) III, 80 *honorif. sermonis* (cf. I, 42, 1 *honor sermonis*). IV, 15, 2. VI, 31; 35, 1 *evocationis honorif.* VI, 36, 1. VII, 28 *honorif. litterarum* (cf. IX, 87 *honor litterarum*). VII, 76. VIII, 35. IX, 63 *honorif. stili* (cf. V, 92. IX, 94 *honor stili*). VIII, 53 *honorif. scriptorum.* IX, 104. rel. 43, 1. — Scriptt. hist. Aug. Vulg. Heges. Ambros. Cod. Theod. (Drks.) Vict. Vit. Ennod. Gloss. (cf. Rö. p. 50. Ant. Ge.)

Iactantia = iactatio, ostentatio: in prioribus scriptis: I, 1, 6 *iactant. avara laudis.* I, 16, 2; 31, 3 *iactantiae fugax.* X, 1, 1 *naevus iactantiae.* or. II, 25. — Quint. Tac. Plin. min. Iul. Val. Itin. Alex. Lamprid. August. Cod. Theod. (cf. Drks. et Ge.)

Munificentia = liberalitas, largitio: II, 46, 2 *munif. principis.* III, 46 *munif. scriptorum.* IV, 60, 2. V, 59. VII, 59 *leopardorum munif.* rel. 3, 18. 7, 1. 9, 5 *imperialis munificentiae munera.* 13, 2. — Vox ap. Cicer. uno loco, Scaur. 47 legitur (cf. Merg.). Exstat ap. Sall. ICt. alios (cf. Drks. Ge.)

†**Noscentia**: VI, 32 in P prima manu scriptum invenimus *si . . . innocentiam meam placitura pertuleris;* quae secunda manus sic correxit: *si in notitiam meam* etc. Iuretus qui in codice suo sine dubio eandem lectionem invenit, quae in codice P a prima manu scripta est, coniecit legendum esse: *si in noscentiam meam pl. pert.* Quam coniecturam Seeckius in textum recepit. Vox „noscentia“, etsi non negaverim, recte eam esse formatam, neque alio loco Symmachiano neque si unum Mar. Victorin. omittis (cf. Forcellini lexic. tot. latinit.) apud alium scriptorem occurrit. Symmachus semper utitur voce „notitia.“ (cf. III, 67 = V, 48 = rel. 24, 3: *ad notitiam pervenire.* IV, 9 *in notitiam deferre.* V, 23. VI, 6, 1. VII, 10; 43; 92. IX, 29 A

notitiae pandere. or. II, 6 et imprimis unam eandemque locutionem *in notitiam perferre:* VII, 13. IX, 152). Quae cum ita sint, mihi persuadere non possum, hoc uno loco vocem a Symmachi apparatu vocabulorum alienam per coniecturam in textum recipiendam esse. Mea quidem sententia acquiescendum est in ea coniectura, quam in P manu secunda prolatam invenimus.

Opulentia = copia: I, 43, 2. II, 57, 2. VI, 71 *utriusque elementi* (sc. terrae ac maris) *opul.* rel. 8, 2. 15, 2. — Plaut. Capt. 490. Sall. Plin. mai. Gell. Arnob. August. Cod. Theod. (cf. Drks. Ge.)

Valentia = vis: VIII, 31 *val. corporis.* — Naev. tr. 3. Titin. com. 127. Tert. bibl. saepius. (cf. Rö. p. 51) Macr. Boet. (cf. Ge.)

Aliqua ex parte sermoni cotidiano attribuenda sunt haec:

Audientia = cognitio: IX, 138; 150, 3 rel. 3, 1 *divi principis audient.* 23, 13. 25, 3. — ICt. saepius (cf. Drks. § 2. Ge. no. II. c.)

Diligentia = amor: I, 28; 37, 1; 41. II, 90. III, 25, 1; 53. IV, 24, 2; 28, 2 *mutua dilig.* IV, 65. V, 53 *vetus dilig.* VII, 32. VIII, 42. IX, 2; 76; 146, 2. — (Cf. Ge. no. II.)

Excellentia pro titulo honorario: IV, 9 *sublimis excell. tua.* V, 46. X, 1, 2. — ICt. saepius. (cf. Drks.) Ap. Ge. hunc vocis usum non allatum inveni.

Magnificentia tituli loco: II, 91, 1 *magnif. tua* IV, 9 [1]; 14; 42, 2. Cf. IV, 59, 2; 60, 3. VII, 4 ubi vox non tituli loco sed pro vocabulo „munificentia" usurpatur. — Cod. Theod. (cf. Drks.)

Nequitia = vitium: X, 2 *flandae monetae nequit.* — Plin. mai. XIV, 125. (Cf. Ge. no. I. c.)

Observantia 1) = usus (cf. v. observatio): VII, 60 *prisca observ.* VIII, 56; 63 *observ. prisci moris.* IX, 63. — 2) = obsequium: rel. 27, 1 *observantiam inpendo decretis.* — Val. Max. ICt. (cf. Drks. Ant. Ge. no. II. B.)

§ 8. De substantivis in -ela et -monia desinentibus.

Rebl. p. 23 s. recte docuit, substantiva suffixo -ela derivata a priscis scriptoribus et deinde in sermone vulgari admodum

[1]) In hac brevi epistula Symm. variandi causa his utitur titulis: *sublimis excellentia tua — culmen tuum — magnificentia tua — censura tua — magnitudo tua.*

adamata fuisse. Apud Symmachum praeter usitatam vocem „tutela" haec duo inveni:

Cautela = cautio: IV, 15, 1 *circumspecta caut.* VI, 69. VII, 48 *morosior caut.* — Plaut. mil. gl. versu spurio 601. — Min. Fel. Apul. ICt. (cf. Drks. Ge. Ant.)

Sutelae = dolosae astutiae: V, 54, 3. VI, 74 *sutelae veterum formularum.* — Plaut. (cf. Schmil. p. 32. Brix ad Capt. v. 689). Cod. Theod. VIII, 1, 7. (cf. Rö. p. 47). — Numerus singularis vocis non videtur in usu fuisse.

Vocabula in -monia (vel -monium) exeuntia, ad quae tractanda nunc transeo, apud antiquos comoediarum scriptores et omnino in sermone vulgari frequentia fuisse recte monuerunt Rebl. p. 23, Guer. p. 31, Ldgr. II, p. 319. Exempla praeterea collegerunt Rö. p. 28 et 30 et novissime Pauckerus (cf. Materialien z. lat. Wörterbildgs. gesch; II, Adiectiva auf -orius p. 4 adn. 3). — De vocibus Symmachianis in -monia exeuntibus hic commemorandae sunt:

Acrimonia = acerbitas, severitas rel. 49, 4 *acrim. severi iuris.* — Eodem sensu ap. Naev. com. 38. Corn. rhet. (cf. Hllm. p. 24 s.) Capit. (cf. Pauck. I p. 114.) Cod. Theod. (Drks.); alia vi ap. Caton. Corn. rhet. Cicer. bis, Col. Plin. mai. Min. Fel. Arnob. August. (cf. Ge. et Ant.)

Alimonia = alimenta, victus: V, 35. VI, 14, 2; 26, 1. VII, 38, 2. rel. 9, 7. 18, 1. 40, 2, 4. — Varr. Sat. Men. 260. Suet. Apul. Gell. (cf. Vog. p. 9) Tert. Arnob. Lact. Vopisc. (cf. Pauck. I p. 114) Veget. Prud. Vulg. Macr. ICt. saepius. (cf. Drks. Rö. p. 28; Ge. Ant.)

Parsimonia: Quamvis vox omnino non abhorreat a bono dicendi usu, tamen duabus adhibitis significationibus eam sermoni cotidiano attribuendam esse censuerim. 1) = inedia: V, 67 *necessitas parsimoniae.* — Prud. 2) = pecunia moderatione comparata („Ersparnisse") rel. 20, 2 *ex argentiariorum parsimonia.* — Plaut. Trin. 1028. (cf. Ge.)

§ 10. De substantivis in -men vel -mentum exeuntibus.

Accurate de his substantivis disputavit Pauck. I p. 13* s. in adnot. gener. Ex tabula p. 14* composita apparet, quantopere

haec vocabula imprimis posteriore linguae latinae aetate in usu fuerint. Num Stnk. p. 33 suo iure praeceperit, harum formarum longiores minus recedere ab optimo usu dicendi quam breviores, nunc nondum diiudicaverim. Certe saepe duae formae et longior et brevior sermoni vulgari adiudicandae sunt. (cf. levamen et levamentum, libamen et libamentum etc.). Rectius est id, quod observavit Ott (cf. annal. philol. CIX, p. 780 s.), quamvis eius observatio latius amplificanda sit. Putat enim, apud Africanos scriptores substantiva in -mentum saepe non instrumentum aliquod significare sed plane pro substantivis verbalibus in -tio usurpari. Idem praedicandum est de substantivis in -men, quae eodem modo ac substantiva in -mentum non solum apud Africanos scriptores (cf. Sttl. p. 140) sed omnino in sermone vulgari saepius in locum substantivorum in -tio successerunt. (cf. verba: „levamen, libamen, luctamen, moderamen, munimen, praefamen; hortamentum, incitamentum, temptamentum"). Itaque Sttl. p. 142 recte dubitat, hunc usum solis scriptoribus Africanis attribuere. Explicanda autem res est sine dubio eo, quod, qui sermonem vulgarem adhibebant, libenter formis plenioribus et longioribus utebantur. Rem ipsam iam recte animadvertit Pauck. I p. 12* s. adnot. 16, ubi nonnulla huius usus exempla allata sunt.

Levamen = levatio (cf. v. levamentum): I, 54. II, 17, 2. IV, 59, 1 *lev. desiderii.* V, 62. VII, 17; 70; 126; 130 *sollicitudinis lev.* IX, 58; 136, 2. rel. 23, 1. — Catull. Cicer. Att. XII, 17. Verg. Liv. ICt. (cf. Drks. Ge.)

Libamen (cf. v. libamentum): V, 70 *libamina litterarum.* rel. 9, 8. — Ex sacrificiorum sermone, ut videtur: Verg. Aen. VI, 246. Ov. Val. Fl. Stat. Scriptt. hist. Aug. Vulg. (v. Ge.)

Luctamen = luctatio, certatio: VII, 108. rel. 19, 1 *annosum luct.* 23, 6. 28, 11. 39, 5 *curiosum luct.* 40, 1. 49, 2. — Apud Ge. haec vocis significatio non clare distinguitur. Exstat vox ap. Verg. Aen. VIII, 89. Val. Fl. Scriptt. hist. Aug. Pall. Claud. ICt. (Drks.) Anthol. (cf. Ge. et Ant. s. v. lucta").

Moderamen = moderatio: V, 62. IX, 40. — Ov. saepius. Chalcid. Ambros. ICt. (Drks.) Salv. Non recte, ut mihi videtur, vox in Ant. tantum poetarum sermoni tribuitur.

Munimen = munitio, praesidium: rel. 44, 1. — Verg. Ov.

Scriptt. hist. Aug. Pall. Vulg. Veget. — Vox „munimentum“ etiam ap. Caesarem deprehenditur.

****Praefamen** = praefatio: II, 34, 1 *recordaris hoc te praefamine epistulam texuisse.*

Praesegmen: or. III, 6 *ut novella praesegmina coagulo libri uvidioris*[1]) *inolescant.* — Significat vox „praesegmen“ eandem rem hoc loco atque antecedens vox „germen“ et sine dubio variandi caussa usurpata est. Exstat praeterea ap. Plaut. Aul. 311. Varr. ap. Non. Apul. (cf. Ge.)

Sagmen = fasciculus herbae sacrae: or. V, 2 *verbenae et sagmina.* — Liv. bis. Plin. mai. Fortasse Symmachus verbum ex lectione Livii sibi assumpsit. (v. Ge.)

Velamen: III, 10 *odi in parvo corpore longa velamina. Illa vestis decenter indutui est, quae ...* IV, 42, 2 or. I, 4. II, 1. — Verg. Sen. Tac. Tert. Scriptt. hist. Aug. (cf. Pauck. I p. 122) Vict. Eumen. Ambros. Claud. ICt. (v. Drks. et Ge.)

Addo his vocem

Examen, quae iam in Romanorum sermone cotidiano eandem habuit significationem, qua in Germanicam linguam recepta est. Apud Symmachum vox saepissime ita usurpatur. Enotavi hos locos: I, 24; 43; 44; 52; 104; 105. II, 16; 63; 65; 67. IV, 3; 40; 58; 61; 70. V, 43; 63; 76; 85. VI, 2. VII, 81; 82 (bis.) IX, 36; 88; 121. rel. 13, 2. 20, 1. 23, 5, 12. 25, 2, 3. 26, 1, 3. 27, 2. 28, 1, 9. 30, 1. 31, 2; 32, 2. 33, 2, 3. 38, 2, 3, 5. 39, 4. 40, 1. 41, 6. 49, 2. or. IV, 6. — Ov. Pers. Stat. Solin. Lact. Capitol. ICt. saepius. (cf. Drks. Ge. no. II. B. Ant.)

Transeo nunc ad ea substantiva tractanda, quae suffixo -mentum formata sunt.

Augmentum = accessio, incrementum: I, 67. III, 32 *capax augmenti.* III, 78. VII, 47; 63 *augmenta capere* = augeri. VII, 112; 123. IX, 56. rel. 29, 2. — Varr. (alio sensu), Plin. mai. Arnob. (alia vi), Pall. Firm. Mat. Amm. August. ICt. saepius (cf. Drks.) Apic. (alio sensu), Eugipp. (v. Ge. Ant. s. v. augmen.)

Dehonestamentum = ignominia, dedecus: rel. 26, 5 *in dehon. alicuius.* — Sall. fr. Sen. Tac. Iustin. Gell. Treb. Poll. (cf. Ge. et Ant.)

---

[1]) Ita Kiesslingius rectissime emendavit pro corrupto *ubidiovis.*

Delenimentum = blanditiae: III, 11, 2 *delenimenta*[1]) *aurium.* III, 74, 2. IV, 17; 42, 2. VII, 16, 2; 19. VIII, 19 *delenimenta verborum* IX. 92. rel. 9, 6. — Afran. fr. Sall. fr. Liv. Sen. mai. et min. Tac. Plin. min. Iustin. Fronto. Lamprid. (cf. Pauck. I p. 13*) Amm. ICt. (cf. Drks. et Ge.)

Deliramentum = deliratio: V, 43. *nugae et deliramenta.* — Plaut. Plin. mai. Lact. Vulg. Heges. Ambros. Sulp. Sev. (v. Ge.) — Num vox, ut in Ant. indicatur, a posterioribus scriptoribus ex comicorum lectione repetita sit, non pro certo affirmaverim, cum ap. Plin. mai. exstet. (cf. Rö. p. 23.)

Figmentum = res ficta: IV, 18, 4 *figmenta ludicra.* VIII, 47. or. I, 4 *figmenta carminum.* — Apul. Gell. (alia vi; cf. Vog. p. 5). Min. Fel. Tert. Cypr. Novat. Lact. Spart. Pan. vet. Vulg. Amm. Macr. ICt. (cf. Drks. Ge. Ant. Rö. p. 23.)

Honestamentum = decus (in prioribus epistulis): I, 6; 66 71 *vitae honestamenta* = IX, 43, 3. — Sen. ep. 66, 2. Ps. Sall. Apul. Gell. Cod. Theod. (cf. Drks. Ge.)

Hortamentum = hortatio: IX, 99. *hortam. petitionis.* — Sall. Iug. 98, 7. Liv. Tac. Iustin. Gell. (cf. Gor. p. 6). Lamprid. Capitol. (cf. Pauck. I p. 102) Lact. Vict. Amm. Cod. Theod. (cf. Drks. et Ge.)

Incitamentum = incitatio: V, 22; 96. VIII, 74 *incit. religionis.* — Ap. Cic. vox uno loco legitur (Arch. 23); praeterea ap. Sen. Curt. Tac. Plin. min. Amm. (v. Ge.)

Indumentum = vestis (cf. v. indutus § 3): III, 25, 2 *hiemi apta indumenta.* Vox „vestis" antecedit. — Bass. ap. Gell. Sen. Lact. Macr. Prud. Cod. Theod. (cf. Drks. Ge.)

Inritamentum: VII, 35, 2. rel. 24, 3 *inr. superbiae.* — Sall. Ov. Liv. Val. Max. Sen. Plin. mai. et min. Tac. Iustin. Lact. Amm. (cf. Ge. et Ant.)

Levamentum (cf. v. levamen): VII, 41 *litteraria levamenta.*

---

[1]) Miror quod Seeckius hoc uno loco edidit „delinimenta" (littera i adhibita). Codex P hoc loco perverse praebet „delimenta". Reliquis locis P recte exhibet „delenimenta" excepto uno loco IV, 42, ubi primae manus scriptio „delinimenta", correcta est in „delenimenta", quod Seeckius ibi suo iure in textum recepit. Etiam rel. 9, 6 in codicibus M et F legitur „delenimenta".

— Cic. in familiari dicendi genere velut Att. XII, 42; numquam in oratt. Cels. Plin. mai. Tac. ICt. (cf. Drks. Ge.)

Libamentum (cf. v. libamen): V, 68, 1 *libamenta silvarum.* IX, 153. — Cic. semel, legg. II, 12 (*sacrificiorum libamenta.*) Sen. ep. Stat. Iustin. Gell. (alia vi; cf. Vog. p. 6). Vulg. saepius (v. Ge.)

Rudimentum = exordium: I, 67 *amoris rudimenta.* — Verg. Liv. Ov. Vell. Curt. Stat. Suet. Iustin. Gell. ICt. (cf. Drks. Ge.)

Scitamenta: I, 23, 2 *scit. exiguae lancis.* — Plaut. Men. I, 3, 26. Apul. Met. Gell. (translate = nugae; cf. Vog. p. 6.) Macr. Paul. Nol. — Vox sine dubio, ut iam recte coniecit Vog., ex imitatione prisci sermonis apud posteriores scriptores originem duxit.

Spiramentum: II, 48, 2 *spiram. faucium* (= Luftröhre). — Artis vocabulum huius rei est „arteria" („art. aspera") vel latine „canalis animae" (cf. Plin. VIII, 29), quem iam Vergilius dicit „spiramentum animae." Cael. Aur. (Chron. II, 11, 127) testante „arteria aspera" etiam „faux" appellatur. Itaque Symmachi verba „spiramenta faucium" quodammodo tautologiam efficiunt, qualis ap. Symm. saepius occurrit. — De alio usu vocis „spiram." ap. Vitr. Sen. mai. Macr. — ap. Tac. Amm. — in hist. Apoll. v. Ge.

Temptamentum (cf. v. adtemptatio § 4): VI, 24 *longi usus temptamenta.* VI, 66, 2. IX, 131. — Verg. Ov. Tac. Gell. ICt. (cf. Drks. et Ge.)

Rarioris significationis sunt haec:

Nutrimentum: Vox ap. Symm. vi primaria (numero plurali tantum admisso) deprehenditur: I, 23, 2 *parvis nutrimentis nihil ad robustam valetudinem promovemus.* V, 67. — Verg. Val. Max. Plin. mai. Cael. Aur. Cod. Theod. (cf. Drks. Ge. s. v „nutrimentum" et s. v. „nutrimenta" no. I. A.) — Translate vox usurpatur (numero singulari adhibito) III, 74, 2 *nutr. loquendi.* — Sen. Apul. Met. (cf. Ge. s. v. „nutrimentum"). — Mea quidem sententia numeri vocis, quae certe una eademque est, ap. Ge. non recte divelluntur.

Supplementum: Vocabulum apud bene dicendi auctores pro verbo militari adhibetur. In sermone cotidiano vocis usus largior erat. Significat enim: 1) id quod supplet (Cicero uno loco, or. 230 hoc sensu admittit vocem „complementum"): III, 30

supplementa desiderii. VI, 40, 2. rel. 19, 7. 44, 1. — Col. Vell. Justin. Cod. Theod. (cf. Drks. Ge. no. I). — 2) Deinde vox idem fere significat ac vocabulum „auxilium“: IV, 67, 2 *supplementa fortunae*. VII, 96, 2. — 3) In iuris consultorum sermone vocabulum numero plurali usurpatur pro iis rebus, quae idoneae sunt ad supplendam aliquam relationem iudicis h. e. pro „libellis partium“. Qui vocis usus ap. Ge. non affertur. Ap. Symm. verbum sic adhibitum inveni: II, 30, 3 *si supplementa vel refutatorios iurgantes dedissent*. rel. 19, 10 *coniunctae paginae adlegationes partium et supplementa sumpserunt*. rel. 28, 11. 30, 4. 33, 4. 49, 4.

§ 11. De substantivis in -culum (-crum) desinentibus.

Substantiva hoc suffixo formata, quorum pauca in bonum dicendi usum recepta sunt, in sermone cotidiano usitatiora fuisse videntur (cf. Rö. p. 39). Apud Symm. legi haec, quae commemoratione digna sunt:

Ferculum: I, 14, 4 *pisces, qui in ferculis non fuerunt*. — Aliis locis ut I, 23, 3 Symm. utitur eodem fere sensu voce „mensae“, quae etiam in hac epistula antecedit. — Prop. IV, 4. 76. Sen. saepius. Petron. (cf. Ge. no. d.).

Habitaculum = habitatio: I, 10 *pars praetorii imbecillum praestat habitac*. — Gell. Tert. Herm. past. Solin. Lact. Pall. Vulg. Amm. Hieron. Prud. August. ICt. (Drks.). Sulp. Sev. Sidon. (cf. Ant. Ge. Rö. p. 37).

Lavacrum: IX, 103; 136, 2 *lav. aestivum*. rel. 14, 3. 40, 3 *lavacra publica*. — Apul. Gell. (cf. Vog. p. 3.) Pan. inc. Scriptt. hist. Aug. Amm. Macr. Vulg. Aurel. Vict. ICt. (cf. Drks. § 2. Ant.) De alio vocis usu v. Ge.

Obstaculum = impedimentum: III, 34 *obstaculis retardari*. — Sen. Apul. Arnob. Amm. Prud. Cod. Theod. (cf. Drks. Ge. Ant.).

Spiraculum (cf. v. spiramentum § 10): I, 5, 1 *spiracula regionis*. IV, 33, 2 *spiracula Delphica*. — Verg. Plin. mai. Tert. Vulg. (cf. Rö. p. 38).

Propter rariorem usum addenda sunt haec:

Adminiculum translate = praesidium, auxilium: II, 67 *commendationis admin*. II, 75. III, 62. V, 16; 48; 91. VI, 15; 26.

2; 27; 38, 1. VII, 48 *evectionum adminicula.* VII, 105, 1; 116. IX, 137. rel. 23, 8. — Plaut. Liv. Tac. ICt. saepius. (cf. Drks. Ge. no. II).

Piaculum = delictum: V, 61 *summa piaculi.* — Plaut. Truc. II, 1, 13. Fab. Pict. ap. Gell. Liv. ICt. (cf. Drks. § 2. Ge. no. II. A.).

Vehiculum = currus: VI, 37 *vehic. publicum.* IX, 65; 142. rel. 4, 1 *peregrinum ac superbum vehic.* 4, 2, 3. 6, 2. 20, 1. 23, 8. — Vox „currus" posteriore linguae latinae aetate evanescit, fortasse quia cum vocabulo „cursus" facile confundi potuit. Ap. Symm. tribus locis legitur: VI, 40, 1. X, 2, 5 translate *currus eloquii.* rel. 4, 3 (variandi causa). Duobus locis exstat vox „carpentum", quae ap. Ciceronem non invenitur, saepius ap. Livium: IX, 65. rel. 20, 3. Qua in relatione etiam vox Gallica „carruca" (cf. Suess, Catulliana, Acta sem. phil. Erlangens. I p. 46), quae in Francogallorum lingua etiamnunc deprehenditur, variandi causa bis adhibetur. Vocabulum non minus Gallicum „esseda" usurpatur or. III, 6 sine dubio ex imitatione loci Vergiliani Georg. III, 204. — Vox „vehiculum" eadem admittitur vi ap. Nep. Liv. Sen. Plin. mai. et min. Fronton. Arnob. Cal. Aur. ICt. Isid. (v. Ge. no. II. B.).

§ 12. De nominibus deminutivis.

Substantivis et adiectivis deminutivis quae dicuntur non semper vim deminuendi inesse nemo nescit. Senserunt hoc iam Stin. p. 9. Ldw. p. 28 sq. Dilucide deinde de natura deminutivorum disputavit Wlffl. I, p. 153 sq. et post eum Lor. p. 57 sq. Cf. etiam Guer. p. 29 s. Köhl. p. 5 sq. Bart. p. 15 sq. Wlffl. II p. 407 sq. Exprimunt autem deminutiva, quae in Romanorum sermone familiari frequentissima fuerunt, saepius quendam animi affectum imprimis vel amorem vel studium vel dolorem, rarius contemptionem vel vituperationem. Sed saepissime haec affectus notio evanuit et deminutiva maxime in sermone cotidiano, qui omnino formas pleniores adamat, plane pro nominibus primitivis usurpantur. Rem re vera ita sese habere multis confirmatur rebus: Primum eo quod saepius deminutivo adiectivum aut simplex aut ipsum deminutivum minuendi causa additur, aut eo

quod ex deminutivis denuo deminutiva conformantur. Accedit aliud, id quod primus monuit Köhl. p. 6. Saepe enim cum duo scriptores eandem rem tractant, alter vocem vulgarem adhibet, cum alter, qui illius verba exscribit, vocabulum elegantius usurpet. Quod etiam in deminutivis nonnumquam usu venit. Quae res nondum satis observata esse mihi videtur. Denique in linguis Romanicis, quae ex Romanorum sermone vulgari imprimis originem trahunt, saepe deminutivum pro vocabulo primitivo invenitur (cf. soleil, oreille etc.). Hoc loco facere non possum quin impugnem sententiam a Guer. p. 29 prolatam. Putat enim distinguendum esse inter deminutiva „sermonis urbani et cotidiani" et „sermonis plebeii." Quod mihi non probatur. Nam ut omnino cavendum est, ne inter sermonem rusticum vel plebeium et inter sermonem familiarem vel cotidianum nimis accuratam distinctionem statuamus (cf. Wlffl. I p. 138), ita mea quidem sententia fieri non potest, ut hoc vel illud deminutivum „sermoni urbano et cotidiano" adiudicetur, aliud soli „sermoni plebeio". Certe Guer. illam sententiam non protulisset, si ei omnia deminutiva, quae in Ciceronis epistulis occurrunt (cf. ambulatiuncula, commotiuncula, planguncula, sedecula, raudusculum, alia v. Stin. p. 9 s.) ante oculos obversata fuissent. — Ex deminutivis Symmachianis hic nominanda sunt:

Agellulus: deminutivum ex deminutivo „agellus" formatum, cui tamen praeterea adiectivum *parvus* appositum est: II, 30, 2. — Priap. 84, 3. M. Arnob. Inscr. (v. Ge.).

****Bibliothecula:** IV, 18, 5 *sume ephemeridem C. Caesaris, decerptam bibliotheculae meae.* — Voci, quae hoc tantum loco exstare videtur, vim deminuendi inesse non putaverim.

***Canistellum**: II, 81, 2 *canistella argentea.* VII, 76. — Gloss. (v. Ge.).

Chartula = charta, epistula: IV, 27, 2 *tenax chartulae.* V, 34, 2 *chartulae curas domesticas continentes.* — Cic. ep. VII, 18, 2. Gai. Fronto. Arnob. Prud. ICt. saepius (cf. Drks. Ge.).

Corpusculum = corpus: II, 22, 1 *corpusculi mei valetudo.* III, 16. — Plaut. (cf. Schmil. p. 36). Cels. Sen. Trai. i. Plin. ep. Gell. Tert. Eugipp. — Cic. voce nat. deor. I, 24 pro artis vocabulo deminuendi vi utitur (= Atom). (Cf. Ge.)

Domuncula: V, 66 *Ampelius domunculam Romae mercatus est.* — Voci hoc loco deminuendi vis inest ut apparet ex alio loco V, 54, 2, ubi Symmachus de una eademque re verba facit demiuutivum „domuncula" non admittens, scribit enim: *Ampelium parvas aedes emisse reminisceris.* — Legitur vox „domunc." praeterea ap. Vitr. Val. Max. Apul. Vulg. ICt. (cf. Drks. Rö. p. 95. Ge.).

Filiola: III, 24, 1, 2. — Plaut. Cic. perraro (in oratt. uno loco Muren. 23; cf. Merg.) Auson. translate. (v. Ge.).

Flosculus = flos: VII, 10 *linguae flosculis adspergere.* (cf. IV, 36, 2 *adspergere facundiae floribus.*) — Catull. Cic. perraro in familiari dicendi genere (in oratt. uno loco, Sest. 119; cf. Merg.) Col. Sen. ep. Quint. Iuven. Cassian. (v. Ge.).

Holusculum = holus: V, 85, 3 *convictum tibi paramus agrestibus holusculis partum.* — Cic. ad Att. VI, 1, 13. Hor. Sat. Iuven. Gell. Fronto. (v. Ge.).

Homullus: IV, 33, 2 *hom. Promethei manu fictus.* — Varr. Sat. Men. Lucr. Cic. semel, Pis. 59. Cf. Schm. I, p. 107.

****Indiculus**: VI, 48 *indiculi cohaerentis lectione.* VII, 82 *capita rerum subiecto indiculo strictim notavi.*

Muliercula: II, 30 *mulierculae hereditas.* — Lucil. Varr. Cic. in familiari dicendi genere. Liv. Sen. Petron. Tac. Lamprid. (cf. Pauck. I p. 46*) Lact. ICt. (Cf. Drks. Lor. p. 60. Schm. I, p. 107).

Munusculum = munus: VI, 79 *munuscula iucunda* (cf. VI, 80 *iucunditas munusculi*). IX, 93 *parvum munusc.* IX, 107; 120. rel. 15, 2 *auro ducta munuscula.* or. III, 1. — Plaut. Truc. II, 4, 71. Catull. Cic. in familiari sermone (cf. ep. IX, 12, 2 *mun. levidense.* In oratt. uno loco, Verr. III, 85; cf. Merg.) Cael. et Trebon. in Cic. ep. Val. Max. Sen. Quint. Suet. Cod. Theod. XI, 11, 1. (v. Ge.).

****Nepticula**: VI, 32 *nepticulae meae Gallae infirmitas.*

Oratiuncula: III, 7. IV, 29, 1; 45; 64, 1. V, 9, 1; 43. VII, 58. — Cic. perraro (numquam in oratt.) Quint. Fronto. M. Caes. ap. Front. (v. Ge.).

Parvulus = filius [parvus]: II, 47; 48, 2. V, 22 *quaestorium parvuli nostri munus* (!). VII, 116. VIII, 69. IX, 48. rel. 28, 7 (variandi causa, cum vox „liberi" antecedat.) — Vocabulum

saepius in familiari dicendi usu (etiam ap. Ciceronem nonnunquam) adhibetur (v. Ge.).

****Precicula** = prex: IX, 133, 1 *propinqui mei preciculas misi.* Postea eaedem bis „preces" nominantur. — Vox, quae hoc tantum loco exstare videtur, ap. Ge. non affertur.

Rivulus: IV, 28 *similis arentibus rivulis.* — Vi primaria ap. Varr. Cels. Apul. Itin. Alex. Vulg. Prud. Translate etiam ap. Ciceron. rarius. (v. Ge.).

Servulus: VI, 64, 3. — Vox non multum distat a vocabulo primitivo, quamvis loco Symmachiano intellegi possit „piger servus". Iam ap. Plaut. vocem „servulus" plane pro vocabulo „servus" poni, monuit Lor. p. 60 et deinde Thlm. I p. 97, qui recte affert versus ex Merc. prol. 107 s., ubi in medio versu legitur „servom", in extremo metrica ratione „servolum." Etiam ap. Cicer. deminutivum a voce primitiva vix differt (cf. Thlm. l. l. Hllm. p. 23). Exstat vox praeterea ap. Apul. et ICt. (v. Drks.).

Specula: VI, 26, 1 *adsurgente specula sufficientium conditorum.* — Num voci vis deminuendi hoc loco insit, non diiudicari potest, quamvis iam ap. Apul. legatur „tenuis specula" (Met. X, 29). Certe vocabulum sermoni cotidiano attribuendum est. Invenitur enim ap. Plaut. Cic. (Clu. 72. ep. II, 16, 5). Apul. (cf. Ge.).

Sportula = donum: III, 24, 2 *nuptialis sport.* = IX, 106. IV, 14 *honor sportulae* = IX, 93. IV, 55. IX, 107; 153. — Vox hac vi apud primum Plin. min. usurpatur, postea ap. ICt. De alia vocabuli significatione cf. Ge.

Vernula = verna: 1) = servus: VI, 78 *callidus vernula.* — Sen. ICt. (Drks.) Apud boni stili auctores ne vox primitiva quidem deprehenditur. 2) = vernaculus: IX, 83, 1 *accusato vernula tuo flumine.* (cf. I, 14, 3 *clariorem hoc nostro populari* sc. flumine *reddidisti* sc. Mosellam). — Iuven. Rutil. (v. Ge.).

Versiculus = versus: I, 1, 6 *possem,*[1] *si quis inrepserit externus auditor, meos esse versiculos diffiteri.* — Vocem

---

[1]) Ita scribendum esse puto, omisso verbo „dicere" post verbum „possem". Nam illud „dicere" mihi ex interpretamento verbi „diffiteri" (quod Scioppius rectissime restituit) i. e. „dicere non" in textum invasisse videtur. Sed illud „non" interpretamenti ante vocabulum „meos" evanuit.

„versiculus" a voce primitiva fere non distare eo apparet, quod Symm. antea de eodem carmine dicit *audi versus* ... — Catull. Cic. in familiari dicendi genere etc.

Gemellus translate = geminus: I, 20, 1 *gemella facie.* — Saepius Symm. adiectivo „geminus" utitur. — Adiectivum „gemellus" ex sermone cotidiano imprimis in usum suum assumpserunt poetae Catull. Verg. Hor. Ov. Mart. Fortasse Symm. vocabulum lectioni poëtarum debet, praesertim cum apud ICt. non inveniatur nisi ap. unum Gaium vi primaria adhibita. Apud Caesarem semel exstat (b. c. III, 4, 1) ex militari usu dicendi, ut conicio, sumptum; praeterea ap. Plin. mai. (v. Ge.).

Novellus = novus: II, 35, 1 *novella adiectio.* or. III, 6 *novella praesegmina.* — Adiectivum praecipue de aetate animalium et plantarum adhibetur et hoc sensu etiam ap. Cicer. perraro invenitur ut fin. V, 14, 39. Praeterea ita usurpatur a Varr. (cf. Stnk. p. 53) Verg. Ov. Col. Plin. mai. Min. Fel. ICt. (cf. Wlffl. I p. 156). Quod in Ant. docetur „novellus jung ist klassisch und gut" non plane probaverim. — Deinde adiectivum ut primo loco Symmachiano plane pro nomine primitivo ex sermone vulgari assumitur: Liv. II, 39, 3. Ov. Arnob. Veget. Ps. Cypr. ICt. saepius. Cael. (cf. Wlffl. II, p. 408. Drks. Ge.).

Pauculus: VIII, 2 *diebus pauculis.* — Plaut. (cf. Lor. adnot. crit. ad Pseudol. vv. 443 sq. p. 264) Ter. Afran. Cato. L. Sulla ap. Sen. Lucr. Cic. in sermone cotidiano (Verr. II, 185. Att. V, 21, 6. legg. I, 54; cf. Hllm. p. 23 et Wölfflini adnotat. ad hunc locum). Sulpic. Matius et Trebat. i. Cicer. epp. (XI, 15, 6) Sen. apoc. Plin. min. Apul. (qui unus numerum singularem exhibet). Mamert. grat. act. Vulg. (cf. Ge. et imprimis Schm. I p. 108).

Paululum = paulisper (quod saepius ap. Symm. legitur): I, 12. III, 47 *inhorruisti paulul.* IX, 77; 78. rel. 23, 1. — Ter. Cato. Cic. in familiari dicendi genere. Gell. Iustin. (v. Ge.).

Pauxillus in duabus prioribus epistulis: I, 10 *pauxill. tempus* = IX, 71, 1. — Plaut. Afran. Lucr. Cels. Solin. Vulg. (v. Ge.).

Plusculus: VIII, 23, 2 *plusculos in eo littore dies exegi.* — Plaut. Ter. Col. Fronto. Gell. (cf. Vog. p. 2.) Apul. — Neutrum quod etiam ap. Cic. rarius exstat (cf. Ldgr. II p. 319), ap. Symm. legitur: I, 90, 1 *plusculum commendationis.* V, 18.

IX, 83. — ICt. (cf. Drks. Ge. Thlm. I p. 98 s. v. „celeriuscule". Lor. ad Pseudol. vers. 208.).

Suillus = suinus: rel. 14, 3 *suillae carnis functio.* — Carm. vet. ap. Liv. Liv. Cels. Plin. mai. Iuven. Apul. Deminutivum saepius usurpatur quam adiectivum primitivum, quod tantum ap. Varr. r. r. II, 4, 8. et ap. Priscian. legitur.

Propter inusitatam significationem addenda sunt:

Aculeus translate = incitamentum: II, 26, 2 *aculeos exhortationis adhibere.* — Liv. Plin. min. Arnob. ICt. (cf. Drks. § 2. Ge. no. II. 2). — Etiam duobus aliis locis Symmachianis vox translate adhibetur: VI, 20 et VII, 9 sed eo sensu adhibito, quo etiam ap. Cicer. deprehenditur (cf. Ge. no. II. 1 et no. III. 3).

Articulus: Quamvis deminutivum iam ap. Cicer. saepius inveniatur pro simplici, tamen, ut recte monuit Wlffl. II, p. 409, tantum in sermone familiari hunc usum admisit. (cf. *articulorum dolores:* Att. I, 5, 8 sed *artuum dolorem*: Brut. 60, 217.) Postea vox „articulus" plane pro voce „artus" in usum recepta est. Ita etiam Symm. VIII, 46, 1 scribit *humor articulis inlapsus.* — Hic mihi alius vocabuli usus vulgaris notandus est, ut usurpetur pro voce „discrimen": II, 76, 2 *sub ipso articulo muneris.* — Plaut. Ter. Cic. semel (p. Qu. 19). Plin. mai. Val. Max. Curt. Amm. ICt. (cf. Drks. Ge. Hllm. p. 67, imprimis Ldgr. I, p. 27).

Calculus: I, 96 *albo calculo signare.* — Plin. ep. I, 2, 5. Apul. ICt. (v. Drks. § 2. Ge. no. II. D.) — Alius vocis usus deprehenditur: III, 15 *nolo annos ad calculum voces*, quam locutionem Symm. sine dubio ex Livii lectione sibi assumpsit. Etiam ap. Cicer. rarius (numquam in oratt.) similis vocabuli significatio obviam fit. (cf. Ge. no. II. C.).

§ 13. De adiectivis in -bilis exeuntibus.

Iam Rebl. p. 24 recte vidit, talia adiectiva admodum in deliciis sermonis vulgaris fuisse. Cf. etiam Lor. ad Pseud. v. 933 (ubi exempla Plautina collecta sunt), Rö. p. 109 sq. Guer. p. 33. Stnk. p. 39. Novissime Pauckerus (cf. Materialien z. lat. Wörterbildgsgesch. III) omnia adiectiva in -bilis accurate collocavit et tractavit. Exstant omnino 1082 adiectiva in -bilis,

quorum recentiora (post Hadriani aetatem) sunt 801; apud Ciceronem inveniuntur 81. (cf. Pauck. l. l. p. 18.). Sed de exemplis Ciceronianis nonnulla detrahenda sunt, quae ex sermone vulgari sumpta sunt (cf. Stin. p. 11 s. Ldgr. II p. 319). Pars quarta omnium formarum activam habet significationem, pars tertia cum in- privativo composita est. (cf. Pauck. l. l. p. 20). — Ex exemplis Symmachianis sermoni cotidiano tribuerim haec:

Aspernabilis: II, 72. — Acc. tr. 555. Gell. (cf. Vog. p. 15). Capitol. August. (v. Ge.).

Commendabilis: IX, 38 *commendabilem facere.* — Liv. Val. Max. Vell. (v. Ge.) Capitol. (cf. Pauck. I p. 44*).

Desiderabilis = desideratus: VII, 35, 3 *Campania absentibus desiderabilis.* — Cic. perraro in familiari dicendi genere (Fin. I, 16. Top. 18), numquam in oratt. Liv. Suet. August. (v. Ge.).

Exitiabilis: IV, 21, 1 *exit. fames.* — Cic. ad Att. X, 4, 3 (Stin. p. 11). Liv. Ov. Vell. Tac. Cael. Aur. (v. Ge.).

Honorabilis: I, 25 *vir honorab.* I, 31, 1. II, 39. IV, 6, 2 *honorab. evocatio.* IV, 73. VI, 32; 49. — Cic. semel (sen. 63). Scriptt. hist. Aug. Vulg. Amm. August. ICt. (cf. Drks. Ge.).

Inculpabilis: VII, 28. — Solin. Avien. Arat. Prud. (v. Ge.).

Inimitabilis: III, 86, 2 *salve mi domine inimit.* — Vell. Quint. Ambros. (v. Ge.).

Inpetibilis passive = non tolerandus: II, 91, 2. IX, 113, 2. rel. 41, 2 *inpet. scopulus foedae cognitionis.* — Acc. fr. Cic. perraro, numquam in oratt. Plin. mai. Solin. Apud Lact. vox etiam sensu activo usurpatur, quod Pauck. l. l. p. 8 neglexit. (v. Ge.).

Inpossibilis: VI, 64, 3. rel. 14, 1. — Quint. Veget. ICt. saepius (Drks.); activa vi adhibita Vulg. Sap. (cf. Ant. et Ge.).

Intractabilis: VI, 21 *dum navigatio intractab. est.* — Verg. Sen. Iustin. Gell. (v. Ge.).

Lacrimabilis passive: IX, 123. *lacr. conquestio.* — Verg. Ov. Ambros. Eutr. Aur. Vict. Salv. Active vox adhibetur ap. Verg. et in Vulg. (v. Ge.).

Pollucibilis: VI, 71 *polluc. victus.* — Tert. (Compar.) Macrob. — Adverbium legitur: III, 24, 1 *fortunae tuae pollucibiliter floruerunt.* — Plaut. Most. 24 et fr. ap. Fulg. (v. Ge.).

Possibilis: VII, 8 *poss. coniectura.* or. II, 4 *possibile est.* — Quint. (neutrum substantivi loco) Tert. Lact. Vulg. Donat. Serv. ICt. (Drks.) Sidon. Prisc. (cf. Ge. et Ant.).

† **Praenotabilis:** II, 16 codices perverse praebent *cui iamdiu* praenotalis (P) aut *praenatalis* aut *natalis familiaritate sociatur.* Seeckius ex coniectura in textum posuit *praenotabili familiaritate.* Quod mihi non probatur. Nam mea quidem sententia non licet Symmachianae vocabulorum copiae per coniecturam inferre vocem, quae quantum video apud alium scriptorem omnino non legitur. Mihi quidem non dubium est. quin lectio tradita „praenatalis" corrupta sit ex „penetralis" itaque legendum sit *cui iamdiu penetrali familiaritate sociatur.* (cf. v. „penetralis" § 14).

Rationabilis: VIII, 40 *rationabile est.* — Gromat. ICt. (Drks.) Prisc. Alio sensu ap. Sen. Apul. Chalcid. Lact. Vulg. Ambros. August. Sulp. Sev. Mart. Cap. (cf. Rö. p. 113. Ge. Ant.).

Addo duo adverbia:

Culpabiliter: IX, 43, 1. — Cael. Aurel. (v. Ge.).

Impetrabilius: or. IV, 4 *impetrabilius petere.* — Adverbium apud alium scriptorem non exstat. De adiectivo, quod non minus est sermonis vulgaris cf. Ge.

§ 14. De adiectivis in -alis (-aris) exeuntibus.

Quin horum adiectivorum numerus in sermone cotidiano imprimis posterioris aetatis magnus fuerit, non dubitandum est. Iam Wlffl. II p. 406 indicat „Diese Bildungen in der classischen Periode noch im Rückstande geblieben, nehmen im Spätlatein zu." Quae observatio confirmatur tabula, quae nuper Pauckerus edidit in commentatione, quae inscribitur „Die nomina derivativa auf -alis (-aris) und -arius" in Kuhns Zeitschr. f. vergl. Sprachforschg. vol. XXVII (1883) p. 113 sq. Quod iam antea constabat, suffixum -alis et suffixum -aris per se idem esse (cf. e. g. Stnk. p. 40), pag. 143 sq. accuratius definitur. Exstant, ut docet Pauckerus (cf. p. 146), praeter 487, quae formis in

-arius respondent, 1220 fere adiectiva in -alis vel -aris exeuntia. Quorum ante Ciceronis aetatem usurpantur 42, Ciceronis aetate 105. Post Hadriani aetatem 785 nova adiectiva huius formationis inveniuntur. Cui rei congruit, quod in linguis Romanicis plurima exstant adiectiva hoc suffixo formata (cf. Wlffl. II p. 406).

Armentalis: VI, 17 *lac armentale.* — Verg. Prud. Sidon. (v. Ge.).

Camenalis: I, 53, 2 *Camen. familia.* — Avien. Sidon. (v. Ge.).

Censualis: rel. 23, 2; 46, 2 *officium censuale.* — ICt. (cf. Drks. § 2). Substantivi loco: IV, 8, 3. — ICt. (cf. Drks.).

Cognitionalis substantivi loco: rel. 41, 8. — ICt. (cf. Drks.).

Corporalis: VI, 41 *corporales querellae.* — Sen. Gell. (cf. Vog. p. 14.) Lact. Macr. ICt. saepius (cf. Drks. et Ant.).

Dapalis: I, 23 *cenae dapales.* — Titin. com. Cato. Auson. ep. (v. Ge.). Apud Auson. et Symm. vox sine dubio ex imitatione prisci sermonis exstat.

Decennalis: rel. 13, 2 *decennales imperii fasti.* — Amm. Hieron. August. Serv. (v. Ge. et Ant.).

Divalis = imperatorius: VII, 96, 2 *divalia statuta.* rel. 27, 2 *scita divalia.* 27, 4 *lex divalis* = 34, 8. 29, 1 *remedium divale.* 41, 3. — Spart. (cf. Pauck. I p. 115.) ICt. (Drks.) Sidon. (v. Ge.).

Epistolaris: VII, 97 *epistol. commendatio.* — Mart. Ulp. Hieron. August. ICt. (Drks.) Mart. Cap. (v. Ge.).

Feralis = ferus: IV, 48 *commenta feralia vilis mancipii.* — Cael. Aur. Hier. ICt. (Drks. § 1) Vict. Vit. (v. Ge.).

Finalis: IV, 71, 1 *final. quaestio.* — Chalcid. Macrob. ICt. saepius (Drks.) Sidon. Alia adhibita vi ap. Donat. August. Prisc. (v. Ge. et Ant.).

Fiscalis: II, 27 *tituli fiscales.* V, 54, 4 *color fiscal.* — Suet. Scriptt. hist. Aug. Firm. Mat. Aur. Vict. ICt. (cf. Drks. et Ge.).

Glacialis: or. I, 2 *Tanais glac.* — Verg. Ov. Col. Val. Max. Plin. mai. Iuven. Eugipp. (v. Ge.).

Imperialis saepius, praecipue in relatt. — Capit. Auson. Amm. Ambros. Aur. Vict. August. Leo. (cf. Schöner l. l. p. 384 s.).

Iuvenalis = iuvenilis: V, 67 *iuv. industria.* VII, 9 *iuven. calor.* — Verg. Ov. Liv. Sen. rhet. Val. Max. (v. Ant.) Scriptt. hist. Aug.

Litoralis: VI, 11, 3 *litoralia spatia.* VI, 77 *amoenitas litor.* VIII, 46 *litor. siccitas.* — Catull. Plin. mai. Iustin. (v. Ge.).

Matronalis: VI, 67, 1 *industria matron.* — Liv. Ov. Sen. Plin. mai. Tert. Lamprid. (cf. Pauck. I p. 31*). Vict. Vit. (v. Ge.)

Officialis substantivi loco: rel. 23, 3; 28, 2. — Apul. Spart. ICt. (Drks.) Inscr. (v. Ge.).

Penetralis translate = intimus: IV, 46 *penetrali familiaritate dignari.* Idem adiectivum restituendum esse conicio II, 16 (cf. s. v. „praenotabilis" § 13). — Deinde neutrum pro substantivo usurpatur: II, 34, 2 *sanctum penetral animi tui.* IX, 64 *in penetralia familiaritatis admittere.* — Verg. Liv. Mart. Quint. Tac. Dial. de orat. Gell. Lamprid. (cf. Pauck. I p. 31*). Amm. Macrob. Ambros. ICt. (cf. Drks. Ant. Ge.).

Piscinalis substantivi loco pro *cella piscinalis*: VI, 49, 1 *in minoribus balneis piscinalem picturis potius quam musivo excoli non probavi.* — Pall. I, 40, 4 (v. Ge.).

Praeiudicialis: rel. 38, 2 *praeiudicialem multam statuere.* — ICt. (Drks.).

Praesidalis (hac enim forma adiectivi Symm. utitur non forma „praesidialis"): I, 107 *provincia praesidalis* = or. VI, 3 VI, 70, 1 *praesid. vir.* VII, 66 *officium praesidale.* — Treb. Poll. Sex. Ruf. Amm. ICt. (cf. Drks. Ge. Ant. s. v. „praeses").

Rationalis substantivi loco: rel. 41, 1, 3, 5, 6. — Scriptt. hist. Aug. ICt. (Drks.).

Specialis = singularis: I, 104 *spec. cura.* = IV, 15, 1. rel. 27, 2 *speciale oraculum.* 27, 4 *specialia praecepta.* — Cels. Col. Sen. Quint. Gai. ICt. (Drks.) Scriptt. hist. Aug. Vict. Vit. (v. Ge. et Ant.).

Temporalis: V, 89 *temporale silentium.* VII, 131 *tempor. causa,* oppon. *perennis amicitia.* — Sen. Quint. Tac. Lact. Porphyr. ICt. saepius (Drks.) Vict. Vit. Sensu grammatico ap. Varron. (cf. Stnk. p. 42 s.) et Prisc. (cf. Ge. et Ant.).

Rariorem significationem habent:

Natales = conditio generis (cf. Ge. no. II. A. 2. b.): IV, 23, 2 *secundum mores ac natales tuos.* V, 55 *honestas natalium.* VII, 45 *clari natales.* VII, 107 *Iuliani natales probo.* — Ov. Tac. Plin. min. ICt. (Cf. Drks. Ant. s. v. „natalis"). — Ex exemplis Symmachianis apparet, re vera „natales" non „natalia" pro nominativo habendum esse, quod num ita sese habeat, non recte dubitat Dress. p. 25.

Principales = ii, qui in decurionum collegio primum obtinent locum: IX, 10, 2. rel. 28, 9. — ICt. (cf. Drks. § 3. Ge. no. II. 4. b.).

§ 15. De adiectivis (substantivis) in -arius desinentibus.

Pauckerus loco in § 14 laudato primus dilucidis verbis recte ut mihi videtur docuit, etiam adiectiva in -arius exeuntia per se idem significare atque adiectiva in -alis (-aris) desinentia. Hoc eo confirmatur, quod 487 formis in -alis (-aris) 481 formae in -arius ab una eademque stirpe formatae respondent saepe plane eadem significatione praeditae. Quorum adiectivorum 48 formae in -alis (-aris), 73 in arius apud Ciceronem leguntur. Iam quod profert de adiectivis in -arius Guer. p. 31 minime recte sese habet. Putat enim sermoni vulgari attribuenda esse ea tantum adiectiva in -arius, quae pro adiectivis in -aris posita sint. Hoc argumentum nihil valere ex eo sequitur, quod saepius forma in -arius bona et usitata est, cum forma in -aris (-alis) sermonis vulgaris sit. Ita apud Ciceronem legitur „agrarius" non „agralis", „anniversarius" non „anniversalis", „cibarius" non „cibalis", „dodrantarius" non „dodrantalis" alia, quae ex Pauckeri tabula colligi possunt. Etiam id, quod Guer. l. l. dicit, ea adiectiva non esse vulgaria, quae opifices omnis generis significent ut „lanifricarius, argentarius", mihi non probatur. Immo etiam huius generis plurimas formas sermoni vulgari attribuendas esse censuerim. Priscis scriptoribus Plauto, Catoni, Varroni praecipue in libris de re rustica scriptis adiectiva in -arius valde in deliciis fuisse iam a Lor. ad Pseud. vers. 952 et a Stnk. p. 43 bene observatum est. Cf. etiam Schm. III, p. 81 s. Ut demonstrat Pauckerus (cf.

l. l. p. 146), praeter illas 481 formas, quibus forma in -alis respondet, exstant 1332 formae in -arius. Quarum ante Ciceronis aetatem deprehenduntur 85, apud Ciceronem et Caesarem tantum 141; post Hadriani aetatem usurpantur 790. Quo conspectu clare apparet, quantopere hae formae in sermone cotidiano adhibitae sint. — Quamvis duae formae in -alis (-aris) et -arius per se idem significent, forma longior, quippe cui maior fuerit vis, in usu sermonis saepius in substantivorum locum abiit. Ut Pauckerus p. 140 affert, 970 formae in -arius aut omnino aut nonnumquam substantivorum vice funguntur. Quae re vera per se adiectiva fuisse nunc nemo nescit. Cf. Pauck. p. 141 sq., ubi etiam de varia horum substantivorum vi optime disputatum est. — Affero nunc formas in -arius, quae ex Symmachianis exemplis sermoni cotidiano attribuerim. primum pura adiectiva deinde substantiva et masculini et neutrius generis:

Alimentarius: IV, 54, 2 *alimentaria invectio.* — Cael. ap. Cicer. ep. VIII, 6, 5. Capit. Amm. ICt. (Drks.) Inscr. Apud. ICt. etiam substantivi loco usurpatur (v. Ge.).

Annonarius: IV, 5, 3 *commeatus annonarii* = IX, 124. V, 94 *res annonaria.* (= annona) = X, 2, 4 = rel. 18, 2. rel. 9, 7. — Ascon. Arnob. Treb. Poll. Capit. Veget. ICt. (cf. Drks. Ge.).

****Cupedinarius:** VIII, 19, 1 *forum cupedinarium.* — Adiectivum in hac iocosa epistula tantum exstare videtur. Apud Varron. l. l. V, 146 et ap. Apul. Met. I, 24 idem forum „cuppedinis" vocatur. Substantivi loco adiectivum invenitur ap. Ter. Eun. 256 et ap. Lampr. (v. Ge. Rö. p. 135).

Litterarius: II, 82, 1 *conciliatio litteraria.* III, 79 *litterarium munus* (= epistula) = IV, 49 = V, 77 = VI, 60. IV, 26 *litteraria officia* = VII, 67 (Sing.) IV, 54, 1 *litteraria cessatio.* V, 2 *vicissitudo litteraria.* V, 27 *litteraria salutatio.* = IX, 100. VI, 37 *litterarium exordium.* VII, 2; 18, 3; 41; 130. — Varr. Sen. Plin. mai. Quint. Suet. Vopisc. ICt. sed non plane eadem adhibita significatione (cf. Drks. Ge. Ant.).

Precarius, per preces effectus (incertus): III, 91 *precaria testimonia.* IV, 56, 1 *precaria manus.* VII, 56 *debita magis quam precaria cura.* VII, 69, 1. IX, 90 *precariae epistulae.*

or. 1, 13 *precar. fulgor.* — Ov. Liv. Curt. Tac. Amm. ICt. (v. Ge.).[1]

Suarius: rel. 22, 1 *suarium forum.* — Plin. mai. ICt. (Drks.) — Substantivi loco: rel. 33, 2 *Constantius suarius.* — ICt. (Drks.) Inscr. (v. Ge.).

In substantivorum locum recepta sunt haec adiectiva:

****Basternarius**: VI, 15 *basternarios praebere.*

Collectarius: rel. 29, 1 *collectariorum corpus.* — ICt. (cf. Drks.).

Harenarius = gladiator: V, 59 *harenarii lautiores.* — Petron. Tert. Capit. (cf. Pauck. I p. 94.) ICt. (cf. Drks. Ge. no. II. a. β.).

Notarius: V, 39; 66, 2. IX, 6; 15, 2. rel. 18, 2. 23, 6. 26, 3. — Treb. Poll. ICt. saepius. (cf. Drks. Ge. no. II. b.).

Numerarius: IX, 50. — Amm. ICt. saepius (Drks.) Sidon. (v. Ge. no. I. B.).

Nummularius: rel. 29, 1. — Petr. Mart. Suet. Vulg. Ambros. ICt. (Drks.) Inscr. (v. Ge. no. II. A.).

Rorarii: VIII, 48 *tamquam levis armaturae miles rorarios aemularis.* — Cum vox apud posteriores scriptores quantum video non inveniatur, Symmachum eam ex Livii lectione sibi assumpsisse verisimile est. Exstat enim ap. Liv. VIII, 8, 8; 9, 14. Singularis numerus ap. Lucil. deprehenditur. (v. Ge.)

Tabularius: IX, 10, 2. — Capit. ICt. (cf. Drks. § 1. Ge. no. I. a.).

Veredarius: VII, 14 *veredarii occasio.* — Firm. Mat. Vulg. Paul. Nol. Cod. Theod. Sidon. (cf. Rö. p. 133. Ge.).

Breviarium: VI, 65, 1 *breviario addito noscenda discrevimus.* [1]) — Plin. mai. Suet. Tert. Cf. Sen. ep. 39, 1 *ratio . . . quae nunc vulgo „breviarium" dicitur, olim cum latine loqueremur „summarium" vocabatur.* (cf. Ant. Rö. p. 36. Ge.).

Donarium = donum: VIII, 26. — Arnob. Aur. Vict. ICt. (cf. Drks. Ge. no. I.)

---

[1]) Ita cum Mercero scribendum esse puto, cum codices P et F praebeant „decrevimus". Seeckius conicit legendum esse „decurrimus", quod mihi minus probatur.

Promptarium: I, 95, 2 *mei oris prompt.* III, 74, 2. IX, 72[1]) *ornatissimum linguae tuae promptar.* IX, 88[1]) *promptar. largius.* — Exstat forma plenior ap. Apul. Lact. Ambros. Vulg. ICt. (Drks.) forma per syncopen effecta ap. Auson. ep. 21, 45. (cf. Rö. p. 32. Ge. s. v. „promptuarius").

Salarium: I, 79 *salarii emolumenta.* IV, 19, 1; 51, 1. — — Sen. Plin. mai. et min. Mart. Tac. Iuven. Suet. Scriptt. hist. Aug. (cf. Pauck. I p. 110.) ICt. (Drks.) Sidon. Schol. Iuven. (v. Ge.).

Secretarium: rel. 23, 4 *secret. commune.* 9, 12. — Apul. Lact. August. ICt. (Drks.) Sulp. Sev. Inscr. (v. Ge.).

Seminarium: Vox, quae significatione primaria ap. scriptt. hist. Aug. et ap. ICt. admittitur, translate ap. Ciceron. in vulgari dicendi genere, ut mihi videtur, et ap. Liv. deprehenditur. Certe sermoni vulgari adiudicandus est vocis usus, ut una persona „seminarium" dicatur; ita Symm. or. I, 3 Gratianum (scil. maiorem) vocat *seminarium principatus.* Idem usus exstat ap. Apul. Apol. 74. (v. Ge.).

§ 16. De adiectivis suffixis -ivus et -aneus formatis.

Una cum adiectivis in -ivus exeuntibus tractanda mihi essent adiectiva in -icius desinentia, quae adiectivis in -ivus saepe respondent et in sermone vulgari usitata erant. (cf. Köhl. p. 10 sq. Ldgr. II p. 319. Paucker Materialien V p. 1—3, 8—13). Sed ap. Symm. nulla inveni, quae ab optimo dicendi usu recedant. — Adiectiva in -ivus exeuntia magna ex parte plebeia esse, iam recte observavit Guer. p. 32 (cf. etiam Rö. p. 129 sq.). Quae observatio plane confirmatur tabula a Pauckero confecta (cf. Mater. z. lat. Wörterbildungsgesch. VI. Die Adiectiva verbalia auf -ivus). Nam ex 527 adiectivis in -ivus apud Cicero-

[1]) Miror quod Seeckius his duobus locis, ubi bonorum codicum auctoritas non praesto est, edidit „promptuarium", ut est in Lectii editione. Mea quidem sententia etiam his locis restituenda forma brevis „promptarium" littera u omissa, ut vox I, 95, 2 in P et V III, 74, 2 in P et F scripta invenitur. Lectii editio etiam illis locis exhibet formam pleniorem, quae omnino usitatior videtur fuisse.

nem et Caesarem inveniuntur tantum 26, ante Ciceronis aetatem 19. Post Hadriani aetatem usurpantur cc. 400 novae formae (cf. Pauck. l. l. p. 12 s.), quarum 124 aut a primis aut a solis grammaticis latinis usurpantur. Ita e. g. apud primum Priscianum 36, apud primum Boethium 45 adiectiva in -ivus exeuntia leguntur. Apud Symmachum sicut apud iuris consultos (cf. Pauck. l. l. p. 13.) non multa occurrunt.

Commemoranda sunt haec:

Incentivum substantivi loco: I, 84 *incent. vicissitudinis.* V, 89. *incent. mutui sermonis.* — Tert. Arnob. Cypr. Ps. Cypr. Mar. Victor. Donat. Hieron. Ambros. Heges. Pan. inc. Amm. Prud. Sidon. Eugipp. Adiectivum vi primaria iam ap. Varron. legitur. (cf. Stnk. p. 49. v. Rö. p. 107. Ge.).

Oblativus: rel. 30, 1 *oblativae functiones.* — Serv. Mythogr. (v. Ge.).

Obreptivus: V, 66 *obreptiva supplicatio.* = rel. 44, 2 (Plural. num.). — Exstat vox praeterea tantum alia adhibita vi in Cod. Theod. XVI, 10, 8. (cf. Ge.).

Recidivus: VI, 20 *recidivum aculeum subdere.* IX, 50 *recidiva iniuria.* rel. 26, 2 *recidiva cognitione confligere.* — Verg. ter. Moretum, Cels. Pompon. Mela (*recidiva semina*), Sen. Troad. Sil. bis, Plin. mai. Tert. Seren. Sammon. Arnob. Auson. Prud. Accuratissime de adiectivis „recidivus“ et „redivivus“ disputavit L. Lange (cf. Curtius Studd. z. griech. u. lat. Gramm. IX (1876) p. 225—255.) Putat (cf. p. 237) recte, ut mihi videtur, adiectivum „recidivus“ ex agricolarum sermone repetitum esse. Usum Symmachianum cum usu priorum scriptorum congruere, pag. 245 demonstratur.

Redivivus: or. I, 7 *rediviva diei erumpentis officia.* — Adiectivum primaria vi pro artis vocabulo architecturae usurpatur ap. Catull. 17, 1. Cic. Verr. I, 56. Vitr. VII, 1. Cod. Theod. XV, 1, 19. (cf. Lange l. l. p. 229. Rebl. p. 45 s.[1]) Posteriore linguae latinae aetate, cum adiectivi notio primitiva iam non cognita esset, adiectivum „redivivus“ plane in usum et significationem adiectivi „recidivus“ abiit. (cf. Lange p. 248.) Qui

---

[1]) Sen. contr. III, 4 etiam contra codicum auctoritatem sine dubio „recidivus“ restituendum est (cf. Lange p. 232).

usus invenitur ap. Nazar. pan. Inc. pan. Amm. Prud. Paul. Nol. Coripp. Quibus locis etiam locus Symmachianus adnumerandus est, quem Lange omisit. Num Lange p. 254 recte doceat, adiectivum „redivivus“ ortum esse ex „reduvivus“ a verbo „reduere“, diiudicare non audeo.

Subiungo his tria adiectiva in -aneus desinentia. Quae adiectiva a nominibus fere derivata saepe plane pro brevioribus formis in -anus in sermone cotidiano usurpantur: cf. Paucker, Materialien V, adn. 4 p. 7. L. l. etiam 29 adiectiva verbalia eiusdem formationis afferuntur, quorum tantum duo „consentaneus“ et „supervacaneus“ bono dicendi usui attribuenda sunt (cf. Thlm. III, p. 13).

Praesentaneus = praesens: I, 24 *praesentanea copia.* — Commod. instr. I, 8, 1. Alia vi ap. Sen. Quint. Plin. mai. Suet. Lact. ICt. (cf. Drks. Ant. Ge.).

Spontaneus = voluntarius: I, 100, 2. II, 51; 76, 3; 88. V, 3; 44; 96. VI, 38, 2. IX, 52; 98. rel. 28, 7. — Symm. etiam adiectivo „voluntarius“ saepius utitur et eidem substantivo, cui uno loco adiectivum „spontaneus“ apponitur, alio loco adiectivum „voluntarius“ interdum adicitur. — Exstat „spontaneus“ praeterea ap. Arnob. August. Macr. Veget. Firm. Mat. (Dress. p. 36.), Hier. Rufin. Heges. Ambros. ICt. (Drks.), Gloss. (cf. Ge. Ant.).

***Superforaneus** = supervacuus: III, 48 *superforanei laboris est.* — Postea adiectivum ex imitatione Symmachi, ut mihi videtur, usurpant Sidon. et Ennod. Cf. Rö. p. 229 et Ge., ubi tamen locus Symmachianus IV, 11 falso additur.

§ 17. De adiectivis in -orius desinentibus.

Horum adiectivorum (vel substantivorum), quae, quod ad formationem attinet, semper a nominibus in -or derivata sunt, (quamvis haec nomina interdum in scriptis, quae nobis tradita sunt, non iam exstent), accuratam tabulam composuit Pauckerus, Materialien z. lat. Wörterbildgsgesch. II. Ut Pauckerus ostendit, (cf. p. 14) exstant 554 formae, quarum ante Ciceronis aetatem paucae ut „mercatorius, pugilatorius, sudatorius“ inveniuntur. Bonae autem prosae 35 adiudicandae sunt, cum post Hadriani aetatem 420 usurpentur. Quae cum ita sint, non dubito, haec

adiectiva sermoni vulgari imprimis posterioris aetatis adscribere. De quorum usu ac vi bene disputavit Pauckerus p. 14 sq. Satis memorabile est, Symmachum, quamvis substantivis in -tor maxime indulserit, haec adiectiva non ita in deliciis habuisse. Inveni apud eum memorabilia haec:

Commonitorium substantivi loco: I, 68 *commonitorii series.* V, 21; 22; 26. VI, 45 *common. iunxi.* — Amm. ICt. saepius, Sidon. (cf. Ant. Ge. Drks.).

†**Notorium**: Vox tribus locis Symmachianis restituenda est, cum codices et editiones priores aliud praebeant verbum. rel. 31, 2 cod. T (et M) praebet „notoris", unde Meyerus recte coniecit legendum esse *ut partim notoriis partim suggestione apparitores signarunt.* Deinde suo iure Seeckius vocem restituit IX 126, ubi in Lectii editione male est „notariis". Tertius locus est rel. 25, 3, ubi in omnibus codicibus legitur *apparitio . . . per notarium mihi fecit indicium.* Quam lectionem Meyerus non recte in textum recepit; nam vox „notarius" hoc loco non minus perversa est quam duobus aliis locis. Iuretus in editione secunda (cf. Miscellan. X, 38) coniecerat scribendum esse *per notariam,* quod recepit Scioppius. Attamen hanc vocem hoc loco non aptam esse patet. Sine dubio singularis numerus eius nominis restituendus est, quod etiam aliis duobus locis restitutum est. Sed hic oritur quaestio, qui sit singularis numerus utrum „notoria" an „notorium". Duo enim inveniuntur vocabula eadem fere significatione praedita. Nam quod Ge. dicit, „notorium" tantum significare „indicium", non recte sese habet: ut Dirksenius docet, „notorium" est „libellus delatorius". Iam id non multum valet, quod, si scribimus „per notorium", paulo facilior coniectura est, quam si scribimus „per notoriam". Mea quidem sententia quaestio non diiudicari potest, nisi usus iurisconsultorum observatur, quem Symmachum etiam hac in re ut saepissime in relationibus conscribendis secutum esse verisimillimum est. Iam vox „notoria" ap. ICt. omnino non exstat, vox „notorium" non semel (cf. Drks. Rö. p. 37). Quae cum ita sint, non dubito, quin rel. 25, 3 reponendum sit „per notorium". Seeckius edidit „per notoriam", quam coniecturam non recte Iureto attribuit, cum ab alio profecta sit (cf. Iur. Miscell. X, 38).

Pistorius: rel. 14, 3 *obsequia pistoria.* — Cels. Plin. mai. Chalcid. Eccl. ICt. saepius (cf. Drks. Ge.).

Purgatorius: VI, 64, 1 *purgatorium medicamentum.* — Vi primaria adhibita hoc tantum loco; translate ap. Heges. Macrob. August. (v. Ge.).

Refutatorii (sc. libelli) substantivi loco: II, 30, 3 *supplementa vel refutatorios dare.* rel. 32, 4 *lectis gestis ac refutatoriis cohaerentibus.* — Vox pro substantivo ap. alium scriptorem, quantum video, non usurpatur, pro adiectivo saepius in Cod. Theod. (cf. Drks.).

Tractoria (sc. littera) pro substantivo: IX, 25, 2 *equorum tractoriae.* — ICt. saepius (Drks.). Non recte Ge. (s. v. tractorius no. II. B.) vocabulum hac significatione tantum numero plurali admisso inveniri putat. Nam in Cod. Theod. VIII, 6, 1 etiam singularis numerus ita usurpatur (cf. Rö. p. 106).

§ 18. De adiectivis in -osus desinentibus.

Haec adiectiva in sermone cotidiano usitatissima fuisse constat. Demonstraverunt hoc iam Stnk. p. 50. Guer. p. 32, praecipue Wlffl. II, 407. Plane confirmatur illorum observatio accurata commentatione Pauckeri (cf. Materialien z. lat. Wörterbildungsgesch. IV). Exstant enim (cf. Paucker. p. 15) 844 formae in -osus. Quarum aetati post Hadrianum adscribendae sunt 438. Ante Ciceronis aetatem inveniuntur 54, cum apud Ciceronem et Caesarem legantur 113. Sed de his nonnulla sine dubio ex sermone familiari sumpta sunt velut „aestuosus, pannosus, ponderosus“ alia. De vario horum adiectivorum usu disputavit Paucker. p. 17 sq. — Ex Symmachianis exemplis hic afferenda sunt haec:

Angulosus: or. II, 22 *pyramidum vertices angulosi.* — Plin. mai. August. (v. Ge.).

Annosus: III, 87 *annosa militia.* = VII, 53. VI, 14, 1 *praedo annos.* VI, 17 *cultus annos.* — Lab. com. 80. Verg. Hor. Ov. Col. Sen. Plin. mai. August. (compar. et superlat.) ICt. (cf. Drks. Ant. Ge.).

Infructuosus translate: II, 17, 2 *quies virtuti infructuosa.* rel. 34, 12. — Sen. mai. Tac. Plin. min. Vulg. ICt., vi primaria ap. Col. ICt. (Drks.), Vulg. Aur. Vict. (v. Ge.).

***Morosus** = morae plenus: VII, 105, 1 *morosa deductio.* rel. 38, 1 *loquacitas morosa.* — Cassian. (v. Ge.).

Nemorosus: VII, 35, 1: *nemorosa* (oppon. *cultu aperta*). — Sall. fr. Verg. Ov. Plin. mai. Sil. (v. Ge.).

Nivosus: IX, 28 *nivosi saltus.* — Liv. Ov. Col. Stat. (v. Ge. Ant. s. v. „niveus").

Nodosus: I, 53, 2 *nodosa retia.* — Hor. Ov. Sen. Curt. Cod. Theod. (Drks.). Translate ap. Sen. poet. Gell. August. Macrob. (v. Ge.).

Onerosus: I, 3, 3. III, 43, 1 *expectatio onerosa.* V, 35. IX, 113, 1. — Verg. Ov. Val. Max. Plin. min. ICt. saepius (v. Drks. Ge.).

Speciosus: IV, 29, 2 *sub specioso nomine.* IV, 60 *Romani anni speciosus color.* V, 92. — Hor. Liv. Ov. Cels. Val. Max. Petr. Quint. ICt. (cf. Drks. Ge.).

Incuriose adv. comparat.: IV, 34, 3 *quae incuriosius loquor.* = V, 86. — Liv. Plin. mai. Tac. Gell. Veget. (v. Ge.).

Rariorem significationem habent:

Curiosus: rel. 19, 10 *curiosa lis* (cf. 19, 1 *res multis agitata iudiciis*). rel. 39, 5 *curiosum luctamen.* — Hac vi adiectivum praeterea deprehenditur ap. Cels. Val. Max. Quint. Cypr. Macr. (v. Ge. no. I. A. b.).

Gratiosus: gratiae causa tributus: IV, 34, 4; 47 *gratiosum testimonium.* IX, 55 *gratiosa suggestio.* — Liv. Apul. ICt. (cf. Drks. § 2. Ge. no. II. A. b.).

Numerosus = frequens: II, 56, 2 *numerosae litterae.* VI, 67, 1 *numerosi annorum processus.* VI, 80. IX, 54 *numerosa proles.* — Plin. mai. Quint. Tert. Cod. Theod. (cf. Drks. Ge. no. I.)

§ 19. De adiectivis in -atus exeuntibus.

Reblingius (p. 25) recte affert, adiectiva in -atus, quae proprie fere omnia sunt participia perfecti passivi, praecipue vulgaria fuisse. Cohaeret haec res cum usu verborum in -are, quorum numerus in sermone vulgari permagnus fuit. (cf. § 25.) Exempla nonnulla composuerunt Guer. p. 36. Rö. p. 142 sq.

Catenatus: rel. 47, 1 *catenatum agmen victae gentis.* — Hor. Col. Stat. Mart. Quint. (v. Ge. Ant. s. v. „catenare").

Corporatus = collegio alicui adscriptus: IX, 103 *communis patriae corporati.* rel. 14, 1 *corporati negotiatores.* — Cic. de univ. II, 4. Lact. ICt. (cf. Drks.). Ge. (v. s. v. „corporare") hanc vocis significationem non satis distinguit.

****Edecumatus:** III, 49 *viri edecumatae honestatis.* III, 51. X, 2, 1 *edecumati actores* (v. Ge. s. v. „edecimo").

Inculpatus: VII, 123 *inculpata militia.* rel. 17, 1 *inculpata facilitas.* rel. 42, 4 *labor inculp.* — Ov. Gell. ICt. saepius (cf. Drks. Ge.).

Indubitatus: I, 31, 1 *indubitata veritas.* — Sen. Plin. mai. Iustin. ICt. (v. Drks. Ge.).

****Ingravatus:** II, 29. VI, 79 *ingravata munuscula.* IX, 94. — Adverb. ap. Amm. deprehenditur. (v. Ge.).

Intemptatus: II, 35, 2 *intemptata scribendi semina.* V, 66, 2 *intemptata possessio.* VII, 126. VIII, 42, 2. IX, 43, 2 *alqd. intemptatum relinquere.* — Verg. Hor. Ov. Sen. Tac. (v. Ge.).

Lanatus: rel. 14, 3 *lanati pecoris invector.* — Liv. Col. Plin. mai. Petr. Mart. Iuv. Edict. Diocl. ICt. (cf. Drks. Ge.).

Memoratus = notus: V, 66, 1 *vir memor.* — Liv. Plin. mai. Gell. Apul. (v. Ge.).

Segmentatus: III, 12, 2 *paginae Tulliano segmentatae auro.* IV, 42, 2 *alba velamina non segmentati amictus.* — Acta fr. Arv. Iuv. Isid. (v. Ge.).

Vadatus = alligatus: I, 31, 1 *vadatum tenere.* II, 45. IV, 35. V, 47, 1. IX, 74. — Plaut. Apul. Verisimile est, Apuleium et Symmachum adiectivum ex Plauti lectione sibi assumpsisse.

Veteratus = vetus: or. II, 17 *exempla veterata saeculorum.* — Plin. mai. Scrib. (v. Ge. s. v. „veterare").

Viduatus: or. I, 10 *aula viduata.* — Lucr. Verg. Col. Sen. Tac. Suet. (v. Ge. s. v. „viduare").

§ 20. De adiectivis in -ax desinentibus.

Ludw. p. 30 recte iudicat, haec adiectiva, quamvis ab optimorum scriptorum dicendi usu non plane aliena sint, in sermone rustico praecipue usitatissima fuisse. Exempla nonnulla affert Guer. p. 31; ceterum falso putat, adiectivum „salax"

propterea non esse sermonis vulgaris, quia ap. Ovidium exstet. Attamen quin hic poeta, qui saepissime vulgaria admisit non solum in „epistulis ex Ponto" (cf. Schm. I, p. 115 s.), minime boni stili auctor habendus sit, nemo dubitaverit, qui rem accurate perspexit. — Omnia adiectiva in -ax exeuntia accurate enumerat Paucker. Mater. II, p. 19 epimetr. I. Exstant enim 93 formae, quarum post Hadrianum inveniuntur 43, cum Ciceronianae auctoritatis sint 26. Sed ex his quoque nonnulla adiectiva familiaria esse puto, velut „vorax, sagax, furax" alia. Symmachus horum adiectivorum non multa usurpat, quae sermoni cotidiano attribuenda sint:

Efficax: VI, 64, 1 *eff. curatio.* rel. 3, 14 *efficacia vota.* Compar.: VII, 22. IX, 25, 2; 62. Superl.: IV, 17 *medicinam efficacissimam afferre.* — Cael. in Cic. ep. Hor. Ov. Liv. Cels. Vell. Col. Curt. Mela, Val. Max. Sen. Plin. mai. et min. Suet. Flor. Treb. Poll. ICt. (cf. Drks. Ant. Ge.).

Fugax: I, 31, 3 *iactantiae fug.* — Plaut. Cic. semel, ep. X, 12, 5 (cf. Stin. p. 12. Ldgr. II, p. 319.), Verg. Hor. Ov. Liv. Vell. Sen. mai. et min. Plin. min. ICt. (v. Drks. Ge.).

Inefficax: III, 76 *ineff. sermo.* IX, 45; 117 *ineff. votum.* — Adv. VI, 53. — Sen. Plin. mai. (Compar.), Apul. Ambros. Veget. Macr. ICt. saepius (cf. Drks. Ant. Ge.).

Pervicax: I, 77 *perv. petitio.* VI, 1, 2 *perv. livor.* — Ter. Acc. tr. Liv. Col. Curt. Plin. mai. Tac. Flor. (cf. Ge.).

** **Retinax**: I, 47 *retinax advenarum lotos.* [1])

§ 21. De adverbiis in -ter desinentibus.

Saepius apud poetas comicos adverbia a nominibus adiectivis primae et secundae declinationis non in -e vel -o sed in -ter derivantur. Qui usus omnino in sermone vulgari invenitur. Quod vidit primus Ludw. p. 30, deinde Rebl. p. 24. Guer. p. 33, imprimis Köhl. p. 12 sq. Cf. etiam Brix ad Plaut. trin. v. 1060. Draeger, hist. Synt. p. 69. Neue, Formenlehre II, p. 653 sq., qui tamen, ut iam monuit Köhl., vulgarem huius usus rationem non satis intellexerunt.

---

[1]) Vocem „arbor", quae in codice V post v. „lotos" subsequitur, cum codice F ut glossema delendam esse puto.

Largiter: I, 61. III, 61. IV, 28, 3 *larg. loqui.* VI, 71. VIII, 19, 1; 23, 3; 66. — Plaut. saepius, Laber. Claud. Quadrig. Lucr. (cf. Proll, de formis antiquis Lucret. diss. Vratisl. 1859, p. 55.), Caes. semel in vulgari dicendi usu (cf. Köhl. p. 13), Auct. bell. Afr. Munat. ap. Ascon. Horatius in sermonibus, cum in carminibus „large" usurpetur (cf. Bart. I, p. 26.), Vitr. Petr. Suet. Apul. ICt. (Drks.) Inscr. (cf. Ge. Neue p. 654).

Naviter: I, 61 *nav. adloqui.* — Ter. Sisenna. Lucr. (cf. Proll l. l.), Cic. fam. V, 12, 3 (cf. Ldgr. II, p. 320.), Hor. ep. I, 1, 24 (cf. Bart. I, p. 26.), Col. Liv. Sen. Gell. Apul. Macr. ICt. (Drks.) (cf. Köhl. p. 12. Neue p. 654).

§ 22. De adverbiis in -im formatis.

Adverbia in -im exeuntia sermonis esse vulgaris imprimis tum cum apud bonos auctores brevior forma in -e vel -o inveniatur, recte monuerunt Köhl. p. 14. Ldgr. II, p. 320. Cf. Neue II, p. 662. Rö. p. 473. Nuperrime publici iuris facta est Pauckeri disputatio, quae inscribitur „Mater. z. lat. Woerterbildungsgesch. VII: Die Adverb. auf -im." Ex tabula ibi collata apparet, exstare 428 adverbia in -im exeuntia, quorum 255 aetati post Hadrianum adscribenda sunt, cum apud Ciceronem tantum 44 legantur (cf. l. l. p. 7). Ut p. 9 demonstratur, 115 formis in -im adverbia in -e desinentia respondent. Quorum adverbiorum tricies utraque forma et in -im et in -e ante Hadriani aetatem usurpatur, tricies quater utraque forma post Hadriani aetatem deprehenditur. Quadrigies bis forma in -e apud scriptores ante Hadrianum, forma in -im apud scriptores post Hadrianum invenitur, cum tantum novies priores scriptores forma in -im, posteriores forma in -e utantur. — Apud Symm. legi haec:

Iunctim: (cf. coniuncte) I, 20, 1. — Cic. ad Att. V, 10, 5 (ex coniectura). Suet. Apul. Gell. Mamert. (cf. Ge. Neue p. 662).

Sparsim: (cf. disperse) IX, 13 *spars. in longinqua agere.* — Gell. Apul. Lact. Amm. Macr. (cf. Ge. Ant. Neue p. 663).

Speciatim: II, 57, 1; 86, 2. V, 22 *spec. mittere.* VIII, 27, 1. rel. 24, 2, 3. 33, 2. — Scriptt. hist. Aug. Macr. Cod. Theod. (cf. Drks. Ge. Rö. p. 149. Neue p. 667. Ant. s. v. „specialis").

Summatim: IV, 5 1. V, 21 rel. 34, 3. 41, 8. — Varr. Lucil. Lucr. Cic. semel in oratt. (Cluent. 19; cf. Merg.), Col. Suet. ICt. saepius (cf. Drks. Ge.).

§ 23. De verbis frequentativis et intensivis.

Similiter ac de nominibus deminutivis iudicandum est de verbis frequentativis vel intensivis. Primum quidem haec verba, quae Pauckerus (cf. Zeitschr. f. vergl. Sprachforschg. vol. XXVI (1883) p. 243 sq.) dividi vult in verba intensiva, conativa, durativa, frequentativa (cf. p. 260 s.), in sermone cotidiano usitatissima fuisse, inter omnes qui hanc rem tractaverunt constat. Pauckerus qui l. l. p. 249 sq. et 421 s. tabulam omnium verborum frequentativorum composuit, adiectis verbis compositis 550 verba frequentativa exstare docet. Apud boni stili auctores leguntur 148, quamvis etiam horum nonnulla vulgaria sint velut „observitare". Ante Ciceronis aetatem usurpantur fere 135, cum post Hadriani aetatem tantum 156 nova exsistant. Sed ex hac re concludere, verba illa in sermone familiari posterioris aetatis minus adamata fuisse, non licet. Pauckerus ipse, qui, quamvis illud iudicium non dilucidis verbis ferat, tamen indicare videtur, verba illa apud posteriores non tam usitata fuisse, p. 255 bene affert usum ap. Scriptt. hist. Aug. observatum. Nam apud eos plus quam sexaginta verba frequentativa leguntur, ex quibus unum est novum, cum quinque ex priscorum scriptorum lectione repetita sint. Deinde Kraut p. 5 apte monet, in primo et secundo capite libri XIV ap. Amm. 12 verba frequentativa adhiberi. Mea quidem sententia propterea apud posteriores scriptores pauca nova verba frequentativa inveniuntur, quod iam in sermone familiari antiquae aetatis et apud priscos scriptores horum verborum usus pervulgatissimus fuit. — Ut deminutiva in sermone vulgari saepe deminuendi vi privata sunt, ita etiam verba frequentativa et intensiva in sermone vulgari iam prioris aetatis plane amissa vi frequentandi vel intendendi saepius in locum verbi simplicis recepta sunt. Quae observatio iam a Ludw. p. 31 et a Rebl. p. 28 facta a Wlffl. I, p. 157 et post eum a Lor. p. 58 adn. 48 accuratius amplificata est. Iam vim primitivam horum verborum obscuratam esse, ex nonnullis rebus cognoscitur. Primum ex eo, quod his verbis interdum voculae, ut

„saepe, vehementer, etiam atque etiam" adduntur; deinde ex eo, quod a verbis frequentativis alia verba frequentativa nonnumquam derivantur, ut „cantitare, ventitare" alia. Tertium argumentum est, quod in linguis Romanicis verba frequentativa saepe in locum verborum simplicium successerunt (cf. ajutare; chanter; gettare, jeter.) Accedit etiam aliud, quod non semel in Symmachi epistulis observavi. Is enim, cum de una eademque re verba facit, in una epistula verbo frequentativo, in alia epistula verbo primitivo utitur. Quae cum ita sint, non percipio, quo iure Guer. p. 34 negandum esse censeat, haec verba plane pro verbis simplicibus nonnumquam posita esse. Immo statuendum est, hunc usum valuisse non solum in sermone cotidiano posterioris sed etiam prioris aetatis et inde in scriptorum sermonem effluxisse. Quae res praeter eos, quos iam nominavi, a multis observata est. Cf. Schmil. p. 44 sq. Lor. ad mil. glor. v. 311. Stnk. p. 63. Köhl. p. 8. Hllm. p. 23 s. Thlm. I, p. 103 sq. Ldgr. II, p. 320. Krt. p. 5. Hoc loco etiam nominandae sunt commentationes, quas Jonas (= Jon.) de his verbis accurate scripsit: „De verbis frequentat. et intens. ap. comoed. lat. scriptor." I (pars generalis) Posniae 1871 (= diss. Jen. 4). — II Meseritz. Progr. 1872. — Deinde (III): Zum Gebr. der verba frequentat. u. intens. i. d. älter. lat. Prosa (Cato, Varro, Sallust). Posen 1879. Progr. — Jam ad exempla Symmachiana tractanda transeo:

Adventare = advenire (tantum forma participii praesentis adhibita): II, 85. III, 66. IV, 25 *adventantibus multis*. VI, 24; 25; 70 *adventantium sermo* = IX, 122. VII, 24. VIII, 7. IX, 14. — Quamvis in Ant. s. v. „advenire" praecipiatur, v. „adventare" numquam idem significare atque „advenire", hoc tamen de usu Symmachiano statuendum est. Nam significatio festinandi, quam verbo inesse in Ant. docetur, in exemplis Symmachianis minime deprehenditur. Simile quid Stnk. p. 63 de usu Varroniano observavit. Etiam iis exemplis, quae Jon. II, p. 8 ex poetis comicis affert, festinandi vis non inesse videtur (cf. Jon. III, p. 10).

Agitare = agere: I, 5, 1 *mihi esset adcommodatius agit. vobiscum* (cf. V, 69 *opto in illo sinu agere vobiscum*). II, 32, 2 *intra Campaniae terminos maior mihi pars aestatis agitabitur* (cf. II, 36. IX, 3; 5 *Romae agere*; I, 102 *Mediolanii agere*). IV, 45 *cum res in senatu agitaretur*. V, 76, 2 *inquisitio, quae per*

unum strenue posset agitari. IX, 28 *agitare feras.* — Etiam in Ant. conceditur, verbum eandem fere significationem habere ac v. „agere“. Accurate exempla poetarum et priscorum et posteriorum contulit Jon. II, p. 4, quo clarum fit, apud illos verbum frequentativum saepius pro verbo primitivo usurpari. Apud Cicer. eundem exstare usum, observavit Hllm. p. 24. Nam cum Verr. II, 52. Sest. 131. Mil. 98. dicat *dies festos agere,* Verr. II, 51, 114, 154 legatur *dies festos agitare.* Etiam a Sallustio v. „agit.“ saepius plane pro v. „agere“ adhibetur (cf. Jon. III, p. 6).

Captare uno loco sine dubio pro v. „capio“ usurpatur: III, 86, 2 *plus gaudii quam miraculi capto* (cf. VII, 97 *cepi ex litteris tuis gaudium*). — Jam ap. Plaut. et Ter. vim verbi eodem modo debilitari, ostendunt exempla, quae attulit Jon. II, p. 8 no. a. Cum verbum post comicorum aetatem non pro verbo primitivo positum esse videatur (cf. Jon. III, p. 10), Symmachus fortasse hunc verbi usum ex comicorum lectione repetivit, praesertim cum aliis locis Symmachianis verbo vis quadem conativa insit. (cf. II, 35, 2. III, 32. VIII, 43.)

Coniectare: Symm. et verbo „conicere“ et verbo „coniectare“ sine distinctione utitur. Verbum frequentat. exstat: I, 23, 4 *id ita esse rite coniecto;* I, 53, 1. II, 30, 1 *facile coniectas* (cf. II, 56, 2 *facile conici potest*). II, 36, 2; 46. III, 75. V, 45 *siquidem ex tuo amore coniectas* (cf. I, 44, 2 *ex tuo animo conicies*). VIII, 48. V. „conicio“ praeter eos locos, quos iam comparandi causa attuli, legitur: I, 90, 2. II, 42. V, 18. VI, 3. VII, 27. IX, 17. or. III, 9. — Verbum intensivum ap. Cicer. nusquam deprehenditur, ap. Caesar. semel; praeterea exstat ap. Terr. Varr. (cf. Jon. III, 11), Liv. Cels. Curt. Quint. Tac. Plin. min. Suet. Gell. (cf. Vog. p. 28.), ICt. (v. Drks. Ge.).

Consultare = consulere: X, 2, 1 *quae in me bene consultatis* (cf. I, 17 = VII, 113 *in optimum virum bene consulas*). — Hac significatione verbum tantum invenitur ap. Plaut. Asin. 539 absolute positum, deinde ap. Sall. Cat. 6, 6 et Aur. Vict. Caes. 16, 5 cum dativo casu coniunctum (cf. Jon. III, 11. Ge. no. I. c. Ant. s. v. „consulere“ p. 283 med.).

Fugitare: IV, 68, 1 *litium fugitans* (cf. V, 66, 3 *ipso fugiente*). — Eadem formula *litium fugitans* exstat in Ter.

Phormione. Verbum, quod in bonae prosae oratione omnino non usurpatur, legitur praeterea ap. Plaut. et Ter. saepius, sed non semper vi intensiva obscurata, ap. Nov. com. Lucr. Cic. p. Rosc. Am. 28, 78 plane pro v. „fugere" (cf. Wlffl. I, p. 143. Ldgr. I, p. 31. Thlm. I, p. 102. Ant.); deinde exstat ap. Val. Max. Phaedr. Mart. in Dial. de orat. ap. Front. Lact. Auson. Amm. Ambros. (cf. Ge. Jon. II, p. 5).

Gestare: rel. 4, 1 *ut veterem magistratum dives pompa gestaret;* rel. 9, 6 *ut ovantes equorum dorsa gestarent;* or. I, 23 *urbana insignia gestare;* or. III, 9 *ambo principum monumenta gestatis.* — Verbum non prorsus pro v. „gerere" positum est, cum omnibus locis vim quandam intensivam habeat; loco primo et secundo tantum variandi causa adhibitum esse videtur, cum v. „invehi" vel „invehere" sequatur. Verbum simplex Symm., quantum video, non nisi cum substantivis abstractis coniunctum admittit (cf. I, 34, 1 *plenum laboris negocium gero;* VI, 46 *sollicitudo, quam geritis* etc.) — Quamvis v. „gestare" non plane pro v. „gerere" usurpetur, tamen id sermoni cotidiano adiudicandum esse censeo. Quod iam sensit Jon. II, p. 10, qui adnotat „apud solutae orationis scriptores perraro inveniri videtur." Exstat enim ap. Plaut. saepius, ap. Ter. Cicer. semel (Phil. XI, 5; cf. Merg.), ap. Tib. Hor. saepius, Sen. Plin. mai. Suet. Lact. ICt. (cf. Drks. Ge. Ant.).

Lactare: V, 10 *aures lactare.* VIII, 58 *lactari laude.* IX, 62 *lactari nuntio.* — Verbum plane pro v. primitivo „lacio", quod semel tantum ap. Paul. ex Fest. exstat, usurpatur. Legitur praeterea ap. Plaut. Cist. II, 1, 13 ap. Ter. saepius, ap. Pacuv. Acc. tr. (cf. Jon. II, p. 11), ap. Varr. (cf. Stnk. p. 62). Quod Jon. l. l. addit, verbum prisci tantum sermonis esse, non recte sese habet. Ne id quidem verisimile est, Symm. verbum ex priscorum poetarum lectione petivisse, cum verbum etiam in vulgata quater inveniatur (cf. Rö. p. 213 s.).

Missitare: Verbum, quod omnino sermonis vulgaris est, ap. Symm. pro v. „mittere" adhibetur: VIII, 55 *missitandae*[1]) *litterae.*

---

[1]) Ita ex Scioppii editione bene recepit Seeckius. Iureti editio praebet v. „scriptitare", quod, quamvis etiam ap. Cicer. legatur, non minus sermoni familiari attribuendum est, quam v. „missitare."

— Sall. (cf. Jon. III, p. 8.), Liv. Plin. mai. Front. Solin. Hier. (v. Ge.).

†**Mussitare:** or. I, 8 codex scriptum exhibet *ne quis te mutaret praeiudicium captasse paucorum.* Seeckius, qui antea proposuerat scribendum esse pro perverso „mutaret" „mussaret", nunc probabilius coniecit legendum esse „mussitaret". Invenitur autem verbum eodem admisso sensu, qui hoc loco statuendus est, ap. Plaut. mil. gl. 714 (cf. Brix ad h. loc.), ap. Liv. Claud. Mam. Amm. (v. Ge. no. I). Alia vi verbum usurpatur ap. Plaut. Ter. (cf. Jon. II, p. 6), Apul. Pacat. (v. Ge.). Sine dubio verbum apud posteriores scriptores ex imitatione prisci sermonis ortum est.

Occultare, quod etiam ap. Cicer. et Caesar. occurrit, a Symmacho semel usurpatur vi intensiva vix admissa: IX, 150 *fidem veri occultare non debui,* cum aliis locis legatur verbum simplex veluti I, 44, 2 *aliorum sententias occulendas putavi.* II, 12, 2 aliis locis, ubi potius vis intensiva subesse videtur quam loco IX, 150. — Etiam ap. Sall. verbum sexies usurpari pro v. primitivo, animadvertit Jon. III, p. 12 (cf. et. Jon. II, p. 11).

Receptare = recipere: II, 79, 2 *amicitiae sinu receptare.* — Aliis locis Symm. plane eodem sensu verbo „recipere" utitur. — Verbum „recept." eadem adhibita vi legitur ap. Ter. Liv. Tac. Itin. Alex. Cod. Theod. VII, 14, 1; alio admisso sensu ap. Lucr. Verg. Lucan. Pers. (v. Ge.).

Repensare = compensare: I, 50, 2 *angustias scriptorum multiloquio repens.* II, 76, 2. III, 52 *familiarium religionem frequenti usu vicissitudinis repens.* (cf. VII, 104 *gratiae vicem fide amicitiae rependemus*). III, 73. Verbum, quamvis non prorsus idem significet ac verbum primitivum, omnino sermoni vulgari adiudicandum est; occurrit enim ap. Vell. Col. Sen. Flor. Tert. Solin. ICt. (cf. Drks. Ge. Rö. p. 215).

·Reptare — repere: X, 2, 5 *nos in agendis gratiis humile reptamus.* — Plaut. Ter. (cf. Jon. II, p. 12.), Lucr. Hor. Plin. mai. et min. Gell.; transitive ap. Stat. et Claud. (v. Ge.).

Retentare — retinere: II, 24 *Simplicium retentavi.* V, 20, 2. VIII, 57 *a vobis spe sociandi itineris retentatur* (cf. VII, 27 *alterum quoque delenificis amoris artibus retines*). rel. 3, 13 *agros fiscus retentat.* — Quamquam non pro certo affirmaverim,

verbum pro v. „retinere" positum esse, tamen mirandum est, quod Symm. VI, 41 verbo primitivo utitur: *nisi et me gravedo capitis et Symmachum nostrum febris inopinata retineret.* ubi potius verbum intensivum, si re vera ei inesset vis intensiva, exspectaremus quam aliis locis. Utcunque res se habet, verbum „retentare" omnino sermoni familiari attribuerim: legitur enim ap. Plaut. Lucr. Corn. rhet. Cic. poet. Liv. Val. Fl. ICt. (cf. Drks. Ge.).

Tutari ap. Symm. sine distinctione pro v. „tueri" usurpari videtur: I, 64, 1 *Clemens Caesaream tutatus est.* VII, 126. IX, 11, 1 *auxilio tuo tutata possessio.* rel. 48, 1 *senatorum iura tutari* (cf. V, 96 *ut homines meos solito favore tuearis postulare non debeo.* VIII, 17 *hortor, ut domum nostr. forensis industriae tuearis officio*). — Verbum iam apud comicos poetas pro v. „tueri" usurpari, demonstrat Jon. II, p. 14.

Victitare: I, 33 *aiunt cocleas, cum sitiunt roris suco proprio victitare.* — Symm. his verbis respexit ad Plauti locum (Captiv. v. 78 sq.). Sed satis memorabile est, quo modo Symm. hunc locum imitatus sit. Cum enim Plautus versu 79 de cocleis adhibeat verbum „vivere" (*cocleae suo sibi suco vivunt*), versu 81 de parasitis, qui cum cocleis conferuntur, dicit metri vel variandi causa *miseri victitant suco suo.* Symm. vero verbum „victitare" de cocleis usurpat, sive quod illum locum Plautinum non satis in memoria tenuit, sive quia eum consulto immutavit. Certe ex eis, quae disputata sunt, apparet, verbum intens. „victitare" plane pro v. „vivere" in usu fuisse. Exstat v. „victitare" praeterea saepius ap. Plaut. et ap. Ter. — Ap. Gell. (cf. Vog. p. 28.), Solin. Amm. verbum non minus quam ap. Symm. ex prisci sermonis imitatione profectum esse, verisimillimum est.

§ 24. De verbis inchoativis.

Ut verba frequentativa et intensiva etiam verba inchoativa in sermone vulgari saepe pro verbis simplicibus ponuntur oriendi vi plane obscurata. Hunc usum, qui ex studio plebis ampliores formas usurpandi natus est, nondum satis observatum esse video, quoniam Schmil. p. 47. Ldw. p. 31. Guer. p. 34. eum leviter tantum attigerunt. Ex Symmachianis exemplis huc pertinent:

Arescere: I, 45, 1 *litteras peto, quae aresc. nesciunt* (cf. I, 43, 2 *obiectu pudoris a r e r e*). Duobus locis significationem eandem esse, patet. — Verb. inchoat. omnino rarioris usus est; occurrit enim ap. Plaut. Corn. rhet. Cic. perraro, Lucan. Tac. Aur. Vict. Ámm. ICt. (cf. Drks. Ge.).

Clarescere: VII, 95 *occasionem dabit qua ... tua in eum clarescat affectio.* Non dico hoc loco oriendi significationem omnino non adesse, sed verbum simplex certe suffecisset, ut colligi potest ex loco I, 60: *cui ego propterea factum volo, ut mei testimonii fides c l a r e a t.* — Verbum „clarescere", quod omnino non raro obviam fit, ap. Cicer. non legitur (v. Ge.).

Frigescere: I, 58 *ager, qui sub aestivo sole de nemore et fonte frigescit,* IV, 70, 1 *vereor ne ludificationibus res iniuncta f r i g e s c a t.* (cf. II, 13, 3 *f r i g e n t vetera decreta.* III, 6, 1. IV, 25 *quaeso, ne amicitiae munia f r i g e r e patiaris.* VI, 11, 1. VIII, 12 *velim cogites amicitiarum non f r i g e r e respectum.* IX, 131). — Verbum „frigescere" praeterea legitur ap. Liv. Andr. Caton. Lucr. Cels. Pers. Curt. Tac. Quint. Hier. (v. Ge.).

Horrescere: VI, 40, 1 *illud ante omnia interpretatio tristis horrescit, quod ....* (cf. VI, 65, 1 *h o r r e t animus loqui dura memoratu*).

Quoniam de verbis inchoativis verba fiunt, addo verba nonnulla inchoativa vel suffixo -sco formata significationeque inchoativa praedita, quae, quamvis etiam in usu Symmachiano vis illa inchoativa iis insit, omnino sermoni vulgari attribuenda sunt. Nam copiam verborum inchoativorum in sermone vulgari praecipue posterioris aetatis multo maiorem fuisse constat (cf. Wlffl. II, p. 416). Omisi tamen ea verba, quorum tantum tempus perfectum in -ui legitur. Facio enim cum Pauckero, qui (cf. Materialien 1, p. 3) talia perfecta non ad verbum inchoativum sed ad primitivam verbi formam pertinere putat.

Crudescere: I, 100, 1 *vulnera crudescunt.* III, 62. — Verg. Val. Fl. Tac. Auson. Claud. (v. Ge.).

Ditescere: I, 5, 2 *quaestuum summa ditescit.* VII, 9 *litterarum dote ditesc.* VIII, 20, 1 *nova fruge ditesc.* — Lucr. Hor. Sat. Pers. Claud. August. (v. Ge. Ant. s. v. „ditare").

Flavescere: I, 37 *non frustra praedicant, mentes hominum*

nitere liquido die coacta nube flavescere. [1]) — Translate, ut hoc loco ap. Plin. mai., sensu proprio ap. Verg. Ovid. (v. Ge.).

Incalescere: III, 71 *officiorum diligentia fructu vicissitudinis incalescit.* — Prop. Ov. Liv. Col. Curt. Sen. Tac. Solin. Amm. ICt. (Drks.), Isid. (cf. Ge. Ant.).

Inolescere intransitive: I, 1, 2 *si Baulorum mihi inolevisset adfectio.* or. III, 6 loco ex Vergilio sumpto, qui Georg. II, 76 idem adhibet verbum. — Col. Sil. Gell. Auson. Pacat. Macr. Transitive ap. Gell. Auson. in Vulg. (v. Ge.).

Insolescere: I, 43, 1 *successu eloquens insolescit.* — Sall. Tac. Justin. Amm. Cod. Theod. (Drks.). Alio sensu: Tiro ap. Gell. Tert. Vulg. Hier. (cf. Rö. p. 194. Ant. Ge.).

Labascere: IV, 34, 4 *labascit fides.* — Non dubium est, quin Symm. verbum ex priscorum poetarum sermone repetiverit. Invenitur enim ap. Plaut. Ter. Acc. Lucr. Varr. Idem indicandum de usu ap. Gell. XV, 2, 7 (cf. Ge. Ant.).

Lentescere translate: IV, 72 *laude lentescere.* IX, 25, 2 *beneficii auctoritas lentescit.* — Ov. Ambros. Sensu proprio ap. Verg. Col. Tac. (v. Ge.).

Monendum mihi est hoc loco, verba desiderativa, quae in sermone vulgari prioris aetatis adamata fuerunt (cf. Stin. p. 16 s. Ldw. p. 32. Stnk. p. 64. Ldgr. II, p. 321, nunc imprimis Wlffl. Archiv f. lat. Lexicogr. u. Gramm. I, 3, p. 408—414.), apud Symmachum non inveniri.

§ 25. De verbis denominativis in -are.

Primus Ldw. p. 32 bene animadvertit, permagnam esse in sermone vulgari copiam verborum, quae a nominibus (substantivis, adiectivis, adverbiis) imprimis secundum primae coniugationis formas flectuntur. Cf. etiam Rbl. p. 25. Guer. p. 35 s. Stnk. p. 64 sq. Wlffl. II, p. 413 sq., qui maxime de significatione

---

[1]) Ita bene ex codice V restituit Seeckius, cum antea in editt. ex coniectura, ut videtur, legeretur „flaccescere“. Quod verbum, quamvis per se non ineptam praebeat lectionem, verbo „nitere“ non apte opponitur. Cod. F habet „falcescere“, *Π* „fatescere“. Erat, cum suadente *Π* conieci scribendum esse „fatiscere“. Sed nunc in lectione codicis V acquiesco.

transitiva vel intransitiva horum verborum disputat. Accurate omnia verba denominativa collegit et disposuit Pauckerus, Ztschr. f. vergl. Sprachforschg. XXVI (1883) p. 261 sq. et p. 422 s., ubi supplementum additum est. Testante Pauckero, qui in tabulam etiam participia, quae in adiectivorum locum abierunt, (cf. § 19) et verba composita recepit, exstant 1816 verba denominativa in -are. Quorum post Hadriani aetatem inveniuntur 758; ante Ciceronis aetatem 132 deprehenduntur, cum apud Ciceronem et Caesarem tantum 401 formae legantur. Quo conspectu apparet, quam recte Ldw. aliique haec verba in sermone vulgari admodum adamata fuisse praeceperint. — Apud Symmachum magnum numerum talium verborum inveni. Afferenda sunt haec:

Aggerare translate: IV, 19, 1 *taxatione pretiorum graviter aggerata.* — Verg. Stat. Sil. Sensu proprio ap. Vitr. Col. Tac.; alia significatione ap. Apul. (cf. Ge.).

Alternare transitive: IV, 55 *alternandi stili usus.* V, 70 *alternandae epistulae.* — Ov. Sen. Sil. Plin. mai. Justin. Fronto, ICt. (Drks.). Intransitive ap. Verg. Plin. mai. Tert. (v. Ge.).

Animare (de substantivo „animus“ derivatum): III, 7. V, 75 *quem meus hortatus animavit.* V, 89 *an. incentivo quodam mutui sermonis.* VI, 22, 1. VII, 82. VIII, 39. — Plaut. Titin. Macr. Veget. ICt. saepius (cf. Drks.). Non plane eadem adhibita significatione ap. Cicer. perraro et ap. Tac. (cf. Ge. no. II. et Ant.).

Artare: III, 1 *art. paginam limite parciore.* V, 34, 1; 38 *art. intervallum dierum.* VII, 105, 1 *artari angustiis.* — Verbum, quod omnino non raro occurrit, ap. Cicer. et Caesar. non legitur. (cf. Ge.).

Calcare sensu proprio: III, 10 *vestis in humum demissa calcatur.* or. II, 26 *calc. flumen.* — Translate: rel. 12, 2 *gaudia corporis calc.* 41, 2 *novo ausu calcata praescriptio est.* — Verbum ap. Ciceron. et Caesar. desideratur, cum apud alios scriptores saepius exstet (cf. Ge.).

Calculare: or. II, 2 *annos imperii de aetatibus novarum urbium calc.* — Chalcid. Prud. Translate ap. Sidon. (cf. Ge. et Ant.).

Causari: I, 80 *alia multa causabere.* VII, 50, 2. — Pacuv. Acc. Afran. Lucr. Verg. Sall. Liv. Ov. Curt. Tac. Suet. Gell. Auson. ICt. (Drks.), Avit. Alio sensu ap. Cl. Mam. Salv. (cf. Ge. et Ant.).

Celerare transitive: VI, 42 *pervectio celerata.* — Plaut. Turpil. Verg. Val. Fl. Tac. (v. Ge.).

Concordare intransitive: V, 42 *sententia nostra concordat.* VI, 33. — Ter. Cic. semel, Tusc. IV, 30. Ov. Sen. Quint. Justin. Apul. Amm. Vulg. ICt. (Drks.). Transitive ap. Papin. et Augustin. (cf. Ge.).

Continari (ita enim optimi codices scriptum exhibent non „continuari"): I, 53, 2 *in silvis Apollinem cont.* IV, 44. — Sisenn. fr. Hygin. (ex coniectura), Apul. Eumen. pan. Const. Cf. Kiessling. in progr. Grypisvald. aest. 1883 p. 3—5 (Seeckio in edit. praef. adn. 55 monente), qui ceterum indicat, vv. „continari" et „continuari" non solum differre forma, verum etiam origine et significatu prorsus diversa esse (v. Ge.).

Culpare = accusare: V, 43. IX, 27 *silentium culp.* rel. 4, 3. 17, 2. — Plaut. Ter. Lucil. Verg. Hor. Ov. Col. Quint. Suet. ICt. (Drks.), Avit. (cf. Ge. et Ant.).

Decolarare: I, 20, 2; 40 *fortunae licentia, quae interdum optimos decolorat.* II, 75 = IX, 51. rel. 8, 1. 21, 4. — Corn. rhet. Hor. Cels. Col. Cass. Parm. ap. Suet. Scriptt. hist. Aug. Vulg. Ambros. August. ICt. Avit. (cf. Drks. Ge. Rö. p. 385).

Defaecare: III, 23, 1 *condita musta defaec.* Translate: V, 75 *mores defaecati.* — Sensu proprio ap. Plaut. Col. Plin. mai. Veget. Translate ap. Plaut. (cf. Schmil. p. 44), Ambros. August. Salv. Schol. Bern. in Verg. (cf. Ge.).

Deflorare translate: IV, 63, 1 *quadrigae, quas tua defloret electio.* V, 82. — Cassian. Cassiod. Translate ap. Amm. Ambros. Avit. Schol. Bob. ad Cicer. (cf. Ge.).

Deteriorare: IV, 68, 3 *habita deterioratae rei aestimatione.* — Claud. Mam. Ambros. (cf. Rö. p. 171), ICt. (Drks.). Cf. Ant. Wlffl. II, p. 418. — Praeter v. „deteriorare" a comparativis derivata sunt haec verba: „certiorare, maiorare (in glossis), meliorare, minorare, peiorare". Omnia haec verba sunt aetatis post Hadrianum. Cf. Paucker. l. l. p. 268, adnot. 32.

Devenustare: I, 79 *actuum gratiam deven.* I, 94 *operam deven.* VIII, 30 *iudicii veritatem dev.* IX, 42, 2 *fidem senatoriam dev.* rel. 36, 1. — Gell. (cf. Vog. p. 25), Mamert. Auson. Sidon. (v. Ge.).

Deviare: IX, 150, 2 *a definitione dev.* rel. 3, 6. — Auson. Amm. Macr. Hier. Cod. Theod. (Drks.), Prisc. (cf. Rö. p. 170. Ge. Ant.).

Ditare: I, 89, 1 *loquendi phalerae, quibus te natura ditavit.* VI, 78. rel. 41, 5. or. II, 24 *elementis quodammodo ditatam cerno rempublicam.* — Lucr. Corn. rhet. (cf. Thlm. I, p. 37), Hor. Liv. Val. Max. Eutr. ICt. (cf. Drks. Ge. Ant.).

Dotare: X, 1, 1 *fidem gestorum debueras linguae honore dotare.* — Verg. Ov. Plin. mai. Suet. Justin. Apul. Pall. Pacat. ICt. (cf. Drks. Ge.).

***Edecumare** (cf. v. edecumatus § 19): V, 83 *equos lectissimae nobilitatis edec.* VI, 10. VII, 48. IX, 12; 23, 2; 38. — Macr. Verbum ap. Symmachum primum legi videtur.

***Eventilare:** I, 15, 1 *necdum eventilatam auribus nostris auditionis meae fidem dictavi.* — Similiter ap. Sidon. ep. I, 9 legitur „eventilare opes". Alio sensu admisso verbum invenitur ap. Col. Plin. mai. Justin. Hier. (cf. Ge.).

Exonerare translate: II, 27 *exoneratus publicis necessitatibus.* — Liv. Curt. Sen. Petr. Tac. ICt. (Drks.). Sensu proprio exstat ap. Plaut. Ov. Plin. mai. Suet. Solin. Apic. (cf. Ge.).

Fascinare (cf. v. effascinare § 26. 4): I, 48 *quis oculus fascinavit destinatam quietem?* (cf. I, 13, 4 *fascino morderi* = Pass.) — Catull. Verg. ecl. Tert. Vulg. Veget. (cf. Ge.).

Foederare: VIII, 43 *caritas iudicio foederatur.* IX, 144 *amicitiam votivo pignore foed.* — Ann. Flor. Paul. Nol. Jul. ap. August. Pacat. Amm. Hier. Heges. (cf. Ge. et Ant.).

Fuscare (cf. v. infuscare § 26. 5): I, 3, 3 *sobriam solitudinem fusc.* I, 40 ... *quem nulla actuum culpa fuscavit.* — Ov. Sen. mai. et min. Val. Fl. Lact. Pacat ICt. (Drks.), Sidon. Intransitive ap. Stat. (cf. Ge.).

Hebetare: III, 6, 1 *heb. laxatum dolorem.* IV, 72. VI, 45 *praesentia hebetantur incommoda.* — Liv. Ov. Cels. Sen. mai. Plin. mai. et min. Justin. Solin. Lact. Donat. Aur. Vict. Cod. Theod. XIII, 11, 1 (cf. Ge.).

Initiare: IV, 20, 2 *dum filius meus Graecis litteris initiatur.* — Ex sacrorum, ut videtur, sermone ap. Ter. Cicer. perraro. Liv. Plin. mai. et min. Quint. („studiis initiari"), Apul. ICt. (Drks.). Alio sensu ap. Tert. Min. Fel.; alio ap. Pall. Firm. Mat. (cf. Ge. et Ant.).

Integrare: I, 45, 1 *animi vigorem integr.* IV, 6, 1; 19, 2; 65. VI, 20; 70. VII, 93. 117. VIII, 73. IX, 96 *integro salutationem.* IX, 150, 1. rel. 39, 2. 44, 2. — Lucr. Cic. semel, de inv. I, 25 (cf. Thlm. II, p. 209), Verg. Liv. Tac. (alio sensu), Gell. ICt. (cf. Drks. Ge.).

Intimare translate: I, 89, 2 *quid varia ingenia senserint, intimavi.* III, 30. IX, 11, 2. rel. 20, 1. 24, 3. 26, 6. 28. 6 *quaesita et responsa partibus intimantur.* 29, 2. 34, 11. — Apul. Tert. Solin. Cypr. Commod. Arnob. Scriptt. hist. Aug. (cf. Pauck. I, p. 102 s.), Firm. Mat. Chalcid. Ambros. Heges. Amm. Veget. Hier. Sext. Ruf. Sulp. Sever. Mart. Cap. Cael. Possid. vit. Aug. Vict. Vit. ICt. (Drks.), Sidon. Ennod. Eugipp. Avit. Fulgent. (cf. Ge. Ant. Rö. p. 173. Wlffl. II, p. 418. Sttl. p. 103 s.). — Pauckerus l. init. § 1. p. 272 n. 47, Wlffl. Sttl. l. l. omnia verba in -are, quae a superlativis derivata sunt, contulerunt. Sunt haec: „extimare, infimare, intimare, pessimare, postumare, proximare, summare, ultimare". Quae verba imprimis Africanis scriptoribus in deliciis fuisse videntur, quamvis etiam ab aliis adhibita sint. (cf. Sttl. l. l. p. 103 adn. 48.).

Lactare (cf. v. lactare § 23): or. III, 6 *lactans infantia.* — Liv. Andr. Tert. Commod. Edict. Diocl. Itala Math. Auson. August. Schol. Juv. Alia adhibita vi ap. Varr. Lucr. Verg. Ov. Cinn. fr. Gell. Solin. Ser. Samm. Vulg. Vict. Vit. August.; alio sensu ap. Mart. Cels. Apic. (v. G.).

Librare (cf. v. libratio § 4): or. III, 11 *perpensa examinatione libr.* — Pers. Stat. Nazar. Pan. Amm. Vulg. Jes. (proprie), Cod. Theod. (Drks.) (cf. Ge. no. I). De alio usu verbi, quod etiam ap. Cicer. semel deprehenditur cf. Ge. et Ant.

Luminare: IV, 70, 1 *cui vigilantia superest ad luminandas publicae rationis ambages.* — Apul. Cypr. Avien. Cael. Aur. (cf. Ge. Rö. p. 160).

Macerare: II, 22, 1 *macerari otio civitatis* (= urbis). II, 76, 2 *catuli macerati inedia et labore.* VI, 43; 62. VIII, 6; 19, 2

intuta ablegatione macerari. — Plaut. Ter. Afran. Varr. Caes. fr. Hor. Ov. Liv. Vitr. Vell. Col. Curt. Sen. mai. et min. Calpurn. Plin. mai. Quint. Cod. Theod. (cf. Drks. Ge. Ant.).

Mancipare: IX, 45 *totum animum recensendae paginae manc.* or. II, 6 *Alamanniam manc.* II, 12; 19; 24 *amnes mancipantur.* — Plaut. Hor. Plin. mai. Tac. Apul. Solin. Lact. ICt. saepissime (cf. Drks. Ge.).

Memorare: I, 60 *quod memorandum putavi.* VI, 65 *dura memoratu.*[1]) IX, 84 *id de epistulis tuis iure memoraverim.* rel. 33, 3. — Plaut. Enn. Vet. poet. ap. Cicer. Lucr. Sall. Cic. perraro, Verg. Hor. Ov. Liv. Val. Max. Col. Mela, Curt. Plin. mai. Tac. Quint. Suet. Cod. Theod. (cf. Drks. Ge. Ant.).

Munerari: I, 21; 57; 85; 104. II, 64, 2; 69; 80. III, 18, 2; 37; 64; 86, 1. IV, 4, 4; 26. V, 2; 61. VII, 55; 86. VIII, 4; 5. IX, 60; 71, 1. rel. 5, 2. 7, 3. 9, 6. Uno loco VIII, 43 Seeckius ex auctoritate codicis F^2 et II edidit formam activam. Sed non dubito, quin etiam hoc loco cum codicibus F^1 et F^3 deponens restituendum sit et scribendum *mea cura non deerit, quae te stili vicissitudine muneretur,* cum non verisimile sit, Symmachum, qui 24 locis deponens exhibet, hoc uno loco formam activam usurpasse. Praeterea etiam saepius de eadem re verba facit semper adhibita forma „munerari". Cf. I, 85 = VIII, 4 *vicissitudine munerari.* III, 37 *sermone vicario munerari.* III, 86, 1 *indulgentioribus epistulis amicitiam munerari.* VII, 55 *litteris nos muneraris.* — Turpil. Cic. ter (de inv. II, 3; parad. V, 39; ad Att. VII, 2, 3; cf. Hllm. p. 19), Hor. epod. (cf. Ge. et Ant.).

Mutilare: II, 91, 2 *queritur agros suos mutilari.* III, 53. rel. 40, 2 *summa media parte mutilata est.* — Ter. Cic. in oratt. Philipp. Ov. Liv. Curt. Plin. mai. Spart. ICt. saepius (cf. Drks. Ge.).

Participare 1) alqd: II, 36, 4 *participata solacia.* IV, 20, 2 *labor participatus.* V, 92. VI, 80. VII, 93 *gaudia part.* VII, 100.

---

[1]) Facio cum Ge., qui s. v. „memoratus" iudicat, formam „memoratu" non pro ablativo substantivi „memoratus" sed pro supino verbi „memorare" ducendam esse.

VIII, 71. — 2) alqm alqua re: II, 81, 1 *filius noster ceteras necessitudines pari honore participat.* V, 91. — Plaut. Enn. fr. Lucr. Cic. de legg. Liv. Justin. Gell. Apul. Iren. interpr. Lact. Auson. Vulg. ICt. (Drks.), Paul. Nol. Sulp. Sev. (cf. Ge. et Ant.).

Profanare: or. I, 14 *nondum adulta rerum a te gestarum profano monumenta.* — Exstat verbum eodem sensu ap. Apul. et Pall., alio ap. Liv. Ov. Curt. Quint. Tert. Sulp. Sev. ICt. (cf. Drks. Ge. Rö. p. 387).

Propinquare = appropinquare: rel. 6, 2 *nuntii, qui propinquare urbi munera promissa confirmant.* — Sall. fr. Verg. Sil. Stat. Tac. Lact. Amm. Aur. Vict. ICt. (cf. Drks. Ge. Ant.).

Propitiare: I, 49 *Jovem prop.* IV, 43. — Plaut. Val. Max. Curt. Sen. Plin. mai. Tac. Suet. Vulg. (cf. Ge. Ant. Rö. p. 169).

Proterminare: IX, 69 *vereor, ne te diu ab urbe proternines.* — Apul. met. Sidon. (v. Ge.).

Pullulare intransitive: or. I, 3 *meruisti, ut de te sacra germina pullularent.* — Nep. Cat. 2, 3 (cf. Lupus, Sprachgebr. d. Corn. Nep. p. 218), Verg. Col. Apul. Cypr. Amm. Salv. Cod. Theod. XV, 2, 1. Transitive ap. Apul. Lact. Ambros. Fulg. (v. Ge.).

Reformare: I, 74 *ref. statum* = rel. 33, 2. III, 53; 83. VII, 43 *ref. gressum.* — Val. Max. Sen. Plin. min. Solin. Scriptt. hist. Aug. Eutr. ICt. (Drks. § 3). Alia vi ap. Ov. Plin. min. Apul. Eumen. (Drks. § 1 et 2) (cf. Ge. et Ant.).

Reluctari: rel. 28, 1 *heredes Thesei, qui reluctarentur, obiecti sunt.* — Hor. Ov. Vell. Tac. Plin. min. Claud. ICt. saepius (cf. Drks. et Ge.).

Ruminare translate: I, 53, 1. III, 13, 2 *dum carmina tua ruminas.* — Verg. Ov. Col. Plin. mai. Vulg. Hier. Aug. Paul. Nol. Apud Liv. Andr. Varr. Gell. forma „ruminari“ deprehenditur (cf. Ge.).

Rutilare intransitive: or. VI, 1 *stellarum ignes rut. non sinit candor diei.* — Acc. tr. fr. Verg. Plin. mai. Tac. Min. Fel. Venant. Fort. Transitive ap. Liv. et Plin. mai. (v. Ge.).

Scintillare translate: VII, 9 *scint. acuminibus epistulas tuas gaudeo.* — Plaut. Verg. Calp. Sil. Ambros. August. (cf. Ge.).

Secundare: I, 28; 77 *secundante fortuna.* IV, 36, 2. V, 69; 78 *valetudinem tibi secundare gratulor.* VII, 20. VIII, 13 *tibi*

reditus felix secundet. — Ter. (sed non plane eadem vi), Verg. Prop. Tac. Justin. Vopisc. Jul. Vict. (cf. Ge. et Ant.).

Sequestrare = bei Seite lassen: I, 55 *sequestrata consideratione fortunae.* I, 68. V, 40 *sequestrata adfectione.* VI, 76. IX, 82. rel. 30, 2. 33, 4 *sequestrari mobilia praecepi.* — Tert. Treb. Poll. Vopisc. Veget. Heges. Macr. ICt. (Drks.), Sidon. Ennod. Avit. Boet. Alio sensu ap. Eccl. (cf. Ge. et Ant.).

Solidare: V, 58 *spem futurae pro eo actionis non levi apud amicos commendatione solidaveram.* rel. 8, 4 *immortali lege solid.* — Verg. Vitr. Plin. mai. et min. Tac. Itin. Alex. Chalcid. Pan. in Constant. Aur. Vict. ICt. (Drks.), Ps. Ascon. (cf. Ge.).

Sospitare: VII, 16, 2 *aures sosp.* — Plaut. Enn. fr. Catull. Liv. (cf. Ge.). — Symmachum verbum ex priscorum scriptorum lectione sibi assumpsisse, verisimile est.

Stabulare: I, 1, 5 (poet.) *stabulanda armenta.* IX, 24, 2. — Varr. (cf. Stnk. p. 65), Verg. Ov. Col. Stat. Apul. (cf. Ge.).

Stellare translate: III, 11, 3 *quanto verborum auro stellatur materia!* — Plin. mai. XXXVII, 100. — „Stellatus" et „stellans", quae plane pro adiectivis usurpantur etiam ap. Cicer. exstant (cf. Ge.).

Stillare intransitive: I, 45, 1 *litterae de summo ore stillantes.* IV, 28, 3. — Varr. Cic. perraro, Ov. Stat. Sen. Calpurn. Lact. Transitive ap. Hor. Ov. Plin. mai. Juven. (cf. Ge.).

Sublimare translate: or. I, 6 *sublimandum alqm aestimare.* — Enn. fr. Cato origg. Vitr. Apul. saepius, Tert. Min. Fel. Jul. Val. Mamert. Amm. Prud. Vulg. Macr. August. Aur. Vict. ICt. (Drks.), Sidon. Avit. (cf. Ge. Ant. Rö. p. 169).

Temerare: I, 74 *temerata possessio.* III, 53 *fallaciam temerati iuris alieni expurgare.* — Verg. Liv. Ov. Sil. Tac. Apul. Claud. Sulp. Sev. (cf. Ge. et Ant.).

Tripudiare: IX, 28 *supra epistulae temperamentum verbis tripudiasti.* — Acc. tr. Cic. Sest. 88. Liv. Sen. Lact. Macr. Victorin. Ambros. Porphyr. Vict. Vit. Venant. (cf. Ge.).

Trutinare: II, 25 *insinuata trut.* III, 74, 1. IX, 7, 1. or. II, 17 *urbium fata trutinata sunt.* — Hier. ICt. (Drks.), Sidon. Cassiod.

Uberare transitive: I, 43, 2 *mihi curatio est, ut amicitiam tuam boni uberent.* III, 1 *ieiunas aures meas adfatus largior debuit uber.* — Pall. Eumen. Intransitive ap. Col. (v. Ge.).

Vacuare: VI, 11, 2 *agri dotibus vacuati.* VI, 59 *secundae litterae promissa vacuarunt.* VI, 64 *purgatorio medicamento alvum vac.* IX, 40.[1]) rel. 32, 3 *scita nullis principum vacuata responsis.* rel. 34, 4 *sententias vac.* — Varr. ap. Prob. Lucr. Col. Sil. Stat. Frontin. Mart. Quint. Ambros. Aur. Vict. ICt. (Drks.), Avit. Anthol. Lat. (cf. Ge. et Ant.).

Vadari (cf. v. vadatus § 20): VIII, 66 *vadari me tibi fateor.* — Plaut. Cic. perraro, Liv. Ov. (cf. Ge.).

Ventilare: or. II, 24 *ventilemus prisca monumenta.* — Fronto. ICt. (Drks. § 3) (cf. Ge. no. II. 1. c. et Ant.). De alio verbi usu v. Ge. Rö. p. 384.

Viare: I, 80 *viandi negotium.* — Lucil. ap. Non. Apul. Solin. Amm. Ambros. Heges. Prud. Sulp. Sev. Sidon. Cf. Quint. VIII, 6, 33 „infelicius fictum" (v. Ge. Ant. Rö. p. 162).

Vulgare: I, 95, 3 *Polluces proelii secunda vulgarunt.* VI, 16. VIII, 13; 61 *vulgati proverbii est.* — Plaut. Varr. Cic. perraro, Verg. Liv. saepius, Curt. Mart. Tac. Quint. Suet. Aur. Vict. Hier. ICt. Avit. (cf. Drks. Ge.).

Verba denominativa in -are, ad quae enumeranda nunc transeo, apud bonae quoque prosae auctores leguntur sed non ea adhibita significatione, qua apud Symmachum aliosque usurpata inveniuntur.

---

[1]) Seeckius edidit, ut est in codice II *agri culturae vacuati et fessi onere munerum publicorum iudiciaria auctoritate refovendi sunt.* Sed non intellego, quomodo verba *culturae vacuati* explicari velit. Mea quidem sententia ad verbum „vacuati" casus ablativus desideratur. Quod iam sensit Lypsius coniciens scribendum esse *cultore vac.* quod posteriores editores in textum receperunt. Attamen putaverim, idem fere significare voluisse Symmachum, quod VI, 81 verbis *neque ager cultura nitet* et propterea scripserim *agri cultura vacuati* h. e. agri, qui carent cultura. Praeterea monendum est, codices F[1] et F[2] (et quodammodo etiam F[3], in quo errore sine dubio legitur *evacuari*) praebere *evacuati.* Quae lectio fortasse vera est et scribendum *agri cultura evacuati* h. e. agri, qui cultura plane vacuati sunt.

Allegare = affirmare: II, 20. III, 69, 1. IV, 33, 1; 34, 3, 4; 61, 2. V, 28. VI, 6, 2; 37; 69. VII, 89; 108. IX, 117. rel. 16, 2. 19, 3. 33, 2. 44, 1. — Tac. Quint. Plin. min. Apul. ICt. (cf. Drks. Ge. no. II. Ant.).

Antiquare: III, 9 *memoriam praeteritae intermissionis antiquavit gratia recentis officii.* VI, 28. or. II, 16 *antiquata sunt delicta maiorum.* — Vulg. ICt. (cf. Drks. Ge. no. II).

Auspicari: VI, 60 *officium litterarii muneris ausp.* VIII, 56 *litteras ausp.* (cf. VIII, 60 *auspicium salutationis capere* Pass.). — Vell. Val. Max. Col. Sen. Tac. Plin. min. Suet. Justin. Solin. Cod. Theod. (cf. Drks. Ge. no. II. Ant.).

Honorare alqm alqua re = donare: II, 81, 2. V, 62 *senatum privilegio hon.* VI, 67, 1. IX, 23, 1 *amicitiam litteris hon.* IX, 120 *amicos munusculis hon.* rel. 3, 15. 13, 2. or. IV, 15. — Liv. Vell. Suet. Aur. Vict. ICt. (cf. Drks. § 2. Ge. no. II. A.).

Iaculari transitive et translate: VII, 61 *in me iaculatus es oris tui munera.* — Lucr. Petr. Quint. August. (cf. Ge. no. II. A. 2.). Apud Cicer. verbum tantum intransitive ac sensu proprio adhibetur.

Publicare: I, 14, 1 *infantiae maciem publ.* I, 31, 2 *oratio publicata.* II, 12, 2; 57, 2. V, 63, 3. VI, 12, 1; 43 *crocodilli theatrali spectaculo publicati.* VIII, 22, 1. rel. 33, 3. 41, 3. or. II, 24 *victoriis externus fluvius publicatur.* — Sen. Tac. Plin. min. Suet. Justin. Scriptt. hist. Aug. (cf. Pauck. I, p. 108), ICt. saepius (cf. Drks. Ge. no. II. Ant.).

Renuntiare: III, 44, 1. V, 68, 3 *ren. operi.* VI, 67, 2 *renuntias stagna verrentibus.* VII, 31. or. IV, 8. — Quint. Plin. min. Suet. Tert. Iren. Cypr. Vulg. (cf. Rö. p. 379 s.), Hier. Sulp. Sev. ICt. (cf. Drks. § 2. Ge. no. II. b.).

Rusticari = agriculturae studere: III, 23, 1 *nos hic in otio rusticamur.* III, 82, 1 *ruri sum nec tamen rusticor.* IV, 32, 2. V, 68, 2. VII, 15. VIII, 69 *rusticari te adseris et ducendis vitibus aut arboribus inserendis crudam senectutem fovere.* — Hoc sensu verbum usurpatur a Col. et participium ab Aur. Vict. (cf. Ge. no. I. 2). Quod ap. Cicer. verbum significat, Symmachus exprimit locutione „ruri esse“ (cf. III, 82, 1; III, 45, 1 *ruri eram*), „ruri agere“ (cf. VII, 43), „ruri otiari“

(cf. IX, 83, 1), „ruri obversari" (cf. III, 1), „ruri positum esse" (cf. III, 2).

Sauciare translate: VI, 29, 1 *valetudo ieiuniis sauciata*. VI, 34. IX, 10 *fortunae telo sauciatus*. — Crediderim, Symmachum hunc verbi usum ex Plauti lectione repetivisse, nisi eadem verbi significatio etiam ap. ICt. exstaret (cf. Drkš. Ge. no. II.).

Caput II.

De compositione.

Venio nunc ad aliud genus, quo nova vocabula formari possunt, dico compositionem. Sed in hac quoque disputationis parte non est mihi in animo, ut omnia composita, quae apud Symmachum leguntur, pertractem, sed de iis tantum disputabo, quae propter componendi rationem sermoni vulgari attribuenda sunt.

§ 26. De vocabulis cum praepositionibus ad- con- de- ex- in- compositis.

Cum praepositiones „ad, con, de, ex, in" proprie vocabulo, quocum compositiae sunt, peculiarem tribuerent significationem, paulatim suam vim amiserunt, ita ut vocabula composita plane pro simplicibus usurparentur. Quae res, quod iam in usu deminutivorum et verborum frequentativorum observatum est, inde initium cepit, quod in sermone vulgari formae pleniores admodum adamabantur. Ita factum est, ut vocabula composita adhiberentur, ubi simplicia suffecissent. Cicero, qui in prioribus scriptis huic usui saepius indulsit, postea etiam hac in re abundantiam illam sermonis amovit et composita ita fere admisit, ut iis propria inesset vis. Rem ita sese habere in compositis praepositionibus con- ad- de- effectis iam a compluribus observatum est. Cf. Wlffl. I, p. 157 sq., II, p. 420 s. Rbl. p. 29. Schmil. p. 40 sq. Lor. adn. 36. Guer. p. 38 s. Stnk. p. 70.

Köhl. p. 15 sq. Hllm. p. 25 sq. Thlm. I, p. 5 sq. Ldgr. II, p. 321. Pauck. I, p. 55 sq. Sed etiam verba cum praepositionibus ex- et in- composita huc pertinere puto (cf. § 26. 4 et 5).

1. De vocabulis cum praepositione ad- compositis.

Adaperire: IX, 17 *adaperta distributio signavit.* — Stat. Theb. I, 396. Lucr. Liv. Col. Sen. Plin. mai. Alio sensu ap. Varr. Ov. Liv. Val. Max. Curt. Sen. Plin. mai. Suet. Frontin. Vulg. August. Greg. M. (cf. Ge. et Ant.). — Verbum simplex saepius eadem vi usurpatur (cf. IX, 116 *aenigma aperire*).

Adcommodus: I, 89, 1. III, 20 *adcommodatior querellae est oratio humana quam gratiae.* IV, 70, 1 *famae adcommoda.* V, 76, 2 *negotio adcomm.* IX, 40. rel. 25, 2 *visum est adcommodum* (cf. VI, 32 *villa autumno commoda*). — Verg. Stat. Lampr. Auson. Ambros. Veget. ICt. (cf. Drks. Ge.).

Adcumulare: IX, 5 *amicitias inter nos inchoatas adcumulo.* Aliis locis Symm. tantum verbum simplex exhibet ut III, 75. IV, 72 (*studia benigna cumulare*). V, 53; 95. VII, 96, 2 saepius. — Verbum compositum exstat ap. Lucr. Cicer. perraro, semel in oratt. (leg. agr. II, 59), Verg. Ov. Plin. mai. in Dial. de orator. ap. Gell. Arnob. Prud. in Cod. Theod. X, 10, 29 (cf. Drks. Ge. Ant.).

****Admorsus** = morsus: I, 31 *admorsu duri dentis uri.* — Vox apud alium scriptorem non exstare videtur. Apud Cicer. aliosque eodem sensu v. „morsus" adhibetur (cf. Ge. s. v. „morsus").

Adprime: I, 3, 2 *adpr. calles epicam disciplinam.* — Plaut. Ter. Claud. Quadrig. fr. Varr. Nep. Petr. Gell. saepius (cf. Vog. p. 29), Apul. Solin. Capitol. Amm. Eutr. Sulp. Sev. (cf. Rö. p. 345. Ldgr. I, p. 37. Ant. imprimis Wölfflin, lat. u. roman. Compar. p. 97 s.).

Adprobator: v. § 2.

Adsolet: II, 53 *ut adsolet* = or. I, 8. IX, 150, 1 *ut fieri ads.* or. I, 7 *ut ferme ads.* (cf. IV, 61, 1 *ut solet*; IX, 128 *non solet*; or. I, 14 *quod usuvenire solet* etc.). — Personaliter verbum admittitur ap. Plaut. Ter. Cicer. inv. II, 42, 122. Liv. Arnob. Veget. Ennod.; impersonaliter, quod saepius usuvenit praecipue coniunctum cum coniunctione „ut", ap. Cicer. (leg.

II, 9, 21. Lael. II, 7. Phil. II, 33, 28; cf. Thlm. I, p. 9), ap. Liv. Tac. Suet. August. ICt. (Drks.). Cf. Wölfflin, Livian. Kritik p. 28. Madvig, ad Cic. de fin. V, 1, 1. Anton, Studd. z. lat. Gramm. II, p. 104.

Adtestari = testari (cf. v. contestari § 26. 2): IX, 2; 44 *ut parens eius adtestatur.* — Paul. ex Fest. Phaedr. Sen. Plin. mai. Gell. (cf. Gor. p. 8), ICt. (Drks.). Alio sensu ap. Cael. Aur., alio ap. Firm. Mat. (cf. Dress. p. 13 s.) (v. Ge. et Ant.). — Verbum simplex multo frequentius est ap. Symm. (cf. IV, 12, 2. V, 68, 1; 73 *fraternam religionem adsiduo sermone test.* VI, 1, 2; 46. VII, 2 *desiderium scriptione test.* VII, 37. VIII, 8. IX, 8; 42, 2; 99. rel. 15, 2).

Adtestatio: VI, 16 *adtest. secunda.* VII, 51 *episcopum omnium sectarum adtestatione laudabilem.* VIII, 30 *gaudii mei adtest.* rel. 36, 2 *protectorum adt.* — Treb. Poll. Veget. Macr. Ambros. ICt. saepius (Drks.), Eugipp. (cf. Ge. et Ant.). Quamvis vox „testatio" ap. Symm. non exstet, invenitur ap. Quint. Capit. ICt.

Advenerari = venerari: rel. 10, 3 *coram vestrum numen advener.* — Varr. (Stuk. p. 71), Sil. Auson. (cf. Ge. et Ant.).

Addo his vocabulis nonnulla composita, in quibus vis praepositionis non plane obscurata est, quae tamen rarioris sunt usus:

Adfaber sensu activo: III, 17, 2 *adfabra rerum natura.* Sensu passivo: IX, 65 *carpentum adfabre.* — Vocabulum praeter hos locos tantum ap. Paul. ex Fest. sensu passivo admisso exstare videtur.

Adlinere: V, 54, 4 *his ausibus color fiscalis adlinitur.* — Vi propria ap. Hor. Plin. mai. Pall. Translate ap. Cicer. I Verr. 17. Sen. ep. Prud. (v. Ge.).

Adstipulari translate ex iurisconsultorum sermone, ut videtur: I, 94 *alqm. facundiae adstip.* II, 2. IV, 31 *genero adstipulante.* V, 55 *nobis adstipulantibus.* — Vi propria ap. Gai. Ael. Gall. ap. Fest. aliosque ICt. (cf. Drks. § 1). Translate ap. Liv. Plin. mai. Apul. ICt. (cf. Drks. § 2. Ge.).

Advigilare: V, 49 *hanc operam perseveranter advigilo.* — Plaut. Ter. Cic. semel, legg. II, 29. Qu. Cic. Tib. Manil. Stat. Claud. (v. Ge.).

2. De compositis praepositione con- effectis.

Coemptio = emptio: IV, 7 *equorum curulium coemptio* = VII, 82 (cf. VII, 105, 2 *equorum curul. emptio* = IX, 18; 21). V, 82 *equorum coemptio* = VII, 106 = IX, 20, 2; 23, 2 (cf. IX, 20, 2; 24, 1 *equorum emptio*. VII, 122, 2 *Lybicarum emptio*. IX, 27; 132; 137 *ferarum emptio*. IX, 30 *novae emptiones*). — Vulg. ICt. (Drks. § 1). Cf. Schm. I, p. 141. Ge. no. I. — Saepius vox etiam ap. Cicer. connubii genus significat (v. Ge.).

Cohonestare = honestare: VII, 123 *taceo, quod illum longa militia cohonestat*. VIII, 72 *Quaeso, ut praesentia festa nostra cohonestet*. — Acc. Cic. perraro (Quinct. 15, 50. Verr. II, 2, 69, 168. de domo 31, 81. Fam. XIII, 11, 3; cf. Thlm. I, p. 10), Auct. orat. „pridie quam in exsilium iret". Liv. Plin. mai. Tac. Apul. Arnob. Pacat. ICt. (Drks.).

Comminatio: IX, 133, 2 *comminatione infamiae terreri*. rel. 8, 4 *adiecta comminatione*. 34, 2, 4 (bis), 7, 8, 10. — Plaut. Capt. 796 B. Cic. de or. II, 206. Liv. Sen. Plin. mai. Suet. Justin. Ulp. Vulg. ICt. (cf. Drks. Ge.). Vice verbi fungitur ap. Symm. tantum verbum „minari".

Condecet: VII, 55 *saepe nos, ut condecet, litteris muneraris*. „Decet" saepius deprehenditur. — Plaut. (cf. Schmil. p. 41), Turpil. Pompon. Tert. Vulg. Cod. Theod. (Drks.) (cf. Ge. Rö. p. 185).

Confabulatio v. § 4.

Confore: IV, 68, 3 *credo confore*. IX, 62 (quo in loco Seeckius bene lacunam statuit). — Ter. Juvenc. Jul. ap. August. Amm. Dict. „Confuturum" exstat ap. Plaut. et „confuerit" ap. Cael. Aur. (cf. Ge.).

Congener: VIII, 40 *cum supremis congeneri interesse non posses*. — Puto vocem, quae, si glossas excipis, hoc tantum loco legitur, pro vocabulo „gener" positam esse et idem significare, quod vox „gener" rarius significat (Schwager).

Conplaceo: II, 70 *secundum erit, ut sua honestate conplaceat*. Participium imprimis „conplacitus" saepius legitur: I, 15, 1; 52. II, 36; 72 *Honoratus cum primis mihi vitae honestatisque conplacitus est*. IX, 38 *Antistianus olim mihi conplac. est*. IX, 83 *conplacitum est mihi serum exhibiti ser-*

monis officium (cf. I, 66 *ama Gelasium mihi iamdudum placitum.* I, 71 *ama hominem placitum mihi.* I, 72. III, 29. IX, 16 *Leontius honestate vitae bonis quibusque placitus.* — Plaut. Ter. Col. Gell. (cf. Vog. p. 25), Apul. Iren. Vulg. saepius (cf. Rö. p. 142 et 184 s.), Ambros. Heges. Aug. Cod. Theod. (Drks.), Sulp. Sev. Mart. Cap. (cf. Ge. et Ant.).

Conprecari: II, 86, 1 *reditum votis conpr.* V, 2 *deos conpr.* = VIII, 70. VIII, 47 *caelestem postestatem conpr.* — Verbum, ut opinor, ex sacrificiorum sermone sumptum est. Legitur praeter locos allatos ap. Plaut. Ter. Pacuv. Catull. Ov. Sen. Plin. min. Apul. et alio sensu ap. Sen. Plin. min. Mar. Victorin. (cf. Rbl. p. 29 Ge.).

Conpungere = pungere: I, 45, 2 *tuo modo conpungendus es.* — Cic. (de or. II, 158; de off. II, 25), Apic. Cels. Col. Lact. Iren. Vulg. Sulp. Sev. (cf. Ge. Rö. p. 354).

Conrugare: VI, 2 *conrugavit mihi frontem adiecta subscriptio.* — Hor. ep. I, 5, 23. Col. (cf. Ge. et Ant.).

Consimilis: III, 51 *cedo alios usu incognitos emendatione consimiles.* IV, 4 *successor consim.* or. I, 13 *illis nihil est in mundana luce consimile.* — Plaut. Ter. Acc. Afran. Corn. rhet. Lucr. Varr. Cic. Arat. inv. (semel), de or. (bis), Phil. (semel), Caes. b. g. (ter), Ov. Carm. Priap. Hygin. Vitr. Val. Max. Quint. Tac. Fronto, Gell. saepius (cf. Vog. p. 19), Tert. Ulp. Cypr. Arnob. Auson. Vulg. ICt. (Drks.). Cf. Rbl. p. 10 et 29. Wlffl. I, p. 159. Hllm. p. 26 s. praecipue Thlm. I, p. 12.

Contactus: or. II, 8 *aiunt, heroas ad Troiam classe delatos ignoti litoris timuisse contactum.* — Verg. Ov. Cels. Col. Plin. mai. et min. Tert. Cael. Aurel. Alio sensu ap. Sall. Liv. Sen. Tac. Prud. — Vox usitatior est „contagio“, quae ap. Symm. legitur: V, 54, 5 *Ampelius procul abest a contagione mobilium.*

Contestari, quod etiam ap. Cicer. non semel legitur, ap. Symm. plane idem valet ac verbum simplex: I, 22 *plenius secundis litteris contestabor huiusmodi de te gratulationem* (= gaudium). I, 95, 2 *gaudium contest.* V, 51 *contest. adfectum.* VII, 97 *acceptam gratiam ore contest.* — Cf. quae disputata sunt s. v. „adtestari“ § 26. 1.

Contestatio (cf. v. „adtestatio“ § 26. 1): IV, 56, 1 *contestationem sollemnis officii desiderare.* VII, 52 *cont. gratiae.* VIII, 14 *desiderii cont.* — Cic. fr. (sed alio sensu), Gell. ICt. (cf. Drks. § 1), Schol. Juven. (cf. Ge.).

Contristare: VI, 12, 1 *contristatus.* VIII, 52 *quatenus me absentia tua contristet, intellegis.* IX, 26 *contristavit me iactatio irriti beneficii.* — Cael. in Cic. epp. Verg. Hor. Col. Sen. Plin. mai. Rutil. Lup. Avit. (cf. Ge. et Ant.). — Praepositio in hoc composito non omni vi exuta est; valet enim ad transitivam vim verbi corroborandam (cf. Wlffl. II, p. 420).

Convulnerare: I, 16, 2 *fratris mei Hesperii taciturnitate convulneror* (cf. I, 54 *fratris obitu vulneratus*). — Auct. b. Afr. saepius (cf. Köhl. p. 16), Sen. mai. et min. Col. Curt. Plin. mai. et min. Frontin. Justin. Apul. Tert. Arnob. (cf. Ge.).

Propter rariorem usum addo haec vocabula:

Confinis: X, 1, 3 *cui proverbio ne videar esse confinis.* — Caes. semel, Nep. Varr. Sall. Liv. Ov. Sen. Lucan. Val. Fl. Mart. Quint. Gell. Amm. ICt. (cf. Drks. Ge. Ant.).

Consonus translate: I, 89 1 *consona laude celebrare.* — Cic. ad Att. IV, 16, 3. Apul. Claud. Sensu proprio ap. Ov. Sil. Ter. Maur. Vulg. Boet. (v. Ge.).

Conterminus substantivi loco: rel. 12, 3 ... *cuius aequitati conterminus quisque limites suos credidit.* — Col. I, 3, 7. — Pro adiectivo vox adhibetur ap. Ov. Mel. Stat. Plin. mai. Apul. in Cod. Theod. (cf. Drks. Ge. Ant.).

Convena: or. II, 23 *amnis convena* (= Nebenfluss). — Plaut. Solin. Amm. Saepius numerus pluralis substantivi loco usurpatur (cf. Ge.).

3. De compositis praepositione de- formatis.

Decertatio: IX, 26 *alterna epistularum decert.* IX, 50 *si quid inter illos decertationis est* (cf. antea *orto certamine*). Vox „certatio“ exstat III, 80. IV, 71. VI, 22 (*orta certatio*). — Cic. Phil. XI, 21. Cod. Theod. VII, 20, 2, 2 (cf. Drks. Ge.).

Defraudare: VII, 40 *amantissimos tui diu defraudas bonis.* Verbum simplex usurpatur I, 16, 1 *aures reticendo fraudare.* I, 42, 1 ... *ut me sermonis tui honores fraudares.* III, 61, 3. V, 20, 1; 92 *me stili honore fraudasti.* IX, 69 *fraudari optatis.*

IX, 97 etc. — Plaut. (cf. Schmil. p. 41 s.), Ter. Cato, Varr. Cic. bis, quantum video (Orat. 66, 221; Fam. VII, 10, 2), Petr. Apul. Vulg. August. Sidon. ICt. (cf. Drks. Ge. Ant.).

Defrui = frui: I, 51 *otio defrui* = VI, 58, 1 (cf. VIII, 64 *otio frui*). I, 101, 1 *magistratus gaudio defr.* (cf. II, 62 *gaudio frui*). III, 23, 1 *autumnitate defr.* (cf. I, 7 *autumni bona frui*). VI, 71. VII, 7 *voluptate defr.* (cf. III, 16 *loci voluptate frui*). VII, 35 *huius praesentia defr.* VII, 39. VIII, 27, 3 *aspectu et colloquio alicuius defr.* IV, 86, 2 *publico bono sine satietate defrueris.* rel. 16, 1. 19, 8. Verbum simplex praeterea legitur: I, 52; 90. II, 22. III, 63. V, 42; 50. VII, 91; 115. — Verbum compositum praeter Symmachum unus Porphyr. admisisse videtur (cf. Ge.).

Delibare: I, 81 *cape delibatam cursim salutationem.* IX, 104 *usui delibata* (cf. I, 1, 2 *Acyndino emmetra verba libavi.* I, 13, 4 *summo tenus ore libata.* II, 11 *pro tempore pauca libavimus.* rel. 15, 2 *bonis principibus bene parta libamus.* — Puto v. „delibare“ pro v. „libare“ usurpatum esse eo sensu, quo ap. Propert. legitur, „libare carmina“, quamvis haec verbi „delibare“ significatio ap. Ge. non afferatur. Idem verbi usus exstat in Vulg. (cf. Rö. p. 357). De alio verbi usu cf. Ge.

Demereri: II, 79, 1 *optat tuum iudicium demer.* (cf. IV. 71, 2 *posthac opto sermonem tuum placidiorem mereri.* V, 84 *favorem iure mereri*). — Liv. Ov. Vell. Col. Sen. Tac. Quint. Plin. min. Suet. Tert. Alia vi ap. Plaut. Turp. Gell. (cf. Ge. et Ant.).

Demorari intransitive: V, 32 *tibi ob rem uxoriam demoranti* ... VII, 40 *diu in Campania demoraris* (cf. quae dixi s. v. immorari § 26. 5). — Verbum, quod hoc sensu occurrit ap. Tac. Gell. (cf. Gor. p. 9), Arnob. Ambros. August. in Vulg. ap. ICt. (Drks.), Sulp. Sev. Schol. Juv., in linguas Romanicas translatum est (cf. Ge. no. II. Rö. p. 357. Ant.). — Transitive verbum usurpatur sicut apud bonae prosae auctores (cf. Ant.): V, 37 *Eusebius te fabulis demoratur.* VII, 106 *quaeso, ut familiares meos nulla tarditas demoretur*, quamvis etiam hoc sensu adhibito verbum simplex suffecisset (cf. V, 38 *hiems moratur excursus.* VII, 117 *munus morari.* VIII, 46, 2 *non morabor expectationem tuam* etc.).

Demori: IX, 150, 1 *Orfiti ante annos quindecim demortui* ... — Plaut. Cic. perraro in familiari genere dicendi (cf. Hllm. p. 27 s.), Liv. Col. Gell. (cf. Gor. p. 9), Salv. ICt. (cf. Drks. Ge. Ant.).

Deprecari plane pro verbo simplici usurpatur. Demonstrant hoc imprimis adverbia, quae nonnullis locis ad vim verbi augendam apponuntur: II, 78, 2 *quam maxime te deprecor* (cf. VI, 4 *precor te*). III, 60 *obnixe deprecor*. III, 65. V, 21. VII, 57 *inpendio deprecor*. VII, 62; 128 *hortor et deprecor* = IX, 53. IX, 11, 2 *magnopere depr.* IX, 126, 1. rel. 36, 3 (cf. Thlm. III, p. 14). — Vim suam servavit praepositio in his exemplis, ubi v. „deprecari" contrariam habet significationem ac locis allatis („Durch Bitten abwenden"): VI, 35, 1 *evocationis honorificentiam depr.* VI, 59, 2 *voluntas laboris et itineris deprecandi.* De duobus diversis verbi significationibus disputatum est i. Correspondenzblatt f. d. Gel. u. Real. Schulen Würtemb. XXIX p. 157 s.[1]) (cf. Ge.).

Deproperare: V, 20, 2 *oro functioni nostrae interesse deproperes.* IX, 24, 1 *quo magis venire deproperes.* — Verbum simplex legitur: I, 62 *calcar suppingo properantibus.* V, 88. IX, 55 *allegationes suas properavit adstruere.* IX, 114 *inpatiens est accepti beneficii, qui nexu properat liberari.* — Plaut. Hor. Sil. Auson. ICt. (Drks), Mart. Cap. (cf. Ge.).

Detergere: I, 23, 1 *fastidium deterg.* = IV, 30, 2 (cf. II, 35, 2 *fastidium tergere* = III, 23, 2). II, 24 *sollicitudinem deterg.* (cf. I, 100, 2 *morbi reliquias terg.* VI, 72 *nubem iniuriae terg.*).

Praepositionis vim servaverunt, sed rarioris usus sunt haec vocabula:

Defieri: V, 89 *plerumque scribendi cupidis defit occasio.* — Plaut. Ter. Enn. Acc. Verg. Prop. Liv. Vitr. Sen. mai. et min. Gell. Cum apud posteriores scriptores verbum minus usurpari videatur, censuerim Symmachum id ex lectione comicorum poetarum aut ex imitatione Vergilii repetivisse.

---

[1]) Quae disputatiuncula mihi non praesto erat.

Defluus sensu proprio: or. II, 23 *Rhenus Alpinae nivis defluo liquore cumulatus.* — Apul. Chalcid. Sidon. Translate iam ap. Stat. deinde ap. Prud. (cf. Ge.).

Degener: rel. 3, 15 *degeneres trapezitae.* 4, 2 *degener praefectura.* — Adiectivum saepius apud varios occurrit scriptores, in bonae prosae oratione non adhibetur (cf. Ge. et Ant.).

Deputare = attribuere: II, 26, 1 *mensem Novembrem diversis Campaniae locis deputamus.* III, 6, 4. VI, 12, 4 *iumenta itineri deputata.* VIII, 27, 3 *intervallum bidui deput.* IX, 110 *operam condendae historiae deput.* rel. 25, 3. 27, 3. 40, 3. 44, 3. — Tert. Spart. Treb. Poll. Vopisc. Pall. Vulg. Veget. Sulp. Sev. ICt. saepius (cf. Drks.). Alio adhibito sensu ap. Ter. Acc. Tert. (cf. Ge. Ant. Rö. p. 358).

Desidere: I, 1, 1 *longa expectatione vicissitudinis desid.* I, 3, 4 *ab opere desid.* I, 8; 16, 1; 65 *a litteris desid.* III, 50. — Ter. Sen. Suet. Alia vi ap. Cels. Scrib. (cf. Ge.).

Despuere translate: VII, 128, 2 *hortor et deprecor, despuas si qua sunt inculcata mendacia.* — Fortasse ex prisco sermone sumptum (cf. Plaut. Asin. v. 40: „teque obsecro hercle, ut quae locutus es despuas"). Verbum praeterea exstat ap. Catull. Plin. mai. Mart. Cap.; intransitive ap. Varr. Liv. Pers. alios (cf. Ge.).

Destimulare: IV, 26. V, 94 *te ad hoc studium religiosa exhortatione destimulo.* rel. 18, 2. 35, 3 *oramus, ut iudices Africanos divinus sermo destimulet.* — Eccl.

Deterere: I, 23, 3 *numquam eveniet, ut ingenium tuum labor deterat.* III, 4, 2 *adsiduitate detrita.* III, 38. — Verbum ap. Cicer. et Caesar. non exstat, apud alios scriptores non raro legitur (cf. Ge. et Ant.).

4. De vocabulis cum praepositione ex- compositis.

Haec quoque vocabula interdum pro simplicibus usurpari iam recte viderunt Köhl. p. 20. Krt. p. 6. — Afferenda sunt ex exemplis Symmachianis haec:

Effascinare: VI, 77 *si dictum nullus Fortunae livor effascinet* (cf. v. „fascinare" § 25). — Plin. mai. Gell. (cf. Vog. p. 26. Ge.).

Efflagitare = flagitare: I, 41. II, 68 *vicissitudinem efflag. non debeo.* III, 4, 1 *litteras frequenter efflag.* IV, 33, 1 *litteras saepe et ardenter efflag.* VIII, 46, 1. IX, 141 *crocodillos functio theatralis efflagitat.* IX, 149 *curam efflag.* rel. 14, 4 (cf. I, 36 *iniurium est magnopere flagitare quod speres.* I, 65 *diligentiam flag.* I, 97 *videtur iniurium flag. officia.* III, 85. VII, 96, 3). — Apud Caesar. verbum nusquam, apud Cicer. rarius (octies in oratt.; cf. Merg.) legitur (cf. Ge. Köhl. p. 20).

Emittere ap. Symm. saepius vi praepositionis fere obscurata pro v. „mittere" usurpatur: I, 63 *litteras emittere* = II, 73 = IV, 23, 1 = VI, 58, 1 = IX, 1. II, 51 *scriptum emitt.* IV, 21, 3 *emittendae epistulae* = IX, 83, 3. V, 40; 90 *scripta em.* VI, 36, 1; 61. VII, 75; 78 *paginam emitt.* VII, 118. VIII, 5; 56. IX, 25, 2; 69. rel. 28, 10. — V. „mittere" rarius invenitur (cf. II, 5 *litteras mittere.* VI, 58, 2; 64. IX, 143, 1).

Exambire: II, 90 *expetendi et exambiendi viri familiaritas.* VI, 53 *absque adventus vestri petitione, quam frequenter exambio.* VII, 49 *suffragium favoris examb.* IX, 25 *exambirem nimio precatu gratiam tuam* (cf. I, 51 *nunc aris Romanis deesse genus est ambiendi.* IV, 58, 2 *oportunum videtur diligentiam tuam precibus ambire.* IX, 88, 1 *in aula positum ambire*). — Cum v. simplex etiam ap. Cicer. deprehendatur, v. „exambire" tantum ap. scriptores sermonem vulgarem admittentes occurrit, ap. Cypr. Arnob. Mamert. Amm. (cf. Ge.).

Exasperare: V, 48 *cursum vitae exasper.* VI, 81 *animum exasper.* (cf. V, 41, 1 *animos asperare.* VI, 65, 2 *animum asperare*). — Liv. Ov. Cels. Sen. mai. et min. Val. Max. Mela, Sil. Plin. mai. Quint. Apul. Capit. Amm. Claud. Macr. ICt. (cf. Drks. Ge. Ant.).

Exaugere: I, 27 *animum exaug.* — Plaut. (cf. Schmil. p. 42), Ter. Enn. Lucr. Corn. rhet. (cf. Thlm. I, p. 7), Eucher. — Verisimillimum est, Symmachum verbum, quod in posterioris aetatis epistulis non iam occurrit, ex prisci sermonis imitatione adhibuisse. Verbum simplex saepius exstat (cf. e. g. I, 91 *ea res inpendio augebat dolorem*).

Exhortari: III, 33 *ad amici defensionem te exhortor.* IX, 15, 1. — Verg. Ov. Val. Max. Col. Petr. Sen. Plin. mai. et

min. Tac. Quint. Suet. Apul. Gell. Lact. Vulg. August. ICt. (cf. Drks. Ge. Ant.).

Exortus: or. I, 13 *pari exortu diem germana* sc. luna *renovaret* (cf. IV, 46 ubi simplex „ortus" legitur quamvis non plane eadem adhibita significatione: *ortu et moribus facile summates*). — Varr. Corn. rhet. (cf. Thlm. II, p. 205), Liv. Curt. Plin. mai. et. min. Frontin. Suet. Gell. (cf. Gor. p. 7), August. (cf. Ge. et Ant.).

Expurgare: III, 53 *fallaciam temerati iuris alieni expurg.* — V. simplex legitur IV, 54, 1 (*purgas quod hucusque siluisti*). IV, 55. VIII, 52. — Plaut. Cic. Brut. 258. Sall. (cf. Krt. p. 6), Hor. ep. Col. Plin. mai. Tac. Gell. vario sensu (cf. Ge.).

Exuberare intransitive: V, 37 *litterae rebus exuberant.* — V. simplex ap. Symm. tantum transitive usurpatur. — Acc. Verg. Mela, Plin. mai. Frontin. Tac. Suet. Gell. Lact. Amm. ICt. (cf. Drks. Ge.).

Adnecto his tria vocabula, quae propter usum sermoni cotidiano attribuerim:

Elanguescere: or. I, 16 *Lucullus in Pontico luxu paene victor elanguit.* — Varr. Liv. Cels. Vell. Curt. Tac. Suet. Gell. Aur. Vict. (cf. Ge.).

****Excongruus:** or. VII, 6 *nisi forte excongruam putatis istiusmodi laudem.* — Adiectivum hoc uno loco exstare videtur.

****Expraefectus:** VII, 126 *filiae Rufini expraefecti urbi.* — Apud Ge. vox nondum allata est.

5. De compositis praepositione in- (vel in- intensivo) effectis.

Talia quoque composita interdum pro simplicibus in usu sermonis vulgaris fuisse, bene monuit Rbl. p. 30, qui exempla „inhabitare" et „invulgare" affert. — Ex Symmachianis exemplis haec afferenda sunt:

Inaestuare: IV, 54, 3 *placet quod inaestuas* (cf. II, 32, 2 *cum dolore saucius aestuarem*). — Hor. epod. 11, 15. Prud. Boet. (cf. Ge.).

Inclarescere (cf. v. „clarescere“ § 24): VI, 67, 1 *una et amor in parentem tuum et industria matronalis inclaruit* (cf. VII, 95 *clarescit adfectio*). — Plin. mai. et min. Tac. Suet. Amm. Vulg. (cf. Ge.).

Incoram uno loco: IX, 129 *incoram positus,* cum „coram“ saepissime legatur (cf. e. g. rel. 7, 2 *coram locatus* etc.). — Vocabulum praeterea apud unum Apulei. exstare videtur (cf. Ge. Rö. p. 235. Sttl. p. 114).

Informare = formare: rel. 9, 2 *quicquid ubique generosum vel gignit natura vel informat industria* (cf. VI, 16 *ubi primum mihi formare litteras licuit*). — Verg. Varr. Col. Plin. min. (cf. Ge. no. I). Translate vox etiam ap. Cicer. non raro occurrit (cf. Ant.).

Infuscare (cf. v. „fuscare“ § 25): VIII, 70 *deos conprecor, ne paginas tuas mens tristis infuscet.* IX, 123 *lacrimabili conquestione mentem legentis infuscas.* — Plaut. Cic. perraro in familiari dicendi usu (in oratt. uno loco, Planc. 22; cf. Merg.), Col. Justin. Donat. Alia vi ap. poet. tr. (ap. Cic.), Verg. Sen. rhet. Plin. mai. Gell. (cf. Ge.).

Inhabitare transitive: VI, 18 ... *patriae, quam periculosum est inhabit.* — Ov. Sen. Petr. Plin. mai. Hygin. Tert. Vulg. ICt. Intransitive ap. Plin. min. (Part. Praes.), Apul. Dict. Ambros. Vulg. ICt. (Drks.) (cf. Ge. Ant. Rbl. p. 30).

Inmorari (cf. v. demorari § 26. 3): I, 46, 2; 75 *nihil negotii*[1]) *est rebus cognitis inmorari.* III, 4, 2 *querellis inmor.* III, 10 *ubi inmoretur cassa rebus oratio.* V, 13 *proximis regionibus inmor.* VII, 36. VIII, 18. IX, 83, 2. rel. 19, 3. — Cels. Val. Max. Col. Sen. Plin. mai. et min. Quint. Justin. Lact. ICt. (Drks.), August. Cael. Aur. (cf. Ge. et Ant.). — Nonnullis locis v. compositum „conmorari“ adhibetur, quod etiam ap. Cicer. saepius occurrit (cf. Köhl. p. 17): II, 3 (*hic triduum conmorati*). II, 26, 1 (*Puteolis malui conmor*). VII, 98 (*sed in hac*

---

[1]) Ita enim scribendum esse conicio. Codices praebent perverse *nihil negotium est* ... quod Latinius Seeckio probante ita emendare studuit *nihili negotium est.* Attamen cum ap. Symm. saepissime „nihil“ cum genetivo substantivi coniunctum inveniatur et maxime quod V, 54, 3 legitur *Porphyriae nihil umquam negotii cum Theodosio ...,* lectionem *nihil negotii est* ... praeoptaverim.

postulatione non opus est conmor.). VIII, 40 (*triduo domi conmoratus*). Sed etiam v. simplex nonnumquam admittitur (cf. I, 51 *statueramus in externis adhuc morari.* II, 17, 1 *filii nostri in sinu aviae morantur.* VIII, 2 *morari Capuae*). — Sine dubio propterea hoc adhibito sensu verba composita „demorari, inmorari, conmorari" pro verbo simplici usurpabantur posteriore imprimis linguae Latinae aetate, quia v. „morari" varia significatione adhiberi poterat (cf. Ge.).

Rarioris usus sunt haec vocabula, quae propriam praepositionis vim servaverunt:

Incinere: VII, 60, 2 *sacris tibiis carmen incinere.* — Prop. Gell. Intransitive ap. Varr. et Gell. (cf. Ge.).

Inmulgere: IX, 88 *praecepta rhetoricae pectori inmulg.* — Liv. Andr. Verg. Aen. XI, 575. Plin. mai. Ambros. (cf. Ge.).

Inputare translate: IV, 2. V, 60 *fortunae input.* VIII, 17 *fortunam negotii voto iudicis input.* VIII, 24. IX, 40; 146, 2. rel. 3, 16. 9, 8. 23, 2. or. I, 2. — Ov. Vell. Phaedr. Sen. mai. et min. Curt. Plin. mai. et min. Tac. Quint. Suet. ICt. saepius (cf. Drks. § 2). Vi propria ap. Col. Cels. Mart. Sen. Veget. ICt. (cf. Drks. § 1. Ge. Ant.).

Inradiare transitive: I, 94 ... *ut eorum merita testimonii splendor inradiet.* — Stat. Claud. Mart. Cap. Intransitive ap. Ambros. Sedul. (cf. Ge.).

Insudare: or. III, 3 *pro liberis nostris aequaevus insudas.* — Hor. Sat. (cf. Bart. I, p. 30), Cels. Calp. Ps. August. (cf. Ge.).

Invigilare: III, 47 *liberis invig.* — Cic. Phil. Verg. Prop. Ov. Col. poet. Val. Fl. Sil. Stat. Plin. min. Lact. Pacat. Macr. Sensu proprio ap. Ov. Cels. Val. Fl. (cf. Ge. et Ant.).

§ 27. De vocabulis cum praepositionibus per- et sub- compositis.

Priusquam ad singula composita tractanda transeam, pauca mihi dicenda sunt de sententia, quam protulit Guer. p. 37 s. His utitur verbis: „Ex praepositionibus praecipue tres in sermone plebeio cum vocabulis compositae esse videntur: ad, con, de, quibus falso, ut opinor, E. Wölffl. (cf. I, p. 159 sq.) per

et sub adiecit. His enim verbis semper significatio quaedam propria adhaeret, qua, quid is, qui de aliqua re sermocinatur, de illa re sentiat, exprimitur ita, ut sub verbi vim debilitet et deminuat, per confirmet et augeat." Sed plane idem Wölffl. dilucidis verbis dixit: Cf. quae pag. 163 dicta sunt, postquam de compositione ad- con- de- effecta verba fecit: „Ganz andere Schicksale (!) dagegen haben die zur Verstärkuug und Abschwächung eines Adiectiv- oder Adverbial-Begriffes verwendeten Praepositionen per und sub gehabt" et pag. 165: „Vulgäre Zusammensetzungen von Verben mit verstärkendem per sind ..." Itaque Wlffl. non dixit, etiam haec composita in sermone vulgari plane pro simplicibus in usu fuisse, sed id tantum monuit, illa composita in sermone familiari ad augendam vel ad debilitandam vim verbi simplicis adamata fuisse; idque rectissime.

1. De compositis praepositione per- effectis.

De his vocabulis Wölffl. praeter l. l. disputavit in Lat. u. roman. Compar. p. 26 s. Archiv I, p. 99. Jam I, p. 164 bene monuit, Ciceronem talia composita imprimis adiectiva maxime in epistulis saepius adhibuisse ipsumque nova conformasse (cf. Stin. p. 17 s. Ldgr. II, p. 321. Hllm. p. 28. Köhl. p. 21). Id quoque mihi probatur, quod Wlffl. haec composita praecipue sermoni vulgari prioris aetatis attribuit. — Exempla Plautina et Terentiana congessit Lor. ad Pseud. v. 1198, exempla Varroniana Stnk. p. 72 s. — Jam, quamvis Guer. l. init. § l. neget, composita praepositione „per" effecta pro simplicibus usurpata esse, hoc tamen de nonnullis exemplis Symmachianis statuendum est, ut adverbium augendi causa appositum demonstrat.

Perpellere: I, 1, 1 *haec me oppido perpulerunt.* — Plaut. Ter. Sall. Liv. Tac. ICt. (Drks.). Alia vi ap. Nigid. et Cicer. Cael. 36 (cf. Ge.).

Perurgere: IX, 70 *magnopere perurg.* — Verbum simplex saepissime deprehenditur. — Suet. Treb. Poll. Spart. Vulg. Ambros. Aur. Vict. ICt. saepius (Drks.), Sulp. Sev. (cf. Ge. Rö. p. 196).

Pervigil: I, 1, 5 (poet.) *cura habeat iuvenem publica pervigilem.* III, 23, 2 *dum forenses rabulas pervigil doctor insti-*

tuis. IX, 42, 1 *pervigili animo* (cf. III, 18, 1 *vigilem operam publicis rebus inpendo*. VIII, 41 *vigilem noctem experiri*. IX, 114, 1 *curam vigilem praestare*). — Ov. Plin. mai. et min. Tac. Justin. Chalcid. Amm. Cassian. ICt. Avit. (cf. Drks. Ge.).

Addantur his pauca vocabula cum praepositione per- composita. In his praepositio vim augendi non habet, sed propter universum colorem ea sermoni vulgari adscripserim:

Perdius et **pernox**, quae saepius proverbialiter coniuncta inveniuntur apud vulgaris sermonis scriptores, exstant: I, 53 ... *actus, quos pernox et perdius curae tibi habes*. — Gell. Apul. Amm. „Pernox" solum legitur ap. Liv. Ov. Plin. mai. (cf. Ge.).

Perrepere ex agricolarum sermone, ut videtur: III, 23, 1 *alii scalis ad arborum summa perrepunt*. — Col. Translate ap. Val. Max. et ICt. (Drks.). Transitive ap. Tibull. (cf. Ge.).

Perstrepere transitive: VI, 12, 2 *fluctibus perstrepi*. — Marc. Aurel. ap. Front. Apul. Claud. Ambros. Cod. Theod. (Drks.). Intransitive ap. Ter. Sil. (cf. Ge.).

Pervius: VIII, 20, 2 *dum pervium mare est* (cf. rel. 18, 2 *dum tractabilis navigatio est*). — Plaut. (translate), Ter. Cic. semel, Liv. Ov. Sen. Plin. mai. Tac. Solin. Macr. Alio sensu ap. Fab. Pict. (ap. Gell.), Sil. Calp. (cf. Ge.).

2. De compositis praepositione sub- formatis.

Vocabula cum praepositione sub- composita, quae, cum vim deminuendi habeant, vocibus deminutivis saepius respondent (cf. Wlffl. II, p. 407. Thlm. I, p. 5 sq.), in sermone cotidiano et prioris et posterioris aetatis admodum adamabantur (cf. Wlffl. I, p. 165). V. etiam Lor. ad Pseud. v. 401 et 1201. Stnk. p. 74. Stin. p. 18 s. Ldgr. II, p. 321.

Sublinere: *os sublinere*: I, 3, 2. IV, 18, 1 *ne mihi os subleveris*. — Quae locutio in proverbii locum recepta ap. Plaut. ter decies invenitur (cf. Pflügl, d. lat. Sprichwort b. Plaut. u. Ter. Progr. Straubing 1880 pag. 34), unde sine dubio Symmachus eam sibi assumpsit. — Verbum simili sensu usurpatur a Varr., plane diverso saepius a Plin. mai. (cf. Ge.).

Subpalpari: I, 90, 2 *non dicam dolo utpote subpalpandi nescius*. — Ex imitatione Plauti, qui hoc verbum exhibet Mil.

v. 106 (cf. Schmil. p. 42). — V. simplex, quod non minus familiare est, ap. Cicer. in epistulis legitur (cf. Ldgr. II, p. 329. Schm. III, p. 95).

Subpar: rel. 5, 2 ... *quem memoria litteratorum Aristoteli subparem fuisse consentit.* — Cic. Brut. 29. Apul. Auson. ep. I, 13. Serv. (cf. Ge.).

Subsericus: V, 20, 2 *vestes subsericae.* — Scriptt. hist. Aug. (cf. Pauck. I, p. 31).

Propter rariorem usum addo haec vocabula, quorum in praepositione „sub“ deminuendi vis non inest.

Subiacere translate: VII, 116 *praedae atque iniuriae subiac.* rel. 21, 1 *probitas subiacet livori.* — Apul. Vopisc. ICt. (cf. Drks. Ge. no. II. b). — or. III, 6 *Antiocho Syria sponte subiacuit.* — Lact. (cf. Ge. no. II. c). — Praeterea translate ap. Quint. et Tert. diversa adhibita significatione. Sensu proprio ap. Curt. Col. Plin. mai. et min. (cf. Ge. no. I).

Subiugare translate: or. III, 2 *industria lege quondam silentiis subiugata.* — Arnob. Lact. Jul. Val. Eutrop. Firm. Mat. Claud. Ambros. August. ICt. saepius (cf. Drks. § 2 et 3). — Sensu proprio ap. Eutr. Heges. ICt. (Drks. § 1), Vict. Vit. (cf. Ge. et Ant.).

Sublimare v. § 25.

Subpingere ex imitatione prisci sermonis, ut videtur: I, 12 *scalis subpectus est honor marmoris.* I, 62 *calcar quoddam subpingo properantibus.* — Plaut. Fronto (cf. Ge.).

Subtexere: IX, 20, 1: *subtexo necessarium postulatum* (cf. IX, 23, 2 *subiungo postulatum*). rel. 41, 8 *gestorum documenta subtexui.*[1]) — Nep. Tib. Manil. Liv. Sen. rhet. Val. Max. Col. Plin. mai. Juv. Suet. ICt. (cf. Drks. § 2. Ge. no. II). De alio verbi usu cf. Ge. no. I.

Suggerere: I, 13, 1; 58. II, 4, 2; 25; 30, 4; 34, 1. III, 30. IV, 71, 1. V, 52; 90. VII, 55; 65; 84; 105, 2. VIII, 15. IX, 16; 53. rel. 6, 2. 16, 2. 19, 4. 20, 1. 21, 6. 23, 6. 25, 3. 26, 5, 6. 30, 1. 31, 1. 34, 2, 7. 35, 1. 40, 3. 41, 8. — Verbum etiam ap.

---

[1]) or. II, 20 Seeckius recte sine dubio pro tradito *subtexitur* restituit *supertexitur.*

Cicer. adhibetur sed non eadem admissa vi. Usitatissimum est in sermone iuris consultorum, unde Symmachum id sumpsisse patet (cf. Drks. Ge.).

§ 28. De vocabulis cum praepositionibus dis- inter- ob- prae- compositis.

Venio nunc ad ea composita, quae, quamvis eandem habeant praepositionis vim in sermone vulgari et in bonae prosae oratione, tamen in sermone cotidiano multo frequentiora fuisse videntur. Sunt haec imprimis vocabula cum praepositionibus dis- inter- ob- (cf. Stin. p. 20) prae- composita.

1. De compositis praepositione dis- effectis.

Vocabula cum praepositione dis- composita in sermone familiari usitatissima fuisse, iam recte monuerunt Lor. ad Pseud. v. 1201. Ldgr. II, p. 227 et 321. Schm. II, p. 43 aliique, quos Schmalz l. l. affert. — Ex Symmachianis exemplis hic commemoro:

Dilucescere: VII, 16, 1 *multum diluxit in pectore meo gaudii.* — Lucr. Cic. (Cat. 3, 6. Phil. XII, 5; impersonaliter), Hor. ep. Liv. Gell. August. (cf. Ge.).

Dinumerare: rel. 3, 3 *certe dinumerentur principes utriusque sectae.* — Plaut. Ter. Cic. perraro, Verg. Ov. Quint. Plin. mai. et min. Gord. ap. Capit. Vulg. Claud. ICt. (cf. Drks. Ge. Rö. p. 360).

Discingere translate: rel. 19, 10 *oraculo numinis vestri discingenda cuncta servavi.* — Cic. semel, sed non in oratt. Hor. Vell. Sen. Sil. Mart. Juven. Suet. ICt. (cf. Drks. Ge.).

Discruciare: I, 54 *continuo animi dolore discrucior.* VI, 64, 3 *discrucior incerto* (cf. VI, 55 *crucior incertis*). VI, 73 *rienum dolore discrucior.* — Plaut. saepius, Ter. Catull. Cic. (ad. Att. XIV, 6, 1. Phil. XIII, 37), Suet. Apul. Amm.; active ap. Sen. Apul. (cf. Ge. Ldgr. II, p. 279). — Jam ap. Plaut. ita ut ap. Symm. verbum pro simplici adhibetur (cf. Holtze, syntax. prisc. scriptt. lat. I, p. 260).

Disquirere: V, 74. VII, 18, 2 *actuum vestigia et capita disquir.* — Hor. Sat. II, 2, 7 (cf. Bart. II, p. 17). Num Zange-

meister in adnot. ad Hor. loc. recte iudicaverit: „proprium iuris vocabulum fuisse videtur“, dubitaverim, cum verbum tantum apud iuris consultos ineuntis saeculi quinti (in digestis) raro inveniatur (cf. Bart. l. l. adnot. 4). Sed iam antea occurrit ap. Lampr. Claud. in Vulg. (cf. Ge. Ant.).

Disterminare: IV, 23, 1 . . . *quos a proprio lare peregrinatio longa disterminat.* — Lucr. (translate), Cic. poet. Mela, Sen. Lucan. Plin. mai. Tac. Gromat. vet. Amm. Claud. ICt. (cf. Drks. Ge.).

2. De verbis cum praepositione inter- compositis.

Interlabi: IV, 33, 1 *an interlabi per silentium amicitiae nemoriam putas?* — Verg. Stat. Sil. Amm. Avien. Claud. (cf. Ge. Ant.).

Interlucere: X, 2, 3 *nunc interlucet homo homini.* — Corn. rhet. (cf. Thlm. I, p. 40), Verg. Liv. Quint. Frontin. Tac. Solin. Veget. Prud. (cf. Ge.).

****Intermovere** ex agricolarum sermone, ut videtur: VIII, 69 *ilios sulcos stilo intermoves.* — Verbum apud alium scriptorem non exstare videtur.

Intersecare: or. III, 9 *Rhenus intersecat castella Romana.* — Vitr. Stat. Amm. saepius, Avien. Macr. (cf. Ge. et Ant.).

Interserere: III, 57 *cultum*[1]) *familiaritatis publico actui nterserere.* — Corn. rhet. (cf. Thlm. I, p. 41), Nep. (cf. Lupus, p. 218), Ov. Vopisc. Pall. Ambros. Claud. (cf. Ge. et Ant.).

3. De compositione praepositione ob- effecta.

Obambulare: VI, 67, 2 *obambulans inter pensa et foragines uellarum.* — Plaut. Liv. Ov. Suet. (cf. Ge. et Ant.).

Obdurare transitive: VIII, 41 *te in annum vel biennium bdura.* — Lact. ICt. (Drks.), Capit. Nazar. (Part.); intransitive p. Cicer. semel, Hor. Ov. (cf. Ge. et Ant.).

Obgannire: I, 23, 4 *cur ego diutius sermonis pauper obannio.* — In prisco sermone ap. Plaut. Ter. Lucil. (cf.

---

[1]) Quin hoc vocabulum restituendum sit, non dubium videtur. Quomodo ceterum locus sanandus sit, non certum est.

E. Fischer, de vocibus Lucilianis, diss. Hal. 1881, pag. 76), unde sine dubio Apul. et Symm. verbum sibi assumpserunt.

Oblimare translate: I, 59 *iners desuetudo oblimat mihi ingenium.* VIII, 61 *vulgati proverbii*[1]) *est, enavigato Maleo oblimari eorum memoriam, quos domi reliqueris.* — Hor. Sat. I, 2, 62 (cf. Bart. II, p. 11), Solin. Claud. Sensu proprio ap. Cicer. perraro, Verg. Suet. (cf. Ge.).

Obloqui: I, 37, 1 *patere me, quae ad laudes tuas pertinent obloquentem.* — Plaut. Cic. perraro (in oratt. uno loco, Clu. 63; cf. Merg.), Sen. Tac. Translate ap. Catull. Verg. Ov. alios (cf. Ge.).

Obluctari: IV, 70, 1 or. I, 10 *cur diu obluctatus es?* (cf. v. „reluctari" rel. 28, 2). — Verg. Sen. rhet. Col. Curt. Sil. Stat. Plin. min. Auct. it. Alex. Auson. August. (cf. Ge.).

Obmurmurare: or. III, 12 *audio iam pridem fatidicos obmurm. gentium vates.* — Ov. Frontin. Suet. Ambros. (cf. Ge.).

Obnixe fortasse ex prisci sermonis imitatione: III, 60 *obnixe deprecor.* — Plaut. Ter. Fronto, Pacat. Hier. Amm. Claud. (cf. Ge.).

Oboriri: I, 100, 2 ... *sollicitudinem, quae mihi ex aegritudine tua oborta est.* — Ter. Lucr. Cic. semel in oratt. (p. Ligar. 6; cf. Merg.), Nep. Verg. Ov. Sen. rhet. Curt. (cf. Ge.).

Obtundere ex prisco sermone: I, 16, 1 *malo aures tuas iterando obtundere.* VII, 60, 2 *nos obtundit otium.* — Plaut. Ter. Caecil. Lucr. Corn. rhet. Cic. in familiari dicendi genere (bis in oratt., Verr. III, 157; IV, 109; cf. Merg. Hllm. p. 71), Luccei. in Cicer. epp. Liv. Plin. mai. et min. Gell. Apul. Donat. Firm. Mat. Macr. Hier. Claud. (cf. Ge.).

Obviare: IX, 30 *cum possim tibi legibus obviare* (variandi causa, cum v. „obsistere" subsequatur). rel. 28, 1 *executori obviare.* — Macr. ICt. saepius (Drks.). Alia vi ap. Pall., sensu proprio ap. Mamert. Ambros. Heges. in Vulg. ap. Hier. Veget. Oros. Rufin. Jul. Vict. (cf. Ge. Ant. Rö. p. 167).

---

[1]) Quamvis Symm. hoc proverbium „vulgatum" esse dicat, tamen hoc tantum loco commemorari videtur.

4. De compositis praepositione prae- effectis.

Praecelsus: IV, 12, 3 *praecelsa sublimitas tua*. VI, 10 *vir praecels*. = VI, 36, 2 = VII, 104, 1. VII, 13 et 14 *vir cuncta praecels*. rel. 24, 1 *vir praecelsae et inlustris memoriae*. 31, 2 *praecelsa potestas*. — Verg. Stat. Ambros. Salv. ICt. (cf. Drks. s. v. „praecellere“), Alcim. Avit. (cf. Ge. et Ant.). — De adiectivis cum „prae“ compositis generaliter disputavit Wlffl. lat. u. roman. Compar. p. 27.

Praecerpere translate: VIII, 24 *relatu digna praecerpsi*. — Cic. rarissime, Plin. min. Min. Fel. Cod. Theod. VI, 24, 11 (Drks.). Sensu proprio ap. Ov. et Plin. mai; alia vi ap. Stat., alia ap. Gell. (cf. Ge.).

Praecox ex agricolarum sermone: III, 23, 1 *praecox olea*. — Col. Plin. mai. saepius (cf. Ge. no. I et Ant.). Translate: or. III, 6 *Pellaeum ducem praecox fortuna delegit*. — Enn. Sen. Plin. mai. Quint. Auson.

Praedictus: II, 78, 2 *praedictum negocium*. VI, 64, 1 *praedicta curatio*. IX, 13 *praedictum munus*. — Liv. Vell. Plin. mai. Quint. ICt. (cf. Drks. Ge. s. v. „praedico“ no. II. B. Ant. s. v. „praedicere“).

Praelibare translate: I, 74, 1 *praelibo salutationem*. V, 73 *praelib. primitias scriptionis*. VI, 68 *sume praelibatam salutationem*. IX, 22 *haec interim pro tempore praelibavimus*. or. I, 21 *unum praelibasse sufficiet*. — Treb. Poll. Alio sensu ap. Stat. Avit. Fulg. (cf. Ge.).

Praeloqui = praefari: III, 41 *quod ideo praeloquor* ... VII, 34 *salutationis honorificentiam praelocutus*. — Sen. Quint. Plin. min. (cf. Ant. s. v. „praeloquium“). Alio sensu verbum legitur ap. Plaut., alio ap. Lact. et August. (cf. Ge.).

Praemeditari: II, 25 *si quid praemeditatum utrique nostrum stilus fraternus ingesserit*. VIII, 42 *praemeditatum opus*. — Corn. rhet. Cic. (ad Att. VI, 3, 4. Phil. XI, 7; praeterea partic. perraro), Tac. Quint. Cod. Theod. IX, 37, 3 (Drks.) (cf. Ge.).

† **Praenotabilis** v. § 13.

Praeoptare: I, 6, 2 ... *cuius honestamentum praeopto muneribus*. V, 20, 1 *nos tuum praeoptamus adventum*. IX, 30. — Plaut. Ter. Caes. semel, Nep. Liv. Val. Max. Curt. Tac. Quint.

Justin. Fronto, Mamert. Cod. Theod. (Drks.), Sulp. Sev. (cf. Ge. et Ant.).

Praeponderare: I, 92 *curabo ut obsequii mei trutina et libera praeponderet.* II, 16 *cum superioris persona praeponderet.* II, 64, 1 *tua pro me cura praeponderat.* — Varr. Lucan. Sen. Stat. Quint. Gell. Apul. Cod. Theod. XII, 1, 65 (Drks.), Auctor carm. de pond. — Transitive ap. Cic. de off. III, 18. Solin. in Vulg. (cf. Ge. et Ant.).

Praestringere: II, 58 *his* sc. litteris *salutatio sola praestringitur.* VII, 15. or. II, 20 *margines turrium fluenta praestringunt.* — Hac adhibita significatione verbum sine dubio sermoni cotidiano attribuendum est. Legitur enim ita ap.[1]) Suet. Avien. Amm. cf. Ge. no. II. Alia admissa vi verbum etiam ap. Cicer. sed rarius deprehenditur (cf. Ge.).

Praesumere: Verbum usitatissimum est ap. Symm. Legitur: I, 79. II, 30, 1; 51. III, 7; 84. IV, 25; 36, 1. V, 84. VI, 10. VII, 8; 62; 101; 112. VIII, 6; 68. IX, 14; 16; 75; 81; 122; 126, 1. rel. 9, 8. 23, 15. 41, 8. 48, 5. or. II, 29. — Val. Max. Tac. Justin. Apul. Aur. Vict. ICt. (cf. Drks. § 3. Ge. no. II. 2. b.). De alio usu verbi, quod ap. Cicer. et Caes. non legitur, cf. Ge. Ant. Rö. p. 376.

Praevenire: I, 67 *ubi amoris rudimenta praeventa sunt.* I, 100, 2. III, 3, 1. V, 28. VI, 29, 2. VIII, 15. IX, 71, 2; 91; 131. rel. 14, 1. 35, 3. — Sall. Liv. Ov. Cels. Tac. Plin. min. Just. Eutr. ICt. (Drks.). Alia vi ap. Col. (cf. Ge. et Ant.).

Praevidere: VI, 16. rel. 21, 5. — Cic. ad. Att. III, 6, 5 Verg. Ov. Tac. Ann. Plin. min. Alia vi ap. Amm. et ICt. (cf. (Drks. Ge.). In Ant. verbum non recte bonae prosae orationi adiudicatur.

§ 29. De vocabulis cum in- privativo compositis.

Nondum multum de his vocabulis observatum est. Wölffl. lat. u. rom. Compar. p. 16 docuit, interdum adverbium „male" adiectivo appositum vice in- „privativi" fungi. Sed hic usus certe non pervulgatus erat et a poetis saepe tantum metrica

---

[1]) Apud Cicer. Phil. II, 102 nunc legitur *portam Capuae perstrinxisti* non *praestrinxisti,* quod neglexit Ge. s. v. „praestringere".

ratione admissus esse videtur. Iam ipsa compositio in- „privativo“ effecta apud bonae prosae auctores arctis finibus circumscripta erat, cum apud alios scriptores saepius occurat. Ldgr. II, p. 322 bene monuit, Ciceronem imprimis in epistulis ad Quintum fratrem datis talia composita saepius adhibuisse quam in aliis scriptis; putat deinde multa eiusmodi vocabula tantum ex Ciceronis ingenio orta esse, qui ea in linguam Romanam quodammodo introducere voluerit: sed hoc ei non contigisse. Nam postea tantum apud paucos scriptores illa vocabula deprehendi velut apud Gellium. Apud Julium Valerium ea ex Graeco fonte fluxisse. Quae sententia viri docti non plane mihi probatur. Mea quidem sententia vocabula cum in- „privativo“ composita neque soli ingenio singulorum auctorum neque soli imitationi sermonis Graeci attribuenda sunt sed praecipue Romanorum sermoni vulgari. Non meum est, hoc loco accuratius demonstrare, rem re vera ita sese habere. Hoc tantum nunc moneo, apud omnes fere scriptores, qui nobis fontes sunt sermonis cotidiani talia composita saepius deprehendi: apud Naevium („inquaesitus“), apud Ennium („infrenis“), apud Plautum („inamabilis, incenatus, incoctus, incogitabilis, incogitatus, indomabilis, instrenuus, irrasus, immemorabilis, immodestia, incogitantia, inconsultus, insatietas“ etc.), apud reliquos poetas comicos et tragicos: apud Caecilium („immemoris“), apud Pacuvium („incicur“), apud Turpilium („inorus“), apud Accium („indelictus“), apud Titinium („inauratus“). Apud Lucretium invenimus „innumeralis, insensilis, intactilis, irrevocabilis“, apud Catullum „inobservabilis“ etc., apud Varronem (cf. Stnk. p. 72) non pauca, apud Sallustium „inquies“ alia. Multa deinde occurrunt apud Vergilium, apud Horatium, imprimis in epodis, epistulis, satiris (cf. „inexcusabilis, ingustatus, inominatus, insolabiliter, irresectus, irrevocatus, immemoratus, immersabilis“), apud Ovidium (plurima), apud Vitruvium, Columellam, Plinium maior. et minor., apud Persium („inodorus“ etc.), apud Petronium („inspeciosus“ etc.). Apud Gellium (cf. Vog. p. 15) 20 nova adiectiva cum in- „privativo“ composita inveniuntur. Plurima exstant apud Apuleium et apud omnes fere posterioris aetatis scriptores imprimis apud iurisconsultos (cf. Drks.), neque minus in Vulgatae libris (cf. Rö. p. 225 s.). Scriptores hist.

Aug. praebent e. g. „indonatus, innobilitatus“. Comprobatur sententia mea quodammodo eo, quod talia composita in linguis Romanicis usitatissima sunt et deinde eo, quod cum in- „privativo“ praecipue ea vocabula componuntur, quae iam per se in sermone vulgari adamata erant, velut adiectiva in -bilis, -ax, -atus, substantiva in -tas -tudo -ntia. Non dixerim quidem sermonem Graecum nullius momenti fuisse in adhibendis illis vocabulis, sed id tantum eum effecisse puto, ut illa composita ex sermone vulgari depromerentur et indulgentius a scriptoribus admitterentur, quod etiam apud alia vulgaria formandi genera velut apud substantiva in -tio, apud adiectiva in -bilis observari potest. — Commemoranda mihi hoc loco est sententia a Sttl. p. 118 s. prolata. Apud posterioris enim aetatis scriptores praecipue apud Africanos non raro sola substantiva cum in- „privativo“ componuntur, cum ea substantiva, quae apud antiquiores scriptores deprehenduntur, ab adiectivis cum in- „privativo“ compositis fere derivata sint. Hanc componendi rationem Sttl. l. l. ex imitatione sermonis Graeci fluxisse putat; quod ei fortasse concedendum est. Sed haec hactenus. Transeo nunc ad enumeranda vulgaria vocabula, quae apud Symmachum cum in- „privativo“ composita inveniuntur.

Incivilis: rel. 28, 2 *facti incivilis auctores.* — Gell. Lamprid. Aur. Vict. Eutr. ICt. saepius (cf. Drks. Ge. Ant.). — Adverbium

Inciviliter exstat rel. 31, 2 *inciviliter repugnare.* — ICt. (cf. Drks.). — Comparativus iam apud Flor. occurrit.

†**Inclarus** III, 4, 1 ex Lypsii coniectura ab editoribus receptum erat. Codices P et F perverse praebent *an*[1]) *ita vel mei animi fides clara est, vel tui meriti angusta monumenta sunt ut* ... Recte fecit Seeckius quod coniecturam Lypsii „inclara“ pro „clara“ proponentis in textum non recepit. Nam quamvis coniectura bonum praebeat sensum et facilis sit, non ferri posse puto, Symmacho hoc adiectivum, quod apud alium scriptorem non exstare videtur, adiudicari. Ego antea conieceram, fortasse pro „clara“ scribendum esse „dubia“ (cf. IX, 61 *cum apud*

---

[1]) Hoc tantum in F exstat, sed sine dubio vera lectio est. P a prima manu habet „aut“, a secunda „haud“.

me querellae istius fides dubia sit). Sed nunc praetulerim Seeckii bonam coniecturam pro „clara“ scribentis „clauda“, cum etiam VI, 2 legatur *si Marcianae sororis vestrae non sit clauda promissio.*

Inconcussus: V, 54, 3 *non praefecturae existimationem sinit inconcussam manere.* — Sen. Stat. Plin. mai. et min. Tac. Lact. ICt. saepius (cf. Drks. Ge.).

Incongruus (cf. v. excongruus § 26. 4): IV, 8, 1 *incongruum vel dubium iudicare.* rel. 34, 11 *incongrua conventione pulsari.* — Chalcid. Ps. Apul. Veget. Faust. ap. August. ICt. (cf. Drks. Ge. Ant.).

Inconpertus: VI, 7, 1 *credo inconperta non esse quae* ... — Liv. Lucil. iun. Plin. mai. Prud. (cf. Ge.).

Incredulus: VI, 77 *sollicitudinis* ... *quae apud amantes semper incredula est.* — Hor. in arte poet. v. 188. Quint. Vulg. Sensu passivo ap. Gell. (cf. Ge. et Ant.).

Incruentus: or. III, 2 *clementiae auspices cruentae secures.* — Sall. Liv. Vell. Tac. (cf. Ge.).

Inculpabilis v. § 13.

Inculpatus v. § 19.

Incunctanter: III, 63 *incunct. eveniet.* IV, 60, 2. VI, 39. VII, 45. rel. 44, 1. — Cypr. Novat. Lact. ICt. (Drks.), Sulp. Sev. Oros. (cf. Ant. Rö. p. 153).

Indiscretus: rel. 44, 2 *indiscretum munus.* — Varr. (cf. Stnk. p. 72), Verg. Cels. Sen. Plin. mai. Quint. Tac. Lact. Eutr. Amm. ICt. (cf. Drks. Ge. Ant.). — Adverbium

Indiscrete exstat rel. 41, 6 *indiscrete appellationes committere.* — Plin. mai. Spart. Jul. Val. Itin. Alex. (Compar.), Amm. Ambros. ICt. (Drks.), Boet. (cf. Ge.).

Indivisus: IV, 35 *bona animi unicuique plena et indivisa proficiunt.* rel. 28, 7 *pro indiviso.* — Varr. Cat. Sen. Sil. Stat. Plin. mai. Justin. Amm. ICt. saepius (cf. Drks. Ge. Ant.).

Indubitatus v. § 19.

Inedia: II, 76, 2 *vix paucos catulos maceratos inedia et labore suscepimus.* VI, 43. — Cic. perraro (in oratt. uno loco, Planc. 26; cf. Merg.), Sall. Scrib. Cels. Tac. Gell. (cf. Ge.).

Inefficax v. § 20.

Inermitas v. § 6.

Inexpertus: IX, 36 ... *iuvenem mihi probatum nec inexpertum iudicio tuo.* IX, 88, 2 *novus tibi non ero nec inexpertum formidabo arbitrum.* — Verg. Hor. Liv. Ov. Stat. Tac. Plin. min. etc. (cf. Ge.).

Infortunium = calamitas: I, 54 *medicina infortunii.* I, 83 *velim credas infortunii fuisse quod* ... II, 14. III, 73 *infort. proscriptionis.* IV, 51, 1 *uno adhuc, ut dixerim, infortunii nodo strangulatur.* V, 39. IX, 122. — Plaut. Ter. Liv. (alio sensu), Hor. art. poet. 103. Apul. Macr. Amm. ICt. (cf. Drks.), Boet. (cf. Ge. Ant. s. v. „infortunitas").

Infractus: I, 3, 4 *fractae opes infractos animos reppererunt.* — Plaut. fr. Hier. ICt. (cf. Drks. Ge. Ant.).

Infructuosus v. § 18.

Infucatus: IV, 30, 3 *infucati nominum tituli.* VII, 16, 1. or. IV, 6 *infucatum examen.* — Arnob. II, 47 (cf. Ant.).

Ingravatus v. § 19.

Inhospitus: or. II, 14 *regio inhospita.* — Verg. Ov. Sil. Solin. Itin. Alex. (cf. Ge.).

Inimitabilis v. § 13.

Iniurius: I, 1, 1 *iniur. videar, si* ... I, 36 *iniurium est.* I, 41 *vereor, ne me iniurium putes.* I, 97 *videtur iniurium.* II, 54 *vehementer iniurium est.* — Plaut. Ter. Cic. semel, de off. III, 89. Liv. Apul. Auson. (cf. Ge. Ant. Brix ad Plauti mil. gl. v. 436). — Non dubito, quin Symm. adiectivum ex priscorum poetarum lectione repetiverit, praesertim cum ap. ICt. non exstet.

Inlaudatus: I, 6, 2 *qui opibus inlaud. iuvatur* ... — Verg. Sil. Stat. Plin. min. Claud. (cf. Ge.).

Inoffensus: VI, 81 *decet pios parentes inoffensa felicitas.* — Verg. Ov. Sen. Mart. Tac. Plin. min. Gell. Pall. ICt. (Drks.). Sensu proprio ap. Tibull. Lucan. (cf. Ge.).

Inpacatus: or. I, 14 *Rhenus inpac.* — Verg. Sen. Amm. Claud. August. (cf. Ge.).

Inpatiens: I, 6, 1 *dilationis inpat.* I, 82 *silentii inpat.* III, 3, 1 *moris inpat.* III, 11, 2 *novitatis inpat.* V, 30. IX, 63; 114, 2; 136, 1. rel. 12, 2 *dispendii inpat.* (ex Seeckii coniec-

tura). — Verg. Ov. Vell. Val. Max. Col. Sen. Mela, Curt. Val. Fl. Petr. Sil. Plin. mai. et min. Quint. Tac. Suet. Flor. Gell. Lact. Solin. Amm. Eutr. Macr. Claud. ICt. (cf. Drks. Ge. Ant.).

Inpatienter: II, 11; 56, 2. IV, 25. V, 4 *inpat. exoptare.* V, 40. IX, 126, 1. rel. 16, 1. — Tac. Plin. min. Vopisc. Cod. Theod. XI, 36, 2 (cf. Drks. Ge.).

Inpatientia: I, 76. II, 23. IV, 33, 3. VI, 21. VII, 79; 109. VIII, 62. — Val. Max. Sen. Plin. mai. Suet. Tac. Gell. Apul. ICt. saepius (cf. Drks. Ge.).

Inpetibilis v. § 13.

Inpossibilis v. § 13.

Inreverens: VIII, 28 *non eris tam inrev.* — Plin. min. Tert. Spart. ICt. (Drks.). Superlativus legitur ap. Tert. et August. (cf. Ge.).

Insaluber: VII, 74 *valetudo perculsa est insalubribus aquis.* — Sen. Curt. Plin. mai. et min. Gell. (cf. Ge.).

Insomnis: IX, 42, 1 *testatur insomnes curas eius inbecillitas corporis.* — Verg. Ov. Sen. rhet. Stat. Tac. Plin. min. Claud. (alio sensu) (cf. Ge.).

Insons: rel. 21, 1 *crudo mendacio insontis fama petitur.* — Plaut. Sall. Liv. ICt. (Drks.). Translate ap. Hor. Ov. in Cod. Theod. XVI, 10, 10, 12 (cf. Ge.).

Insubidus: I, 3, 1 *animadverto litteras meas tibi insubidas non videri.* — Gell. ter (cf. Vog. p. 20), Lampr. (cf. Ge. et Ant.).

Intemptatus v. § 19.

Interminus translate: rel. 15, 3 *interm. annorum recursus.* — Apul. Auson. Avian. (sensu proprio). Locus, qui ap. Ge. ex Symmacho affertur, in Symmachi scriptis non legitur.

Intractabilis v. § 13.

Intutus: II, 22, 1 *intuta est latrociniis suburbanitas.* VIII, 19, 2 *intuta ablegatione macerari.* — Sall. fr. Liv. Plin. mai. Tac. Nazar. pan. Amm. (cf. Ge. et Ant.).

Addo pauca vocabula, quae etiam apud bonos auctores inveniuntur sed alia adhibita significatione:

Inconsultus = nicht befragt (cf. Ge. no. I): V, 18 *remoto atque inconsulto possessore.* VI, 9 *inconsultis atque ignorantibus nobis.* — Liv. Plin. min. Suet. Amm. Claud. Ambros. ICt.

saepius (cf. Drks. § 1. Ant.). De alia vi, qua adiectivum etiam ap. Symm. usurpatur (V, 41. IX, 31. rel. 8, 1. 38, 2) v. Ge.

Indecorus de concretione dictum: or. II, 14 *regio tectis indecora.* — Cic. ad. Att. IX, 10. Liv. Curt. Sen. Plin. mai. Quint. Tac. (cf. Ge. no. a.).

Inportunus: II, 48 *humor, qui inportunam tussim ciebat* ... — Plaut. Hor. Sall. Cels. (cf. Ge. no. II. 2).

† **Intemperies** proprie: IX, 24, 2 *intemp. hiberna* (ex probabili Lypsii coniectura). — Liv. Col. Tac. (cf. Ge. no. I).

§ 30. De verbis in -ficare (-perare); de adiectivis in -ficus exeuntibus.

Jam Rbl. p. 25 bene monuit, in sermone vulgari verba transitiva ab adiectivis in -ficare formata usitata fuisse. Accuratius Wlffl. II, p. 410 et 424 sq. de hac formatione disputat. Nihil aliud enim fere verba in -ficare et adiectiva in -ficus desinentia, quamvis quod attinet ad formationem composita nominanda sint, significant ac vocabula a simplici stirpe derivata (cf. Ldgr. II, p. 326. Krt. p. 6). Etiam hanc rem ex eo ortam esse, quod pleniores formae in plebis deliciis erant patet. Cum hae formationes imprimis in sermone vulgari posterioris aetatis usitatissimae essent (cf. Rö. p. 174 sq.), non mirum est, quod etiam in linguis Romanicis saepius deprehenduntur (cf. Wlffl. l. l. p. 426). Ut asserit Pauckerus, qui i. Zeitschr. f. vergl. Sprachforschg. XXVI, p. 410 s. omnia composita verbo -ficare effecta collocavit, exstant 125 formae (146 adiectis verbis praeterea cum praepositione compositis). Quarum aetatis ante Ciceronem sunt 6, aetatis post Hadrianum 96. Apud Ciceronem deprehenduntur 11, quarum tamen nonnullae certe vulgares sunt. — Apud Symm. talia verba in -ficare exeuntia, quorum prima pars est adiectivum, non inveniuntur sed duo, quae ex substantivo et -ficare composita sunt quaeque sermoni vulgari attribuenda sunt:

Ludificare = illudere: I, 3, 1 *ludificandi gratia.* — In bonae prosae oratione usurpantur „illudere“ vel „eludere“, quae verba etiam ap. Symm. occurrunt. Alio loco IV, 34, 3 Symmachus utitur locutione *ludos facere alqm.*, quae non

minus sermonis vulgaris est quam v. „ludificare". Ceterum Symmacho verbum activum „ludificare" non deponens attribuendum esse puto, cum id in comicorum sermone, unde Symm. sine dubio verbum sibi assumpsit, saepius inveniatur. Exstat praeterea ap. Lucr. Cicer. p. Quinct. 54 (cf. Hllm. p. 29. Ldgr. I, p. 32. Thlm. I, p. 52), Sall. (Krt. p. 6), Liv. ICt. (Drks.), Avian. fab. — Deponens legitur ap. Ter. Cic. Rosc. Amer. 55. Liv. saepius, Tac. (cf. Ge. Neue, lat. Formenlehre II, p. 294 sq.).

Modificare vel **modificari** = moderari: VI, 16 *quamvis modificandae sollicitudini vestrae prior sermo sufficeret.* — Forma activa exstat ap. Front., deponens ap. Apul. et ap. Front. praeterea alia adhibita vi ap. Gell. Participium „modificatus", quod invenitur bis ap. Cicer. (sed non in oratt.) ap. Apul. August. plane in adiectivi locum abiit et propterea a verbo distinguendum est (cf. Ant. Ge. Neue II, p. 303). — Symm. praeter v. „moderari" etiam locutionibus „modum facere" et „modum ponere" utitur.

Eodem modo ac composita ex adiectivo vel substantivo et „facere" (-ficare) effecta saepe pro verbis derivatis ponuntur, etiam „parare" (-perare) in verbo

Aequiperare nihil aliud fere significat ac transitivam verbi vim, ita ut „aequip." plane pro „aequare" usurpetur. Verbum „aequip." ap. Symm. legitur: I, 94. II, 64, 2 *mentem paribus officiis.* II, 86, 2 *amorem tuum in nos aequip. non possumus.* V, 45 *ad aequiperandum officium.* VII, 91 *magnitudinem iudicii imperialis aequip.* IX, 71 *officium scriptorum aequip.* — Saepius legitur v. „aequare" plane eodem sensu: I, 47, 1 *illecebram caeli aut soli aeq.* III, 29 *si aequaret oratio rei magnitudinem.* III, 90 *haec cum paribus officiis aeq. non possim.* IV, 4, 1 *magnitudinem beneficii aeq. non possum.* IV, 4, 4 *vicem gratiae aeq.* IV, 23, 2 *meritum aeq.* IV, 30, 1 *frater et fratri aequandus.* IV, 63, 2; 69 *gratiam, quam verbis aeq. non possum* ... V, 10; 28. VI, 16 *magnitudinem periculi aeq.* VI, 70. VII, 52 *officia aeq.* VII, 104, 1. rel. 1, 1 *spem sui aeq.* 13, 1. or. II, 22. — V. „aequipero" occurrit ap. Enn. Plaut. Pacuv. Nep. Verg. Liv. Ov. Suet. Front. Apul. Gell. Pall. Amm. Prud. ICt. (cf. Drks. Ge. Ant.). Apud Cicer. et Caesar. verbum nusquam legitur.

Adiectivum

Delenificus pro „deleniens“ usurpatur: III, 6, 1 *delenifica et suada facundia.* VII, 27 *insuper alterum quoque delenificis amoris artibus retines.* — Plaut. Turpil. Front. Auson. — Vocabulum ex prisco sermone repetitum esse apparet. Sed Symmachum ipsum id sibi inde assumpsisse, non pro certo confirmaverim. Certe primo loco, ut iam vidit Seeckius, adiectivum cum ceteris vocibus allatis ex epistula sumptum est, quam Ausonius ad Symmachum dederat (I, 32). Cf. praef. pag. 4 (116).

§ 31. De alia vocabulorum compositione.

In lingua latina compositionem per nomina factam non multum esse excultam constat. Quod componendi genus poetis maxime attribui solet (cf. Stnk. p. 75. Fr. Stolz. die lat. Nominalcomposition in formaler Hinsicht, Innsbruck 1877, p. 9). Quod non plane probaverim. Puto, poetas hanc licentiam ut alia sibi ex sermone vulgari assumpsisse, cui re vera attribuenda est. Nam apud prisci sermonis scriptores talia composita usitatissima sunt (cf. Guer. p. 37 et accuratam tabulam, quam composuit Stolz. p. 77—90), cum apud poetas Augusteos qui dicuntur restringuntur. Stolzius ipse hanc sententiam quodammodo confirmat verbis p. 92 prolatis: „Zwei Thatsachen ergeben sich für unsere Frage: 1) dass die altlateinische Volkssprache entschieden nicht dieselbe Abneigung gegen die Zusammensetzung hatte, wie die spätere Schriftsprache und dass 2) von den ersten scenischen Dichtern an, welche die Composition entschieden begünstigsten, dieselbe allmälig rückwärts geht und mit Vergil eine gewaltige Einförmigkeit erreicht“. Iam satis memorabile est, quod Cicero, qui orat. 49, 164 talem componendi rationem „asperitatem“ esse dicit (cf. Stolz p. 10), in epistulis composita admisit, quae apud alium scriptorem non leguntur, velut „breviloquens, levidensis“ (cf. Stin. p. 17). Etiam apud alios scriptores sermonem vulgarem admittentes imprimis posterioris aetatis, apud Plin. mai. Apuleium, Tertullianum aliosque composita hoc modo conformata saepissime inveniuntur (cf. Stolz p. 11). Quae cum ita sint, facere non possum, quin etiam hoc componendi genus imprimis sermoni familiari adiudicem. — Apud Symmachum leguntur:

Aequaevus: or. III, 3 *pro liberis nostris aequaev. insudas.* — Verg. Plin. mai. Suet. Claud. Ambros. (cf. Ge. et Ant.).

†Aequimanus: IX. 110, 2 in codice *II* traditum est ... *ut plane Homerica appellatione usus περιδέξιον id est aequimanum te esse pronuntiem.* Seeckius verba *id est aequimanum* uncis inclusit, suo iure, ut mihi videtur. Nam quamvis compositum „aequimanus", si ad componendi rationem spectas, Symmacho concedi potest, tamen vix credendum est, Symmachum, qui ut iam Cicero saepius in epistulis vocabula graeca non addita interpretatione admiscet, hoc uno loco versionem latinam addidisse. — Exstat adiectivum ap. Auson. ed. 12 et ap. Isid. (cf. Ge.).

Longaevus: rel. 3, 9 *longaeva* sc. Roma. — Verg. Ov. Stat. Mart. Amm. ICt. (cf. Drks. Ge. Ant.).

Multiformis translate: VII, 65 *ut est multif. plerumque perfidia tutorum.* — Sen. ep. Plin. mai. Front. Gell. August. Sensu proprio ap. Cicer. semel („quasi multif."), Col. Amm. Boet. (cf. Ge.).

Multiiugus translate: I, 14, 1 *multiiugae paginae* = I, 45, 1. I, 49 *multiiugae hostiae.* I, 61 *ais te multiiugis necessitatibus impediri.* IV, 22 *multiiuga officia.* VII, 50, 2.[1]) — Cic. ad. Att. XIV, 9, 1 (adhibita forma „multiiugis"), Fronto, Gell. Apul. Sensu proprio ap. Liv. Gell. (cf. Vog. p. 21.).

Multiloquium: I, 50, 2 *angustias scriptorum multiloquio repensare.* I, 75 *multiloquio mihi temperandum est.* — Plaut. Merc. 31 et 37. Deinde ex prisci sermonis fortasse imitatione ap. Ambros. in Vulg. (prov. Math.), ap. August. (cf. Rö. p. 218).

Primaevus: IV, 18, 1. — Catull. Verg. Lucan. Amm. (cf. Ge. Ant.).

Primiscrinius: rel. 34, 6 *primiscrinii urbani officii.* — Veget. ICt. (Drks.), Inscr. (cf. Ge., qui locum Symmachianum non recte citat).

Semibarbarus: or. I, 14 *Rheni semibarbarae ripae.* — Suet. Capit. Eutr. Hier. (cf. Ge.).

---

[1]) Codices praebent *nam per multiiugis necessitatibus par fuisti,* unde Seeckius aptissime coniecit scribendum esse *semper multiiugis* etc. Forma enim „permultiiugus" nullo modo tolerari potest.

****Semivolucer:** I, 47, 1 *tricinium semivolucrum puellarum.* — Apud Ge. locus falso Sidonio attribuitur.

Unanimus: VII, 83 *pro amico et unanimo meo.* — Plaut. Stich. 729. Fl. Catull. Verg. Liv. Stat. Sever. ap. Capit. Alb. Auson. (cf. Ge.).

Uniformis: IV, 63 *fastidium patitur uniformis spectaculi civitas nostra.* — Tac. dial. Apul. Solin. Aur. Vict. ICt. (Drks.), Fulg. (cf. Ge. et Ant.).

Halis Formis descripsit Ehrhardt Karras.

OSCARUS HAUSCHILD:

DE SERMONIS PROPRIETATIBUS, QUAE IN PHILIPPICIS CICERONIS ORATIONIBUS INVENIUNTUR.

Cum ante hos septem annos Hellmuthius[1]) et Landgrafius[2]) eodem tempore auctoritate Wölfflini v. d. excitati essent ad perquirendas priores Ciceronis orationes et ad exponendum, quae essent sermonis proprietates in eis conspicuae, eorum animos fallere non potuit, Ciceronem, cum iam pridem et pompa tumoreque et parum diligenti delectu verborum, quae in prioribus orationibus sibi indulsisset, remotis et reiectis ad id genus dicendi pervenerat, quod cum aliis de causis tum propter sermonem purum et elegantem homines docti omnium temporum exemplar sibi ad imitandum proposuerunt, fine vitae in orationibus in M. Antonium habitis quae Philippicae vulgo vocantur, denuo multa admisisse, quae consuetudini dicendi minus eleganti tribuenda essent et saepius eas sermonis proprietates nobis in mentem revocarent, quas deprehendissemus in prioribus Ciceronis orationibus. Thielmannus quoque nonnullis locis dissertationis suae[3]) attigit illum insolitum sermonis habitum, qui est in Philippicis orationibus.

Ex quibus Hllm. dicit p. 105: „Ceterum hic monendum est, haud paucas proprietates non solum in primis orationibus, verum etiam intermissis mediis in extremis, i. e. in orationibus Philippicis comparere: Quod cum casu factum esse non possit, certa ratio investiganda est, ex qua Cicero ad pristinum dicendi morem recurrerit. Ac mihi quidem imprimis haec valere ratio videtur.

---

[1]) H. Hellmuth (= Hllm.), de sermonis proprietatibus, quae in prioribus Ciceronis orationibus inveniuntur. Erlangae 1877 = acta sem. phil. Erlang. vol. I, p. 101—174.

[2]) G. Landgraf (= Ldgr. I), de Ciceronis elocutione in oratt. pro Quinctio et pro Roscio Amerino conspicua Diss. Würzburg 1878.

[3]) Ph. Thielmann (= Thlm. I) de sermonis proprietatibus, quae leguntur apud Cornificium et in primis Ciceronis libris. Diss. Strassburg 1879.

Philippicae orationes non sunt adnumerandae iis, quae ad sublime dicendi genus se applicant et verborum ornatu illustratae ac distinctae sunt, sed potius mediocrem orationem sequuntur et asperis audacibusque vocibus in Antonium Ciceroni inimicissimum refertae sunt. Itaque Tullius non orationis vel copiosae vel elegantis ornatu ac suavitate animos eorum, qui audiunt, perfundere, sed omnem vim eloquentiae ad castigandum atque pervellendum inimicum conicere et magis res quam verba intendere studet."

Cui Hellmuthii iudicio statim addam, quae sensit Ldgr. p. 33: „hoc addere mihi videtur eiusmodi vestigia sermonis familiaris et cotidiani dissipata inveniri cum in posterioribus tum in Philippicis, ubi Cicero summo animi ardore et ira inflammatus vulgaria quaedam admiserit."

Itaque putavi neque abs re neque ab tempore esse quaestionem instituere de his orationibus, qua manifestum fieret, quales et quantae sermonis proprietates essent, quibus orationes Philippicae illum colorem sermonis singularem et a ceteris recedentem ducerent eoque magis ad hoc studium capessendum commotus sum, quod primis et extremis Ciceronis orationibus perlectis videram, iudicium quoddam nuper et de aliis et de Philippicis orationibus factum de via declinavisse. Nam Guttmannus (Guttm.) in dissertatione, quae inscribitur: de earum quae vocantur Caesarianae orationum Tullianarum genere dicendi. Gryphiswaldae 1883 edita p. 73 contendit Ciceronem in orationibus pro Ligario et pro Deiotaro habitis „plane studuisse Atticos imitari singularibus quibusdam commotum causis", sed in Philippicis magis se etiam quam in mediae aetatis orationibus Asiatico dedisse generi. Sed hoc spectat ad illam quaestionem a non nullis viris doctis tractatam, num omnino Cicero Asiaticum genus dicendi assectatus sit, qua in re diiudicanda prae ceteris priores orationes in iudicium vocandae sunt, quippe quarum habitus sermonis magis respondere videatur eis verbis, quae Cicero in Bruto suo § 325 de genere Asiatico fecit: „genera Asiaticae dictionis duo sunt, unum sententiosum et argutum, sententiis non tam gravibus et severis, quam concinnis et venustis — aliud autem genus est non tam sententiis frequentatum quam verbis volucre atque incitatum, sed etiam exornato et faceto

genere verborum." Sed cum certa huius dicendi generis exempla ad nos non permanserint, difficile est diiudicare utrum Cicero in primis orationibus Asiaticum genus de industria secutus sit an illa quaesita concinnitas verborum et sententiarum, illa multa abundanter addita verba, quae non nisi exornandae orationis causa locum habeant, illa verborum congeries et annominatio aliter intelligenda sint. Omnes quidem fere viri docti, qui de hac re his temporibus iudicium fecerunt, in quibus ipse Landgrafius, qui primus illam sententiam in medium protulerat, nunc inter se consentiunt, de industria Ciceronem genus Asianum non assectatum esse. Vide quae sensit Iw. Müllerus disserens de illis Hllm. et Ldgr. dissertationibus (in „Bursians Jahresberichten" XIV. p. 201 sq.): „Zuvörderst darf daran erinnert werden, dass Cicero keinen Anhänger jenes manierierten Stils zum Lehrer in der Rhetorik hatte. — Auch führt Cicero selbst seine Ueberschwenglichkeit nicht auf die Schule irgend eines Asianers zurück, sondern erklärt sie psychologisch aus dem Alter, in dem er jene Reden gehalten und damit hat er im Wesentlichen Recht. Was man mit einem gewissen Recht Asianisch nennen kann, lag hauptsächlich in seiner eigenen, auf Wort- und Redefülle angelegten Natur, der er auch in seinem späteren Leben nicht untreu wurde, und hierzu kamen allerdings in der ersten Zeit seines Auftretens Einwirkungen des die Aelteren abstossenden, die Jüngeren begeisternden Asianers Hortensius."

Quo indicio Muelleri commotus etiam Ldgr. in editione sua Ciceronis orationis pro Sext. Rosc. Amerino hab.[1]) Erlangae 1882 confecta abiecit priorem sententiam. Quo in libro p. 123 legimus: „Mein Endurteil geht also dahin, dass Cicero in der ältesten Stilperiode, seiner Sturm- und Drangperiode, zwar nicht in der Theorie, aber seinem Naturell nach zum Asianismus hinneigt, diese Neigung aber in der Schule des Molon überwindet und sich fortan der einfacheren und natürlicheren Sprache der rhodischen oder eclectischen Richtung zuwendet."

Denique cf. quae O. Harnecker in Fleckeisenii annalibus philol. a. 1882 p. 602 scripsit: „Nach dem Tode des Qu. Hortensius, der Anfangs Juni 50 erfolgte, war der zum Asianum genus in der Beredtsamkeit hinneigende, freilich nur irrtümlich

1) = Ldgr. III.

oder böswillig ihm als gänzlich ergeben betrachtete Cicero vereinsamt" e. qu. s.

Itaque quod attinet ad Philippicas orationes, paene supervacaneum videtur iam pluribus refellere Guttmanni sententiam, contendentis Ciceronem in his orationibus Asiatico generi dicendi magis deditum fuisse. Sed etiam magni momenti mihi videtur, quod ipse Cicero, qui tum sexagesimum secundum annum agebat, in Bruto suo illo ipso tempore conscripto non semel dicit senes minime decere illud genus dicendi v. Brut. § 325: „*genus orationis Asiaticum, adulescentiae magis concessum quam senectuti*" et insequenti paragrapho: „*haec autem, ut dixi, genera dicendi aptiora sunt adulescentibus, in senibus gravitatem non habent*" et ibid. § 327 „*illa senior auctoritas gravius quiddam requireret.*" Neque si quidem summa Asiani generis dicendi in figuris oratoriis cumulate adhibitis posita est, iure orationes Philippicae huic generi tribuantur. Nam si utimur eis exemplis figurarum, quae ipse Guttm. diligenter enumeravit, ego non video, nostras orationes ab aliis, exceptis Caesarianis, multum distare. P. 36 enim e. g. annominationis insignia exempla ex Philippicis orationibus sumpta 28 affert in paragraphis 549 dispersa, ex oratione de imp. Pomp. hab., quae ex 71 §§ constat, unum, ex or. de leg. agr. hab. I, quae 27 §§, 5 exempla, denique ex Miloniana, quae 105 §§ habet, 10. — Nec aliter res se habet, si contemplamur allitterationis exempla, quae enotavit Guttm.

ex or. de imp. Pomp. hab.	in 71 §§	8	exempla
ex or. de leg. agr. hab. I	in 27 §§	2	„
ex or. p. Mil. hab.	in 105 §§	7	„
ex Philippic. orr.	in 549 §§	62	„

Accedit, quod Guttm. haud pauca ex Philippicis protulit exempla allitterationis, quae certe consilio quaesita non sunt neque solum casu sed paene necessitate Ciceroni oblata videntur, sicuti in Phil. II. § 58 ***n**on **n**oto illo et **m**i**m**ico **no**mine.* III. 32 *unum et idem **sen**tientis **sen**atus.* V. 47 ***ex**cellenti **ex**imiaque virtute.* VI. 9 *vertat **se** et **se**natui pareat.* XIV. 18 ***a**vent **a**udire,* alia. Et quod Guttm. dicit p. 38, Ciceronem cum allitterationem, quae versatur in verbis in Phil. III. 32 exstantibus: „*unum et idem **sen**tientis **sen**atus*", vitare voluisset in orationibus Caesarianis,

scripsisse in or. p. Deiot. hab. § 11: „*senatus consentientis*" — non intelligo, quasi non remaneat eadem allitteratio, vel si hoc minus placet, annominatio.

Denique vide congeriei exempla, quae Guttm. p. 44 collegit ex or. de imp. Pomp. hab. et ex Philippic. IV. X. XI.

Neque utile sit longum tempus consumere in enumeranda unaquaque figura, quoniam tum demum si multum differunt exemplorum numeri, aliquid certi evadere possit. Id igitur, etiamsi pluribus non disputo, cognosci potest, figuris orationis, quae quidem maxime Asiatici generis propriae sunt, Philippicas orationes vel omnino non vel non multum distare a ceteris.

Itaque quod dixerunt Hllm. et Ldgr. I, accedere Philippicas orationes ad sermonis habitum priorum orationum, id ad solum *delectum verborum* revocandum est. Ut enim in prioribus orationibus multa inveniuntur et singulae voces et vocabulorum consociationes, quae saepius sive apud comicos scriptores sive apud alios minus bonos scriptores sive in epistolis Ciceronis ipsius, sed raro in ceteris eius orationibus deprehenduntur, ita in Philippicis multa invenias, quae Ciceroniana non nominaveris et quae manifesto speciem sermonis familiaris vel volgaris prae se ferunt. Sed una differentia intercedere videtur inter primas et extremas orationes; in illis enim Cicero utpote adulescens neque satis perpolitus orator illa familiaria vel vulgaria quasi retinere non potuit, ita ut sermoni eius ubique irreperent, in extremis i. e. in Philippicis Cicero talia non solum admisit sed etiam praetulit volgares eoque graviores et vehementiores voces urbanis, quae languidiores videbantur et parum valentes ad eas res, quae his orationibus persequebatur. Ita enim aspere et ferociter Antonium inimicissimum increpat obiurgatque, ita eius vitam et facta depingit turpissimis verbis, ut nemo miretur, quod plane alium verborum delectum invenit atque in ceteris. Ac quaesiverit quispiam, cur non eisdem volgaribus verbis et locutionibus in Catilinam invectus sit Cicero, quoniam rerum condicio similis fuerit. Statuendum quidem est haud ita deesse in Catilinariis orationibus locos, quibus talibus vocibus et locutionibus utatur Cicero, sed tamen maximum discrimen est inter eas et Philippicas, quod quidem ad sermonis colorem attinet et si quaerimus, unde exorta sit haec differentia in similibus

rebus, mihi his rationibus tribuenda videtur. Primum eorum animi, qui audiebant Ciceronem consulem in Catilinam invehentem plane alii erant ac tum cum Philippicas habuit, quoniam omnes boni, quorum intererat reipublicae statum non a perditissimis hominibus perverti, ab Cicerone stare necesse erat. Itaque facili opera adhibita eis persuadere poterat neque opus erat, Ciceronem neglecta magis orationis eleganti forma id unum agere ac pugnare, ut adversarium fingeret sceleratissimum hominem et odium hominum deorumque. Sed cum Cicero in M. Antonium convicia iactabat, rerum condicio specie similis, re ac veritate alia erat. Neque enim decertabant boni cives cum eis, qui ab omnibus bonis sceleratissimi habebantur, sed utraque pars iure quodam agere videbatur, quare Cicero et in senatu et apud populum ab adversariis victoriam reportare omnino non poterat, nisi ei contigit probabilibus argumentis demonstrare. Antonium eiusque socios re vera tam perditos sceleratosque esse homines, quales haberi eos cupiebat. Praeterea dubitandum non est, quin Cicero intellexerit se in summum discrimen venturum esse, simulac ipsius partes iacere coepissent. Itaque apparet in talibus tamque periculosis rebus Ciceronem non id studere potuisse, sicut in oratione aliqua apud iudices habenda. ut sermone urbano ac puro excelleret, sed in sola sententiarum vi tum ipsum et summa orationis et salus ipsius, qui verba faciebat, positae erant. Quantopere illud unum Ciceroni ante oculos versatum sit, ex eo intelligi potest, quod in ipsis Philippicis orationibus hyperboles figura saepissime ita usus est, ut mente odiosissima veritatis modum egressus sit.

Accedit, quod Cicero summa cum ira et ardore animi locutus est. Nam cum irati soleant uti quam valentissimis et dilucidissimis locutionibus verbisque, hac in re congruunt cum hominibus plebeis, quos adamare notum est tales voces, qualibus adhibita imagine aliqua magis valens ac dilucida fit oratio. Ut exemplum afferam, legimus loco nescio quo Philippicarum orationum hyperbolen „*verba evomere*“, quod idem verbum hoc sensu volgare esse pro *emittere* commemorat Lor. ad Plaut. Pseud. v. 936; v. Barta in programmate Linz. 1879, p. 5: „die Invective greift zu gröberem Ton als die Verteidigung“.

Denique non omittendum est, quod Cicero iam senilem

aetatem agebat. Nemo enim negaverit Ciceronis animum per se haud ita firmum et semper constantem fuisse, sed potius mollem et mobilem. Adde iam, quod Cicero utpote difficilis senex pro natura hominum magis cum animi ardore contendebat quam cum illa gravitate, quam praestiterat tum cum corpore et animo florebat et cum ei maxime adiumento erat omnium bonorum civium consensus. Nec plane probatur, quae dixit Schmalz [1]) v. d. de Philippicis orationibus; „dass das Greisenalter, dessen Einwirkung sich C. trotz des Cato maior doch nicht entziehen konnte (ad Att. XIV, 21), ihn wieder die alte redundantia, die aber jetzt senilis heissen muss, finden liess.“ Quae sententia, quamquam primo aspectu nobis arridet, tamen a veritate nimis abhorret. Nam ubertas et copia vocabulorum, quae Ciceroni in prioribus illis orationibus in deliciis fuerant, maxime superant neque comparari quidem possunt cum ubertate verborum in Philippicis adhibita, quae exceptis Caesarianis, ut dixi, non multum discrepat a copia ceterarum orationum. — Itaque censeo et illa incerta et imbecilla orationum argumenta et aetatem admodum provectam et vitae periculum et animum Antonio inimicissimum effecisse, ut Cicero in Philippicis neglectis omnibus aliis rebus id unum studeret, ut quam maxima vis sententiis inesset et ut res ita evenirent, sicuti voluisset.

Quae sententia confirmatur eis locis, qui in epistolarum ad Att. XVI, 11 exstant. In secunda enim oratione Philippica, quam re vera non habuit Cicero, sed per amicos clam divulgabat [2]) longe plurimae voces locutionesque deprehenduntur, quae minus eleganti consuetudini dicendi attribuendae sint. Legimus ad Att. XVI, 11, 1 hanc oratonem a Cicerone missam esse Attico examinandam corrigendamque [3]), sed etiam illae Attici emendationes id unum egisse videntur, ut sive collocatione verborum sive aliis artibus oratoriis quam valentissime et effica-

---

[1]) I. H. Schmalz (= Schm. I), über den Sprachgebrauch der nichtciceronianischen Briefe i. d. ciceron. Briefsammlungen i. Ztschr. f. d. Gym. Wes. XXXV (1881) p. 93.

[2]) ad Att. XVI, 11, 1: *„Atque utinam eum diem videam, quum ista oratio ita libere vagetur, ut etiam in Siccae domum introeat!“*

[3]) ibid.: *„cerulas enim tuas miniatulas illas extimescebam“* et § 2: *libenter ea corrigam, quae a te animadversa sunt.“*

cissime evaderet vis sententiarum. Nam in ea epistola (ad Att. XVI, 11), qua, postquam Atticus Ciceroni iudicium suum de hac oratione factum perscripsit, Cicero respondit Attico, legimus § 2: *eodem iure, quo Rubriana* potius quam *quo Scipionis* (cf. II, § 103), *et de laudibus Dolabellae deruam cumulum* (II, § 75) *ac tamen est isto loco bella, ut mihi videtur. εἰρωνεία, quod eum ter contra cives in acie; illud etiam malo: „nonne indignissimum est hunc vivere" quam „quid indignius?"* (II, § 86). Nihil de colore sermonis tam mutato scriptum legimus.

Restat, ut refellam Guttmanni sententiam censentis hanc multitudinem locutionum volgarium ob eam rem in Philippicis orationibus inveniri, quod Cicero in eis magis Asiatico generi se dederit v. p. 73 sq. „Accessit, quod hoc ipsum Asianum dicendi genus imprimis propter volgarem redundantemque dictionem procul dubio ei, quod his orationibus persequebatur, consilio vel optime convenit". Sed unde scimus volgarem dictionem Asiatici generis propriam fuisse? Cicero quidem certe illis librorum rhetoricorum locis, quibus adumbrat hoc genus dicendi, commemorare tam insignem sermonis proprietatem non neglexisset. Ceterum ne Guttm. quidem ulla alia re hanc sententiam comprobare aut conatur aut potest nisi duobus primis Ciceronis orationibus allatis. v. p. 5. annot. 7: „Romanos oratores Asianos etiam volgari cuidam indulsisse sermonis generi facile sit probatu nisi alia ex re, attamen ex duobus primis ipsius Ciceronis orationibus." Sed facilius et minus artificiose, ut supra commemoravi, intelligitur causa huius vocabulorum delectus, si nobiscum reputamus, Ciceronem adelescentulum nondum satis politum atque excultum in arte oratoria fuisse necdum ad illum purum sermonem pervenisse, quem in mediis admiramur. Praeterea ipse Guttm. eodem loco concedit, Hegesiam, „notissimum illius eloquentiae genitorem" nulla fere volgaria admisisse, adde paullo infra: „Ceterum ne posteriores quidem Asianos consulto purum elegantemque dialectum puto contempsisse, sed ut diximus sibi tantum indulsisse." Apparet igitur, satis incertam et imbecillam esse hanc Guttmanni sententiam. cf. etiam Landgrafii iudicium de hac Guttmanni sententia scriptum in libro, qui inscribitur: ‚Archiv für lateinische Lexico-

graphie" I, 1, p. 138: „Eben so unnatürlich ist die am Schlusse der Schrift aufgestellte Behauptung, Cicero kehre (als 62jähriger Greis!) in den Philippischen Reden zu dem wortreichen genus Asianum zurück, dem er in seinen Jugendwerken mit Leib und Seele ergeben gewesen sei."

Itaque summa disputationis meae eo spectat, ut disputem primum de singulari delectu vocabulorum Ciceronis in Philippicis orationibus conspicuo, deinde nonnulla tractabo cum ad elementa grammatica tum ad syntaxin pertinentia, quae a solito Ciceronis usu recedunt, tum appendiculae loco agam de nonnullis vocibus locutionibusque, quibus M. Antonius usus sit in eis epistolis, quae cum in Ciceronis epistolis tum in Philippicis orationibus ad nos pervenerunt. — Quibus in locis ad meum propositum pertinentibus corruptela aliqua versatur, eam, quoad potui, emendare conatus sum.

Denique indicabo libros, quos adhibui et praeponam sigla, quibus brevitatis causa per totam tractationem usus sum. Nimirum ea v. d. nomina, quae minus saepe afferri opus erat, non contraxi neque ea nomina, quorum numerus litterarum exigua per se est.

K. — E. = H. A. Koch, Ciceros erste und zweite Philippische Rede, 2. Aufl. cur. A. Eberhard. Leipzig 1879.

K. Halm, Ciceros erste und zweite Phil. Rede, 6. Aufl., Berlin 1881.

R. Klotz, Ciceronis orationes in M. Antonium Philippicae XIV, Lipsiae 1882.

Orelli, M. Tullii Ciceronis opera. ed. altera vol. II, p. 2. Turici 1856.

E. Wölfflin, Bemerkungen über das Vulgärlatein. in Philol. vol. XXXIV, p. 137—165.

Schmil. = Schmilinsky, de proprietate sermonis Plautini usu linguarum Romanicarum illustrato Diss. Hal. 1866.

Krause, Stilistische Bemerkungen aus Ciceros Briefen. Progr. Hohenstein 1869.

Stin. = A. Stinner, de eo quo Cicero in epistolis usus est sermone. Oppeln 1879[1].

Schm. II. = J. H. Schmalz, Ueber die Latinität des P. Vatinius

i. d. b. Cicero ad. fam. V, 9 und 10 erhaltenen Briefen. Mannheim. Progr. 1882.

Hoffm. = Fr. Hoffmann, ausgewählte Briefe von M. Tullius Cicero I^{3} Berlin 1874 II^{2} 1878.

Lor. = Lorenz, ausgewählte Comödien des Plautus: II. Mostellaria, Berlin 1866, III. Miles gloriosus B. 1866, IV. Pseudolus B. 1876.

Köhl. = A. Koehler, de auctorum belli Africani et belli Hispaniensis latinitate. Erlangae 1877 = acta sem. phil. Erl. vol. I. 367—471.

Thlm. II. = Ph. Thielmann, stilistische Bemerkungen zu den Jugendwerken Ciceros i. Blätter f. bair. Gymn. Wes. XVI. (1880.) p. 202 ff., p. 325 ff.

Ldgr. II. = G. Landgraf, Bemerkungen z. sermo cotidianus i. d. Briefen Ciceros u. an Cicero. Blätter f. bair. Gymn. Wes. XVI. (1880) p. 274—380, 317—331.

Guer. = H. v. Guericke, de linguae vulgaris reliquiis ap. Petronium etc. Königsberg Diss. 1875.

Krt. = K. Kraut, üb. das vulg. Element in d. Sprache des Sallustius. Progr. Blaubeuren 1881.

Bart. = F. Barta, sprachl. Studien z. d. Satiren d. Horaz. Progr. Linz. I, 1879; II, 1881.

Rebl. = O. Rebling, Versuch einer Charakteristik der röm. Umgangssprache. Kiel 1883^{2}.

E. Wölfflin, lat. und roman. Comparation, Erlangen 1879.

O. Gorges, de quibusdam sermonis Gelliani proprietatibus observationes. Diss. Halle 1883.

Schlz. = E. Th. Schulze, de Qu. Aurelii Symmachi vocabulorum formationibus ad sermonem vulg. pertinentibus. Diss. Halle 1884.

Georges (Ge.), Freund (Fr.), lat.-dtsch. Handwörterbuch.

Merguet (Mgt.) et Schütz, lexica Ciceroniana.

Ant. = Antibarbarus, d. lat Sprache von Krebs-Allgayer. Frankfurt 1876^{5}.

Draeg. = Draeger, hist. Syntax der lat. Sprache I^{2}, 1879. II^{2} 1880.

A. Riese, Catulli carmina, Frankf. 1884.

I. De vocabulorum delectu.

A. De formatione vocabulorum.

a) De derivatione.

§ 1. De substantivis in *-io* terminantibus.

Cum Graecorum artes litteraeque Romam transferrentur pervulgarenturque, factum est, ut Romani permulta nova substantiva sive rhetorica sive philosophica alia formarent, quibus eorum lingua caruerat. Quam ad rem efficiendam maxime usuvenit formatio substantivorum verbalium in -io desinentium. De his quidem vocibus, quas terminos technicos nominamus, disserendi hic locus non est. Sed cum in sermone familiari et volgari homines brevitati et commoditati loquendi maxime studeant, fieri non potuit, ut hoc eodem formationis genere, qua multo significantior fiebat oratio, sermo vulgi Romani nec non is sermo, quo homines etiam magis exculti atque eruditi in cotidiana dicendi consuetudine utebantur, abstinerent, v. Schmil. p. 32; Lor. ad Plaut. Pseudol. v. 141 et ad Most. v. 6 („Verbalsubstantiva auf -io müssen in der Volkssprache sehr beliebt gewesen sein"). Stin. p. 7; Schlz. p. 21. — Sed, ut dicam quo spectet sententia, in Philippicis orationibus inest multitudo horum volgarium substantivorum in -io terminantium, cum in ceteris Ciceronis orationibus satis raro tales voces inveniantur exceptis eis, quae etiam apud bonae prosae auctores saepissime leguntur, sicut ‚ratio', ‚oratio' etc.

Omnino de harum formarum apud Ciceronem usu ita iudicandum mihi videtur. In prioribus orationibus, quas multa de sermone volgari vel familiari sumpta praebere apud omnes constat, tamen Cicero haud ita multa substantiva suffixo -io formata adhibuit cf. quaeso, quam exiguum numerum talium sub-

stantivorum e prioribus orationibus sumptum proferre potuerit Hllm. (in act. sem. Erl. p. 125). In oratione quidem p. Sex. Rosc. Amerino hab., quae omnium plurima ad sermonem vulgarem et familiarem spectantia praebet, tria tantum invenire potui, quae commemoratione digna sint: amendatio *a. ei.* § 44, vociferatio § 12, confictio § 35. Sed cum Cicero in scriptis philosophicis, quae fere omnia aut isdem temporibus quibus Philippicae orationes aut non multo ante conscripta sunt, cogeretur talibus substantivis verbalibus permultis et uti et formare, haud absonum mihi videtur putare perpetua usus consuetudine factum esse, ut Cicero in extremis orationibus his formationibus iam magis indulgeret. In quibus multa sunt verba, quae in ceteris orationibus nusquam deprehenduntur et apud auctores posteriorum saeculorum demum recurrunt. Nimirum neque ea, quae terminorum techn. instar, neque quae minus inusitata sunt, proferam.

approbatio Phil. V 23 *a. auctoritatis,* eodem sensu Sest. 107. Similiter adhibetur haec vox in re iudiciaria ap. Cornif. et Cic. or. 236; in philosophicis Ciceronis scriptis usurpatur *app.* significatione demonstrationis (Ge.).

cohortatio teste Merguetio in Ciceronis oratt. invenitur in Phil. II, 90. IX, 9. XII, 15. XIV 20, Cluent. 138, Balb. 51. Adde fam. 1. 7, ad Att. XVI, 13 (Schütz).

collocutio Phil. XI, 5 collocutiones familiarissimae. Ap. Ciceronem recurrit *c.* ad Att. 12. 1. 2, ep. 1. 9. 4; Tusc. 1. 30. — Cornif. rhet. 1. 25; Augustin. serm. 23. 8 (Ge.).

congressio = congressus Phil. II, 46; Cluent. 41; ad Qu. fratr. 1. 3. 4. Praeterea in philosophicis Ciceronis scriptis invenitur et creberrime apud scriptores posterioris aetatis (Ge.)

conservatio in Philippicis tantum Ciceronis orationibus legitur: I, 6. XIII, 46. XIV 24. Praeterea off. 1. 28. 100; 1. 36. 131; 2. 3. 12; de orat. 1. 42. 188. — Cornif. Quint. Val. Max. (Ge. et Fr.).

compellatio = vituperatio exstat in Phil. III, 27 fam. 12. 25. 2; ap. Gell 1. 2. 5 et t. t. loco in Cornif. rhet. 4. 2. 2. (Ge.)

complexio Phil. II, 90 *verborum* c. — In scriptis rhetoricis saepissime deprehenditur pro Graecis *συμμετοχή, κοινότης* cf. Thlm. I p. 95.

comprehensio Phil. II, 18 *c. sontium* (= captio). Hoc sensu t. Ge. nusquam alibi invenitur. Praeterea haec vox in arte rhetorica significat *συλλαβήν, περίοδον, κατάληψιν* (Ge.)

circumscriptio = *circulus* Phil. VIII, 28. Qua significatione haec vox hoc tantum loco usurpata esse videtur.

decertatio Phil. XI, 21 *rerum omnium d.* Exstat praeterea ap. Symm. IX 26 et 60. Cod. Theod. VII, 20. 2. 2 (Ge.) cf. Schlz. p. 95.

depulsio = remotio Phil. VIII 12 *servitutis dep.* — Praeterea certis significationibus adhibetur in rhetoricis et philosophicis scriptis (Ge.).

dilatio in Ciceronis orationibus invenitur t. Mgt. in Phil. III p. 17 et in or. d. imp. Pomp. hab. 2. — Alibi haud raro (Ge.).

dissipatio proprio sensu legitur in Phil. V, 11 et XIII, 20.

dispertitio Phil. III, 31: *cum exercitu Romano sit ad interitum nostrum et ad dispertitionem urbis venire conatus?* De hoc vocabulo accuratius mihi disserendum videtur. Ex mss. enim codex optimus (Vaticanus) et Tegernseensis praebent lectionem *dispersionem*, quam tueri conantur Halmius et eum secutus Georgesius. Sed Cobetus in Mnem. n. s. VII p. 138 recte sentire mihi videtur, quod dicit nihil esse *dispersionem urbis*, ut nihil sit *dispergere urbem*. Ne significanter quidem si dictum est *dispersio*, sicut vult Georgesius (= „Zerstörung") mihi probatur, praesertim cum haec vox nusquam alibi legatur. Codices deterioris notae (Bambergensis, Gudianus, Bernensis, Langomarsinianus) exhibent formam *disperditionem*. Quae mihi primum, etiamsi ab omnibus vv. dd. reiciatur, tuenda esse videbatur. Nam verbum *disperdere* haud ita raro legitur, sicut ap. Ciceronem t. Ge. exstat: *disperdere possessiones* et apud Vatinium in Cic. epp. ad fam. *cives Romanos occidit, arripuit, disperdidit.* Itaque servato *disperditionem* notio vocis *interitus*, quae praecedit, repetitur. Sed cum multis locis ipsarum Philippicarum orationum recurrat haec sententia: studere hostes patriae, imprimis Antonium, ut inter participes sceleris dividant et distribuant urbem, possessiones omnium bonorum, hoc quoque loco accipiendum mihi videtur, quod coniecerunt Klotzius et Kayserus: *dispertitionem.* Conferas quaeso hosce locos: Phil. IV, 10 *quibus M. Antonius* **urbem** *se* **divisurum** *esse promisit;* V, 6 *agi-*

tur, utrum M. Antonio facultas detur — **urbis dividundae**; V, 7 *hic omnem Italiam moderato homini, L. Antonio*, **dividendam** *dedit*. V, 20 *possessiones notabat et urbanas et rusticas* — **dividebat** *agros, quibus et quos volebat;* VIII, 8 *M. Antonius id molitur, id pugnat, ut* — *fortunas nostras partim* **dissipet** *partim* **dispertiat** *parricidis;* VIII, 9 **urbem** *enim* **divisurum** *se confirmat (Antonius);* XIII, 19 **divisurum** *se* **urbem** *palam suis polliceretur (Antonius);* XIII, 42 *Quam fidem! an optimi cuiusque caedis*, **urbis** *et Italiae* **partitionis**; XIV, 20 **urbis** — *quam iam peritus metator et callidus decempeda sua Saxa* **diviserat** cf. denique Cat. 1. 4. 9. — Si igitur hos locos, quos attuli, respicimus, maxime verisimile est nostro quoque loco Ciceronem hanc sententiam usitatissimam exprimere voluisse et scripsisse *dispertitionem*. Legitur haec vox semel apud Tert. adv. Hermog. 39 (Ge.). — Quod mavult Lambinus et eum secutus Cobetus l. l. *direptionem*, magis a litterarum formis in mss. exstantium recedit ob eamque rem reiciendum videtur.

effrenatio Phil. V, 22 *animi impotentis e.* Legitur bis tantum apud omnes scriptores totius latinitatis. Praeter hunc enim locum in Boeth. art. arithm. 1. 32 (Ge.).

exstructio bis apud Ciceronem invenitur in Phil. XIV, 34 et n. d. II, 60. — Suet. Vitr. Vulg. Metaphorice apud Tert. ad. ux. 2. 3. (Ge.).

hortatio Phil. IX, 6, ad Quint. fr. 1. 1. Apud alios scriptores nusquam exstare videtur.

ingressio vi propria legitur in Phil. V, 9, orat 59; Translate Cic. orat. 3. Etiam hoc vocabulum proprie Ciceronianum esse videtur.

irruptio Phil. X, 20 *i. armatorum in domum* imp. Pomp. 25. — Praeterea ap. Plaut. Plin. pan. Tac. Solin. Pall. Sen. Suet. Hieron. Augustin (Ge.).

lustratio Phil. II, 57 *l. municipiorum*. Praeterea legitur apud Cic. Tusc. V, 27 et n. d. I, 31 (Schütz). — Alio sensu ap. Col. 2. 21. 5; Vulg. num. 8. 7 et 19. 20; Liv. 40. 83. 2 (Ge.).

meditatio = praeparatio Phil. IX, 2 *m. obeundi sui muneris*. Sic etiam Brut. 37, orat. 27. = studiosa cogitatio in Tusc. III, 15; Div. II, 46; Cluent. 82. — Sent. Quint. Plin. Veget. (Ge. et Schütz).

miseratio = sensus misericordiae Phil. II. 91 et fam. V, 92; Quint. Plin. Tac. Cic. = pars orationis Brut. 21, orat. II, 107; Quint. (Ge. et Schütz).

missio propria vi Phil. VII, 1 *m. legatorum.* In oratt. in Verrem habb. 5 ies legitur et ad Att. I, 4. = dimissio in Tusc. I, 48, fam. V, 12 (Ge. et Schütz). Cf. Guttm. p. 14.

occidio Phil. XIV, 36 *occidione occidere.* Caec. 14. Praeterea legitur o. ap. Liv. Tac. Col. Justin. Aur. Vict (Ge.).

peragratio Phil. II, 57 *p. coloniarum.* Alio sensu legimus hanc vocem apud Chalcid. Tim. nonnullis locis (Ge.).

percursatio apud solum Ciceronem exstare videtur: Phil. II, 62 et 100. Att. II, 42 (Ge.).

peregrinatio Phil. II, 101, Lael. 27 ad Att. VI, 2; IX, 12. Tusc. V, 37, fin. II, 33. Praeterea invenies ap. Tac. Plin. Ulp. Gai. dig. Quint. Cael. Amm. Sen., sed nusquam ante Ciceronis aetatem. (Ge. et Schütz).

procrastinatio Phil. VI, 7 *tarditas et pr.* Praeter nostrum locum in Cod. Just. 55. 4 et 6. 35. 11 et ap. Cassian. collat. 4, 18; Guttm. annotat p. 13, procrastinandi verbum in prioribus tantum Ciceronis orationibus conspici.

promissio Phil. VIII, 10 *p. scelerum,* ep. 4. 13. 1 ad. Att. 8. 9. 4. Saepissime occurrit ap. scriptores ecclesiasticos et ut figura rhetorica ap. Cic. et Quint. (Ge.).

reclamatio usurpatur in Phil. IV, 5 *reclamatione vestra comprobastis* pro acclamationis voce. Invenitur praeterea in Apul. apol. 63 et in Augustin. psalm. 52, 2 (Ge.).

recuperatio Phil. X, 20 *r. libertatis.* Legitur etiam apud Justinum et ICtos inferioris aetatis.

retardatio = tarditas Phil. V, 30. Recurrit ap. Vitruv. eodem sensu 9. 1. 6 (Ge.).

retractatio = recusatio Phil. XIV, 38 *sine ulla r.* — Liv. Arnob. (Ge).

revocatio sensu proprio in Phil. XIII, 15 *a bello r.* Sic etiam in Tusc. 3. 33; Vitr. 9. 2. 3. In arte rhetorica Cic. de or. 3. 206; Quint. 9. 1. 38, in sermone ICtorum Ulp. dig. 5. 1. 2 § 3 et Chalcid. Tim. 163 (Ge.).

spoliatio Phil. II, 27 vi propria *sp. dignitatis.* — Sest. 21. Verr. II, 59 leg. agr. I, 9; Mur 37. — Liv. 29. 8. 9 (Fr.).

transmissio = traiectio Phil. I, 7; Guttm. p. 13 commemorat hanc vocem legi a. Forc. praeterea ad Att. 4. 17; Ambros. Hexaëm. 5. 10; Cassiod. Var. 2. 24. Nostram significationem habet vox etiam t. Ge. in itin. Alex. 33 (77).

trucidatio vi propria legitur in Phil. IV, 11 *tr. civium* et Tull. 42. Praeterea invenitur in frg. lat. ap. Gell. 13. 25. (24) 12; Liv. 28. 16. 6; Augustin. de civ. dei 1. 7; Cels. praef. p. 7. 27 D; Plin. 17. 257 (Ge).

vitatio sensu proprio in Phil. III, 24 legitur. Praeterea semel apud Cornif. et ap. Prisc. 2. 8.

§ 2. Substantiva in *-tas* exeuntia.

Schulzius p. 34 auctore Pauckero dicit partem quartam tantum omnium vocabulorum in *-tas* desinentium bonae prosae auctoribus attribuendam esse, sed etiam de his nonnulla detrahenda esse, quae non nisi in Ciceronis vel prioribus vel posterioribus libris legantur, ut suspicari possimus, ea sermonis vulgaris esse. Sed haud scio an erret Schlz. cum e. g. ex omnibus talibus substantivis, quae in or. pro Sex. Rosc. Am. hab. leguntur, si fortasse excipias vocem *mendicitas* § 86 et § 88 exstantem, ne unum quidem invenerim, quod a sermone urbano abhorreat. Exstant enim haec: *acerbitas, assiduitas, aetas, atrocitas, auctoritas, bonitas, calamitas, commoditas, cupiditas, calliditas, celeritas, crudelitas, dignitas, egestas, facultas, felicitas, gravitas, humanitas, humilitas, ignobilitas, infirmitas, improbitas, iniquitas, maiestas, mendicitas, necessitas, nobilitas, potestas, societas, severitas, temeritas, veritas, voluntas.* Neque in Philippicis orationibus multa suffixo *-tas* formata substantiva inveneris, quae commemoratione digna sint sive quod omnino rarius usurpentur, sive quia significationem aliquam singularem habeant.

aviditas Phil. V, 20 *mendicitas aviditate coniuncta.* Quam vocem idcirco commemoro, quod t. Mgt. in Ciceronis orationibus hoc uno loco legitur, in ceteris eius scriptis t. Schütz. ad Quint. fr. I, 1, fin. III, 2, sen. 14, off. II, 11. Praeterea ap. Plaut. Plin. Curt.

claritas = amplitudo, in Ciceronis orationibus uno loco

t. Mgt. usurpatur, in Phil. I, 33. Alibi in Ciceronis Div. II, 31, ac. post. II et ap. Nep. Quint. Sen. Plin. (Ge).

communitas Phil. VI, 3 *c. legationis*. Adhibetur in orationibus Ciceronis nusquam alibi, in ceteris scriptis a. Schütz. in off. I, 7, 43, 44, fin. III, 20; IV, 2 ac. pr. II, 11, fam. IX, 24 et ap. Nep. Milt. 8. 4 (Ge).

firmitas Phil. I, 33; II, 63; Sest. 95, in epp. fam. IX, 11; X, 24; XI, 12. — Lael. 13. — Plaut. Caes. Vitr. Gell. Amm. Quint. (Mgt. Ge.).

foeditas in Ciceronis orationibus occurrit in Phil. II, 15; XII, 12 Scaur. 8 (Mgt.), in ceteris scriptis in n. d. 2. 50, off. 3. 29, fin. 3. 11 (Schütz). — Saepius apud scriptores inferioris aetatis.

impuritas apud Ciceronem bis tantum legitur, in Phil. II, 6 et V, 16 (Mgt.). Recurrit demum ap. Capit. Macrin. 7. 8; Vulg. Levit. 5. 3; Ambros. de off. 1. 26. 136; Salv. de gub. dei 6. 5 (Ge.).

mobilitas translate = inconstantia apud Ciceronem uno loco invenitur, in Phil. VII, 9: *quid est mobilitate turpius?* — Sic etiam ap. Tac. Nep. Sall. (Ge.).

mendicitas auget notionem usitatissimae vocis *egestas*. Legitur in Phil. V, 20; XI, 5 et in or. p. Sex. Rosc. Am. hab. § 86 et § 88. Vocabulum *paupertas* in Cic. orationibus non nisi uno loco inveniri monuit Ldgr. III, p. 177.

stupiditas = stultitia rara vox est. Legitur enim in Phil. II, 80 et in Acc. tr. fragm. 287 (Ge.).

tarditas 6 ies invenitur in Philipp. orationibus (II, 118; V, 25 et 35 VI, 7; X, 14; XI, 25); 4 ies in ceteris (Rab. 21; Cat. III, 20; Pis. 1; Sest. 180 (Mgt.).

§ 3. Substantiva in *-ia* desinentia.

Omnia substantiva in *-ia* exeuntia, quae de orationibus Philippicis huc spectent animadverti non nisi paucis locis orationum Ciceronis inveniri. Schulzius p. 42 monuit substantiva hoc suffixo formata in vulgari dicendi usu saepius admitti pro usitatis formis in *-tas*, *-tio* etc. Cf. Schmil. p. 31 et Lor. ad Plaut. Pseud. v. 381.

haesitantia = cunctatio Phil. III, 16 *h. linguae.* Legitur praeterea ap. Symm. IX, 88; cf. Schlz. p. 43.

inscientia = inscitia Phil. II, 81, *verum implicata inscientia impudentiā est* (fortasse annominationis causa haec forma adhibita est); in ceteris orationibus Sull. 40, in scriptis philos. Ciceronis saepissime. — Caes. Tac. Liv. Quint. (Ge.).

intelligentia Phil. IX, 10 *int. iuris.* Sex. Rosc. 49 Verr IV, 46 et 98, in philosophicis scriptis haud raro. Praeter Ciceronis scripta alia nulla hanc vocem exhibere videntur.

prospicientia = cura, apud Cic. semel occurrit, in Phil. VII, 19. Praeterea scriptores posterioris aetatis suppeditant hanc vocem: Ambros. de off. 1. 21 id. hexaëm 3. 9. Chalcid Tim. 34 B ibid. 44 D et 53 B (Ge.).

praestantia Phil. V, 14 *pr. virtutis,* apud solum Ciceronem exstare videtur. Div. II, 63, fin. 5, 12, orat. II, 52, off. 1. 28 (Schütz).

repugnantia Phil. II, 19 *rep. rerum* (Widerspruch) qua significatione hoc uno loco *rep.* apud Ciceronem legi videtur. Invenitur praeterea ap. Plin. hoc sensu et alio (Widerstand) (Ge.)

reticentia sensu proprio Phil. XIV, 33 *ret. posterum.* Eodem sensu Cic. de off. 1. 146; 3. 65. Pacuv. tr. 278 Plaut. merc. 893. In rhetoricis scriptis ap. Cic. de or. 3, 205. Quint. 9. 2. 54 et 57. Aquil. Rom. § 5 (Ge.).

§ 4. Substantiva suffixo *-mentum* conformata.

Pleraque talia substantiva sermoni vulgari vindicanda esse docuit Schlz. p. 45 auctore Pauckero. Ex nostris orationibus unum verbum huc pertinet: *cruciamentum* Phil. XI, 8. *Nec vero graviora sut carnificum cruciamenta quam interdum tormenta morborum.* Iam Guttm. p. 9 vidit, hanc vocem a Cicerone annominationis causa adhibitam esse, cum aliis locis vocem *cruciatus* hoc sensu usurpet. *cruciamentum* vulgaris sermonis esse declarat frequens Plauti usus (Capt. V, 4. 2; Asin. 2. 2 52 etc.) Arnob. 7. 43 (Ge.).

Substantiva verbalia in *-us* quartae declinationis.

Ciceronis scripta omnino haud magnum numerum horum substantivorum exhibere videntur et quamquam multa hoc modo

formata sermoni vulgari et familiari attribuenda esse constat imprimis ablativi casu adhibito (v. Schlz. p. 14), tamen in nostris oratt. nullum inveni, quod plane ab usu urbano abhorrere videatur. Indicabo igitur ea, quae minus usitata sunt.

circumspectus Phil. XII, 26 *facilis est c., unde exeam* hoc uno loco ap. Ciceronem legitur, nec aliter res se habet de *circumspectione,* quae acad. 2. 11. 35 exstat. — *circumspectus* etiam legitur ap. Plin. Sen. Liv. Ov. (Ge.).

• **decessus** = abitus e provincia Phil. II, 97 et fam. VIII, 10. — Varr. Nep. Cael. — Translate (= mors) ap. Cic. Lael. 10. Caes. Plin. Cels.

iudicatus = iudicandi munus Phil. I, 20 rarum vocabulum esse videtur. Legitur praeter hunc locum ap. Gell. 14. 2. 25 (Ge.).

mercatus vi propria legitur in Phil. II, 6 et III, 30 et apud Plautum (Ge.).

progressus = progressio, in Ciceronis oratt. legitur i. Phil. V, 47 et XI, 4.

§ 6. Masculina in *-o* desinentia.

Has formas praecipue sermoni vulgari tribuendas esse fere omnes, qui scripserunt de sermone vulgari, commemoraverunt. (v. Ldgr. II, p. 319; Stin. p. 6; Schlz. p. 7). In nostris quidem orationibus duo occurrunt eius generis substantiva:

helluo = nepos Phil. XIII, 11. Invenitur praeterea Sest. 26; Pis. 41; Ap. Ter. Heaut 1033. Turpil. com. 1; Gell. 6. (7.) 16. 2. (Ge.).

nebulo Phil. II, 74; Sex. Rosc. 128. Saepius apud comicos scriptores.

§ 7. Masculina in *-tor, -sor* exeuntia.

Ab omnibus grammaticis praecipi solet, masculina in *-tor* vel *-sor* non admittere nisi significent aut eos, qui artem aliquam factitent aut. qui propter vitium aliquod cognomen ex contumelia traxerint. Atque de singulis factis hae formae ab optimis scriptoribus non adhibentur nisi mentio fit eorum hominum, qui ob insigne factum famam collegerunt. (v. Schmil. p. 33; Stin. p. 6; Guttm. p. 12; Schlz. p. 7).

In orationibus Philippicis extra hanc legem grammaticam haec adhibita esse videntur:

collusor sensu proprio legitur in Phil. II, 56 et 101; V, 13; XIII, 3. Praeterea ap. Plin. Iuv. Spart. Sev. Suet. Cal. Ulp. dig. Cod. Theod. (Ge.).

compotor invenitur in Phil. II, 42 et V, 22 nec usquam alibi. Idem significat *combibo* fam. 9. 25. 2. cf. Ldgr. II, 319.

compransor Phil. II, 101 *ἅ. εἰ.* est.

consessor apud Ciceronem legitur in Phil. V, 23; Flacc 24; Att. 2. 15 fin. II, 19 (Mgt. et Schütz.).

corrector in malam partem adhibitus legitur Phil. II, 43; Balb. 20. — Ter. Hor. Liv. Sen. Plin. Amm. Lact. Eutr. —

decoctor illo notissimo sensu (= Bankerotteur) Phil. II. 44; Cat. II, 5; Sen. ep. 81. 2 et ben. 4. 26. 3; Spart. Hadr. 18. 9; Cod. Theod. 12. 1. 117. (Ge.) Praeterea in Catulli c. 41.

emendator = corrector Phil. II, 43; Balb. 20; Plin. ep. 6. 5. 4. pan. 62 in malam partem usurpatur; in bonam partem Cic. Brut. 259; Plin. ep. 7. 17. 3; Gell. 2. 14. 2. (Ge.).

hortator apud Ciceronem legitur Phil. III, 19; XI, 3; XII, 2 Sex. Rosc. 110; ad Att. 1. 11. 1 orat. 1. 55 (Mgt. et Schütz) Ap. alios saepius.

interfector Phil. I, 35 ita adhibetur, ut in bonae prosae oratione scribatur oporteat: „eius qui interfecit": *Beatus est nemo, qui ea lege vivit, ut non modo impune, sed etiam cum summa interfectoris gloria interfici possit.*

probator invenitur apud Ciceronem Phil. II, 29 et Caec. 35. — Praeterea occurrit ap. Ov. Apul. (Ge.).

servator legitur Phil. X. 8. Alibi usurpata est forma usitatior *conservator*, ut Phil. IV, 8.

suasor legitur Phil. I, 8; II, 21 et 29; Deiot. 29. Saepius ap. Livium.

§ 8. Deminutiva.

Voces deminutivas in sermone vulgari usitatissimas fuisse et ex Ciceronis epistolis et ex Catulli carminibus apparet. Neque ignotum est haec verba non solum vim deminutivam habere sed etiam saepissime inveniri, cum vel cum contemptione et vituperatione aliqua vel blanda et supplici oratione aliquid dicatur

Quo de usu cum iam copiosissime homines docti disseruerint (v. Wölfflinum in Philol. XXXIV, p. 153; Lor. Pseudol. p. 57; Ullm. p. 123; Köhl. p. 371; Schmil. p. 35; Guer p. 29; Schlz. p. 51) necesse non est, ut pluribus verbis disputem. In nostris quidem orationibus nulla vox deminutiva ita adhibetur, ut in ea blandiloquentia aliqua insit.

De *commentarioli* et *libelli* Phil. I, 16, *cuniculus* III, 20, *propugnaculum* V, 27, *curriculum* VII, 6 disputari opus non est. Puram vim deminutivam habere videntur etiam **sententiolae** Phil. III, 21, quae vox hoc uno loco apud Ciceronem, persaepe ap. Quint. praeterea ap. Gell. et Petron. legitur (Ge.).

De voce **nutricula**, quae translate Phil XI, 2 et Vatin. 4 legitur, monendum est, omnes voces, quae in cotidiana domus vel familiae vita saepe occurrant, praecipue suffixo deminutivo formatas esse, ut iam Lor. in egregia sua ad Plaut. Pseudol. praefatione explicavit. Invenitur *nutricula* praeter nostros locos ap. Hor. ep. 1. 4. 8; Suet. Aug. 49 et Ner. 42; Juv. Apul. VI, 12 (Ge.).

quasillum Phil. III, 10; Cato. r. r. 133; Tibull. 4. 10. 3 (Ge.). Cum contemptione aliqua dictae sunt voces quae sequuntur: **Graeculus** *index* Phil. V, 14. — **cauponula** Phil. II, 77, quod *ἅ. εἰ.* esse videtur. — **mimula**, quae vox apud solum Ciceronem legitur Phil. II, 61 et 69 Planc. 30 (Ge.).

§ 9. De adiectivis in *-bilis, -osus, -orius, -ax, -atus* exeuntibus.

De adiectivis hoc modo formatis summatim disserere mihi liceat, cum in orationibus Philippicis non multa legantur, quae a sermone urbano recedant. Sermonem enim vulgarem et familiarem maxime his adiectivis studuisse et nonnulla etiam apud bonae prosae scriptores exstare mihi non ignotum est. (cf. Rebl. p. 24; Guer. p. 31 sqq.; Köhl. p. 376 sq.; Schlz. inde a p. 56 usque ad p. 71). Addam ea, quae aut omnino rarius inveniuntur aut praecipue in nostris orationibus usurpata esse videntur.

detestabilis apud Ciceronem in solis Phil. orationibus occurrit: Phil. I, 33; II, 65 et 110; III, 36; XI, 11; XIII, 1 (Mgt.).

Praeterea de senect. 12. 41; Lael. 8. 27; Tusc. 3. 10 et ap. Livium.

inexpiabilis legitur in Cic. oratt. Pis. 81; har. resp. 4. 57; Phil. I, 13; XI, 29; XIII, 2; XIV, 8. — Liv. Lact. Suet. (Mgt. et Ge.).

insatiabilis in Ciceronis orationibus uno loco, Phil. VI, 8 invenitur. — Liv. Cael. Sen. Ov. Curt. Sall. Justin. Val. Max.

animosus legitur ap. Ciceronem in Phil. IV, 2 off. 1. 6; Cat. m. 20. — Senec. benef. 6. 37; Val. Max. 8, 2 (Fr.).

ignominiosus semel ap. Ciceronem occurrit Phil. III, 34. — Quint. Liv. Tert. Eutr. Arnob. Oros. (Ge.).

lacertosus Phil. XIII, 26 et apud Varr. Ov. Col. (Ge.).

ventosus Phil. XI, 17 *imperium vent.* Brut. ap. Cic. fam 11. 9. 1. Legitur haec vox praecipue apud poetas.

amatorie Phil. II, 77 *erat enim scripta (epistola) am.* Praeter hunc locum invenies ap. Plaut. Merc. 581 (Ge.).

meritorius Phil. II, 105 *m. puer* = pathicus. Hoc sensu recurrit haec vox Suet. Claud. 15 (Ge.).

pacificatorius Phil. XII, 3 *p. legatio ἅ. εἰ.* esse videtur. *pacificator* exstat in Cic. ep. ad Att. 1. 13 et 15. 7.

vorax in Ciceronis scriptis uno loco adhibitum esse videtur, Phil. II, 67. — Catull. Sil. Ov. Lucan. Val. Max. Vulg. Lact. (Ge.).

inhumatus Phil. XIV, 34 rara vox esse videtur. Exstat praeterea ap. Cic. Div. 2. 69. 143; Verg. Aen. 11. 122; Lucan. 7, 820 (Schütz et Fr.).

semustilatus apud Ciceronem legitur Phil. II, 91; Tull. 18; Mil. 33 et ap. Varr. in sat. Men. 411 (Ge.).

§ 10. De verbis frequentativis vel intensivis.

Sicut de vocabulis deminutivis, ita etiam de verbis frequentativis vel intensivis animadverterunt homines docti, saepe praecipue apud deteriores scriptores haec verba ita inveniri, ut vi frequentativa vel intensiva plane carere viderentur, cf. Wölffl. in Philol. XXXIV p. 157; Rebl. p. 28; Lor. p. 58 in praef. ad Plaut. Pseudol. Schmil. p. 49 sq.; Stin. p. 16; Guer. p. 34; Krt. p. 5; Hellm. p. 125; Schlz. p. 73. Ciceronem praecipue n prioribus scriptis haec verba ita admisisse, docuit Hllm. l. l.:

in nostris orationibus non adeo multa eiusmodi verba inveniuntur.

Verbum *minitari* a Cicerone etiam in optimis orationibus non rarius quam *minari* sine ullo significationis discrimine adhibitum esse docet Merguetii lexicon.

Cum legamus Phil. V, 19 de Antonio: *ipse interea XVII dies de me in Tiburtino Scipionis* **declamitavit**, sed de eodem Phil. II, 42 *haec ut colligeres, — tot dies in aliena villa* **declamasti** iure concludere possumus, **declamitare** hoc loco vi frequentativa esse exutum.

Hllm. p. 124 commemorat verbum **factitare** in Cic. orationibus vi frequentativa privatum his locis legi: Verr. III, 209 et 211; V, 60; Caec. 81; Phil. II, 41. Nostro quidem loco *semper* adiectum est, unde magis apparet *factitare* pro simplici facere positum esse.

ventitare Phil. II, 3 *domum meam ventitaras* sensum frequentativum retinet.

Verbum **dictitare,** quod uno loco, Phil. XIII, 32 in illa Antonii epistola pro forma simplici collocatum est, infra tractabo.

gestare Phil. XI, 5 *caput in pilo gestari iussit* Schlz., qui p. 76 accuratius de hoc verbo disseruit, sermoni cotidiano adiudicat.

§ 11. De verbis inchoativis.

Recte Schlz. p. 78 monuit, in sermone vulgari (ut verba deminutiva, frequentativa, intensiva) saepe verba inchoativa pro illo plebis studio usurpandi formas ampliores inveniri pro simplicibus posita. Quod eodem referendum mihi videtur, quo ille notissimus usus, quod in sermone vulgari saepissime verbum *coepisse* adicitur, ubi plane supervacaneum videtur. Ad illum usum vulgarem, de quo priore loco dixi, pertinere mihi videntur ex nostris orationibus verba duo:

delitescere Phil. II, 77 = se abscondere, se occulere et **conticescere** XIV, 33 quod a simplici *tacere* non abhorret. Sed utrumque verbum etiam in optimis Ciceronis scriptis ita adhibitum est.

Aliter iudicandum est de verbo **ingemiscere,** quod Phil. XIII, 23 pro *gemere* positum est: *quid ingemiscis hostem Do-*

labellam? Sed repetit hic Cicero locum epistolae cuiusdam Antonii. Haec enim epistola, quam in fine dissertationis meae tractabo, habet haud pauca volgaria et familiaria.

§ 12. De verbis denominativis in *-are.*

Cum in sermone vulgari et familiari usitata fuisse verba denominativa in *-are* vel *-ari* nonnulli viri docti animadverterint (cf. Rebl. p. 25; Schmil. p. 43; Guer. p. 35; Schlz. p. 80) facere non potui, quin quaestionem instituerem, quibus verbis denominativis Cicero in orationibus Phil. usus esset. Itaque enotavi haec:

coagmentare Phil. VII, 21. Quod verbum Ciceroni in deliciis fuisse videtur, ut docent lexica.

conculcare (calx) Phil. II, 57; Flacc. 22; Pis. 61 ad Att. 8. 11. 4. Praeterea ap. Cat. Lucr. Senec. Hieron. (Ge.).

discriminare (discrimen) apud Ciceronem uno loco deprehenditur: Phil. XIII, 37 *Etruriam discriminat Cassia via* = dividit in duas partes. Praeterea legitur ap. Varr. Verg. Liv. Sen. Apul. (Ge.).

De **discrúciare** (crux) v. infra § 14.

infatuare (fatuus) legitur Phil. III, 22; Flacc. 47. — Alibi exstat ap. auct. b. Afr. Sen. Hieron. (Ge.).

ingurgitare (gurges) invenitur apud Ciceronem Phil. II, 65; Pis. 42 et 60; fin. 3. 8. 23. — Praeterea occurrit ap. Plaut. Petr. Plin. Gell. Apul. Macr. Amm. Lact. (Ge.).

mutilare (mutilus) apud Ciceronem semel legitur. Phil. III, 31. — Ter. Ov. Liv. Plin. Curt. Spart. ICt. (Ge.) cf. Schlz. p. 85.

ominari (omen) a Cicerone usurpatum est Phil. XI, 12 et off. 2. 21. 74. — Plaut. Hor. Liv. Plin. (Ge.).

perbacchari (Bacchus) rarum verbum videtur. Invenitur in Cic. Phil. II, 104; Ps.-Cic. decl. in Sall. 3, 10; Claud. b. Get. 142 (Ge.).

philosophari legitur apud Cic. Phil. XIII, 45; N. D. I, 3; Tusc. 1. 3. 7. Alibi exstat ap. Enn. (trag. 340 R.); Plaut. (ter); Gell. (Ge.).

pignerari (pignus) Phil. XIV, 32; Suet. Claud. 10; Ov. met. 7, 621 (Fr. et Ge.).

proeliari (proelium) vi propria legitur Phil. IV, 11; Div. I. 25. Praeterea ap. Caes. Tac. Iustin. — Translate ap. Cic. Att. 1. 16. 1 (Ge.).

stillare (stilla) in Ciceronis scriptis bis deprehenditur Phil. II, 30 et translate ad Att. 9. 7. 1. De aliis locis, quibus invenitur cf. Schlz. p. 87.

b) De compositione verborum.

Cum iam multa sermonis vulgaris vel familiaris vestigia in orationibus Phil. comparere viderimus, haud absonum fuerit quaerere, num in eis etiam inveniantur illa vocabula composita, quae praepositione adiecta tamen primariam vim retinent nec discrepant significatione a simplicibus. Notum enim est hunc usum (sicut similiter res se habet in deminutivis, inchoativis, frequentativis) maxime sermonis vulgaris esse. Ac duae causae sunt, cur hoc genus dicendi, ut composita verba pro simplicibus ponerentur nullo significationis discrimine, adamaverit sermo vulgaris, una quod sicut in omnibus linguis ita in latina homines plebei praecipue superlationi studere solebant, si quid narrabant, qua re factum est, ut perpetua consuetudine ac usu praepositionum vis magis magisque debilitaretur atque deminueretur. Itaque, ut exemplum afferam, verbum *decertare* in sermone vulgari non iam significat *summis laboribus atque studio contendere, ut gravis eventus efficiatur*, sed nihil aliud valet quam *certare*, *laborare, studere*. — Altera causa est, quod pro vulgi neglegenti et celeri pronuntiatione brevium formarum simplicium etiam auribus necesse videbatur, ut litterarum numerus augeretur, ne vocis sonus plane in ordine verborum evanesceret. Copiosius de hac re disseruerunt: Wölffl. in Philol. XXXIV p. 157 sq.; Rebl. p. 17; Schmil. p. 40 sq.; Guer. p. 38 sq.; Hllm. p. 125 sq.; Köhl. p. 381 sq.; Lor. in praef. ad Plaut. Pseud. p. 37, annot.; Thlm. I, p. 5 sq.; Ldgr. II p. 321; Schlz. p. 90 sq.

§ 13. De substantivis et adiectivis compositis.

Ex substantivis quidem nullum huc referendum esse videtur, nam *decertatio omnium rerum* (Phil. XI, 21) recte se habet.

Ex adiectivis unum huc pertinet: **consimilis** Phil. II, ?: *cum rem gessisset consimilem eis, quas ipse gesseram.* Apud Ciceronem praeterea *cons.* obviam fit de inv. I, 24: orat. I, 149; III, 25. Quo de adiectivo Klotzius: „nach seinem Gebrauch wie es scheint, mehr dem Umgangstone angehörend, seltner in höherer Poesie und Prosa". (cf. Rebl. p. 10 et 29). Saepissime enim hoc vocabulum suppeditant Plaut. Ter. Lucr. et scriptores posterioris aetatis, quos nominatim affert Schlz. p. 94 cf. imprimis Thlm. I, p. 12; Hllm. p. 126 sq.; Wölffl. in Philol. XXXV p. 159. Nostro quidem loco tamen urgueri mihi videtur vis simplicis adiectivi, ita ut accedat ad superlativi sensum.

§ 14. De verbis compositis.

assolet Phil. II, 82: *deinde, ut assolet, suffragia.* Quod verbum apud Ciceronem praeter unum locum (de inv. II, 42. 122) impersonaliter adhibetur: Lael. II, 7; legg. II, 9. 21, nostro loco. cf. Thlm. I, p. 9. Legitur praeterea ap. Liv. Tac. Suet. ICt. — Personaliter ap. Plaut. et Ter. cf. Schlz. p. 91 sq.

conclamare Phil. VI, 2 et **consalutare** Phil. II, 58 huc referenda essent, si dicta essent non de multitudine hominum, sed de uno homine, sicut *consalutare* apud Petron. 7 § 5.

demirari cf. Ldgr. II, p. 321: „äusserst gebräuchlich in der Umgangssprache ist das verbum demirari". Ap. Ciceronem nobis offertur hoc verbum Phil. II, 49; X, 22; Cluent. 86; leg. agr. II, § 100; Rabir. 7; ad Att. 14. 14. 1; 7. 15. 1; fam. 7. 27. Sed quod dicunt Krebs-Allgayer in Ant. s. v.: „dem. hat im mustergiltigen Latein nur den acc. des relativ bei sich — sonst nur den acc. c. inf." secundum locos, quos attuli, ita mutare liceat, ut potius dicatur, hoc verbum ap. Ciceronem praecipue cum acc. c. inf. coniunctum esse.

depugnare, quod sensu primario significat: *usque ad extremum pugnare* saepe praepositionis vi amissa pro simplici positum est imprimis in scriptis deterioribus. Fortasse huc referendum est Phil. II, 75: *ter depugnavit Caesar cum civibus. in Thessalia, Africa, Hispania.* — Ceterum *dep.* proprie de gladiatoribus spectante populo pugnantibus dictum esse videtur, cf. Phil. V, 20 et 30; VI, 13; VII, 17.

Magis etiam haec deminutio significationis eius, quae inest

praepositioni, valet in verbo **decertare**, quod compositum pro simplici collocatum in Antib. poetarum elocutioni ascribitur, sed apud Caesarem usitatum est. In Philippicis usurpatur II, 2 et 43 de contentione dicendi, sed valere praepositionis vis videtur reliquis locis: V, 33 et XI, 24.

Praecipue sermoni cotidiano et plebeio vindicanda esse videntur verba composita praepositione *dis-* effecta ita, ut *dis-* non habeat vim segregandi, sed potius corroborandi. v. Riesium p. 207: „dis = zwiefach, also ,stark' wie in disperire, discupere". Utrum quidem haec praepositio a „duo" an aliunde derivanda sit, diiudicandi locus his non est.[1]) Apud Plautum haec verba haud raro inveniri docuit Lor. ad Plaut. Pseud. v. 1201, cf. Schlz. p. 106, qui quidem in eo mihi displicet, quod non seiunxit notiones segregandi et corroborandi, quae insunt praepositioni dis-. v. Schm. II, p. 43, qui affert Wagneri in Plaut. Aulul. annot. p. 108: „all these expressions belong to every-day life, which is always fond of exaggerations". Apud Ciceronem in universum satis raro haec composita inveniuntur.

disperire apud Caesarem et Ciceronem nusquam legi docet Schm. l. l.

discruciare legitur sensu proprio Phil. XIII, 37 *discruciatos necare* et Amm. 27. 12. 3 (Ge.). — Translate ap. Cic. pro Rosc. Com. 31 et saepissime apud comicos scriptores (v. Lor. ad Plaut. Pseud. v. 1201). Restat **divexare**, quod exstat apud Ciceronem in Phil. XI, 4 *omnia divexare ac diripere*. XIII, 21 *agros divexat civium optimorum*. Tusc. 1. — Enn. Plaut. Pacuv. tr. Suet. Lact. (Ge.).

Neque hanc, cuius exempla attuli, significationem, neque plane vim seiungendi habet *dis-* in verbis **divendere** et **dilucescere** horumque similibus, quorum illud legitur apud Ciceronem in Phil. VII, 16 et leg. agr. I, 7; hoc Cat. III, 6 et Phil. XII, 5.

Verba composita praepositione *prae-* effecta, etsi non desunt in bonae prosae sermone, tamen cotidiano et vulgari ser-

---

[1]) Sed nuper H. Keilius, vir doctissimus, dixit de eadem re: unum et idem esse hanc et illam praepositionis dis- significationem; cogitandum enim esse de vulgari quadam superlatione notionis primariae segregandi ita, ut totum quasi corpus intersit actioni.

moni magis adamata fuisse docuit Schlz. p. 106 et 109. Comprobare hanc sententiam videtur, quod quaecunque talia verba in Ciceronis orationibus leguntur, fere omnia singulis tantum locis exstant. Legitur enim t. Mgt. *praerideo* semel: Verr. V, 22, *praestolor* Cat. I. 24, *praesentio* bis in orationibus, *praemunio* Cael. 19, *praemoneo* Verr. a. pr. 23, *praemonstro* har. resp. 20, **praeverto** Phil. II, 88, **praegredi** Phil. XIII, 5, **praemeditor** Phil. XI. 7.

Verba composita praepositione **sub-** effecta saepius inveniri in sermone familiari et prisco docuit Lor. ad Plaut. Pseud. v. 401. quo loco v. d. nonnulla attulit, quae in solis Ciceronis epistolis exstant. Ex nostris orationibus huc spectat **subtimere** Phil. II. 36. quod ἅ. εἰ. esse videtur.

Verbum **resolvere** saepius apud comicos scriptores invenitur significans, ut vernacule dicam, „zahlen. bezahlen". Ant. (s. v. resolvere) enotat Plaut. Epid. 3. 1. 16: Asin. 2. 4. 57; Men. 5. 5. 30 et Cato. r. r. 149. Exhibent enim in Phil. XIV. 38 omnes codices praeter Bernensem: *senatum, quae sit antea pollicitus legionibus exercitibusque nostris, ea summo studio* **re***publica* **re***cuperata* **re***soluturum* (b: *soluturum*). Editores omnes praeter Klotzium, qui *persoluturum* contextui verborum inseruit (v. Orellii annot. crit.) sequuntur lectionem cod. Bern. Apparet facillime e syllaba *re-* bis antecedenti tertium quoque **re** proficere potuisse.

B. De singulis quibusdam vocibus locutionibusque.

Causa, cur Philippicae a melioribus Ciceronis orationibus quod attinet ad sermonis colorem discrepent et propius accedere ad priores orationes videantur, gravissima est ea, quod in unaquaque fere pagella singulae voces et locutiones occurrunt, quae a bonae prosae usu recedunt. Praecipue enim inveniuntur, quae e sermone vulgari vel familiari, deinde nonnulla e sermone priscorum nec non poetarum huc manavisse videntur.

a) De verbis latinis.

§ 15. De substantivis.

Vox **congiarium** significans *donum, munus* invenitur apud Ciceronem Phil. II, 116: *congiariis multitudinem delenierat,* ad. Att. 16. 8. 2; 10. 7. 3; Cael. in Cic. ep. 8. 1. 4. — Tac. Liv. Varr. ap. Plin. Sen. Suet. Paul. dig. (Ge.).

fustuarium = *actio fustibus necandi* rara vox videtur. Legitur enim, si lexicis fides habenda est, tantummodo Phil. III, 14 *legiones f. meruerunt,* ap. Liv. 5. 6. 14 et Serv. ad Verg. Aen. 6. 825.

homicida Phil. II, 30 et 31 cf. Fritzsche „sullan. Gesetzgebung" p. 20 „sicarius an Stelle des später üblichen homicida (Mörder) gebraucht, das sich übrigens schon bei Cicero Phil. II, 30 findet". — Juv. 2. 26; Hor. epod. 1. 7. 12; Senec. controv. I, 2; cf. Guttm. p. 16.

propudium Phil. XIV, 8 *propudium illud et portentum* apud Ciceronem non iterum apparet, sed saepius apud comicos. e. g. Plaut. Curc. 1. 3. 34; Bacch. 4. 1. 7; Mil. 2. 4. 11; cf. Guttm. p. 9. Fortasse allitterationis causa Cicero hoc vocabulum e sermone vulgari sumpsit.

suburbium Phil. XI, 24 (= Vorstadt) ἅ. εἰ. esse videtur, cum onomastica nullum locum aliunde afferant.

§ 16. De adiectivis et adverbiis.

Parva est fides habenda eis mss., quibus adverbium **actutum** in Phil. XII, 26 locum obtinet (v. Wölffl. in M. Rh. XXXVII, p. 94). Cod. Tegernseensis enim praebet lectionem: *me ui ac toto futurum,* Bernensis: *ac tutum futuram,* reliqui: *mortem actutum futuram.* Itaque in Orellii editione legitur: *me vix tutum futurum puto,* alii (Baiterus et Kayserus, Klotzius) scripserunt *mortem actutum futuram puto.* — Sed, si respicimus similitudinem verborum nostri, qualem Orellius vult, loci (*Si extra castra, ceteri viderint; ego me vix* **tutum** *futurum puto*) et insequentis paragraphi: (*Possumusne igitur in Antonii latrocinio aeque esse tuti? Non possumus, aut si ceteri possunt, me posse diffido.* § 28. *Quod si non extra castra congrediemur* etc.). verisimile est Ciceronem interiecta de Pompei

et P. Vettii Scatonis colloquio narratione rediisse ad sententiam similibusque vocabulis repetivisse, quae nostro loco corrupto dixerit. Equidem propono coniecturam, quae magis etiam quam Orellii ad litteras in Tegerns. exstantes accomodatur: *ego me vix in tuto futurum puto.* Confirmare coniecturam meam videtur, quod antecedit: *quinam locus capietur?* Nam ad *locum* optime quadrat sequens *in tuto* (sc. *loco*).

De adverbiali usu vocis **ante** iam Lor. ad Paut. most. v. 134 nonnulla exposuit. Dicit enim Plautum nunquam **antea** usurpavisse, sed ubique *ante;* Terentium uno loco (Andr. v. 52) *antea.* De Ciceronis orationibus Thlm. I, 32 sq. observavit, in prioribus *ante* pro *antea* saepissime inveniri, sed in mediis *ante* paene nusquam adverbialiter positum esse, in Philippicis denuo *ante* adverbium saepius apparere (vicies enim *ante* et undecies *antea*). Itaque etiam eae res, quae levioris momenti esse videntur, consentiunt cum eo dicendi habitu, quem in Philippicis adhuc observavimus et exemplis illustravimus.

Adiectivum **festivus** (Phil. V, 13 *homo f.*) magis sermonis familiaris quam bonae prosae esse videtur, cum lexica longe plurimos locos, quibus *f.* exstet, e fabulis comicorum scriptorum et ex Ciceronis epistolis sumptos proferant. In Cic. orationibus praeter hunc locum legitur *f.* Verr. III, 162; IV, 49; Flacc. 91; Pis. 70.

Phil. II, 101 legitur: *hae quondam orationes* — **grandiferae** *et fructuosae ferebantur.* Quamvis vox *gr.* rara sit (invenitur enim praeter hunc locum duobus tantummodo aliis: Nazar. Paneg. Constant. 3 et ap. Auct. itin. Alex. 50 (51)), tamen conservanda est, cum et in optimo cod. Vat. exstet et Martianus Capella V, § 511 *gr.* apud Tullium legi testificetur (cf. Halm. annot. et Guttm. p. 15).

Adicere mihi liceat hoc loco adverbia **illim** et **inibi.** *illim* de loco dictum Phil. II, 77 (alii codd. illinc, Vat. illinon), Phil. IV, 12; (Vat. illim), harusp. resp. 42; Verr. V, 142 (vel *illinc*): Rab. Post. 35 (Mgt.) ad Att. 7. 13; 9. 17. 2. Praeterea ap. Lucr. 3. 879; Ter. hec. 297; Plaut. men. 799; most. 467; Poen. 2. 7, 5. 29 et 98; Pomp. com. 90. — De tempore in Sall. Jug. 114. 2. D (Ge.).

Ad verbium *inibi* in prisco sermone usitatum in plebeio

sermone conservatum esse docet Rebl. p. 11. In Ciceronis orationibus *inibi* bis adhibitum est: de loco leg. agr. I, 20 *nata inibi* (Capuae) etc. Translate Phil. XIV, 5: *quod sperare nos quidem debemus, aut inibi esse aut iam confectum.* Persaepe hoc adverbium a Gellio usurpatum est. v. Gorgesium p. 7.

De adiectivo **internecivus** Phil. XIV, 7, quod praeterea exstat in or. pro dom. hab. 61 cf. Guttm. p. 16 cum annot.

Adiectivum **providus** idcirco affero, quod in Ciceronis orationibus (t. Mgt.) his tantum locis occurrit: Sex. Rosc. 117; Phil. VI, 17; VII, 3; XII, 25. Alibi *cautus, tectus* alia eius vices sustinent.

Phil. XIII, 22 legitur: satis hoc quidem **scite.** Hoc adverbium Plauto maxime pro deliciis fuisse docuit Lor. ad Pseud. v. 727. In Ciceronis orationibus legitur praeter hunc locum bis in orationibus in Verr. habb., semel in or. in Pis. hab. Praeterea ap. Sall. Liv. Gell. (Ge.).

Prisco et familiari sermoni adiudicandum est **usquequaque.** Phil. II, 110: *religionem tolle aut usquequaque conserva.* cf. K.-E. ad h. l.: „*u. qu.* aus der Umgangssprache herübergenommen, daher bei Cic. nur in den Briefen häufiger". Invenitur hoc vocabulum praeter h. l. apud Ciceronem Verr. V, 10, deinde ap. Plaut. Varr. L. L. Catull. Suet. Gell. (Ge.) cf. Lor. ad Plaut. most, v. 753: „usq. gehört besonders der älteren Sprache an".

§ 17. De verbis et locutionibus.

Postquam supra de substantivis et adiectivis, quae huc spectant, singulatim disputavi, iam promiscue tractabo verba locutionesque, quippe quae saepe non satis apte segregentur.

Exordiar a Phil. I, 12: *cum e via languerem et* **mihimet displicerem,** quod sine ulla dubitatione quisque attribuerit neglegentiori et familiari dicendi consuetudini. Valet *sibi displ.* „confusum esse", „stomachari" similia cf. Cic. ad Att. 2. 18. 3 *displiceo mihi nec sine summo scribo dolore.* Paulum mutato sensu in Ter. heaut. v. 1043 *eheu, quam nunc totus displ. mihi.* Scrib. Comp. 188 *corpus displicens* (Fr.).

Redolent sermonem familiarem verba in ficto a Cicerone responso Antonii adhibita Phil. I, 20: **non quaero istos — non**

quaere ista, quae significant: „haec non ad me pertinent, non laboro, haec non cadunt in me“ vel similia.

Nec aliter iudicandum est de Phil. I, 8: *Addebant praeterea* — **rem conventuram** („eine Einigung kommt zu Stande“ K.-E.) cf. Quinct. 21 *res convenire nullo modo poterat,* ad Att. 16. 7. 1. (quo loco totus noster repetitur) *nuntiabant, ut res conveniret.* ibid. IX, 6. 2 *dumque rem conventuram putamus.* Nimirum magni momenti est in omnibus his locutionibus, qualia sint scripta, in quibus inveniantur, cum alius sit sermonis color, ut exemplum afferam, in Ciceronis epistolis vel in prioribus orationibus conspicuus, alius in mediis.

Thlm. II, 209 docuit verbum **transigere** Ciceroni in prioribus scriptis in deliciis fuisse, sed raro inveniri in posterioribus exceptis epistolis. In nostris quidem orationibus legitur hoc verbum bis: II, 21: *negotiumque*[1] *transegisses* et in eadem §: *rem transegit.* De eadem re § 26 dictum est: *hanc rem confecisset.*

Verbum **oppilare** rarum magisque plebeium esse monuit Ldgr. I, p. 34. Occurrit enim semel apud Ciceronem: Phil. II, 21: *eisque* (scalis tabernae librariae) *oppilatis.* Alioquin legitur ap. Cat. r. r. 100; Varr. L. L. 5. 31 § 135; Lucr. 6. 725. Vulg. Augustin. (Ge.).

Per ironiam dicit Cicero in Phil. II, 41: *velim mihi dicas,* **nisi molestum est.** Quod *n. m. e.* familiaris loquendi consuetudinis esse nemo negabit. Alibi apud Ciceronem legitur Cluent. 168 et saepius in epistolis. cf. Catulli c. 55. 1 *si forte non molestum est.* Apul. apol. 16 et hist. 19. 4.

Figuras etymologicas, quae dicuntur, apud homines plebeios maxime usu recepta fuisse, concludere licet ex permagno earum numero, qui exstat in Plauti fabulis. Neque enim ex huius scriptoris propria natura vel studio verbis ludendi hunc usum manavisse putandum est, cum ubique haec vocabulorum iunctura primitus usitata fuisse videatur, sicut apud nos quoque homines de plebe nunquam dixerint: „einen Graben ausführen“, sed aut „einen Graben graben“ aut „einen Graben machen“. — De Plautinis fig. etym. cf. Lor. in praef. ad Pseudol. p. 40 sq.; de linguae Lat. fig. etym. in universum disputavit copiose Land-

graf. in act. sem. Erl. II cf. praeterea Köhl. p. 429 et Lor. ad Pseud. vv. 360 et 808.

dicta dicere Phil. II, 42 significans „Witze machen" usurpatur, alio sensu Planc. 85 legitur, cf. Plaut. Trin. 77, Pseud. 107 et 360.

Statim adiciam: *illa mirabilia* **facinora effecit** Phil. II, 199 cf. Plaut. Pseud. v. 569 *magna me facinora decet efficere* et ratione inversa v. 212 *facere effecta* etc. Ldgr. in libro, quem supra commemoravi, p. 19 multos locos Plautinos affert, qui exhibent illud *facinora efficere.* Koehl. l. l. dicit Caesarem nusquam, Ciceronem raro talia admisisse.

Phil. XIV, 36 legitur: *eiusque copias* **occidione occiderit** Recurrit fam. XV, 47: *magnum eorum equitatum — occidione occisum* cf. Ldgr. l. l. p. 26.

Etsi huc referendum tamen prorsus aliud est **insepultam sepulturam** Phil. I, 5 quod respondet Graeco illi τάφος ἄταφος. Pertinet enim hoc ad artificiosas illas figuras, quas tragici Graeci imprimis Euripides adamabant, cf. Guttm. p. 21 [1]).

Verbum **decoquere** videtur festivo quodam et faceto vulgi usu in scripta melioris prosae auctorum irrepsisse et plane amovisse ea verba, quorum vices obtinet. Legitur in nostris orationibus II, 42 cf. II, 7.

Verbum **apponere** praeter Phil. II, 25 (*ne praevaricatorem mihi apposuisse videar*) in prioribus tantum Ciceronis scriptis versari (inv. II, 117 et decies in Verr.) monuit Hllm. p. 170.

Verbum **iugulare** vulgaris sermonis esse omnes consentiunt. v. Koehl. p. 466; Thlm. II, 209. Neque semel, sicut Thlm. l. l. dixit, sed decies hoc verbum in Philippicis invenitur: III, 4 et 10 et 30; V, 22; VI, 13; VII, 17 et 18; XIII, 28 (bis) XIII, 40. Praeterea in Ciceronis orationibus legitur *iugulare* in or. pro Quinct. hab. ter, pro Sex. Rosc. quinquies, in Verrinis ter, Cluent. 68, Planc. 71; Mil. 31 (Mgt.) cf. Ldgr. II, 152; Bart. I, p. 29.

Ldgr. II, p. 329 commemorat eas locutiones, in quibus verbum *exsequi* exstet, sermoni vulgari tribuendas esse cf. Lor.

[1]) Eandem Graecam vocabulorum consociationem imitatus esse videtur Catullus c. 63 v. 84 verbis: *funera nec funera,* quae — dissentiunt enim inter se interpretes — Riesium secutus sic in Germanicum transferenda esse puto: „Grabesopfer und doch nicht Grabesopfer".

ad Plaut. Pseud. v. 978. In Phil. orationibus exhibetur unus locus qui huc spectat: II, 54: *qui per valetudinem* **exsequi** *cladem illam fugamque potuissent.* Alibi apud Ciceronem legitur ad Att. 9. 12. 1: *cur non omnes fatum illius una exsecuti* sumus? Similes locos e Plauti fabulis sumptos affert Ge. in lexico suo.

uno verbo in Phil. II, § 54 breviter et neglegenter dictum est pro *ut uno verbo complectar.* K.-E. annotant illud apud Ciceronem nusquam alibi inveniri et comparare iubent Plaut. Rud. v. 652 *uno verbo absolvam, leno est,* qui locus huc non plane quadrat.

Rarum usum vocabuli *locus* deprehendimus Phil. II, 66: *suppellex magnifica* **multis locis** („grossenteils prächtig" K.-E.) qui eidem ad comparationem afferunt Lael. 47 *securitas — specie quidem blanda, sed reapse multis locis repudianda.*

Ex sermone iurisconsultorum multa in sermonem vulgarem emanavisse et in eo servata esse recte monuerunt Rebl. p. 17 et Schlz. p. 3, cf. Bart. II, p. 16; Schm. I, p. 93. Habent enim hoc iurisconsulti, ut corroborandarum notionum causa, ne quis error exoriri possit, unam notionem saepe dupliciter verbis exprimant. Huc referendum est ex Phil. orationibus II, 69: *mimulam suam* **suas res sibi habere** *iussit,* quae locutio in divortiis faciundis in usum recepta erat. cf. K.-E., qui afferunt ad. h. l. Plaut. Amph. 928 et Draeg. in hist. Synt. I², § 31: „suus sibi diente wahrscheinlich in der Volkssprache als Verstärkung für suus, findet sich aber nur bei Komikern und in nachklassischer Prosa". — cf. Catulli c. 1, v. 8 *quare habe tibi quidquid hoc libelli* et Riesii annot. ad. h. l., qui comparare iubet Plaut. Men. 690 et Trin. 266.

Sermonem vulgarem porro redolent verba: **haerebat nebulo** Phil. II, 74, cf. II, 35 *vide ne haereas.* Apud comicos saepius haec locutio deprehenditur. cf. Plaut. Capt. 531; Merc. 723 et 739; Ter. Eun. 848; Phorm. 963; Ad. 403 (Fr.) et Lor. ad. Plaut. Pseud. 403.

Cum ludi gladiatorii plebi Romanae in amore ac deliciis essent, non mirum videtur, quod haud raro *locutiones ex re gladiatoria derivatae* translate in cotidiana consuetudine loquendi usurpabantur. Et Ldgr. III, p. 204 recte dicit: „der

artige Ausdrücke aus dem Fechterwesen hat die Schrift- und besonders Volkssprache nicht wenige aufgenommen". Quem usum Straub (de tropis et figuris apud Demosthenem et Ciceronem. Diss. Wirzebg. 1883) non satis indagavisse videtur, cum p. 61 exiguum tantummodo numerum earum protulerit. In Philippicis quidem has inveni: II, 74 **tam bonus gladiator rudem tam cito?** Quam locutionem, cuius de significatione disputari non opus est, creberrime et adagii sive proverbii loco usurpatam esse ipsa verbi (accepit) ellipsis declarat. — **cervices dare,** quod Ldgr. l. l. in eodem numero collocat, in Ciceronis orationibus legitur: Sex. Rosc. 30; Sest. 89; Phil. V, 42 et XII, 15. — Adiectivum **tectus** primariam vim in re gladiatoria habuisse et postea significationem adiectivorum *providus, cautus,* simil. accepisse videtur. Legitur translate Phil. XIII, 6: *in posterum providet, est omni ratione tectior.* Alioquin ap. Cic. Sex. Rosc. 104 (cf. annot Ldgr.) Deiot. 16, fin. 24, orat. 146, de orat. II. 296. — De ipso gladiatore quodam in Phil. VII, 17 dictum est: **luculentam** *tamen ipse plagam accepit,* ex quibus verbis concludere licet adiectivum *luculentus* omnino proprie de tali magno et periculoso vulnere in ludis gladiatoriis accepto usurpatum fuisse.

Vox **lanista** translate convitii loco adhibita est in Antonii epistola (Phil. XIII, 40) et apud ipsum Ciceronem, ad Att. I, 16. 3. — Eodem referri possunt convitia **Spartacus** (Phil. XIII, 22) et **gladiator,** quod vocabulum saepissime contumeliose dictum in Philippicis legitur. — **corycus,** quod lexica aliunde non proferunt, invenitur Phil. XIII, 26: *c. laterum et vocis meae.* De significatione huius vocis, quae eadem est ac Graecorum κώρυκος, v. Forc. lexicon: *saccus corycaceus pro athletarum exercitationibus.* — Denique adiciam verbum **iacere** ea significatione positum, ut valeat idem ac translate *victum esse, cladem accepisse,* quod si non e re gladiatoria, attamen in universum ex aspectu hominum certantium derivatum etiam apud bonae prosae auctores usitatissimum est, cf. e. g. Phil. XII, 4: *si iacens vobiscum aliquid ageret, audirem fortasse — stanti resistendum est.* — Apud comicos saepius tales tropos inveniri constat. Ut exemplum afferam cf. Plaut. mil. gl. 1389 *in statu stare,* Most. 700 *hoc habet!* etc. Et omnino in omnibus linguis tales tropos ex arte rudibus battuendi sumptos in usum re-

ceptos esse docent te qui etiam apud nos adhibentur, veluti: „das ist eine Finte!" (captatio) vel „gut pariert!" vel „der (sc. Hieb) sass!" (cf. „hoc habet!" Plaut. Most. 700) vel „Seitenhieb" alia, cf. verbum *παραπαίω*, quod in Platonis symp. cp. 1 exstat.

Haec quidem hactenus. Porro notandum et neglegentiori loquendi consuetudini attribuendum videtur in Phil. II, 78: **habebat hoc** *omnino Caesar* („hatte an sich") v. Kruegerum ad Hor. sat. I, 2. 3 *Sardus habebat ille Tigellius hoc.* Similiter Pis. § 81, quem locum Halmius profert.

Phil. II, 86 legitur: **quid petens?** *ut servires?* Quem usum participii cum pronomine interrogativo coniungendi apud Graecos usitatissimum apud scriptores Romanos perraro inveniri dicit Draeg. II², § 590. Ex paucis locis ab eo allatis sumam Cic. fin. III, 37 *quam vero utilitatem aut quem fructum petentes scire cupimus illa?* Sed noster locus magis etiam ad Graecam dicendi consuetudinem accedit, quoniam illum usum praecipue deprehendi in brevibus sententiis interrogativis notissimum est.

Phil. II, 86: *num exspectas, dum te* **stimulis fodiamus?** Quae locutio saepius apud Plautum occurrit, cf. Bacch. 1158 *cor pol mihi stimulis foditur.* Curc. 128; Most. 57; Merc. 951 (Fr.); v. Lor. ad Plauti Pseud. v. 136.

Fortasse vituperaverit quispiam, quod ubique volgaria vel familiaria odorari videar; sed negari non posse puto verba, quae exhibentur Phil. II, 90: *me tui miseret, quod* **tibi inviderís** a sermone erudito ac perpolito recedere. Qui sensus huic locutioni insit manifestum est et ab Eberhardio recte explicatum.

Phil. II, 108: *erant fortasse gladii, sed* **absconditi.** Verbum *abscondere* apud bonae prosae auctores perraro legi docet Ant. cf. Ldgr. ad Sex. Rosc. § 121, qui dicit praeter hunc locum part. perf. tantummodo verbi *abscondere* a Cicerone adhibitum esse, sicut Cat. III, 3; dom. 138. Usitatiora Ciceroni erant verba *occultare* et *abdere.*

Ldgr. III, p. 183 accurate disputat de verbis **mori malle** et nonnullis exemplis ex comicorum fabulis allatis dicit hanc locutionem esse sermonis vulgaris, qui praecipue studeat tali supralationi. Propius etiam accedunt haec verba ad sermonis vulgaris usum, si adicitur *miliens,* velut ep. Att. 14. 9. 2; Rab. 15;

off. 1. 113; Phil. II, 112 (*non igitur* **miliens perire** *est melius quam in sua civitate* etc.) cf. Plaut. Pseud. 1057; Liv. 4. 2. 8.

Phil. II, 114: **se** *ipsos illi nostri liberatores e conspectu nostro* **abstulerunt.** Verbum *se auferre* pro *abire* positum e sermone vulgari manavisse omnes interpretes consentiunt cf. Ldgr. II, 326; Ant. — Plaut. Rud. 1032; Asin. 469 etc.; Ter. Phorm. v. Lor. ad Pseud. 535 et Schmil. p. 48.

Locutionem **mihi res est cum aliquo** in sermone familiari usitatam fuisse docet Lor. ad Plaut. Most. v. 638. Itaque haec verborum consociatio magis usuvenit et in primis et in extremis Ciceronis orationibus, rarius in mediis. Hosce enim locos affert Mgt.: Sex. Rosc. 35; Verr. a. pr. 13 et 33 V, 101 et 167; Cat. III, 43; dom. 53; Sest. 37 et 39; Cael. 31; Phil. II, 23 IV, 12, XI, 7 et 20. Quaesitius autem dicit Cicero in Phil. XIII, 22 *nulla societas huic ordini — cum illa belua esse potest;* cf. Phil. V, 11 *quid ei cum Apollonia* II, 77 *sibi cum illa mima posthac nihil futurum.*

Verbum **avere** in Ciceronis orationibus non legitur nisi Phil. V, 13 *avet animus — dicere* et XIV, 19 *avent audire quid quisque senserit.* Saepius exhibetur *avere* in Ciceronis epistulis, quare sine ulla dubitatione sermoni familiari attribuendum est. Praeterea legitur ap. Enn. Hor. Varr. Lucr. Liv. Sen. Val. Flacc. Aur. Vict. (Ge.). Fortasse etiam prisco sermoni vindicandum est, cum apud Ennium legatur et Lucretio usitatum fuisse videatur.

Nec aliter iudicandum est de verbo **corrogare** cf. Thlm. II, 204. Legitur in Cic. orationibus Quinct. 25; Verr. II, 184. Phil. III, 20: *Convenerunt corrogati,* et fortasse annominationis causa nostro loco adhibitum est. Alibi invenies ap. Caes. (semel), Cornif. Quint. Plin. ep. Liv. (Ge.).

Ciceronem, cum primum ad studium scribendi se contulerit, quibusdam verbis locutionibusque maxime quasi delectatum fuisse, quae postea vitaverit et aliis verbis compensaverit, docent Hllm. p. 167 sq. et imprimis Thlm. II. Huc spectat inter alia verbum **indigere,** quod a Cicerone in primo eorum librorum, qui sunt de inventione, tam saepe adhibitum esse, ut paene taedeat legentes huius verbi, sed iam in secundo libro rarius legi et rarissime in sequentibus Ciceronis scriptis, exceptis epistolis et

dialogis commemorat Thlm. II, p. 353. Occurrit enim *indigere* in orationibus t. Mgt. Sex. Rosc. 34; Qu. Rosc. 44; Sulla 25; Phil. VI, 7 (*hoc bellum indiget celeritatis*), in epistolis e. g. fam. 6. 4. 2; Att. 12. 35. 2 etc. — Varr. L. L. Caes. Plin. Gell. (Ge.).

malam quidem illi pestem Phil. VI, 12 exsecratio est, quam e sermone vulgi nimirum sumptam apud comicos scriptores saepius exstare quis est qui nesciat?

De verbis **quod di duint**, quae Halmius in Phil. X, 13 ex corrupta codicum scriptura: *quod dicit* (*quod didicit*) elicuit, recte meo iudicio annotat Guttm. p. 8 sq., cf. Lor. ad Plaut. Most. 640.

Verbum **colligare** significatione propria occurrit semel in Ciceronis orationibus p. Rab. 13 et id in prisca formula quadam. translate non nisi duobus Philipp. locis XI, 4 (*impetum furentis — vitae suae periculo colligavit*) et XI, 26 (*ni Brutum colligassemus in Graecia*). Ceterum cf. Guttm. p. 16.

Verbi **distineri** (ubique enim passive adhibetur), quod nonnullis locis Ciceronis orationum legitur, accuratius seiungendae sunt singulae significationes. Primaria enim vis est *procul ab aliqua re teneri, ut ad eam pervenire non possis* sicut Caes. b. g. 7. 8 et similiter Phil. XII, 28: *ne multitudo militum per me pacem distineri putet.* Altera significatio est *occupari, affectum esse.* Quasi inter ambas significationes medium locum obtinet *distineri,* quod in Phil. XI, 6 legitur: *Asia vagatur, volitat ut rex : nos alio bello distineri putat.* Denique in Sex. Rosc. 22 (*quum tot tantisque negotiis distentus sit*) et in Planc. 79 (*distineor tamen et divellor dolore*) significatio *occupandi* plane dilucida fit, quae amissa vi propria e. g. ab auct. b. Hisp. una adhibetur (v. Koehl. p. 467) cf. Cic. ep. fam. 12. 30. 2. *distinebar maximis occupationibus* ad Att. 2. 31. 1 *quanta occupatione distinear.* Itaque iudicandum est, verbum *distineri* significatione eadem, quam habent *occupari, affici,* positum minus bonae prosae esse. (Nam in Planc. § 79 facile haec significatio excusatur annominatione, quae versatur inter *distineor* et *divellor*).

Phil. XIII, 33 *scilicet* **verba dedimus,** *decepimus*[1]). Dicti-

[1]) Cobetius, qui in Mus. Rhen. nov. ser. p. 151 de hoc loco disseruit, censuit delendum esse *decepimus* („tolle fatuum glossema *dec.*"). Sed omnino puto, v. d. iusto longius procedere in hac emendandi

onem *verba dare* (= fallere) apud comicos scriptores, qui e familiari sive vulgari dicendi consuetudine eam sumpserunt, saepius nobis offerri nemo nescit. Locos collegit Lor. ad Pseud. v. 886 cf. Bart. I, p. 24.

Ad poetarum dictionem referendum esse videtur verbum **recolere** significatione *reputandi secum* collocatum in Phil. XIII, 45 *quae si tecum ipse recolis.* In Cic. orationibus haec significatio iterum non invenitur, cum in sen. 30 et Arch. 13 res aliter se habeat, cf. ut exemplum afferam Catulli c. 63 v. 45:

Simul ipsa pectore Attis sua facta recoluit.

Phil. XIII, 48 **quin tu abis in malam pestem malumque cruciatum.** Similes exsecrationes in comicorum scriptorum fabulis haud paucae deprehenduntur cf. Plaut. merc. 756; rud. 1170; Most. 278 et 837, mil. gl. 323; v. Lor. ad mil. gl. v. 817.

Aliquam prae se ferunt speciem sermonis familiaris, praesertim cum annominatio adhibita sit, verba, quae exstant Phil. I, 17 **sed ea non muto, non moveo,** cf. Kochii et Eberhardii annotationem ad h. l.

Iam a Wölffl. (in Philol. XXXIV, p. 151) commemoratum est, verbum **portare** pro *ferre* praecipue vulgaris sermonis esse cf. Koehl. p. 400; Bart. II, p. 6. In Ciceronis orationibus legitur *portare* locis 9 in orationibus in Verrem, dom. 62; Font. 19; Phil. II, 58: *aperta lectica mima portabatur* et II, 108: *scutorum* (vel *scortorum,* ut Laberio quidam nuper in annalibus philol. a. 1884 publici iuris factis, fortasse recte coniecit) *lecticas portari videmus.* — **deportare** legitur locis 34 in Verrinis; Mur. 12; imp. Pomp. 61; Caec. 28; dom. 111; Flacc. 35; Phil. II, 109: *in hortos Pompei deportavit* (Mgt.).

Verba **omnibus horis** pro studio illo sermonis vulgaris pluribus verbis unam notionem premendi atque augendi collo-

---

ratione. Nam eum, qui accurate perlegit Ciceronis orationes, fugere non potest, Ciceronem saepissime, si unam notionem luculentius evadere velit eamque pluribus verbis illustret et ornet, inter usitata verba deficientibus aliis unum adhibere, quod minus usitatum haud raro e sermone familiari sumpserit. Ex multis haec proferam exempla: Phil. II, 79 *qui tum est impulsus,* **inductus,** *elusus.* — *inductus* rarius hac significatione invenitur. — Phil. V, 51 *promitto,* **recipio,** *respondo.* Phil. VI, 18 **excubabo** *vigilaboque.* — *exc.* in Cic. orationibus hoc uno loco occurrit. X, 21 id **pugnant,** *id agunt.*

cata esse pro simplici *semper* in or. pro. Sex. Rosc. Am. hab. § 154 commemorat Hllm. p. 172. Ascribere licet Phil. III, 18: *adolescentem, quem — certatim amamus omnibusque horis oculis, auribus complexu tenemus* v. Ldgr. I, p. 12; III, p. 402, qui praeterea affert Plaut. mil. glor. 212; Cic. Cat. m. 74. Sed nostro loco non tam e sermone vulgari sumpta quam amplificandae sententiae causa per circumscriptionem haec vocabula adhibita esse videntur.

nihil agere sicut *aliud agere* significanter positum sermonis familiaris est. Phil. II, 97: *ne nihil actum putetis* v. Bart. II, p. 21.

Recte Hllm. p. 155 commemorat **quas ob res** loco particulae conclusivae *quam ob rem* in Philippicis tantum orationibus inveniri [1] (cf. quae Wölffl. annot.). Sed cavendum est ne putemus simpliciter quovis loco apud Ciceronem *quas ob res* vices numeri singularis suscepisse, cum non nisi in decretis in fine nonnullarum orationum conceptis illi tres loci exstent. In iis enim Ciceronem voluisse sollemniorem ac graviorem fieri orationem non solum ex illo pluralis numeri usu, sed etiam ex aliis rebus apparet. — Similiter invenimus Phil. V, 46 **ob eas causas** et XIV, 37 **ob eas res**, quae plane respondent illis a Hllm. allatis. Omnino in his decretis cum sententiae verbis copiosissime et uberrime exornatae tum singulae vetustae formulae adhibentur, sicut verba **alter ambove** saepe in decretis, sed id in Philippicis tantum orationibus t. Mgt. post nomina consulum inseruntur: V, 53; VII, 11; VIII, 33; IX, 16; XI, 26 et 31 XIV, 37 et 38. — Nec minus prisca formula esse videtur **si eis videtur**, interdum per notas scripta S. E. V., quae cum verbis *alter ambove* coniunguntur V, 53; IX, 16; XIV, 38.

Apte hic excipiuntur *proverbia et proverbiales dictiones*. Facile enim, sicut supra dixi, ex verbis locutionibusque, de quibus iam disserui, intelligitur, haud pauca ex sermone familiari vel vulgari sumpta Ciceronem in Philippicis admisisse. Et proverbia sive adagia praecipue huc pertinent, quippe quae plebis sapientiam antiquitus complectantur. Cum enim pleraque e vita et natura animalium sumpta sint, apparet ea vel ab agricolis originem traxisse vel tum exorta esse, cum omnino

---

[1] III. 37; VIII. 33; IX. 7.

homines nondum urbium moenibus inclusi erant et quasi in sinu ipsius naturae vivebant.

Proverbia Plautina et Terentiana tractavit Io. Schneiderus dissertatione Berol. 1881 edita. — De Petronii proverbiis scripsit Io. Segebade in dissertatione sua, quae inscribitur observationes grammaticae et criticae in Petronium: Halis Sax. 1880. — Doleo quod Binderi novus thesaurus adagiorum Latinorum Stuttg. 1866 mihi ad manus non erat.

In Philippicis orationibus haec proverbia inveniuntur:

Phil. III, 27 *o praeclarum* **custodem ovium,** *ut aiunt,* **lupum.** Similiter Plaut. Pseud. v. 139 (v. Lor. annot. ad h. v.), Poen. 3. 5. 31; Ter. Eun. 832; Ov. a. a. II, 364; cf. Ldgr. I, p. 18; Schneider. p. 7.

Phil. III, 19 **currentem,** *ut dicitur,* **incitavi** cf. ad fam. 15. 5. 3 *ut currentem, ut dicitur, incitarem* ad Att. 13. 45. 2 *Quod me hortaris — currentem tu quidem* cf. Hoffm. I, p. 229.

Phil. III, 20 *quod in templum ipse nescio qua per* **Gallorum cuniculum** *ascendit.* Vocis *cuniculus* origo incerta est cf. Süssium in act. sem. Erl. 1878 p. 47 et Draeg. I, p. XXXII, qui Hispanicam esse vult. Fortasse Galli praeter ceteros in obsidendis urbibus illorum animalium morem fodendi subterraneos meatus imitati excellentes exstiterant, cf. leg. agr. 1. 1 *quae res aperte petebatur, ea nunc occulte cuniculis oppugnatur.*

Phil. IV, 12 *cum immani taetraque belua, quae quoniam* **in foveam incidit,** *obruatur.* Nimirum haec proverbialis dictio exorta est ex consuetudine illa fossis frondibus contectis feras decipiendi cf. Plaut. Poen. 1. 1. 59; Pers. 4. 4. 45 *ego — paene in foveam incidi* (Forc.).

Phil. VI, 11 *iam* **fert in oculis** (sc. Trebellium) = valde diligit cf. ad fam. 16. 27. 2 *te, ut dixi, fero oculis* ad Qu. fr. 3. 1. 9 *Balbum — in oculis fero* (Fr.).

Phil. II, 44 *qui* **albus aterne fuerit ignoras** proverbialiter de eo dicebatur, qui nullo modo alium quendam curaverat, sed potius plane neglexerat, contempserat, cf. Catulli c. 93:

nil nimium studeo, Caesar, tibi velle placere
nec scire utrum sis albus an ater homo.

Phaedr. 3. 15. 10; Quint. 11. 1. 38; Apul. de Mag. 16 (Ellisius).

Phil. II, 91 *idem tamen quasi* **fuliginē abstersa** — *prae-*

clara senatus consulta fecisti. — Suo iure K.-E. annotant hanc dictionem pertinere ad illa busta et deflagrationes, quae paullo antea commemorata sunt. Sed, etsi nusquam alibi hanc locutionem scriptam legi, tamen proverbium idcirco statuendum esse puto, quod saepe proverbiis aliquid insanum et demens eluditur, sicut Plaut. Pseud. v. 141 *lupos ad oves linquere.* Hor. sat. 1. 10. 34 *in silvam non ligna feras* etc.

Phil. II, 34 **Si meus stilus ille fuisset,** *ut dicitur,* — *non solum unum actum, sed totam fabulam confecissem.* Quam locutionem proverbii locum obtinuisse docet illud „ut dicitur".

Porro huc referendum esse videtur, nisi a Cicerone ipso hoc loco fictum est: *optimus est* **portus** *poenitenti mutatio consilii* Phil. XII. 7, qua in sententia propter vocem *portus* proverbialem dictionem latere suspicor.

De proverbio *tam bonus gladiator rudem tam cito?* v. supra.

Iocose neque insulse dicit Cicero in Phil. XIII: *de Falerno Anseres depellantur,* quod nimirum ex tempore facete dictum neque ad proverbium aliquod referendum est.

Levioris momenti est, quod XIII, 27 exhibetur: *in hoc Planco proverbii loco dici solet, perire eum non posse, nisi ei* **crura fracta** *essent.* Quod ad illum Romanorum morem pertinere videtur frangendi crura eorum, qui crucibus affixi erant, priusquam corpora sepelirentur.

Phil. XII, 5: *posteriores enim cogitationes, ut aiunt, sapientiores solent esse.* Cobetius in Mnem. VII, p. 153 monuit (certe non primus, cf. Ge. s. v. „cogitatio") hanc sententiam ex Euripidis Hippolyto v. 440 sumptam esse:

αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι

et dudum in proverbium abiisse.

b) De verbis Graecis.

§ 18.

Voces Graecas magis magisque Ciceronis temporibus in sermonem familiarem imprimis hominum eruditorum irrepsisse notum est et maxime Ciceronis epistolae hanc rem docere possunt. cf. Mommsenii hist. Rom. III, 7 p. 580; Bart. 1, p. 17.

Itaque meum esse putavi, quae Graecae voces in Phil. orationibus exstent, excutere et colligere. v. Guttm. p. 9 sq.

apotheca Phil. II, 67; III, 31; Vat. 12 praecipue de eo loco dicitur, ubi vina fumo superponebantur cf. Halmii annot. ad II, 67.

basis Phil. IX, 16 = fundamentum statuae.

De **corycus** = κώρυκος Phil. XIII, 26 supra diximus.

Vox **archipirata** convitii loco posita Phil. XIII, 18; dom. 24. sen. 13, saepissime in Verrinis, valet *praedonum dux* = ἀρχιπειράτης.

peristroma = *tegimen, vestis* legitur Phil. II, 67 et Plaut. Stich. 378; Pseud. v. 146 (cf. Lor. ann. ad h. l.).

crapula = κραιπάλη Phil. II, 30 *edormi crapulam et exala*. Verr. III, 28. Saepius occurrit ap. Plautum cf. most. 5. 2. 1; Rud. 2. 7. 28; Pseud. 5. 1. 35 etc. (Fr.).

diadema (διάδημα) Phil. II, 85. In eis operibus, quae ante Ciceronis aetatem conscripta sunt, haec vox nusquam exstare videtur.

mimicus Phil. II, 58 apud Ciceronem non iterum invenies. Praeterea legitur apud Catullum c. 42, v. 8. (Riesius in praef. falso 44. 8 affert), Quint. Petron. Plin. pan. ep. Tert. apol. Sen. controv.

c) De vocabulorum significatione ab usu urbano abhorrenti.

§ 19. De substantivis.

Omnes fere, quae huc spectant, significationes vocabulorum, cum apud comicos saepe eas deprehendamus, e sermone cotidianae vitae a Cicerone sumptas esse nemo negabit.

Nonnullis secundae orationis in M. Antonium hab. locis casus ablativus vocabuli **beneficium** mihi ita adhibitus esse videtur, ut debilitata vi vice vocis *opera* vel praepositionis *per* positus sit, cf. Phil. II, 3 *non venirem contra iniuriam, quam iste intercessoris iniquissimi beneficio obtinuit?* § 46 *scilicet ut, quod in alea perdiderat, beneficio legis dissolveret.* § 62 *accessit, ut beneficio amicorum eius magister equitum constitueretur.* § 88 *beneficio eorum — clam te domum recepisti.* — Vocem quidem *opera* apud poetas augeri in sensum „culpa“ vocis annotat Riesius ad Catulli c. 3 v. 17.

Catamitus auctoribus Festo et Paulo Diacono apud Romanos corrupta vox est pro Graecorum Ganymede, Iovis deliciis. Quod vocabulum in sermone cotidiano Romanorum descendisse videtur in malum sensum ita, ut significaret pathicum, meritorium puerum, scortum masculum. Sed haud ita saepe scriptum legimus hoc sensu, cum lexica hos tantummodo locos adferant: Cic. Phil. II, 77 et frg. B V, 8. Apud scriptores inferioris aetatis Aus. Vict. epitom. 1. 22; Aus. epit. Her. 33. 8; Apul. met. 1. 12; Serv. Verg. Aen. 8. 30 (Ge.).

Substantivum **exemplum** apud comicos scriptores persaepe ita exhibetur, ut significet modum suplicii, quo aliquis vexatur et punitur, quo eodem sensu hoc vocabulum legimus in Phil. XIV, 8: *crudelissimis exemplis interemit propudium illud,* cf. Gell. VII, 14. 4 *cum poenitio propter exemplum necessaria est — idcirco veteres quoque nostri* **exempla** *pro maximis gravissimisque poenis dicebant* et Lor. ad Most. v. 183 „*aliquem omnibus exemplis cruciare* etc. gehört zu den häufigsten Ausdrücken der Komiker“.

insolentia Phil. IX, 13 rariorem vim et similem ac *dissipatio* (cf. Phil. V, 11) habet: *Servius maiorum continentiam diligebat, huius saeculi insolentiam vituperabat.* Hoc sensu *insol.* ap. Ciceronem praeter h. l. legitur Verr. III, 106 et fam. 9. 20. 1; adiectivum *insolens* ita usurpari a Cicerone Sex. Rosc. 23 et orat. II, 342 animadvertit Ldgr. III, p. 179.

Iam Guttm. p. 8 recte monuit vocem **malum**, quae apud Plautum et Terentium saepissime pro *verbera, plagae, poena* inveniatur, eadem significatione nobis offerri Phil. III, 22: *Primum quid est ‚dignus'? Nam etiam malo multi digni sunt.* cf. Lor. ad Plaut. Pseud. v. 148; Kraut. p. 4.

Statim adiciam comicorum consuetudinem interserendi inter verba vocabulum **malum** exsecrationis loco v. Lor. ad Plaut. Pseud. v. 236 et Most. v. 6; Hllm. p. 173 affert eos locos, qui in Ciceronis scriptis inveniuntur: Rosc. Com. 56; Verr. I, 54; II, 43; Scaur. 45; ad Att. IX, 18. 3; de off. II, 53; Phil. I, 15: *quae, malum, est ista voluntaria servitus?* et X, 18: *quae, malum, est ista ratio* etc.?

Vocabulum **negotium** interdum inveniri pro *res* iam a Thlm. I, p. 31 et II, 207 commemoratum est cf. Kraut. p. 4;

Schmil. I, p. 130; Lor. ad Plaut. Pseud. v. 976: „Sallust entnahm negotium = res der Umgangssprache". Qui usus apud bonae prosae auctores restringendus esse videtur ad locutiones *negotium conficere* et *n. transigere.* In Phil. orationibus occurrit II, 83 *confecto negotio* (ex Sall. Iug. 58. 7 a Thlm. affertur: *infecto negotio*), cum II, 26 legatur: *hanc rem confecisset* neque aliter II, 21 *negotium transegisses* et in eadem pagella de eadem re: *rem transegit.*

Praecipue huc spectant ea vocabula, quae convitium et contumeliam aliquam significant, quibus sermonem vulgarem Romanum abundavisse docuit Lor. in praef. ad Plaut. Pseud. p. 49 sq. Vulgus enim Romanum saepe nomine substantivi alicuius abstracti, quod dicimus, eum appellabatur, qui de se hanc notionem et cogitationem movebat et excitabat. Itaque **odium** appellatur, qui appellanti et convitio insectanti est odio, quod nos dicimus „Gegenstand des Abscheus". Qui usus apud comicos scriptores pervulgatus (cf. Plaut. Rud. 2. 2. 13 mil. gl. 3. 3. 48 (et Lor. annot. ad h. l.) Asin. 927; Truc. 2. 1. 1 et 2. 65; Bacch. 820; Ter. Andr. 941 etc.) in nostris orationibus occurrit XIV, 8 *L. Antonius, insigne odium hominum.* — Ex aliis eiusmodi vocabulis saepius in fabulis Plauti et Terentii legitur **scelus** (cf. Bacch. 1095; Mil. gl. 820 (cum Lor. annot.); Ter. Andr. 607. 844 etc.). Ex Philippicis orationibus unus locus maxime commemoratione dignus est, cum plura talia verba exhibeat: Phil. XI, 10: *Primum L. fratrem. Quam facem, di immortales! quod facinus! quod* **scelus!** *quem gurgitem! quam voraginem.*

respectum habere Phil. V, 49 (*quum respectum ad senatum non haberet*) plane idem significat quod alibi *rationem habere alcjs rei, respicere.* Qua significatione haec verba apud Livium demum recurrunt cf. Antib. Duobus aliis loci Phil. orationibus X, 9 et XI, 26 *respectus* usitatiorem vim profugii habet.

fatum pro *mors* praecipue poetis in usum receptum fuisse commemorat idem Ant. Ex quorum operibus fluxit verbum f. hac significatione adhibitum in scripta posterioris aetatis auctorum, quos omnino locutiones poeticas magis admisisse notum est. Itaque Gell. Val. Max. Tac. Suet. Liv. *f.* sic usurpaverunt, Cicero in nostris orationibus IX, 6 *omen fati = significatio mortis.*

§ 20. De adiectivis et adverbiis.

Adiectivum **caelestis** de hominibus dictum eodem ... quo saepissime *divinus* in orationibus Ciceronis bis tantum ... venitur: Phil. V, 28 *illae caelestes divinaeque legiones* et XI ... *caelestis et divina legio* (Mgt.).

Adiectivum **confidens** apud comicos Romanos interdum ... malam partem acceptum esse ita, ut valeat idem ac impudens etc. neminem eorum fabulas perlegentem fugiet. Quam ... ficationem nobis in mentem revocant duo loci Phil. orat... VII, 3 *nequam est homo ille atque confidens* et XI, 16 *et ... confidens, impotens, gladiatorio generi mortis addictus.* Neque alibi in Ciceronis orationibus hanc adiectivi *conf.* significationem, cum inspicerem Mgt. lexicon, invenire potui praeter Caec. ... quo loco Phormio ille Terentianus describitur: *nec minus* ... *nec minus confidens quam ille Terentianus est Phormio.*

Adiectivum **devius** de loco dictum est in Ciceronis orationibus Phil. II, 106 et Pis. 89, sed translate eadem *vi* ac *praeceps* semel, Phil. V, 37 *homo praeceps et devius.* Sic etiam ... Cic. ep. ad Qu. fr. (*vita devia*) Sil. 1. 57; 8. 316; Lact. (Ge.).

Adiectivum **impotens** respondet nostro „zügellos" in orationibus Ciceronis Deiot. 3 har. rep. 3; Phil. V, 22. 24. 42; XI, 16 ... nostro „schwach" Mur. 59. Saepius illa significatio apud poetas deprehenditur.

nobilis interdum non de genere hominum dictum est, sed si quis arte aliqua excellit, cf. Ldgr. III, p. 164 — *gladiator nobilis* Sex. Rosc. § 17; Quinct. 69; Phil. III, 25, *medicus no...* Cluent. 57 (*medicus haud ignobilis Cluent.* 47); Phil. V, 15 *philosophus nob.* — Fortasse hic usus sermoni vulgari tribuendus est.

Adverbium **hic** rariore significatione = *quae cum ita sint* reperitur in Phil. VIII, 10: *Antonii igitur promissa cruenta... nostra contra honesta.* **Hic** *mihi etiam Qu. Fufius pacis commoda commemorat* (= und unter diesen Verhältnissen redet mir noch etc., cf. Hoffm. I, p. 32.

Apte sequitur **huc** de hominibus dictum = *ad eos,* quod exstat in Phil. XIII, 3 *huc accedunt Alaudae ceterique veterani* cf. quaeso, quam lepide in Antib. de hoc vocabulo disputatum

sit: „Wenn huc = ad eos einmal Cic. Phil. XIII, 2. 3 gesagt worden ist, so dürfen wir dies hoffentlich auch thun".

Coniunctio **etiam** in cotidianae vitae sermone saepius cum indignatione usurpatur (nos: „auch noch"), qua vi apud comicos scriptores saepissime *etiam* legitur, cf. Lor. ad Plaut. Most. v. 1118. Sic in nostris orationibus II, 76 *etiam quaerebat, cur ego — tam subito revertissem* et VIII, 10 *hic mihi etiam Qu. Fufius — pacis commoda commemorat,* cf. annot. Kochii et Eberhardii.

§ 21. De verbis.

Verbum **audire** in fabulis Plauti et Terentii saepissime ita adhiberi, ut significet: *mihi probatur, placet, accipio* notum est. In nostris orationibus huc spectat XII, 4 *Si iacens vobiscum ageret aliquid, audirem fortasse".* Eandem verbi *au.* significationem invenies Sex. Rosc. 52 Marc. 25.

calere mira quadam significatione nobis offertur Phil. V. 11: *calebant in interiore aedium parte totius reipublicae nundinae.* Apparet quidem Ciceronem, qui hoc loco supralatione quadam veritatis utitur, dicere voluisse: Antonius agitatur domi suae flagitiosissimo mercatu vectigalium, civitatum, immunitatum etc. Quam verbi *c.* significationem nusquam in Ciceronis orationibus iterum deprehendas, nam in Verr. I. 66 Planc. 55. Brut. 66. 243 aliter res se habet. Ellisius quidem ad Catulli c. 63 v. 65 (*mihi ianuae frequentes, mihi limina tepida*) recte affert nostrum locum. cf. Krausium p. 13 sq.

Causa nulla esset, cur verbum **obicere** proferrem, nisi Krebsius in Antibarbaro locum quendam, qui exstat Phil. II. 9, perperam intellexisset. Legitur enim in Ant. s. v. obiectio: „Ebenso bedeutet obicere Sp. L. „einwerfen, einwenden, Einwendung machen". S. Hieron. epp. T 3. p. 49 H. Doch selbst bei Cic. Phil. 2. 4. 9, ist es synonym mit dem kurz vorher gebrauchten opponere, während es gewöhnlich nur „einem etwas vorwerfen, vorrücken, über etwas Vorwürfe machen" bedeutet" — Verba autem sunt haec: *Quid enim est minus non dico oratoris, sed hominis, quam id obicere adversario, quod ille si verbo negarit, longius progredi non potest, qui obiecerit,* ubi apparet, verbi „obicere" signifiationem prorsus non recedere a solito usu.

Verbum **recipere** a Cicerone interdum acceptum esse a comicis significatione permittendi, pollicendi (cf. Plaut. Mil. gl. 230 Ter. Phorm. 903, Heaut. 1056) annotat Ldgr. III. p. 338 ad Sex. Rosc. § 114. Et inveniri hunc verbi *r.* usum in ep. fam. 6. 12. 3. Att. 13. 1. 2, 5. 13. 2 et 17. 5. et saepius in eis epistolis, quae non a Cicerone datae sint, sed collectione eadem contineantur. cf. Stin. p. 62 sq. — In nostris quidem orationibus inveni hunc usum V. 51. *promitto, recipio, spondeo.* et II. 79. *promissum et receptum.*

Verbum **pugnare** apud Ciceronem hic illic rariore significatione *operam dandi, laborandi* invenitur. cf. Phil. X. 22 *id pugnant, id agunt.* VIII. 8. *M. Antonius id molitur, id pugnat* cf. Ldgr. III, 144, qui profert ep. fam. 3. 10. 3. Att. 3. 22. 3. Sex. Rosc. 8. — Apud poetas saepius hanc verbi *p.* significationem invenies.

II. De elocutione.

A. de abundantia sermonis.

§ 22.

Duae abundantiae rationes statuendae mihi videntur, una quae synonymorum copulatione effecta ad ornatum orationis ab oratore consilio et industria adhibetur, altera, quae neglegentia quadam e sermone vulgari interdum etiam in probatissimorum scriptorum opera manaverit. Haec enim posita est aut in molesta cumulatione adverbiorum vel particularum (velut: nisi si, quoniam semel, simul et etc.) aut in circumsriptione simplicium verborum verbis *habere, facere, capere* aliis effecta. Sed cum pleraque illius pleonasmi exempla a Guttm. enotata sint, nobis restat altera abundantiae ratio, quae magis ad neglegentiorem dicendi consuetudinem referenda est.

Ac primum huc spectat substantivorum in enuntiatis relativis repetitio, quae in legibus et in sermone iurisconsultorum usitata est et priscum magis colorem ducit, sed praeter Caesarem apud optimos scriptores rarius invenitur. cf. Köhl p. 448 Thlm. I. p. 25 sq.: Draeg. II². § 471.: Ldgr. III. p. 143. Et saepe ex-

cusationem quandam habere videtur hic usus aut cum maior est numerus verborum, quae intercedunt, velut Phil. III, 12. **Quo enim ille die**, *populo Romano inspectante, nudus, unctus, ebrius est contionatus et id egit, ut collegae diadema impo neret*, **eo die** etc. aut cum secundo loco non idem vocabulum sed synonymum aliquod positum est, sicut Phil. I, 1; **quo in aedem** *Telluris convocati sumus:* **in quo templo** e. q. s., aut cum aliter non satis dilucidus videtur verborum contextus, sicut Phil. I, 7; *Syracusas, quod* **ab ea urbe** *transmissio in Graeciam laudabatur:* **quae** *tamen* **urbs** etc.

Sed his rationibus non excusantur haec: Phil. XI, 21 *quumque* **id bellum** *geramus,* **quo bello** e. q. s. — XIV. 3 *quum videant gloriosissimum illum D. Bruto futurum* **diem, quo die** e. q. s.

Porro notandus est ille pleonasmus, qui efficitur coniunctione duorum verborum, quae habent notionem necessitatis et cogendi. v. Köhl. p. 447, qui hunc usum primum apud Terentium occurrere monet, deinde ter apud Caesarem. cf. Ldgr. III, p. 353.

In Ciceronis quidem orationibus legitur **necessario cogere** Verr. III, 101, et Phil. XI, 22, *rerum natura cogit te necessario.* — **necessitas cogit** Sex. Rosc. 123. Rab. Post. 22. Quinct. 51. Cluent. 19 et 37. Phil. III, 12, *quae nos necessitas fere coëgit.* Similiter Phil. V, 53, *tempus et necessitas flagitat.*

Praepositionum *prae* et *pro* vis interdum ita imminuta ac debilitata fuisse videtur, ut adicere *ante* opus esset. v. Köhl. p. 446. Qui usus in Ciceronis orationibus invenitur har. resp. 18. Phil. II, 82, *tanto* **ante prae***dixeras*. VI, 5, *testificor, denuntio,* **ante prae***dico* (sed I, 26, *ante dicere*) — XI. 13 *nonne* **ante** *oculos* **pro***ponitis?* — Phil. II, 99 nunc ab omnibus, qui Philippicas orationes publici iuris fecerunt, in contextum verborum collocata sunt: *alia condicione quaesita et* **ante per***specta* pro *quaesita et* **ante prospecta**, quae mss. exhibent. Et iure quidem. cf. Orellii annot. ad h. l.: „significatur Antonium iam antequam cum Antonia divortium faceret, cum Fulvia rem habuisse".

Magis etiam sermonem vulgarem redolent haec pleonasmi genera: Phil. XII, 8, **quoniam semel** *liberales esse coepimus.* quae verborum coniunctio (t. Ldgr. III, p. 195) apud Ciceronem legitur: Sex. Rosc. 31; Or. II, 121, ep. Att. 14, 13, 6 praeter nostrum locum.

Eiusdem sermonis vulgaris est Phil. II, 39 *verum* **tamen** *homines,* **quamvis** *in turbidis rebus sint,* **tamen** *si modo homines sunt* etc. cf. Rosc. Am. 55. Saepius in prioribus Ciceronis orationibus similiter legitur: *tametsi* — *tamen.* cf. Rosc. Am. 49. 55. 56. 85. 123 etc. v. Hllm. p. 160.

Apud Plautum saepius (cf. Lor. ad. Pseud. v. 1086) et in Ter. Adelph. 594; Andr. 249 usu venit: *nisi si.* cf. Thlm. I, p. 21 et Schm. II, p. 44 qui *nisi si* sermoni familiari tribuit. In Ciceronis orationibus *n. s.* legitur Quinct. 60.; Verr. II, 62; Cat. II, 6.; Phil. II. 70 **nisi si** *tu es solus Antonius.* v. Hllm. p. 158. De **nisi cum,** quod semel in Ciceronis orationibus legitur (sc. Phil. XI, 17 *semper, nisi cum est necesse*) cf. Ldgr. III, p. 202.

Eodem referenda est coniunctio verborum *tanquam si,* quae in Ciceronis orationibus occurrit t. Mgt. Sex. Rosc. 91. Caec. 61. Phil. II, 106 **tanquam si** *esset consul* et VI. 10 **tanquam si** *illi aqua et igni interdictum sit.*

Neque minus abundanter collocatum esse videtur *primum* coniunctum cum *simulac,* velut Phil. IV, 1 *quae* **simulac primum** *aliquid lucis ostendere visa sunt.* Qui usus praeter nostrum locum t. Mgt. in orationibus deprehenditur Verr. I, 34 et [illegible] — Similiter scriptum legimus Cluent. 66 *ut primum Oppianicus — coepit suspicari* cf. Thlm. II, p. 205 et Ldgr. III, p. 185.

De redundantia, quae latet in copulatione particularum **simul et** — **et** cf. Ldg. III, p. 335 qui commemorat eam opinio[illegible] rarius inveniri idque tribus tantummodo orationum locis: Sex. Rosc. 112; Cluent. 43; Phil. X, 5 *simul enim et reipublicae consules et propones illi exemplum ad imitandum.*

Denique ex hoc genere proferam: **interea dum,** quod eidem studio latius verba exponendi tribuendum est ac e. g. *propter quod,* quae consociatio in prioribus orationibus saepissime [illegible]tur (cf. Hllm. p. 157) — *interea dum* semel invenitur Phil. II, [illegible] *interea dum tu abes;* cf. Guttm. p. 10.

Saepenumero a Wölffl.[1]) prisco sermoni nec non [illegible]

---

[1]) E. Wölffl., über die Latinität des Africaners Cassius F[illegible] Sitzungsber. d. K. b. Akademie d. Wissensch. zu München [illegible] histor. Klasse 1880. H. 4 p. 431.

vindicatur. Quae compositio in Ciceronis orationibus t. Mgt. nobis obviam fit: Sex. Rosc. 67 et 119; Verr. I, 129; II, 83; sen. 4; Scaur. 1; Cluent. 121 et 122; Phil. V, 40; XI, 31. In nostris quidem orationibus *s.* non nisi in decretis conspicitur, quae in fine orationum in senatu habb. verbis concipere solet Cicero et in quibus oratio aliquanto amplificatur.

Pleonasmus quoque quidam deprehenditur in coniunctione adiectivi **multus** cum **saepe**, de qua vide Ldgr. III, p. 302; cf. Phil. XI, 24 *sicut saepe multis clarissimis viris expetitae sunt* (*provinciae*), XI, 31 *ut multis bellis saepenumero imperium populi Romani iuverint,* XII, 22 *multa saepe temptata sunt,* XIV, 33 *multi saepe exercitus.*

Saepius invenitur adiectivum **nullus** pro simplici **non** positum, quo augeatur negatio. De qua abundantia sententiae v. Hllm. p. 135 sq.; Ldgr. II, p. 324; Wölffl. in Phil. XXXIV, p. 143; Naegelsbach. stil. 6, p. 236: „ein Gebrauch, der auf die Neigung der Volkssprache alles zu forcieren, zurückzuführen ist." — Nonnulla ex nostris orationibus exempla collegit Guttm. p. 10, sed a septima demum oratione initium fecit: (Phil. VII, 27; X, 22 [pro 20]; XIV, 18 et 23). Quibus reliqua addam: Phil. II, 6 *sed sit beneficium, quandoquidem maius accipi a latrone nullum potest,* II, 15 *referas ad eos, qui suam rem nullam habent* (cf. annot. Kochii et Eberhardii ad h. l.) — III, 2 *bellum iam nullum haberemus,* ibid. 5 *rempublicam nullam haberemus,* ibid. 10 *supplicia nulla — accepimus,* IV, 14 *ipse consilium publicum nullum habet,* ibid. 15 *cum exercitum nullum habuisset,* V, 31 *bellum profecto nullum haberemus,* ibid. 53 *bellum, ut saepe dixi, nullum haberemus.*

Abundantia quaedam, sed levioris momenti, his quoque locis statuenda est: Phil. I, 5 *cum serperet in urbe infinitum malum* **idque** *manaret in dies latius* (pro *manaretque*), ibid. *cotidie magis magisque.* K.-E. proferunt ad comparationem Brut 308, ad Att. 14, 18, 4; cf. praeterea fam. 2, 18, 2 *magis magisque quotidie,* fam. 16, 21, 2 *in dies magis magisque* — Phil. I, 9 *ut mihi* **nulli neque** *remi* **neque** *venti satisfacerent.* — Phil. II, 50 *ab huius enim scelere omnium malorum* **principium natum** *reperietis.* — Phil. I, 8 *ut de reversione* **primum coeperim**

cogitare. Sed K.-E. hoc loco *primum* ut per dittographiam ex antecedentibus verbis exortum deleri malunt.

Haud ita pleonasmus dici potest, sed omnino memoratu digna videtur copulatio verborum *hoc est dicere* pro simplici *hoc est, hoc significat,* cum Francogallorum *c' est-à-dire* ex ea ortum esse videtur. Exstat *hoc e. d.* in Ciceronis orationibus Verr. IV, 45 et Phil. II, 70.

Fortasse addere licet Phil. VII, 35 *nolite id velle,* nisi malumus hoc loco *velle* idem valere ac *cupere, optare* quam pleonasmum hic latere.

Notissimus est et ab omnibus, qui sermonis vulgaris vestigia indagare studuerunt, observatus ille vicarius usus verborum *facere, habere, capere,* a quo ne Cicero quidem praecipue in prioribus scriptis se abstinuit, cf. Hllm. l. l., quamquam in universum apud eum hic usus restringendus esse videtur ad adiectiva et substantiva verbalia cum illis verbis coniuncta. Sed longius procedebant homines plebei et qui minus bona dicendi consuetudine utebantur. Itaque Cicero Antonium, ut saepe fit, vituperat, quod in edicto quodam a Cicerone recitato admiserit verba: *nulla* **contumelia** *est, quam* **facit** *dignus* Phil. III, 22. Ita enim loquitur Cicero: *Quid est porro facere contumeliam? quis sic loquitur?* Gronovius quidem scholiasta (v. Schützii lexicon Cicer. s. v. dignus) nondum intelligebat, quam ob rem Cicero hoc loco Antonii dictionem reprehenderit. Sic enim dicit: Nam quod rogat, quid sit „facere contumeliam" — non exaudio, quasi id dici Latine nolit, sed quod hic loci, quid sit illud, primo aspectu obscurissimum est". Nihil enim hoc loco obscurum est nisi significatio et usus vocis „dignus".

Quod iam attinet ad Philippicas orationes, exordiar a **missum facere** = *dimittere,* quod iam usitatius etiam apud optimos scriptores fuisse videtur. cf. Koehl. p. 452; Hllm. p. 141; Guttm. p. 9 Exceptis prioribus, in quibus saepius occurrit, invenimus hanc copulationem verborum: leg. agr. I, 14; Sest. 138; Phil. V, 53: *legiones missas fieri.*

reliquum facere = *relinquere,* legitur in orationibus novies in Verrinis, Marc. 10; Phil. XIII, 23 *quem locum tibi reliquum non modo ad pacem, sed ne ad deditionem quidem feceris.* cf. Guttm. p. 9.

irritum facere in Ciceronis orationibus non nisi in Philippicis invenitur: Phil. II, 109 *testamentum irritum fecit* V, 21 *leges irrit. f.* XII, 11 *res indicatas i. f.*

Minus insignia videntur ea exempla, in quibus verbum *facere* in enuntiato relativo vel passivis formis collocatum est, sicut Phil. V, 25 *iter Antoniorum quid habuit nisi depopulationes, vastationes, caedes, rapinas?* **quas** *non* **faciebat** *Hannibal etc.* cf. Thlm. II, 206; Schm. I, p. 130. Neque recedunt tales verborum coniunctiones a bonae prosae oratione, cum casus dativus alicuius vocis adiectus est; quare Phil. IX, 8 *vivo iniuriam fecimus* huc referre non licet. cf. Ldgr. III, p. 392; Wölffl. in Philol. XXXIV, p. 143.

De **exordium capere** pro *exordiri* v. Hllm. p. 142. Denique in medium proferre liceat: **carum habere.** Phil. X, 4 *quos omnes carissimos habent* XIII, 1 *libertatis iura cara habere.*

facere ut, quibus verbis augendae et premendae sententiae causa circumscriptio efficitur imperativi vel verbi finiti, quod dicimus, sermonis familiaris esse dicit Ldgr. II, p. 327. Itaque non neglexi huius usus vestigia indagare in perlegendis Philippicis orationibus. Sed nullum nisi unum exemplum proferre possum, quod plane huc spectat: Phil. XIII, 46: *Itaque fecerunt, ut his litteris lectis ad munitiones propius accederent!*

B. de sermonis brevitate.

§ 23.

Iam a nonnullis vv. dd. observatum est Philippicas orationes detractione verborum, quam vulgo ellipsin vocamus, a ceteris Ciceronis valde discrepare. v. K.-E. p. 16: „die in diesen Reden besonders häufigen Ellipsen geben ihnen den Ton der lebhaften Umgangssprache“, Straubii diss. p. 126: „Atque omnino in hoc genere (i. e. quod attinet ad ellipsin) Philippicae Ciceronis orationes praeter ceteras excellunt, propterea quod et commoto vere animo dicit et multa e sermone vulgi deprompsisse in his quidem videtur“. cf. Guer. p. 61; Bart. II, 27. Itaque in his orationibus saepe tantam fere multitudinem detractionum invenimus, quantam in epistulis Ciceronis. Omnino, si numerorum argumenta postulas, pone haec tibi ante oculos:

	§§	detract. num.	°/₀
in or. p. Mil.	105	12	$11\frac{1}{2}$
in or. p. Rab. Post.	48	4	$8\frac{1}{3}$
in Phil. oratt.	549	185	33

In primo enim ordine paragraphorum exstant numeri, in secundo detractionum, quarum numeri ad centenas paragrapho relati in tertio positi sunt. Horum ipsorum ordinum, quos in ceteris orationibus inquirere opus non est, numeri docebunt quam libero et neglegenti dicendi genere Cicero in his orationibu usus sit.

Neque quisquam mihi opprobrio dederit, quod non computav et enumeravi eos locos, quibus in accusativo cum infinitivo posito desideratur infinitivus verbi substantivi, quod dicimus, quoniam hic usus pervulgatissimus est, nec eos locos, quibus facile ex antecedentibus vel respondentibus enuntiati partibus praedicatum, quod vocamus, suppletur; de qua ellipsi, qua haud ita magni momenti esse mihi videtur, copiose Draeg. I[2] § 11 disseruit. Reliquas, quarum numeri supra conspiciuntur, eodem Draegero duce tractabo.

Longe saepissime omittuntur formae verbi *esse* in sententiis primariis, imprimis indicativi praesentis formae. *Sum* quidem rarius desideratur, in nostris orationibus II, 10 *ego sine ul controversia consularis* et XII, 17 *ego princeps sagorum.* Neque minus raro omittitur forma *es*: II, 47 *tu autem eo liberior* Saepissime *est*: I, 5. 21; II, 56. 67; III, 15. 22; IV, 7; V, 14. 43. VI, 13; VIII, 13. 15; IX, 4; XI, 5. 7; XII, 24; XIII, 27 *sumus* II, 96 *sunt*: I, 6. 23; II, 1. 20. 25. 29. 31. 64; III, 8. 16. 23 V, 12. 15. 38. 43; VIII, 10. 16; XI, 32. 11; XIII, 8.

eras: II, 44 *primo volgare scortum.* — *erat:* (nimirum non semper satis discerni potest, utrum *erat* an *fuit* subaudiendum sit.) II, 75, 77; III, 16; XI, 32; XIV, 6. 13. *erant* I, 5; V, 9 *fu* I, 2; II, 73 *fuerunt* II, 55.

Raro omitti infinitivum *esse* in sententiis primariis monuit Draeg. l. l., ex nostris quidem orationibus haec enotavi exempla: II, 19 *cupit enim se audacem* (*esse*) V, 38 *semper ille populum Romanum liberum* (*esse*) *voluit.* II, 14 *vitrici te similem quam avunculi maluisti.*

Creberrime adhibetur ellipsis in enuntiatis interrogativis

rectis: *sum* XIII, 40 *ego lanista?* — *es* II, 97 *tu mentis compos?* II, 110 *et tu in Caesaris memoria diligens?* **est**: I, 20. 33; II, 2. 48. 67; III, 15; V, 8; IX, 11; X, 17; XI, 11; XII, 9; XIII, 14. 43; XIV, 14 **sunt**: I, 3; XI, 19 *erat* (vel *fuit*) I, 31; II, 43. 48. 56. 82. 85. 94. 105; XIII, 18. 21; XIV, 19.

Perraro a Cicerone in sententiis secundariis omittitur verbum copulativum, quod dicimus cf. Draeg. § 116. Ex nostris tamen haud pauca notanda sunt exempla: II, 10 *etsi ille nullo modo consul* (*est*), *vel quod ita vivit* etc.; II, 53 *omitto, quam haec falsa, quam levia* (*sint*); II, 56 *si severus* (*erat*), *cur non in omnes, si misericors, cur non in suos*; III, 21 *si igitur Caesar hostis* (*est* vel potius *erat*), *cur consul nihil referebat ad senatum?* IV, 5 *Nam si ille non hostis, hos, qui consulem* etc.; IV, 8 *Si consul Antonius, Brutus hostis, si conservator reipublicae Brutus, hostis Antonius*; VIII, 9 *homines agrestes, si homines illi ac non pecudes potius, inani spe* etc.; VIII, 14. *Q. Metellum, cuius quattuor filii consulares* (*sunt*); III, 6 *si ille consul, fustuarium meruerunt legiones* II. 31 *sequitur, ut liberatores tuo iudicio* (*sint.*)

Verba, quae habent notionem *dicendi*, subaudienda sunt: I, 10 *quas tu mihi intercessiones, quas religiones* (*profers?*) II, 31 *si parricidas* (*eos dicis*). ib. *non igitur homicidas* (*dicis*); II, 53 *sed nihil de Caesare* (*dicam*); II, 72 *ne omnia videar contra te* (*dicere*); II, 78 et VI, 15 *sed nimis multa de nugis* (*dixi*); II, 84 *nolo plura* (*dicere*); II, 111 *quid ad haec tandem* (*dices* vel *respondebis*); V, 13 *num Latine scit* (*loqui*)? VII, 16; *satis multa de turpitudine* (*dixi*); VIII, 4 *sed nimis multa de verbo* (*dixi*); VIII, 5 *sed quid plura* (*dicam*)? XIII, 30 *quid multa* (*dicam*)? XIII, 22 *satis hoc quidem scite* (*dixit* vel *scripsit*); XIV, 13 *tu igitur ipse de te* (*quid dicis, sentis*) *dixerit quispiam*; I, 12 *nimis iracunde hoc quidem et valde intemperanter* (*dixit*); XIII, 40 *pergit in me maledicta* (*proferre, evomere, emittere.*) Orellius annotat ad h. l.: „*in me* (quod t exhibet) iam scripsit Schuetzius, sed ne sic quidem locus sanatus videtur; equidem sic corrigo: pergit in me maledicta iacere (vel iactare).“ Ego non intelligo, quo iure corruptus hic locus habeatur. cf. ad Att. IV, 11. 1 *perge reliqua*: III, 15. 5 *sed pergo praeterita.* Brut. 74. 258 *sed perge, Pomponi, de Caesare.* cf. Hoffm. I p. 73.

Sine dubio Draeg. recte contendit, ellipsin quandam apparere etiam in *exclamationibus*. Ex Phil. oratt. in medium proferam hasce: I, 6 et X, 18 *malum!* II, 67 *me dius fidius* (sc. *adiuvet* sive *audiat!* Draeg.) — VIII, 9; X, 5 *di meliora* (sc. *dent, duint!)* — VI, 12 *malam quidem illi pestem* (sc. *mittant dei!*)

Addere hic mihi liceat exclamationem *praeclare!* quae nobis offertur in Ciceronis orationibus non nisi Philippicis: VII, 2; VIII, 20; IX, 3; XIII, 9 (Mgt.)

fieri *vel* **facere** vel similia omissa sunt: I, 5 *atque haec omnia communiter cum collega* (*egit*) I, 6 *nihil per senatum, multa et magna per populum* (*facta sunt*); II, 39 *ab eo mentio de me nisi honorifica*; II, 48 *inde iter Alexandream contra senatus auctoritatem* (*fecit*); II, 56 *in eis patrui nulla mentio* (*facta est*); II, 62 *Italiae rursus percursatio* (*facta est*); II, 82 *sortitio praerogativae* (*facta est*); II, 85 *gemitus toto foro* (*factus est*); II, 105 *stulte Aquinates* (*fecerunt*); VIII, 14 *senatus haec verbis, Opimius armis* (*fecit, egit*); XIII, 19 *ibi pestifera illa Tiburi contio* (*habita est*): *inde ad urbem cursus*; XIII, 20 *Ex eo non iter, sed cursus et fuga in Galliam*; XIV, 23 *supplicationis mentio nulla*; XIV, 24 *quod ergo ille re, id etiam verbo* (*facio*); II, 82 *ut assolet* (*fieri*).

Accedunt verba, quorum ellipsis exceptis epistolis rarius apud Ciceronem usu venit et quae certo ordini subiungi non possunt. De *nihil horum* II, 56; *nec mirum* IV, 12, XII, 5; *neque iniuria* VI, 3 v. Draeg. § 117 et Seyff.-Müllerum in Lael. p. 226.: „es giebt gewisse Formeln, die der familiären Sprache entlehnt sind, in welchen das vb. „est" gewöhnlich ausgelassen wird." — II, 56 *nihil id quidem ad rem* (*pertinet*) et II, 72 *sed quid ad rem?* cf. Quinct. 79. Sex. Rosc. 92 (cum Ldgr. annot.) Sine dubio hae formulae sermoni familiari vindicandae sunt. — II, 67 *at idem aedes etiam et hortos.* (sc. *tenet* (Manut.) sive *occupavit* (Halm.) Draeg. I[2] p. 220 verbum, quod praegreditur, *devoravit* supplere mavult, sed perperam mea quidem sententia. — II, 73 *a me G. Caesar pecuniam* (*accepit*)? III, 26 *C. Antonius Macedoniam* (*accepit*); II, 74 *tam bonus gladiator rudem tam cito* (*accepit*)? — In proverbiis sive proverbialibus dictionibus saepissime verbum detractum est propter

creberrimum usum. v. Draeg. I². p. 198. Huc pertinet XIII, 49 *prius undis flamma* (*misceatur*).

Insigne exemplum detractionis verborum invenitur II, 77: *Janitor: ‚quis tu?' ‚a Marco tabellarius.' confestim ad eam, cuius causa venerat.* (sc. *ducitur* sive *se contulit*) — II, 102 *medico tria milia iugerum* (*dedisti*) e. q. s.; XIII, 20 *supplicatio Cinnae nulla victori* (*data* sive *concessa est*). — II, 118 *mecum, ut voles* (*age* subaudiendum puto secutus Kochium et Eberhardium nec *vive*, quod Draeg (I² p. 220) vult. Tecte enim significant haec verba, quod Cicero in fine paragraphi declaravit, se pro patria et pro iusta causa ipsam mortem pati non dubitare. — III, 22 *horum similia deinceps* (*sequuntur* vel *scripta sunt*); II, 8 *sunt enim librarii manu* (*scripta*).

Ad eam dicendi brevitatem, quae in epistolis pervulgata est, pertinent haec: XIV, 23 *at misit postea de Alexandrea, de Pharnace* (*litteras*); VI, 3 *ad quem enim legatos* (*mittemus*)? XIII, 22 *neque se imperatorem neque Hirtium consulem nec pro praetore Caesarem* (*nominat.*)

Quid V, 13 *Cydam Cretensem* etc. supplendum sit, incertum videtur. Satis quidem ineptum sit ex verbis, quae antecedunt, sumere *legit.*

Miram quandam brevitatem dicendi deprehendimus Phil. V, 45 *sit pro praetore eo iure quo qui optimo,* (i. e. *quo is est, qui optimo iure est.* v. Draeg. § 477. 2.)

Idem v. d. § 454 disserit de detractione pronominis subiecti in accusativo cum infinitivo. Dicit enim inveniri hanc detractionis rationem saepius demum inde a Livii aetate[1]), raro apud Ciceronem. Ex Philippicis quidem orationibus enotavi haec exempla: II, 59 *potuisse enim fateor* (*te*) V, 39 *facturum fuisse* (*se*) *declaravit*; VI, 9 *properent legati, quod video esse facturos* (*eos*).

Adde II, 10 *non tractabo ut consulem* (*eum.*)

Neglegentius et liberius praepositio *de* pro *quod attinet ad* posita esse videtur XIII, 33 *de Theopompo, summo homine, neglεximus.* Draeg. § 286. 8 praeter h. l. affert Verr. II, 1. 2;

[1]) Sed v. Lor. ad Plaut. Most. 6 18, qui multis exemplis allatis comprobat, hanc ellipsin iam apud Plautum prorsus non inusitatam esse. cf. F. Becher, d. Sprache d. Briefe ad Brutum i. mus. Rhen. 37. p. 576.

Brut. ap. Cic. fam. 11. 3; fam. 12. 30. 7; 13. 78. 2. Adde Phil. VII, 27 *quibus de rebus refers, P. Servilio adsentior* (i. e. *quod attinet ad eas res, de quibus refers, P. S. a.*) Sane mira brevitas loquendi! cf. ep. ad Att. XVI, 12 *de Ἡρακλειδείῳ Varronis negotia salsa.*

III. De syntaxi.

Certe nemo mirabitur, quod in hac grammaticae parte non adeo multa in Philippicis orationibus inveniantur, quae memoratu digna videantur. Nam ut verborum delectus uniuscuiusque voluntati atque arbitrio obnoxius est, ita multo rarius illae certae leges linguae repudiantur et dissolvuntur. Itaque non omnes orationis partes certis ordinibus institutis persequar, sed quaecumque a bono dicendi usu recedunt, deinceps tractabo. Apparet praecipue in Ciceronis scriptis talia offendisse legentes eoque accuratius viros doctos commotos esse ad colligenda exempla. Draegerus quidem et ei, qui Antibarbarum conscripserunt, dissipatim multas res iam commemoraverunt, quas in mediam proferam, quare aliquam in partem acquiescendum mihi est in componendo et discernendo eas res, quae modum bonae prosae excedunt. Et unoquoque loco addam, si quae ad flexionem vocabulorum pertinentia inveniuntur.

§ 24. De ratione coniungendi partem attributam cum parte subiectiva nonnulla notanda sunt, quae de consuetudine bonorum scriptorum deflectunt. Singularem enim esse apud Ciceronem locum Phil. XII, 27 docent grammatici (v. Draeg. § 105), quo duo nomina propria coniunctione *cum* copulata accipiant numerum pluralem. *Sulla cum Scipione — leges inter se condicionesque contulerunt.* Alio loco fam. 14. 7. 2 codd. partim pluralem partim singularem praebent. — Contra requirimus numerum pluralem, cum singularis exstet Phil. VI, 15: *Quis unquam — inventus est, qui L. Antonio mille nummum ferret expensum.* Draeg. I, § 106 dicit omnino prisci sermonis esse hanc coniunctionem verborum nec minus valere hanc legem propterea

quod ab ea in scriptis optimorum linguae Latinae temporum tres loci (Cic. Mil. 20; Phil. VI, 15; ad Att. 4. 16. 4) dissentiant.

§ 25. De gradatione.

De **insignite impudens** Phil. III, 10 quod iterum legitur p. Quinct. 73 *ins. improbus,* iam Hllm. p. 134 disseruit. cf. Lor. ad Plaut. mil. glor. 558.

Idem Hllm. p. 135 commemorat **tam valde** in Ciceronis orationibus uno loco legi: Phil. I, 5, in ceteris scriptis aliquotiens. — Phil. VI, 18 legitur: *senatum* **bene** *sua sponte* **firmum.** Gradationem adiectivorum adverbio *bene* effectam apud Ciceronem triginta fere locis, praecipue in epistolis inveniri, docuit Wölfflinus[1]) cf. Hllm. p. 133; Guttm. p. 8; Wölffl. in Philol. XXXIV, p. 140. — Haud inepte hic additur gradatio rarior verbi *odisse* adverbio *peius* facta Phil. XI, 12 *quo neminem veterani* **peius oderunt** cf. Plaut. mil. gl. v. 128 *neque peius quemquam odisse quam istum militem.* v. Wölffl. p. 16 sq.

§ 26. De pronominibus.

Pronomen **numquisnam** adamatum fuisse sermoni familiari exposuit Ldgr. III, 328. Confirmat hanc sententiam, quod haec pronominum forma quater tantummodo in Ciceronis orationibus adhibita est: Sex. Rosc. 107; leg. agr. I, 11; Planc. 65; Phil. VI, 12 *numquisnam est vestrum, qui tribum non habeat?* v. Hllm. p. 111 et Ldgr. I, p. 36.

Phil II, 96 *sed prius, quam tu* **suum sibi** *venderes, ipse possedit.* — Multi iam viri docti demonstraverunt pronomen reflexivum *se* saepius in sermone vulgari exstare, cum leges grammaticae postulent demonstrativum. v. Draeg. § 30; Hllm. p. 130; Köhl. p. 415; Thlm. p. 70; Ldgr. I, p. 37. — Apud Ciceronem quidem hic usus non invenitur nisi in scriptis iuvenilis aetatis, cum primum se ad studium scribendi contulit. Vestigium quoddam illius usus certe est, quod supra attuli, *suum sibi*, quae coniunctio apud comicos creberrima est. cf. Ldgr. I, p. 34. Revocemus in mentem, quod saepius eae verborum compositiones, inter quas alliteratio intercedat, propter soni amoenitatem atque

---

[1]) E. Wölfflin, lateinische und romanische Comparation. Erlangen 1879, p. 14 sq.

suavitatem in aures hominum ita blande et sensim quasi se insinuaverant eorumque animos occupaverant, ut etiam ab hominibus perpolitis soni suavis causa praeferrentur eis, quibus solis in bono dicendi genere locus debuerat. Nec plane assentior Ldgr., qui I, 34 dicit: ‚est formula contemnentis, quod alter habet ac habere se putat.' v. quae annot. Halmius et K.-E.

Neque semel his iam temporibus a viris doctis duce Merguetio demonstratum est in grammaticis Latinis et in Antibarbaris, qui vocantur, interdum vocabulorum vel dictionum exempla discipulis ad imitandum proposita esse, quae apud Ciceronem aut rarius aut non nisi in iis scriptis legantur, in quibus non plane ad elegantiam sublimitatemque dicendi pervenerit. Huc pertinere videntur **primo quoque tempore**, quae t. Mgt. in Ciceronis orationibus leguntur non nisi in prioribus (Sex. Rosc. 36; Verr. IV. 58) et in Philippicis (III, 39; IV, 4; XI, 31); v. Ldgr. qui III, 208 commemorat saepius usu venire hanc locutionem apud Corn. Nep. et ap. Livium. Nec minus orationes Ciceronis suppeditant semel tantummodo: **primo quoque die** Phil. VIII, 33. Non dubito, quin perquirentes Ciceronis scripta locos inveniamus, quibus saepius has notiones aliis verbis expresserit.

Restat, ut commemorem consociationem pronominum **iste** et **tuus**, quam ex sermone familiari delibatam esse censent K.-E. in annot. ad Phil. II, 113 facta. Adhibentur *iste tuus*, si quidem omnia observavi, in his de quibus agitur orationibus, hisce locis: II, 101. 113; X, 3. 4; XII, 23; XII, 25.

§ 27. De casibus.

a) De casu genetivo.

Praecipue sermonis prisci et vulgaris est coniungere genetivos casus substantivorum cum pronominibus neutraliter usurpatis. Sed nonnullae harum constructionum etiam apud optimos scriptores locum obtinebant, in quibus **id aetatis**, quae in Ciceronis orationibus occurrit Sex. Rosc. 64; Verr. I, 66; II, 37 et 91; Cluent. 51. (cf. Ldgr. III, 255). Addo ex nostris VIII, 5 *praesertim cum illud esset aetatis* et XI, 17 *neque se ei legatum, id aetatis iisque rebus gestis, defuturum.* v. Koehl p. 428; Draeg. § 178.

Iam Hllm. p. 121 sq. et Ldgr. III, p. 195 monuerunt genetivum exclamationis **hercules** apud Ciceronem tribus locis legi, Sex. Rosc. 31; Phil. XII, 4 *valde hercules vobis laborandum est.* Brut. 62. Nostro quidem loco nonnulli codices, sed ii deterioris notae exhibent usitatiorem formam „hercule".

b) De casu dativo.

Phil. II, 64 *consumptis lacrimis tamen* **infixus animo haeret** *dolor.* Hllm. p. 142 docet verbum *haerere* raro cum dativo coniungi, in orationibus Ciceronis tribus locis: Rosc. Com. 17; Sest. 62; Phil. II, 64. Sed quamquam etiam Halmius annotatione ad Phil. II, 64 conscripta existimat *animo* referendum esse ad *haeret,* tamen mihi errare videntur vv. dd. Nam dativus *animo* videtur potius pendere ab *infixus,* praesertim cum *infigo* similiter cum dativo coniunctum inveniatur. cf. Georgesii lexicon. Itaque cum Guttmanni sententias controversas libello additas perlegerem, gaudebam, quod is quoque Hellmuthio non assensus esset. Ad comparationem addere liceat Liv. 21. 35. 12 *haerere affixi vestigio suo.*

Thlm. I, p. 81 enumerat locos Ciceronianos, quibus **ecce** coniunctum est cum dativo ethico, quem vocamus. Qui usus in universum sermonis vulgaris est. Ex nostris sumpsit Thlm. XI, 2 **ecce tibi** *geminum in scelere par* cf. Stin. p. 49.

c) De casu accusativo.

Ad eundem usum, de quo Ldgr. III, 229 disseruit, spectant verba, quae Phil. XII, 7 exstant *quid municipia censetis?* Illo enim loco dicit Ldgr. „der Ursprung dieser Art der Fragestellung ist wohl auf die in der Umgangssprache beliebten Formeln quid censes oder quid putas illum? zurückzuführen." cf. Lor. ad Plaut. Most. v. 895.

Phil. V, 15 legitur in cod. Vat. **em causam** *cur* e. q. s. de qua re Draeg. § 179 monet, hoc uno loco Ciceronem accusativum coniunxisse cum illa interiectione, quem usum apud poetas comicos frequentem esse, alibi nominativum inveniri. Reliqui codices exhibent: *haec causa* quae scriptura quamquam facile ex (*h*)*em*

causam exoriri potuit, tamen diiudicare nolim, utrum accusativus pro nominativo servandus sit necne.

Idem Draeg. § 177 docet in universum raro adhaerere eis substantivis, quibus insit notio movendi, accusativos nominum urbium. Ex Philippicis quidem notavi II, 48 *inde iter Alexandream;* II, 107 *reditus Romam*; XI, 5 *nocturnus introitus Zmyrnam.* Sane liberiori dicendi generi hic usus tribuendus est.

e) De ablativo.

Primum hic nonnulla proferam, quae ad flexionem vocabulorum pertinent, quam, ut supra dixi, separatim tractare opus non est.

De forma *civi* pro usitato ablativo *cive*, quae legitur in nostris: III, 7 et 39; V, 52; VII, 20 et 24; Hllm. p. 108 dicit a Cicerone in orationibus locis 20 usurpatum esse *civi* et locis 20 *cive*. — *luci* pro *luce* invenitur Tull. 47 et Phil. XII, 25. — Lor. ad Pl. most. v. 519 formas in -i desinentes prisco sermoni adiudicat. — Eundem priscum colorem ducit *domu* pro *domo*, quod praebet cod. Vat. in Phil. II, 48 et Paris. in Verr. V, 128 (v. Orellii annot. crit. ad h. l. et Lor. ad Plauti mil. glor. v. 126.) In Vat. 22 *domo vi extrahere* habent codd. partim *domo*, partim *domum* (*domū*), quare haud scio an etiam hic *domu* legere liceat.

Quod iam attinet ad syntaxin, nullam fere rem inveni commemoratione dignam. Draeg. § 219 s. v. *abrumpere* commemorat hoc verbum apud Ciceronem (sicut saepe ap. Lucr. et Val. Max.) semel cum praepositione *a* coniunctum esse pro solo ablativo: Phil. XIV, 12 *haec* (*legio*) *se primo latrocinio abrupit Antonii.* Contra verbum *dilabi* Phil. XIII, 11 (*mea memoria dilabuntur*) cum ablativo positum esse, cum alibi omnibus locis huic verbo adhaereant praepositiones *ab* vel *ex*.

Permirum unicuique videatur, quod Phil. X, 26 editiones nonnullae praebent verba: **pecuniam***que ad rem militarem, si qua opus sit, quae publica sit et exigi possit,* **utatur** *exigat.* Aliquot enim codices deteriores exhibent casum ablativum. Notum est apud vetustiores scriptores latinos saepius verbum *uti* cum accusativo coniunctum inveniri. cf. Draeg. I, § 248. Sed quod idem v. d. l. l. dicit: „aber bei Cic. Phil. XI, 26 wird der abl., der unter den Varianten steht, vorzuziehen sein" mihi non

probatur. Nam si accuratius hunc locum aspicimus, ne necessarium quidem videtur ablativum ponere, cum verbum *exigere* quod sequitur et in enuntiato relativo antecedit, sine dubio ita praevaleret, ut verbi *utatur* vis debilitaretur et paene obcaecaretur. Itaque *ζεύγματος* figura mihi hic potius statuenda videtur.

§ 28. De praepositionibus.

Draegero non astipuler § 206 exponenti adiectivum *avidus* Phil. V, 22 (**avidum in** *pecuniis locupletium*) cum *in* c. abl. positum esse eadem vi ac si genetivus casus adhaereat. Nam sensus huius structurae verborum certe aliquid discriminis habet. Accedit enim hoc loco *avidum in* ad eam vim, quam habent: *quod attinet ad* vel *cum primum ei occasio data est pecuniarum capiendarum* similia.

Neque minus mihi displicet, quod idem v. d. infra in fine § 210 coniungit in Phil. II, 36 verbum *meministi* cum *de exsulibus* et hoc loco intelligendum esse putat *meminisse de* = „redend erwähnen." Ita enim hoc loco exhibetur: *meministi ipse de exsulibus, scis de immunitate quid dixeris.* Mihi quidem magis placet *de exsulibus* pendere a *quid dixeris.*

Magnam operam consumpserunt viri docti in explicandis verbis, quae exstant Phil. II, 87: *iamiam minime miror te otium perturbare; non modo urbem odisse sed etiam lucem, cum perditissimis latronibus non solum* **de die, sed etiam in diem vivere.** Halmius quidem eumque secutus Eberhardius interpretantur: „de die vivere" = „von dem, was der Tageserwerb bringt". Mira sane est haec significatio verborum, quare nescio an frustra quaesiverint vv. dd. locum aliquem ad comparandum. v. Draeg. § 286. 5: „de die, de nocte valent, schon bei Tage, schon bei Nacht." — Quod attinet ad alteram partem sententiae, concedendum est *in diem vivere* valere posse, in den Tag hineinleben ohne Sorgen für die Zukunft[1]), sicut V, 25 *in horam vivere*[2]). Sed nescio quid sibi velit haec oppositio (ut vernacule

---

[1]) Certe perperam descripta sunt in Ant. p. 360, „gut ist auch, in diem vivere von dem leben, was der tägliche Erwerb bringt." Nec in additamentis correctum est hoc erratum.

[2]) Ceterum nemo negaverit et *in horam vivere* et *in diem vivere,* quoquo modo res se habet, sermonis familiaris esse.

dicam): „nicht nur von dem leben, was der Tageserwerb bringt sondern sogar ohne Sorgen in den Tag hineinleben“ (non solum — sed etiam) quoniam utrumque valet paene unum et idem. — Scribe *bibere* pro *vivere*: omnis difficultas evanescet. Ita enim intelligendum est: nicht nur schon vom hellen Tage an zechtest du, sondern auch noch bis in den (folgenden) Tag hinein. cf. II, 104 *at quam multos dies in ea villa turpissime es perbacchatus! ab hora tertia bibebatur* etc.

II. 69 *quod cum mima fecit divortium*. v. Lor. ad Plaut. Pseud. v. 364: „Ueberhaupt wird cum in der Umgangssprache bei mehreren Verben gebraucht, um die Person zu bezeichnen die bei einer auf Gegenseitigkeit beruhenden Handlung beteiligt ist“.

§ 29. De coordinatione.

a) De asyndetis.

Verisimile est et exemplis aliarum linguarum comprobatur, multas locutiones duobus verbis sine copulatione sibi oppositis effectas, quae in sermone cotidiano pervulgatae sunt, ex prisco sermone manavisse. v. Köhl. p. 442; Draeg. § 359; Guer. p. 6. Nec minus in legibus, senatusconsultis, decretis occurrit hic usus, quo reiecta copula gravius et sollemnius singulae notiones evadunt.

Huc spectant Phil. II, 94 *a quo nec praesens nec absens rex Deiotarus quidquam* **aequi boni** *impetravit*. cf. top. 17. 66. Plaut. Curc. I, 1 65 *neque quidquam queo aequi bonique ab te impetrare*. Rosc. Com. 11 *aequius melius*. Draeg. II, p. 197.[1] — Phil. II, 70 *quibus rebus* **tantis talibus** *gestis*, quibus K.-E. recte annotavisse videntur: „das Asyndeton ist auffallend, vielleicht in Nachahmung altertümlich formelhafter Rede“. Aliter Pis. 7 legitur: *tale atque tantum*. — Phil. XIII, 19 **dextra sinistra** *gemente populo Romano*, quod asyndeton apud Ciceronem praeter h. l. legitur: acad. II, 40. 125; ad Att. 13. 52. 2. v. Köhl. p. 442, qui animadvertit apud unum Vitruvium, scriptorem parum

---

[1]) Miror, quod Draeg. l. l. exhibet verba: *aequi boni* **facit** pro *impetravit*, quo facto sensus plane pervertitur.

elegantem, sex locis hanc formulam exstare. — Phil. X, 19 *omnia ad eorum voluntatem nostra* **dicta facta** *referuntur.*

Interdum copula addita vestigia tantum vetusti asyndeti relicta sunt, cum scriptores meliores saepe id agerent, ut locutionem aliquam e sermone vulgari sumptam paullum aliquid mutarent et bono dicendi generi accomodarent: Phil. II, 78 *celeriter* **isti, redisti** II, 89 *itaque cum ceteri consules* **irent, redirent.** Sed XI, 28 **isse et redisse** *me putatote.* Sine dubio in hoc asyndeto vetusta formula quaedam, quae usu prisci sermonis in legibus vel decretis formata et exorta erat, latet. Apud Ciceronem non adeo saepe haec formula inveniri videtur. cf. ad Att. 10. 1. 3 *dum oratores eant, redeant.* Ov. fast. I, 126 *It, redit officio Juppiter ipse meo.*

Koehl. p. 442 iure fortasse censet originem verborum **semel et saepius** vel *non semel sed saepius* esse antiquum asyndeton *semel saepius,* quod uno loco ad nos propagatum est, in inscript. ap. Wilmanns. 784. Quoquo modo res se habet, propter ipsam allitterationem suspicari licet hanc locutionem in ore hominum usitatam et loco formulae, quam dicimus, usurpatam fuisse. In his de quibus agitur orationibus bis ea legitur: II, 52 *neque semel sed saepius* et XIV, 22 *semel et saepius.*

Proverbialem quandam dictionem deprehendimus ad fam. 12. 25. 3 *inde* **ventis remis** *in patriam properavi* cf. Tusc. II, 25 *res velis, ut ita dicam, remisque fugienda* Itaque cum legimus Phil. I, 9 *ut mihi nulli neque remi neque venti satisfacerent* iure censere possumus Ciceronis animum memoria illius pervagatae formulae *ventis remis* occupatum fuisse..

Denique hoc studium mutandi addita copula habitum ac speciem vetusti sermonis etiam in hoc observari potest apud Ciceronem, quod in decretis suis illum qui saepissime in legibus deprehenditur usum addendi sine copula formae temporis praesentis formam temporis perfecti de industria evitavisse videtur Cicero. Semel enim in Philippicis hunc usum inveni: V, 46 *libertatem populi Romani* **defendant, defenderint.** Sed alibi copula additur: III, 38 *exque republica fecisse* **et** *facere* ibid. *defensus sit* **et hoc tempore** *defendatur:* III, 39 *libertatem defendat* **ac** *defenderit etc.*

b) De parataxi.

Pauca adiciam de ea parte grammaticae, quam parataxin vocant grammatici. Apparet quidem annexionem sententiarum minus strictam hominibus magis placuisse quam se stricte accommodare ad grammaticae praecepta. v. Lor. ad Plaut. Most v. 1065 et Rebl. p. 25: „bei opinor, credo, scio überwiegt in der Comödie die Parataxe". cf. Guer. p. 62. Neque huc pertinent loci, quibus *credo, opinor,* alia sententiae inserta sunt sed ii, quibus antecedit tale verbum, velut Plaut. Merc. v. 207 *credo, non credet pater.* In Philippicis quidem orationibus unum locum inveni, qui plane huc spectat: XIII, 34 *credo enim. adferet aliquod scelerati hominis exemplum.*

Iam non omittam, quod hic illic in enuntiatis relativis pronomen relativum non attrahitur ad verbum, sed neglegenter in eo casu permanet, in quo posita est vox respondens in principali enuntiato. Reperitur hic usus: Phil. II, 40 *Et quidem vide, quam te amarit is,* **qui** *albus aterne fuerit* **ignoras.** Cobetus quidem in Mnem. VII, 122 contendit soloecam esse eam orationem et omnino requiri *quem albus* etc. Sed alibi quoque hic sententiae nexus minus artus invenitur cf. Cluent. 2 **altera** *autem, quae procul ab iudicio remota est,* **perspicio** ..., *quantum laboris sit habitura.* Et Phil. VII, 1 *quorum* **reditus** *quid sit adlaturus* **ignoro, exspectatio** *quidem quantum adferat languoris animis quis non* **videt?** Sine dubio hic usus neglegentiori dicendi generi tribuendus est.

§ 30. De subordinatione.

Contractam formam coniunctionis *nisi* **ni** a Cicerone in quibusdam formulis tantummodo usurpari docet Hllm. p. 159. Idem fusius disputat de duobus locis, qui ab hac consuetudine recedunt. In quibus Phil. XI, 26 (*ni Brutum colligassemus in Graecia*) quod attinet ad verba, quae antecedunt, ita corruptus est, ut meo quidem iudicio certa medela desperanda sit. Sed nihilominus necesse non est putare illam corruptelam usque ad hanc coniunctionem pertinere. Accedit quod in epistolis Cicero formam *ni* prorsus non reiecit.[1])

Errat Draeg., qui § 518, 2 dicit *ut si* eodem sensu ac *quasi* saepius quidem apud Ciceronem legi, sed nusquam in orationibus. Exstat enim bis in Philippicis. II, 4: *Ita enim est decretum,* **ut si** *legati ad Hannibalem mitterentur* et IX, 13: **Ut** *igitur* **si** *ipsum consulam quid velit* etc. Alibi in Ciceronis orationibus nusquam *ut si* hoc sensu legitur (t. Mgt.)

Inifinitivum temporis praesentis raro adhaerere verbis *memoria teneo* pro usitato infinitivo perfecti monuit Draeg II. § 438. In Philippicis quidem invenimus VIII, 31 verba: *Qu. Scaevolam augurem* **memoria teneo** *bello Marsico* — **facere** *omnibus conveniendi sui potestatem.* — Nec minus raro accipere accusativum cum infinitivo verbum *admiror* docet idem v. d. II. § 439. 3. cf. Phil. II, 42 *admiratus sum mentionem te heredidatum ausum esse facere.* Ex Ciceronis scriptis praeter h. l. Draeg. affert ad Att. 16. 7. 2.

Quod iam attinet ad enuntiata interrogativa obliqua, duae res videntur dignae quae commemorentur. Una, quod neglegentia quadam Phil. VIII, 7 particulae *utrum*, quae antecedit, non respondet *an* subsequens: *Utrum hoc bellum non est? Etiam tantum bellum, quantum nunquam fuit.* cf. Draeg. § 158. — Iam transeo ad alteram: Comicis scriptoribus (v. Lor. ad Plaut. Most. 666 et Pseud. 688) in usu erat particulae *utrum* in eadem enuntiati parte addere *ne* affixum vocabulo alicui cf. Most. 666 **utrum** *eae velint***ne** **an** *non velint.* In Philippicis quidem unum locum deprehendimus II, 30 quo unus cod. Bernensis exhibet *utrum illi, qui istam rem gesserunt, homicidae***ne** *sint an vindices libertatis,* quam scripturam Baiterus et Kayserus receperunt in contextum verborum. Sed reliqui codices, in quibus Vat., omittunt illud *ne*, quare eorum consensus mea quidem sententia sequendus est.

§. 31. De genere verborum.

Iam Hllm. p. 118 accurate exposuit exstare apud Ciceronem has duas formas: **assentio** et *assentior*, sed intercedere hanc

[1]) formam „ni" minus eleganti generi dicendi tribuendam esse Bart. II, 32 recte etiam ex eo conclusit, quod „ni" apud Horatium semel in carminibus (idque in quarto libro!), sed ter decies in satiris legitur.

usus differentiam, quod activa forma exceptis libris de inventione et epistolis non nisi duobus legeretur locis, de imp. Pomp. 48 et Phil. XI, 19 *si tibi non sit assensum*. Sed illo loco activa forma excusationem quandam habet, cum ὁμοιοτελεύτου causa electa sit. cf. Guttm. p. 16.

Verbi *meditor* participium perfecti interdum passiva vi usurpatur. (v. Georg. lexicon.) Sed hac significatione hoc verbum a Cicerone tum demum adhibitum esse videtur, cum in eundem locum sententiae amplificandae causa cogitur cum aliis verbis eiusdem notionis. sicut non semel vidimus Ciceronem in cumulata oratione ad rariora et verba et significationes descendere. Itaque *meditatum* passive usurpatur Phil. X, 6 *scriptum, meditatum, cogitatum (verbum) attulisti* et II, 85 *meditatum et cogitatum scelus*.

Verbum *puniri* passiva forma, sed activa significatione legitur Phil. VIII, 7: *ut clarissimorum hominum crudelissimam poeniretur*[1] *necem*. Haud ita saepe hoc usu venire ex eo concludi potest, quod Georgesius singulos enumerat locos.

Appendicula.

Cum his temporibus viri docti, imprimis Schmalzius, id agant, ut etiam singulorum virorum, qui ad Ciceronem epistolas dederunt, dicendi genus perquirant et depingant, non abs re mihi visum est, de M. Antonii, quae supersunt, scriptis talem quaestionem instituere. Quae vero ad nos propagata sunt, tam pauca sunt, ut certum iudicium de Antonii genere dicendi fieri non possit. Exstant enim praeter duas epistolas quae a Cicerone suis epistolis ad Atticum datis insertae sunt, ex edicto quodam Antonii nonnulla in tertia oratione Philippica, deinde epistolae cuiusdam aliquot verba Phil. V, 33 denique epistola illa Antonii

---

[1]) Ceterum v. antiquiorem formam ‚poenire'. quam optimi exhibent codices. cf. Gorgesii diss. p. 4.

ad Hirtium et Caesarem data, quae in Phil. XIII. inde a § 22 usque ad § 48 invenitur. Iam persequamur singula. In tertia quidem oratione §§ 19 et 22 Cicero exempla affert obscuritatis verborum Antonii et quasi indignans exclamat: *Nonne satius est mutum esse, quam quod nemo intelligat dicere*? Sed apparet Ciceronem sicut ubique in orationibus Phil., rem in maius extollere nec minus modum excedere in eo, quod eodem loco Antonium *hominem stupidum* appellet. Nam etiam Graece scivisse Antonium ex ep. ad Att. X, 8 manifestum fit. Accedit, quod Cicero odiosa interpretatione verborum sensum pervertere studet dissimulatque se non intelligere posse, quae ab Antonio neglegentius et magis secundum consuetudinem sermonis familiaris scripta esse videntur. Ac de *facere contumeliam* supra disputavi; de significatione, quam habet *dignus* hoc loco, fusius disseruit idque recte meo quidem iudicio Gronovianus scholiasta (v. Schützii lexicon s. v. dignus). Est enim absolute, ut ita dicam, positum et plane eodem sensu, quo nos vernacule dicimus „ein würdiger Mann". — Satis quidem mira sunt verba, quae sequuntur: *nec timor, quem denuntiat inimicus,* quae sic circumscripserim: nec timorem (nobis) movent ea verba, quae inimicus aliquis denuntiat vel minaciter dicit. Sane fatuum est, quod Cicero falsa conclusione facta addit verba: *quid ergo? ab amico timor denuntiari solet.* — Sed magis etiam elucet Antonii liberior dicendi consuetudo in ea epistola, quae exstat in Phil. XIII. Ac primum quidem aliquid offensionis habet et magis sermoni familiari tribuenda videtur locutio: *anni vertentis* ut nos dicimus „des laufenden Jahres". — De verbo *ingemiscendum est,* quod ipse Cicero non usurpatur, supra dixi. — Convitium *venefica* (§ 25) praeterea non nisi semel invenitur, Ter. Eun. v. 825. — Adde *scurra* (§ 23) — Verbum *dictitare* § 32 certe pro consuetudine illa plebis collocatum est loco simplicis *dicere.* — § 32 verbum *negligere,* cui adhaeret accusativus c. inf. valet idem ac *quiescere* („ruhig geschehen lassen") v. Draeg. II² p. 416. — Porro mire sunt dicta verba (§ 34): *vos eos adsentationibus et venenatis muneribus venistis depravatum.* Ut omittam illa *venenata munera,* quae magis poetarum generi dicendi tribuenda videntur, usus verbi *venire* certe e sermone vulgari sumptus est nosque commonefacit eius similis usus verborum *aller* et *venir,* qui in lingua Francogallica

pervagatus est. Nam, ne plane supervacaneum proferam, *venistis* hoc loco nihil aliud significat nisi *consilium cepistis*. — Sine dubio familiari dicendi consuetudini vindicandum est in eadem § *nil moror*, quam locutionem apud scriptores Romanos bonae illius aetatis nunquam occurrere dicit Draeg. § 441. Apud comicos quidem saepissime *nil moror* inveniri nemo nescit v. Lor. ad Plaut. Most. v. 732. Cicero ipse eandem notionem expressit verbis *non* (*nihil*) *laboro*. — In sequenti paragrapho adnotatu dignum est, quod Antonius verbum *credere* interiecto enuntiato relativo repetit verbo *putare* et quod per hyperbolen, quam vocamus, dicit *qui me praecipitem egerint* pro *valde vexare* vel *opprimere*, nec non quod Antonius vocem *facinus* in bonam partem adhibet (*ob rectissimum facinus*), sicut saepissime scriptores comici, cum apud Ciceronem *facinus* in universum significet *scelus*. Sed in Philippicis inveni duos locos, quibus Cicero de hac consuetudine deflectere primo aspectu videtur. Uno, Phil. II, 72 (*quorum facinus est commune, cur non sit eorum praeda communis*), nisi malueris hic eam excusationem valere, quod Cicero Antonium loquentem facit. Nec minus altero loco II, 109 (*statimque illa mirabilia facinora effecit*) excusatio quaedam praesto esse videtur, quoniam supra dixi hanc figuram etymologicam Plauto usitatam vestustate quasi firmam et dissolubilem factam esse. — Adiectivum *elegans* hoc loco (*utrum sit elegantius — Trebonii mortem persequi*) collocatum ipse Cicero vituperat nec minus, quod scribit Antonius: *Pompeianorum causa totiens iugulata*. Non dubito quin *causam iugulare* a sermone vulgari mutuatus sit Antonius. Nam etiam apud Plautum legimus Capt. v. 539. Men. 512. Pseud. 423 *occisa haec res est*. — Cum de *lanista Cicerone* supra dixerim, pergo hic commemorare insolitam sane locutionem *ornamentis decipere* et ex § 42 formam temporis perfecti *odivi* pro usitata *odi* positam, quae (t. Ge.) praeter n. l. legitur in Vulg. Psalm. 118. 104. — De superlativo *piissimus* Cicero ipse Antonium increpans dicit: *quod verbum omnino nullum in lingua Latina est, id propter tuam divinam pietatem novum inducis*. Quae forma omnibus viris doctis nota facta est ob eam rem, quod Catulli c. XXIX v. 23, loco plane corrupto, quo optimi codices exhibent *opulentissime*, Lachmannus et Hauptius in textum verborum inseri voluerunt illam ipsam

superlativi formam *piissimi.*[1]) — Denique dubito, num verba *rectis sensibus euntem* hac significatione a Cicerone usurpata fuerint.

Cum iam examinamus Antonii epistolas, quae ad Att. X, 8 et XIX, 13 exstant, equidem concedo non potuisse in tam paucis sententiis invenire tot Antonii sermonis proprietates, ut certis verbis dicere possim, quid discriminis intercedat inter Antonii et Ciceronis epistolas. — Et ex priore digna videntur, quae adnotentur, verba: *feminam lectissimam, profugias* pro simplici *fugias* collocatum, denique *dedita opera,* de qua locutione v. Hllm. p. 172. — Ex ea, quae inserta est Ciceronis epistolae ad Att. XIV, 13 enotavi quaesitam dictionem *vereor, ne absentia mea levior sit apud te* et formam adverbii in—*ter* exeuntis: *humaniter,* quae in Ciceronis ipsius epistolis haud raro nobis offertur. Porro § 3 *certum habeo* et pleonasmum *malle potius.*

---

[1]) Sed quoquo modo res se habet, Riesius in annot. ad h. l. certe, cum non nisi de coniectura quaestio sit, iusto longius procedit, quod dicit: „Catull führt also die Form der Umgangssprache hier in die Litteratur ein, aber noch 43 hatte sie das Bürgerrecht nicht gefunden".

THEODORUS VOIGT:

DE ATREI ET THYESTAE FABULA.

THEODORUS VOIGT:

DE ATREI ET THYESTAE FABULA.

Mythologiae Graecorum scientiam ad philologiam universam ummi momenti esse magis magisque inter philologos hodie ıgnoscitur, quorum plures in dies huic antiquitatis parti ıerscrutandae operam navant. Inter hos non defuerunt qui id sibi ıroponerent, ut unius alicuius fabulae testimoniis e scriptorum et ırtificum operibus quam plenissime collectis et dispositis, qualem lla formam antiquis, qualem recentioribus et recentissimis temıoribus haberet, demonstrarent, neque existimo operam eos et ıleum perdidisse: namque ita tantum firmum fundamentum ıubicitur iis, qui altiora petentes quae sit fabularum origo ןuaeque pristina et quasi nativa vis quaerere audent. Hac :ausa commotus, ut ipse quoque ad eiusmodi opusculum conıcribendum adirem, in Atrei et Thyestae fabulam incidi. Sophocles enim et Euripides, ut de aliis taceam, tragoediarum ırgumenta ex hac fabula sumpserunt de quibus viri docti alii aliter iudicarunt: qui cum nonnulla confidentius dixisse, nonnulla non satis accurate definisse mihi viderentur, denuo in hanc rem inquirere non supervacaneum fore existimabam. Testimonia autem scriptorum praecipue ordinem chronologicum secutus afferam: quae lex ubi neglegenda mihi visa est, causam suo loco indicavi. Neque tamen satis habui testimonia omnia deinceps enumerare, sed, quamquam ita saepius in devia deflectere necessarium fuit, in illorum fontem quoad fieri posset inquirere studui, quia ita tantum cuius sint pretii luculenter appareat. E monumentis quidem adminiculum mihi non accrevisse vehementer doleo: neque enim mihi contigit ut imaginem certo huc referendam invenirem.

§ 1.
HOMERUS.

Ordiendum nobis est a notissimo illo loco Iliadis (B 100 sqq.) quo Agamemnonis scipionis fata [1]) enarrantur.

> ἀνὰ δὲ κρείων Ἀγαμέμνων
> ἔστη σκῆπτρον ἔχων, τὸ μὲν Ἥφαιστος κάμε τεύχων.
> Ἥφαιστος μὲν δῶκε Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι,
> αὐτὰρ ἄρα Ζεὺς δῶκε διακτόρῳ Ἀργειφόντῃ.
> Ἑρμείας δὲ ἄναξ δῶκεν Πέλοπι πληξίππῳ,
> αὐτὰρ ὁ αὖτε Πέλοψ δῶκ' Ἀτρέϊ ποιμένι λαῶν.
> Ἀτρεὺς δὲ θνήσκων ἔλιπεν πολύαρνι Θυέστῃ,
> αὐτὰρ ὁ αὖτε Θυέστ' Ἀγαμέμνονι λεῖπε φορῆναι
> πολλῇσιν νήσοισι καὶ Ἄργεϊ παντὶ ἀνάσσειν.

De his versibus iam J. H. Vossius (Antis. II p. 435) rectum iudicium fecit, quod nunc, opinor, ab omnibus viris doctis probatur [2]). Regnum, quo Agamemnon πᾶν Ἄργος multasque insulas tenet, nulla intercedente vi a patribus ad filios, ut fieri solet [3]), legitime transiit. Sumenda igitur est primum hinc genealogia Pelopidarum Homerica [4]), ad quam constituendam quoque loci consulendi sunt, quibus Agamemnon et Menelaus Atrei filii esse perhibentur [5]). Inde patet, quod notissimum est, Pelopis filium esse Atreum, patrem Agamemnonis et Menelai. Thyesten affinitatis vinculo eoque satis arto cum Atreo coniunctum fuisse eo efficitur, quod in hoc legitimo ordine regia potestas ad eum pervenit, etsi quem locum in Pelopidarum genere ille tenuerit neque ex his neque ex aliis Iliadis

---

[1]) Naegelsbach, hom. Theol.[3] p. 5.

[2]) Welcker, griech. Tragoed. I p. 358. Robert, Phil. Unt V p. 187.

[3]) Naegelsbach, l. l. p. 251 sq.

[4]) Non aliter hoc loco Iulianus usus est, qui recte horum verborum vim significavit cum scriberet (or. II. περὶ βασιλείας vol. I p. 64 Hertl. 51 B Spanh.) τί γάρ φησιν ὁ ποιητὴς ἐπαινεῖν ἐθέλων τῆς τῶν Πελοπιδῶν οἰκίας τὴν ἀρχαιότητα καὶ τὸ μέγεθος τῆς ἡγεμονίας ἐνδείξασθαι; Ἀνὰ δὲ κρείων Ἀγαμέμνων etc. (sequuntur versus supra allati) αὕτη σοι τῆς Πελοπιδῶν οἰκίας ἡ γενεαλογία εἰς τρεῖς οὐδὲ ὅλας μείνασα γενεάς.

[5]) Agamemnon: *B* 23 = 60 *Δ* 131. Menelaus: *Γ* 37 *Δ* 98 115 *Z* 46 *P* 1 79 89 553 *δ* 462 543 cf. Ἀτρέος γόνος *λ* 436.

versibus discimus. Atqui posterioris aetatis scriptores res mythologicas tractantes perraro in rebus genealogicis consensu omnes narrant, Thyesten Atrei fratrem fuisse. Quare non temere facere nobis videmur, quod idem iam Homero vindicamus. Quae causa fuerit, cur fratri frater succederet non narratur. Quod affert scholiasta[6]), Thyesten fratre praematura morte abrepto pro liberis eius admodum parvolis regnasse, nihil esse nisi coniecturam grammatici eamque pessimam consentaneum est. Namque revera illa causa e propria fabulae vi repetenda est: equidem putaverim apud eos qui Pelopidarum genealogiam fabulamque de regno eorum Argivo in eam quam in Iliade invenimus formam redigerent Thyestae famam nescio qua de causa tantam fuisse ut et regni et regii generis participem eum redderent non solliciti cura posteriorum, qui per patruum a patre ad filium regnum transisse mirarentur. Sua ipsum causa huic genealogiae insertum esse Thyesten, qui filios in Iliade non habet[7]) neque omnino nisi fallor habere potest[8]), ut ad fratris filium imperium redire mirum non sit, hoc mihi persuasum est. Ita igitur hoc ipso Iliadis loco constare mihi videtur Thyestae personam hac genealogia antiquiorem neque eius causa inventam esse: aliter res se habet in Atreo, quem num seorsum a filio Agamemnone historia fabularis effinxerit, disceptari nondum potest. Sed haec hactenus. Satis habeo hoc loco breviter indicare quid forte de fabulae nostrae origine his versibus discere possimus.

---

[6]) Schol. *B* 102.

[7]) Aegisthus Thyestae filiorum sine dubio antiquissimus nullo Iliadis loco commemoratur. Hoc silentium summi mihi videtur esse momenti. Quid enim? Nonne mirum est omnibus paene Graeciae heroibus Atridas adiuvantibus unum de Pelopidis ipsum domi remanere? Non dubito quin Iliadis poetae, si nostrum Aegisthum novissent, huius rei causam allaturi fuerint.

[8]) Thyestae nomen eius naturam adumbrare iam dudum intellexit Welckerus (Aesch. Tril. p. 357 n. 619). Est igitur „sacrificans“. Rettulit hoc nuper ad filios a Thyeste et comesos et mactatos non sine probabilitate M. Mayerus, de Euripidis mythopoeia Berol. 1883 p. 31 sq. n. 41. Si igitur hoc verum est, de adultis Thyestae filiis ad bellum proficiscentibus vel regnum a patre accipientibus genuinam fabulam narrare non posse apparet.

Cum igitur illa scholiastae sententia reicienda sit, rectius de alia re veteres indicasse videmus. Aristarchum enim propter regum successionem nostro loco descriptam statuisse nihil esse Homero cum inimicitiis fratrum a posterioribus decantatis, hac adnotatione Aristonici (schol. A ad B 107) patet:

Θυέστ' Ἀγαμέμνονι· ἡ διπλῆ ὅτι [οὐ][9]) γινώσκει τὴν ἔχθραν Ἀτρέως καὶ Θυέστου. αὐτῷ γοῦν παραδίδωσι τὸ σκῆπτρον οὐ τοῖς υἱοῖς ὁ Ἀτρεύς.

αὐτὰρ ὁ αὖτε Θυέστ'· ὅτι συμφωνοῦντας αὐτοὺς συνίστησι. καὶ γὰρ ὁ Θυέστης οὐ τῷ υἱῷ αὐτοῦ Αἰγίσθῳ καταλείπει τὸ σκῆπτρον, ἀλλ' Ἀγαμέμνονι[10]).

Duae praeterea res dignae sunt quae commemorentur, quia in his quoque posteriorum fabulae formam a nostra discrepare videbimus. Primum enim Atreus et Thyestes regno paterno a patre tradito praesunt; deinde Pelops ipse, quippe qui a Iove dignitatem regiam acceperit, suo iure ut indigena regnum adeptus est, non aliunde immigrans sibi arrogavit. Non Asia barbarorum tellus eum tulit[11]), sed ipsa terra cui imperat. Pelopidis igitur Homericis barbarae originis nota non inhaeret, quam apud Graecos non bonam esse unusquisque concedat[12]). Eodem ducimur me iudice etiam alia via. Quamquam enim hoc sine dubio consilio nostri loci auctor ductus est, ut a Iove Pelopidarum dignitatis regiae originem repeteret, tamen non ab ipso Iove, sed a Mercurio Pelopi potestatis regiae signum tradi dicit. De Mercurio autem deorum nuntio cogitare nos vetat Iliadis locus. Praeterea forma *δῶκε* quater deinceps posita mea quidem sententia aperte indicatur dono dedisse scipionem Vulcanum Iovi, Iovem Mercurio non aliter atque

---

[9]) addidit Villoisonus.

[10]) Noviciorum grammaticorum additamenta exhibet schol. BL ad B 106. De eorum ratione cf. E. Schwartz, De scholiis Homericis ad historiam fabularem pertinentibus in Fleckeiseni ann. Suppl. XII p. 422. Discrimen quod statuit scholiasta inter *διδόναι* et *λείπειν* nimis artificiosum est, quam quod Homero tribui possit. Miror quod hanc sententiam amplexus est Klausenus in commentario ad Aesch. Agam.² ad v. 1051 p. 220.

[11]) haec sententia aliis quoque de causis commendari videtur cfr. Robert, l. l. p. 187 n. 35.

[12]) Robert, l. l. p. 188.

Mercurium Pelopi[13]). Ergo quid istuc? En habemus Mercurium heroum Peloponnesiacorum fautorem[14]), cui nihil est cum Pelope Asiatico. Quod autem duo illi dei ita ut videmus cum Pelopidarum dignitate coniuncti sunt, hoc is tantum recte mihi videtur explicare, qui genuinum et antiquum generis dignitatis auctorem Mercurium putet[15]), Iovem autem ea demum aetate additum esse, qua *διοτρεφέων βασιλήων* potestatem ab hoc vulgo repeterent.

Ab ipso poëta nihil praeterea de Atrei et Thyestae fatis memoriae tradi, si verum quaerimus, concedendum est. Sed exstat locus, qui si cum secundi libri versibus coniungatur ad heroes nostros referri potest et revera relatus est. Agamemnon enim in Epipolesi quae dicitur Diomedis ignaviam aegre ferens Tydei patris eum commonefacit (*Δ* 370 sqq.), cuius fortitudo ab omnibus qui eum pugnantem viderint — sibi ipsi enim hoc non contigisse[16]) — summis laudibus tollatur. Deinde pergit hisce (*Δ* 375 sqq.).

ἤτοι μὲν γὰρ ἄτερ πολέμου εἰσῆλθε Μυκήνας
ξεῖνος ἅμ' ἀντιθέῳ Πολυνείκεϊ λαὸν ἀγείρων,
οἵ ῥα τότ' ἐστρατόωνθ' ἱερὰ πρὸς τείχεα Θήβης

---

[13]) Inter veteres grammaticos fuisse qui idem sentirent docet schol. A ad B 102: *δίδωσι δὲ Ἥφαιστος τῷ μὲν Διὶ τὸ σκῆπτρον ὡς βασιλικόν, τῷ δὲ Ἑρμῇ πάλιν δίδωσιν [ὁ Ζεὺς] ὡς κηρυκικόν.* Contra iis, qui alteram sententiam amplexi sunt, initium scholii debetur.

[14]) Satis habeo hoc loco revocare lectorem ad Ionis et Persei fabulam et Myrtilum plurimorum auctoritate Mercurii filium. Deum illum imprimis Peloponnesiacum esse docent praeterea fabulae, quae de eius ortu feruntur. Assentiri igitur non possum Prellero cum dicat (ausgew. Aufs. 1861 p. 149) „Hermes deutet auf das hirtenartig weidende und hütende oder auch auf den Heerdenreichtum des Pelopidenhauses".

[15]) Welckerus quoque (ep. Cycl.[2] I p. 277) commemorat „die uralte Beziehung des Hermes zu dem Atridenhause".

[16]) ad verba *οὐ γὰρ ἔγωγε ἤντησ' οὐδὲ ἴδον* ex antecedentibus audiendum esse *πονεύμενον* apparet. Vidit Agamemnon Tydeum, sed non bellantem: *ἤτοι μὲν γὰρ ἄτερ πολέμου κτλ.* Simul autem haec de Tydeo et Polynice Mycenis morantibus narratio demonstrat, Agamemnonem tum Tydeum aspexisse. Quae nisi ad hoc illustrandum inserta est, plane supervacanea est hoc loco, ubi de Tydei virtute praedicanda agitur.

καί ῥα μάλα λίσσοντο δόμεν κλειτοὺς ἐπικούρους.
οἱ δ' ἔθελον δόμεναι καὶ ἐπῄνεον ὡς ἐκέλευον.
ἀλλὰ Ζεὺς ἔτρεψε παραίσια σήματα φαίνων.

Sequitur notissima illa de Tydeo Thebas misso narratio[17]. Scholio versui 375 apposito tunc ipsum Thyesten Mycenis regnasse comperimus. Sed posterior eius pars, quae huc pertinet, ex ipsis poëtae verbis hausta est neque ullam bonae doctrinae notam prae se fert. Pelopidas illis temporibus Mycenis imperasse scholiasta inde conclusit, quod Agamemnon Tydeum ibi vidit; ad Thyestae autem nomen substituendum haud scio an eo adductus sit, quod, cum, ut Diomedem Tydeo, ita Agamemnonem Thyestae secundum B succedere videret, Thyesten potius quam Atreum Tydeo aequalem esse putaret. Sed poëtae sententiam ita nos assecutos esse minime affirmaverim. Immo de certo quodam Pelopidarum eo tempore Mycenarum rege eum cogitasse nego, qui regem omnino non commemoret, sed cives tantum. Neque vero hoc rege ad consilium suum perficiendum poëta egebat; namque id potissimum egit, ut Agamemnonem cum Tydeo cuius virtutem laudat aliquo modo conecteret eo, quod Tydeum exercitum cogentem Mycenas quoque Agamemnonis in urbem venisse fingeret. Finxisse haec poëtam dico: namque ingenium suum, non historiam fabularem antiquam eum hic sequi persuasum mihi est. Primum dubium esse vix potest, quin a genuina fabularum Thebanarum forma haec narratiuncula aliena sit. Cum enim iis, apud quos illae primum exstiterunt, Adrastus Argorum rex esset, nihil sciebant iidem de Pelopidis ibi sedentibus, quare non erat, cur exponeretur, quo factum esset ut Mycenaeorum dux bello non interesset. Omnino haec non est ratio vetustae fabularis historiae, quae contrariam potius viam ingredi solet, ut numerum virorum fortium, qui sociatis viribus praeclaram rem moliti sint, aliis adiectis magis magisque augeat, quod multa docent exempla[18]). Mycenas illi non prius

---

[17]) versus 374 (a verbis *οὐ γὰρ ἔγωγε*) usque ad 399 (*τοῖος ἔην Τυδεὺς Αἰτώλιος*) amovet Koechly (Iliadis carmina XVI in usum scholarum edita) ad strophicam responsionem ut videtur restituendam: neque enim in viri illius docti operibus locum, ubi hanc athetesin probaret, inveni. Illam autem causam non sufficere iudico.

[18]) Venatio Calydonia, Argonautarum expeditio, ipsum bellum Troianum, ut alia omittam, luculentissima sunt huius moris exempla.

venerunt quam Diomedes Sthenelusque Epigoni Troiam. Tum demum, postquam Epigoni Agamemnonis aequales haberi coepti sunt, quaeri potuit quo factum esset, ut Pelopidarum gens praeclarissima, quamvis Mycenae Argis essent vicinae[19]), septem illos opibus suis non adiuvaret, cui quaestioni nostri loci argumentum respondet. Iam vero quantum haec narratio distet ab antiquarum fabularum ratione, videmus cum altera Agamemnoneae orationis parte eam comparantes. Quae cum vel in singulis rebus enarrandis accuratissima sit, in illa plane contrarium invenitur. Deest nomen regis Mycenarum vel potius omnino ipse rex, id quod non e more vetustae fabulae est ad democratiam non inclinantis ducisque magis quam militum rationem habentis: atque *παραίσια σήματα* multos praeter Mycenaeos et antea et postea terruerunt. Illa fabula viget, haec languet; illam finxit et exornavit vivida fabularis historia, quare nostra plane diversa ex eodem fonte derivari non potest. Soli poëtae debetur, qui certo, ut supra vidimus, consilio eam composuit non ita magno labore: Tydeum enim et Polynicem, qui primas huius belli partes semper agerent, exercitum iam ex antiquissima harum rerum narratione coëgisse verisimile est. Quid igitur? Duxit poëta eos Mycenas quoque, quas antea praeterierant; signa autem omnium temporum Graecis nunquam defuerunt, si quae optabant.

Non alienum videtur hic statim locum afferre poëtae multis saeculis inferioris quam Homeri aetatis, cuius fons haud scio an Iliadis versus fuerint. Statius enim in Thebaide ipse quoque Pelopidas ab hoc septem illorum bello se abstinuisse commemorat hisce (Theb. IV 305—8):

Hos belli cœtus iurataque pectora Marti
Milite vicinae nullo iuvere Mycenae.
Funereae tum namque dapes mediique recursus
Solis et hic alii miscebant proelia fratres.

Simillima haec Homericis esse apparet. Sane accomodatus est locus ad recentiorem fabulam, cum pro Iovis signis Pelopidarum

---

Quamquam concedo interesse aliquid inter nostram fabulam et illas, cum inde a principio impietatis macula his heroibus aspersa fuisse videatur. *Κεῖνοι δὲ σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλοντο* (Δ 409).

[19]) cf. Statius Theb. IV 306.

rixa domestica portentumque caeleste, quod illam secutum est, posita sint. Sed hoc minime mirum neque ideo alius fons quaerendus est. Utrum Statius ipse Homerum ita mutaverit an mutatum iam ab alio, fortasse ab Antimacho, acceperit, hoc quaerere non multum interest. Tragici Graeci hanc rem quantum video non attigerunt neque magis Thebaidem cyclicam eam curasse affirmaverim, si quidem illa meras fabulas Thebaicas praebuit. A poëta Homerico efficta neque ultro e fertili genuinae historiae fabularis solo enata haec fabula post illam aetatem novos ramos non egit: exilis est et incerta ut apud Homerum ita decem saeculis post.

Pauca igitur nobis Ilias obtulit, id quod eo magis mirum est, cum alioquin multa sit in „patrum"[20]) gloria celebranda. Cohaeret id sine dubio cum ratione, quae inter Agamemnonis personam et fabulas Troianas intercedit; sed huius quaestionis longius persequendae hic non est locus. Hoc autem verisimile mihi videtur eos qui Iliadis carmina componerent poëtas de Agamemnonis maioribus fabulas non novisse: namque plura earum vestigia exstare oportebat, quam exilem genealogiam et alterum illum locum, quo non facta, sed infecta tanguntur.

Odyssea quoque, ut ad eam nunc transeamus, semel Thyestae mentionem facit loco illo vexatissimo Telemachiae (δ 512 sqq.) quo Proteus, postquam Aiacis Locrensis interitum Menelao narravit, ad Agamemnonem transit hisce:

σὸς δέ που ἔκφυγε κῆρας ἀδελφεὸς ἠδ᾽ ὑπάλυξεν
ἐν νηυσὶ γλαφυρῇσι· σάωσε δὲ πότνια Ἥρη.
ἀλλ᾽ ὅτε δὴ τάχ᾽ ἔμελλε Μαλειάων ὄρος αἰπὺ
ἵξεσθαι, τότε δή μιν ἀναρπάξασα θύελλα
πόντον ἐπ᾽ ἰχθυόεντα φέρεν μεγάλα στενάχοντα,
ἀγροῦ ἐπ᾽ ἐσχατιήν, ὅθι δώματα ναῖε Θυέστης
τὸ πρίν, ἀτὰρ τότ᾽ ἔναιε Θυεστιάδης Αἴγισθος.
ἀλλ᾽ ὅτε δὴ καὶ κεῖθεν ἐφαίνετο νόστος ἀπήμων,
ἂψ δὲ θεοὶ οὖρον στρέψαν, καὶ οἴκαδ᾽ ἵκοντο,
ἤτοι ὁ μὲν χαίρων ἐπεβήσετο πατρίδος αἴης,
καὶ κύνει απτόμενος ἣν πατρίδα·

In his versibus complura offendere iam dudum observatum

20) vide von Sybel, Mythologie d. Ilias p. 228 sq.

et identidem expositum est, ut hoc loco ea repetere supersedeam[21]). Duas autem vias ad difficultates tollendas viri docti ingressi sunt, quorum partim interpolationem statuunt, partim genuinum versuum ordinem turbatum esse censent. Atque in illo numero primum locum tenet Duhnius propter rationem, qua interpolationis, quam statuit, originem probare studet[22]). Putat enim Doricae originis hanc de Agamemnonis reditu fabulam esse, qua hunc Spartam petentem circa Maleam promunturium vento correptum ad Aegisthi domum extra Maleam in litore Laconico ad Aegaeum mare verso sitam delatum ibique occisum esse narretur. Cui qui refragentur versus 519 sq. additos esse eo consilio, ut haec Dorica fabula cum vulgata illa de Agamemnone in ipsa Mycenarum regia trucidato consarciretur. Attamen huic sententiae, quamquam sagaciter sine dubio excogitata est, assentiri nequeo. Primum enim, ut a levissimis rebus incipiam, male posita mihi videtur in hoc verborum nexu formula *ἀναρπάξασα θύελλα πόντον ἐπ' ἰχθυόεντα φέρεν*: namque aliis locis de homine dicitur a propinquo litore in vastum mare rursus abrepto, hic autem de Agamemnone ad propinquam oram delato usurpatur: namque eum, cum prope Maleam sit, usque ad Thyestae domicilium parvum tantum spatium percurrere apparet. Deinde cum similes loci, veluti κ 48 sq. *τοὺς δ' αἶψ' ἁρπάξασα φέρεν πόντονδε θύελλα κλαίοντας*, suadeant, ut *στενάχοντα* cum *μὲν* coniungatur, tamen id hoc loco fieri non potest propter verbum *χαίρων* v. 521: neque enim Agamemnonem cum gavisus prope Aegisthi sedes in terram exeat, dum procella eo defertur, gemere oportet.

Deinde Duhnium errasse puto eo quod in ipsa fabula investigasse sibi videtur, quae singularem eius originem prodant. Dicit enim primum in Agamemnonis mortis narratione, quae

---

[21]) cf. Nitzsch. Anm. z. Od. I p. 279. F. de Duhn, de Menelai itinere Aegyptio, diss. inaug. Bonnae 1874 p. 23 sqq.

[22]) Ceteros in adnotatione enumerare satis habeo, quod interpolationis causas aut nullas aut non probabiles attulerunt. Delet autem Nitzschius l. l. vv. 514—16; Düntzer „Kirchhoff, Koechly u. d. Od." p. 37 vv. 517 sq. 520; Hennings, de Telemachia in Fleck. ann. vol. suppl. III p. 189 totum locum. Vel haec sententiarum varietas ostendere mihi videtur hac via nostro loco medelam afferri non posse.

nostrum locum sequitur, Clytaemnestram non commemorari et Agamemnonem aliter atque aliis locis ab Aegistho trucidari. Sed iam observatum est a viris doctis[23]), ea quae passim in Telemachia de Agamemnonis nece narrantur, optime inter se convenire et ad unam plenam narrationem coniungenda esse, ut quae Duhnius de his rebus iudicavit ultro corruant. Tum rectius sine dubio vir doctus in Maleae promunturii commemoratione haesit: sed ne hac quidem Agamemnonem Spartam petentem postulari mihi persuasum est. Namque reputes quaeso, cuius momenti omnibus qui antiquissimis temporibus ab Asia in Graeciam navigabant, Malea promunturium fuerit[24]); reputes deinde in fabulis, quae *Νόστων* nomine comprehenduntur, idem saepe commemorari, prope quod et Ulixes et Menelaus procellis perniciosis obruantur; reputes denique Telemachiae auctorem chorographiae Peloponnesiacae ignarum[25]): concedes hanc rem in Telemachiae loco tolerari posse. Fortasse ne hoc quidem in Agamemnonis itinere indicando neglegendum est, eum quoque tempestate illa Graecis circa Andrum Tenum Myconum navigantibus immissa correptum esse: quare quid mirum est rectum cursum eum non tenere longiusque deferri? Sed restat causa, unde nisi fallor profectus Duhnius in suam coniecturam incidit: dicit enim, post v. 512 sq., quibus Agamemnonem per Iunonem e maritimi itineris periculis servatum esse narretur, statim exspectari contrarium; itaque inde a verbis ἀλλ' ὅτε δή narrandum esse, „cur Agamemnon mortem n o n effugerit". Sed sequi iteratum eius discrimen plane inutile. Haec recte disputata esse concedo neque nego hoc vitium obelis Duhnii levari, cum et traditi versus et omnes eorum emendationes, quas viri docti praeter Duhnium proposuerunt, eo laborent. Sed nihilominus de his unam amplector: puto enim genuinum versuum ordinem esse 516, 519, 520, 517, 518[26]), difficultatem autem illam tolerandam esse, quippe

---

[23]) cf. Wilamowitz. Phil. Unt. VII p. 154. Robert. l. l. 162 sq.

[24]) cf. Curtius Pelop. II p. 300.

[25]) Hanc rem iam pridem intellectam nuper tetigit Wilamowitz. Phil. Unt. VII p. 26 sq.

[26]) Primus Bothius hunc ordinem restituit; receperunt eum Bekkerus, Kirchhoffius, Nauckius; assentitur Büchnerum secutus Nitzschius, Sagenpoësie p. 114 n.* et Beiträge p. 287.

quae ab ipso poëta fontem male imitato allata sit. Quamquam enim in eo qui hodie est verborum nexus versus 512 sq. ad Agamemnonem a procella tantum in Graecos revertentes irrumpente servatum pertinere non possunt, cum Proteus illius tempestatis mentionem omnino non faciat[27]), tamen concedendum est, in versibus 512—520 optime procedere orationem, si versus illi ita intellegantur. Hoc casu factum esse negaverim: immo hoc genuinae huius narrationis formae vestigium esse arbitror. Etenim ut breviter dicam quid sentiam huius loci auctorem carmen epicum, quo *νόστοι* celebrarentur, secutum esse puto. Ibi quoque de Aiacis et Agamemnonis morte fabulas coniunctas fuisse verisimillimum est. Quare nihil impedit quominus statuamus illius carminis narrationem processisse ita, ut vehementis illius tempestatis a Minerva irata navibus immissae mentionem primum Aiacis interitus sequeretur, deinde ad Agamemnonem iisdem fere quae hodie vv. 512 sq. leguntur transitus fieret, denique haec eius errorum qui hodie vv. 514—16 et 519 sq. adumbrantur mortisque narratio excipiebat. Haec auctor huius loci in usum suum convertit, sed nimis accurate fontem suum secutus est. Hoc demonstratur iis quae de Aiacis morte narrantur[28]); etenim auctor, cum mortem tantum Aiacis Agamemnonisque narrare velit, periculo ne verbo quidem tacto[29]) statim a salute Aiaci per Neptunum allata incipit. Ita autem eum tantum narrare posse mihi persuasum est, qui perfectam narrationem in suum usum convertat neque diligenter curet ut illius frustula novo loco adaptet. Atque eadem ratione, qua haec narratio nimis mutilata exstitit, versuum 514 sqq. difficultas orta est: fontem suum diligentius secutus huius loci auctor Agamemnonis errores, quos nescio qua de causa commemoratione dignos

---

[27]) Huc accedit, quod vv. 512 sq. oppositi sunt versui 499. His capita ut ita dicam totius narrationis indicantur, cuius argumentum vv. 496 sq. significatum est.

[28]) vv. 500—510. A versu 500 narrationem incipere docet asyndeton: *Γυρῇσίν μὲν πρῶτα κτλ.* v. 499 quasi titulus huic narrationis parti praefixus est. cf. n. 27.

[29]) Tempestas Aiacisque naufragium omitti potuerunt sine dubio propterea quia plerisque haec nota erant; eaedem res alio Telemachiae loco (*γ* 146) satis tecte significantur.

duxit, cum in fonte quoque post Iunonis auxilium et ante Agamemnonis reditum collocatos inveniret, ipse quoque eodem ordine servato adumbravit neque animadvertit in suo carmine nexum sententiarum iis turbari, quia quae ipse de Agamemnone v. 512 sq. dixit, ad totum eius iter maritimum referri oportet, in fonte autem ad primam tantum eius partem, ad procellam a Minerva Graecis immissam, pertinebat[30]. Haec si tenemus, horum versuum argumentum vituperationis ansam non praebet: Agamemnon a Iunone e communi illo naufragio servatus est. Cum iam in eo esset ut ille circa Maleam ad oram Peloponnesiacam appropinquaret, rursus in mare delatus est. Sed inde quoque feliciter reversus navem appulit *ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιήν* ubi Aegisthus sedebat. Nam ea, quibus praeterea Duhnius hunc versuum ordinem impugnat, nullius momenti sunt. Repetito *ἀλλ' ὅτε δή* nihil tribuit; sed miror eum haerere in verbis *οἴκαδ' ἵκοντο ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιήν* ea de causa quia domus Agamemnonis Mycenis, non *ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιῇ* sit. Nam quid tandem *οἴκαδε* ita interpretari nos vetat, ut Latinorum „domum" nostrumque „nach Hause" quae non semel ita usurpantur ut non tam de ipsa domo quam de patria in universum cogitandum sit? Quo facto optime incertum *οἴκαδε* certo illo *ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιήν* accuratius definiri patet. Quae cum ita sint Doricae originis memoriam in his versibus quasi resonare nego neque eam a ceteris Telemachiae fabulis de Graecorum ducum reditu agentibus seiungendam esse existimo.

Discimus igitur hoc loco Aegisthum Thyestae filium fuisse et utrumque non Mycenis, sed in aliqua orae maritimae regione habitasse[31]. Hac re ad Agamemnonis Aegisthique inimicitias explicandas Wilamowitzius utitur cum dicat (Phil. Unt. VII p. 157): der Gegensatz seiner (des Thyestes-Sohnes Aegisthus, der *μυχῷ Ἄργεος ἱπποβότοιο* am Meere seinen Sitz hat) Herrschaft zu der der Atriden ist ja doch der der dryopischen

[30]) Ex hac loci origine fortasse etiam causa repetenda est, cur sermonem in his versibus non ita eleganter procedere videmus: respicio ad iteratum *ἀλλ' ὅτε δή* et pluralem *ἵκοντο*.

[31]) Quae schol. H P ex Androne affert *Ἄνδρων τὴν Θυέστου οἴκησιν περὶ Κύθηρα ὑφίσταται*, ex hoc loco ab illo scriptore sumpta esse recte iudicavit Duhnius.

Küste gegen die dorischen Hauptstädte des Binnenlandes[32]). Idem autem in Thyesten et Atreum cadere apparet, ut etiam de eorum inimicitiis fabulae originem ex hac re repetendam esse conici possit. Haberemus igitur duas eiusdem originis fabulas, quas apud eosdem eadem aetate ortas esse per se verisimile non est. Accedit quod huius loci auctor iam totam de Aegistho et Agamemnone fabulam cognovit, de Atrei autem et Thyestae inimicitiis e sola Thyestae commemoratione coniectura fieri nequit. Inde fortasse colligi potest, antiquiorem esse illam fabulam et ad eius demum exemplum hanc de Thyeste et Atreo patribus effictam esse. Minime autem hoc pro certo venditare volo: nam accurata tantum duarum fabularum comparatione demonstrari potest, quaenam inter eas ratio intercedat.

---

§ 2.

HESIODUS.

In carminibus genealogicis quae sub Hesiodi nomine feruntur Pelopidarum generis mentionem factam esse et per se verisimillimum est et docent fragmenta nobis servata[1]); quo ex numero unum ad nostrum propositum pertinet (116 K. 121 Rz.), quod Tzetzae (Exeg. Iliad. ad Δ 7, p. 787 B. p. 68 sq. H.) auctoritatem secuti editores fragmentorum, in his, qui novissime ea collegerunt Kinkelius et Rzachius, afferre solent. Sed priusquam ex hoc fonte hauriamus non supervacaneum videtur inquirere, unde ille sua duxerit. Nam si recta sunt, quae de huius Tzetzae loci origine investigasse mihi videor, vereor ne sic statuendum sit: amplissimum esse illud testimonium, certissimum minime. Verba sunt haec:

Ἀτρείδης· Ἀγαμέμνων, ὁμοίως δὲ καὶ Μενέλαος, καθ' Ἡσίοδον καὶ Αἰσχύλον Πλεισθένους υἱοῦ Ἀτρέως παῖδες

---

[32]) Commendatur haec ratio eo quod etiam alias de Argivorum regum (Proeti et Acrisii) inimicitiis fabulas regionum quas habitare illi ferebantur proprietate ortas esse verisimile est.

[1]) 108. 111. 112 M. = 112. 115. 116 K. = 117. 120. 121 Rz. cf. Robert l. l. p. 189 sq.

νομίζονται· κατὰ δὲ τὸν ποιητὴν καὶ πάντας ἁπλῶς Ἀτρέως αὐτοί. [Τμα'λου γὰρ καὶ Πλουτοῦς υἱὸς ὁ Τάνταλος. Ταντάλου δὲ καὶ Εὐρυανάσσης Πέλοψ Βροντέας Νιόβη. Πέλοπος δὲ καὶ Ἱπποδαμείας Ἀτρεὺς Θυέστης Δίας Κυνόσουρος Κόρινθος Ἵππαλκμος Ἵππασος Κλεωνὸς Ἄργειος Ἀλκάθους Ἔλιος Πιτθεὺς Τροίζην Νικίππη Λυσιδίκη. καὶ ἔκ τινος Ἀξιόχης νόθος Χρύσιππος.] Ἀτρέως δὲ καὶ Ἀερόπης κατὰ μὲν τὸν ποιητὴν καὶ πάντας ἁπλῶς Ἀγαμέμνων Μενέλαος καὶ Ἀναξιβία. ἡ μήτηρ Πυλάδου. κατὰ δὲ Ἡσίοδον καὶ Αἰσχύλον καὶ ἄλλους τινὰς Ἀτρέως καὶ Ἀερόπης Πλεισθένης, Πλεισθένους δὲ καὶ Κλεόλλας τῆς Δίαντος Ἀγαμέμνων Μενέλαος καὶ Ἀναξιβία· νέου δὲ τοῦ Πλεισθένους τελευτήσαντος ὑπὸ τοῦ πάππου αὐτῶν ἀνατραφέντες Ἀτρέως Ἀτρεῖδαι πολλοῖς ἐνομίζοντο.

Facile apparet tres huius loci partes discerni posse, quarum mediam uncis a me inclusam, ut qua Hesiodus non commemoretur, fragmentorum editores omittunt. Atque prima parte duae de Agamemnonis et Menelai patre narrationes inter se discrepantes afferuntur, una Homeri et omnium paene praeter eum scriptorum qui Atreum ipsum, altera Hesiodi et Aeschyli qui Plisthenem Atrei filium nominant. Postrema denique parte Tzetzes de eadem re iterum sed copiosius exponit. Atque Agamemnoni et Menelao sororem Anaxibiam, Atreo et Plistheni uxores Aëropen et Cleollam, Hesiodo et Aeschylo „aliorum quorundam" testimonium addit. Extremis autem verbis cur Plisthenis liberi ab Atreo proavo Atridarum nomen duxerint explicatur. Videsne quae prima pars habet eadem tertia quoque contineri? Statim igitur existit quaestio, quamnam inter has partes rationem interesse putemus. Namque aut brevior illa ex hac pleniore excerpta neque ullius iuxta eam pretii est aut ex suo utraque fonte fluxit. Sed de nostro loco unum tantum iudicium ferri posse, hoc me demonstraturum esse spero. Etenim primum quidem intellegere non possum, quid tandem spectans — namque casu hoc non accidisse mihi concedas — Tzetzes unum fontem, cui accuratam genealogiae scientiam deberet, eodem loco primum excerpserit, deinde paucis tantum interpositis accurate descripserit. Itaque per se verisimilius mihi videtur esse, miram hanc repetitionem inde ortam esse, quod complurium

fontium doctrinam, ut facere solet, quasi filo annecteret.[2]) Sane apud scriptorem meliorem quam ille est talia omnino non inveneris. Sed Tzetzes paene nusquam ex sese aptus id potissimum agit, ut e frustulis hinc et illinc correptis scripta sua conglutinet. Quare etiamsi ad hanc quaestionem disceptandam adminiculum aliunde non accresceret, Tzetzen complurium fontium vestigia hic legisse non sine probabilitate me iudice affirmares. Sed omnis dubitatio eximitur eo, quod hos fontes facile etiam invenire et patefacere possumus. Hoc unum quaeso ne obliviscaris cum Tzetze nobis rem esse, qui qua et levitate et licentia saepissime fontibus suis utatur multa docent exempla, quorum nonnulla in appendice collegi. Primum igitur Tzetzes inspexit scholion versui Homeri, quem interpretatur, adiectum, schol. A 7 AD: *Ἀτρείδης τε ἄναξ· Ἀγαμέμνων κατὰ μὲν Ὅμηρον Ἀτρέως τοῦ Πέλοπος, μητρὸς δὲ Ἀερόπης, κατὰ δὲ Ἡσίοδον Πλεισθένους τὸ γένος Μυκηναῖος κτλ.* Eodem igitur modo Homerus et Hesiodus inter se opponuntur, quae similitudo tanta est, vix ut fortuita esse possit; quae autem apud Tzetzen a scholio differunt, haec ita comparata sunt, ut facile ea ipsi tribui possint. Namque sua alienis saepenumero eum immiscere, quicunque eius volumina paululum perlustravit, haud ignorat. Mero primum casu factum esse potest[3]) et vix memorabile est, quod Aëropes et Pelopis nomina apud Tzetzen desunt. Neque vero contra magis offendere nos debent Aeschyli commemoratio et illi *πάντες ἁπλῶς*: nam illam Aeschyli Agamemnone nisus Tzetzes adiecit non aliter atque in schol. ad prooem. All. H. v. 510. (Matr. an. Gr. II p. 605, Cramer anecd. Gr. Ox. III p. 378.) *Ὅμηρος καὶ οἱ*

---

[2]) Non inepte, puto, cum nostro loco scholia illa comparari possunt, quibus variae de iisdem rebus adnotationes vocula *ἄλλως* significatae continentur. Ibi quoque bis idem dici saepius invenies.

[3]) Fortasse certo consilio Tzetzes ductus est atque eodem quo Eustathius cum adnotet (p. 19 = 21): *Ἀτρείδην δὲ τὸν Ἀγαμέμνονα οὐ πάντες ἱστοροῦσιν. Ἡσίοδος γὰρ καὶ ἕτεροι Πλεισθένους αὐτὸν γενεαλογοῦσιν.* Aëropen et Pelopem omisit, quippe qui ad patronymicum *Ἀτρείδην* nihil valerent. An forte ex hac Tzetzae et Eustathii consensu colligendum sit, eos in codicibus suis illa nomina omnino non legisse? Ceterum „*ἑτέρους*“ Eustathius de suo videtur addidisse.

πλείους Ἀτρέως φασὶ τούτους. Ἡσίοδος δὲ Πλεισθένους, καὶ Αἰσχύλος λέγων

ἀρᾷ τ' ὀλέσθαι πᾶν τὸ Πλεισθένους γένος

ubi quae ex fonte (schol. A 7) sumpserit, quaeque ipse addiderit facile discerni potest. Homerica autem genealogia inde a quinti a. Chr. saeculi exitu apud plerosque scriptores reperitur, ut ne Tzetzen quidem id fugere potuerit, et sine dubio apud Byzantinos non aliter atque nostra aetate haec fabulae forma longe notissima erat. Eo minus mirum est, quod Tzetzes, ut πολυμαθίαν suo more ostentaret, non unum Homerum illius genealogiae testem attulit.[4]) Quin etiam una scholii et Tzetzae discrepantia haud scio an nostra sententia corroberetur; scholiasta enim de solo Agamemnone loquitur, hic de utroque fratre: at ipsa verba ὁ Ἀγαμέμνων, ὁμοίως δὲ καὶ Μενέλαος nonne demonstrant, Tzetzen locum ante oculos habuisse, ubi de solo Agamemnone sermo esset. Menelaum autem abundantia quadam verborum quasi quispiam de veritate dubitaret ipsum addidisse? Quae cum ita sint pro certo haberi potest Tzetzen in prima nostri loci parte scholion Homericum secutum esse.[5]) Iam veniamus ad reliqua. Ac primum quidem alteram partem transtulit e schol. Eur. Or. 5, quocum illa ad verbum congruit. Hoc igitur tenendum est in manu habuisse Tzetzen scholion Euripideum, cum hunc Exegesis locum conscriberet. Pelopidarum catalogum excipiunt in scholio nonnulla de Pelopidis Macesti habitantibus, quae Tzetzes in Chiliadibus (I v. 415—424) compilavit.[6]) Deinde sequuntur haec: Ἀτρεὺς μὲν Κλεόλαν τὴν Δίαντος ἀγαγόμενος ἔσχε Πλεισθένη τὸ σῶμα ἀσθενῆ, ὃς Ἐριφύλην γήμας ἔσχεν Ἀγαμέμνονα καὶ Μενέλαον καὶ Ἀναξιβίαν.[7]) Cum his compara

---

[4]) Ὅμηρος καὶ οἱ πλείους schol. ad All. H. l. l.

[5]) item iudicare video Welckerum gr. Tr. II p. 679.

[6]) cf. infra § 5 1 n. 9.

[7]) Pergit scholiasta hisce: νέος δὲ τελευτῶν ὁ Πλεισθένης καταλείπει τῷ πατρὶ τοὺς παῖδας. His respondent Tzetzae verba ultima νέου δὲ τοῦ Πλεισθένους κτλ. Minime autem inde Tzetzen sua sumpsisse affirmaverim. Eadem fere praebet schol. AD in B 249: ἀλλ' ἐπειδὴ Πλεισθένης νέος τελευτᾷ μηδὲν καταλείψας μνήμης ἄξιον, νέοι ἀνατραφέντες ὑπὸ Ἀτρέως αὐτοῦ παῖδες ἐκλήθησαν. Conferendus est Servius ad Verg. Aen. I 458: „Atridas Atrei filios, Aga-

ultimam loci Tzetzae partem: omnia nomina ibi allata, quae in prima particula deesse vidimus, praeter unum Aëropes in scholio exstant. Nonne verisimile est compilatorem non solum antecedentem Pelopidarum catalogum, sed etiam hanc scholii Euripidei partem inspexisse et adhibuisse, adhibuisse sane suo more leviter et inepte, ut in errorem incideret et scholiastae doctrinam additamentis suis foede perturbaret?

Accedit quod quomodo hic error ortus sit satis dilucide perspici etiam potest. Duas genealogiae formas Tzetzes miscet: eam quae scholio Euripideo traditur, alteram, quae Atreo Aëropen uxorem dat. Haec sine dubio Tzetzae non aliter atque nobis usitatior fuit: legit eam, ut exempla afferam, in tragoediis Euripideis et apud omnes qui tragicos secuti fabulam de agno Atrei aureo tractabant, legit in scholio vet. ad Lyc. 149, a quo ipse in commentario suo non dissentit.[8]) Atque Aëropen suam hoc quoque loco tenet, sive hoc casu fecit, ut cum Atreo eam consuetudine seductus coniungeret, sive consilio, quod hanc coniunctionem meliorem putaret; e scholio autem Euripideo Plisthenis tantum uxorem aliunde fortasse non cognitam sumpsit,

---

memnonem et Menelaum; sed usurpatum est, nam Plisthenis filii fuerunt". Neque omnino reconditam hanc fuisse doctrinam Byzantinorum aetate docent Dictys I 1: „sed hi (Agamemnon et Menelaus) non Plisthenis, ut erat, magis quam Atrei dicebantur ob eam causam quod, cum Plisthenes admodum parvis ipse agens in primis annis vita functus nihil dignum ad memoriam nominis reliquisset, Atreus miseratione aetatis secum eos habuerat" etc. et Cedrenus (I p. 217 ed. Bonn.), ubi de Menelao haec leguntur: *ὃς υἱὸς μὲν Πλεισθένους ἦν ἀληθῶς, ὑπὸ δὲ Ἀτρεῖ βασιλεῖ τῶν Ἀργείων ἅμα τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἀγαμέμνονι ἀνατραφεὶς Ἀτρείδης ἐλέγετο καὶ σύγγονος Ἀγαμέμνονος.* Quare fortasse omnino unde haec habuerit Tzetzes quaerere supervacaneum est.

[8]) *Ἀτρεύς, οὗ Μενέλαος καὶ Ἀγαμέμνων ἐξ Ἀερόπης μητρος Κρήσσης.* Hunc autem locum commemoro propterea, quia Tzetzes in Exegesi conscribenda plus semel scholia Lycophronea compilavit: adhibuit ea, ut alia omittam in narratione de Tenne et Hemithea (ad v. 38 p. 804 sq. B., cf. schol. Lyc. 232) et in adnotatione ad vers. 2 adiecta (p. 783 sq. B.), ubi fragmentum Hesiodeum cuius auctoritate nisus Xuthum Aeoli fratrem non filium esse contendit, e schol. Lyc. v. 284 (cf. sch. vet. 281) sumpsit. Ceterum paullo ante fortasse Aëropes nomen in schol. Homerico legerat; sed cf. supra p. 19. n. 3.

qua in re mero errore mea sententia in Cleollam incidit[9]) Denique ne fides verbis abesset, aut doctrinae species, quam mirum quantum hic amat, totum hoc stemma primae huius loci partis exemplum imitatus scriptorum qui ibi laudati sunt auctoritate[10]) exornavit: namque hoc Tzetzae in mentem nusquam videtur venisse, scriptori, qui v. c. Plisthenem nominet, uxorem liberosve eius undecunque sumptos minime sine dubitatione attribuendos esse. Haec si revera huius loci origo est, ex Hesiodi fragmentorum collectionibus eum expungendum esse satis superque apparet. Sed etiam alia via huius tertiae partis fides in suspicionem saltem vocari potest. Namque earum rerum ibi prolatarum quas, ut sunt litterarum Graecarum reliquiae, examinare hodie possumus, plurimae falsae sunt. Nihil est apud Homerum de Aërope, nihil de Anaxibia, neque multo melius apud Aeschylum res se habet. Mitto Aëropen, cuius nomen in Orestia occasione saepissime data non invenitur: namque propter unum locum (Ag. 1146 sq. K.) videtur concedendum esse illam Aeschylo non ignotam fuisse.[11]) Sed Cleollae et Anaxibiae[12]) ne levissimum quidem vestigium deprehendi potest. Quo igitur iure iis, quae tentare non iam possumus, fidem tribuere non dubitamus? Quae cum ita sint omnis nostra Hesiodeae fabulae scientia in uno scholio Homerico posita est[13]),

---

[9]) Anaxibiam quoque scholium secutus addidit. Pyladis eam matrem esse vilissima ipsius doctrina est aliunde arrepta.

[10]) Pluralis ἄλλοι τινὲς qui Hesiodi et Aeschyli nominibus additur, ad solum scholium Euripideum pertinet. Sed non Tzetzae proprius hic usus est, quippe cuius exempla in scholiis quoque, nisi fallor, veluti Euripideis, inveniantur.

[11]) de hac re cf. infra § 6.

[12]) Strophius in Agamemnone (v. 848 K.) εὐμενὴς δορύξενος appellatur, unde Atrei sororem eum in matrimonio non habuisse recte colligitur. Pugnat igitur id, quod Tzetzes hoc loco Aeschylo tribuit, cum eo, quod revera ille tradidit.

[13]) In suspicionem hoc vocavit Welckerus (gr. Tr. II p. 678 sq.) Aeschyli praecipue auctoritate commotus, quem in Agamemnone Plisthenem Atrei patrem inducere existimat; quare verisimile esse dicit errasse scholiastam, qui Plisthenem Atrei filium fuisse traderet. De Aeschylo num recte vir ille doctissimus iudicaverit, infra examinandum erit. Sed utut haec res se habet, Aeschyli auctoritate nostri testimonii fidem minuere non licet, praesertim cum multa ad Stesichori

cui Tzetzes et Eustathius sua debent: nam praeter horum testimonia exstat nullum.[14]) Inde hoc unum constare mihi videtur,

---

exemplum Aeschylum in Orestia conformasse constet. Ut autem Welckeri quidem sententia Aeschylus cum scholiasta pugnat, ita aliud testimonium non contemnendum ab hoc stat, genealogia scholio ad Eur. Or. 5 servata, in quam item Plisthenem Atrei filium per errorem irrepsisse vix sibi quemquam persuasurum esse arbitror. Quod autem dicit Welckerus non fuisse causam cur poëta genealogicus illum Plisthenem genealogiae insereret, eiusmodi causa ad certi testimonii fidem improbandam utendum mihi non videtur: contraria potius via procedendum est, ut cum memoria illa in firmo fundamento posita sit eius causam quoad fieri possit illustrare studeamus. cf. p. 25 sq.

[14]) Se ipsum secutus haec iterum protulit in prooem. ad Allg. Hom. 506 sqq. (Matranga anecd. Graeca I p. 17):

Δύο μὲν ἦσαν βασιλεῖς Ἑλλήνων οἱ κρατοῦντες
ὁ Ἀγαμέμνων ὁ κλεινὸς μετὰ τοῦ Μενελάου,
υἱοὶ κατὰ τοὺς πλείονας Ἀτρέως Ἀερόπης,
Πλεισθένους καθ' ἑτέρους δὲ παῖδες καὶ τῆς Κλεόλας.

Scholium his versibus adscriptum ipsum quoque e schol. A 7 fluxisse supra dictum est p. 19 sq. Allegorias Homericas post Exegesin conscriptas esse demonstraverunt G. Hart „de Tzetzarum nomine vitis scriptis" in Fleckeiseni ann. phil. vol. suppl. XII 1881 p. 11 sq. et Giske „de Joh. Tzetz. scriptis ac vita" diss. inaug. Rostochii 1881 p. 48 sq. — schol. Porphyrianum ad B 249 AD a nostra quaestione segregandum est, quamquam similutudo quaedam inter hoc et schol. A 7 intercedit. Etenim neque Hesiodus in eo laudatur neque cum altero scholio coniungi potest ita, ut testimonia scriptorum ex hoc sumpta illi inculcentur. Tum ex eodem fonte ea fluxisse demonstrandum esset, cui rei obstare mihi videtur ratio et consilium utriusque scholii diversum. Namque schol. A 7 scriptorum fabulas inter se discrepantes breviariorum more enumerare satis habet, B 249 autem scriptores omnino non curans ad Atridarum nomen explicandum (cf. alteram scholii partem p. 20 n. 7 allatam) ei, quod consuetudine usu venit, id quod verum est opponit. Hic enim sensus initio scholii codicis Veneti A, quocum scholia a Matranga (an. Gr. II p. 469) edita et Leidensia consentiunt (cf. Schrader Porphyrii Qu. H. reliq. p. 30), quamvis lacuna et verborum ordinis permutatione, ut videtur, corrupto inesse videtur, ut recte iudicat Schraderus l. l. cum dicat, verba scholii tradita (*οὗτοι ἦσαν*) *κατὰ μὲν τὸ σύνηθες Πλησθένους καὶ Ἀερόπης* [*τῆς* Dind; omittunt Schraderus, Matranga] *Ἀτρέως παῖδες τοῦ Πέλοπος* (*ὥς φασιν ἄλλοι τε πολλοὶ καὶ Πορφύριος ἐν τοῖς ζητήμασιν*) sensu carere; quae autem inter Didymi quae dicantur scholia sint, recte illa quidem in universum si sensum spectes se habere, sed vix codicis auctoritate niti. Scholia D. enim haec

apud Hesiodum Plisthenem Atrei filium et Agamemnonis (Menelaique) patrem fuisse. De Aërope autem hoc fragmentum certi quidquam docere nequit. Namque Hesiodi auctoritatem ad hanc quoque referre vetamur meo iudicio collocatione verborum; illud fieri posset, si Aëropes nomen aut ante aut post patrum nomina inter se opposita locum haberet: tum enim de matre Atridarum inter Homerum — scholiastae saltem sententia — et Hesiodum convenire, non autem de patre diserte diceretur. Praeterea omnino Aëropes commemoratio suspicionis ansam praebet. Doctum enim grammaticum Homero, qui Atrei coniugis mentionem nullo loco inserat, eam tribuisse haud scio an negari iure queat. Videtur hoc potius grammatici inferioris aetatis additamentum esse, qui vulgatam de Atrei et Aëropes matrimonio fabulam secutus est.[15]) Verborum certe nexus his deletis non depravaretur et pro *μητρὸς δὲ Ἀερόπης*, cui quod respondeat *πατρὸς μὲν κτλ.* desideretur, ego quidem *καὶ Ἀερόπης* vel *ἐκ μητρὸς Ἀερόπης* maluerim. Sed hae minutiae sunt, quibus ne nimium tribuatur cavendum est.

His denique addi potest matrem Pelopidarum Hippodomiam in Eoeis commemoratam esse. Hoc docent nomina procorum

---

exhibent: *οὗτοι ἦσαν κατὰ μὲν το σύνηθες Ἀερόπης καὶ Ἀτρέως παῖδες τοῦ Πέλοπος, τῇ δὲ ἀληθείᾳ Πλεισθένους, ὥς φασιν κτλ.* Hoc unum his addendum mihi videtur, verba *Πλεισθένους καὶ Ἀερόπης* non divellenda esse ut factum est in scholio Didymi. Illorum matrimonium testatur etiam Apollodorus bibl. III 2 2. Sed fabula ibi narrata inter tragicas videtur referenda esse, cum Nauplii uxor Clymene, Aëropes soror, sit, quam *ὥς οἱ τραγικοὶ λέγουσι* in matrimonium eum duxisse ipse bibliotecae scriptor tradit (II 1 5 14). Sed longius ea persequendi non est hic locus; haec ipsa quoque haud scio an moneant, ut perpendamus, an Hesiodum cum schol. B 249 coniungentes aliena misceamus. Facere hoc videtur Prellerus (gr. Myth³ II p. 388 n. 1): „Bei Hesiod u. A. gelten Agamomnon und Menelaos für Söhne des Pleisthenes, eines früh verstorbenen Sohnes des Atreus, und Aërope für die Gemahlin dieses Pleisthenes, den aber Homer nicht kennt. s. Schol. Il. 1. 7; 2. 249, Tzetz. Exeg. H. 68, 20 (H.) u. A.“ Fabulam quoque de praematura Plisthenis morte Hesiodeam esse nusquam tradi post ea quae de fontium a Prellero adhibitorum auctoritate demonstrare conati sumus, commemorasse satis est: Hesiodus Plisthenis filios ab Atreo proavo clarissimo Atridas appellans nihil fecit, quod explicatione dignum esset.

[15]) cf. pag. 19. n. 3.

ıb Oenomao in certamine necatorum (Paus. VI 21 10. Schol. Pind. Ol. I 127, frg. 158 K. 165 Rz.), unde fabulam de Pelope posteriore aetate vulgatam Eoearum poetam iam tradidisse recte colligitur. Verisimile igitur est Pelopem non indigetem Graecum fuisse ut apud Homerum (id quod supra vidimus), sed ex Asia in Peloponnesum immigrasse, ut toti genti barbarae originis macula adhaereret.[16]) Sed fabularum, quas de Pelopidis ipsis carmina Hesiodea commemorarunt, in reliquiis nullum latet vestigium. Robertus[17]) ex Aëropes et Plisthenis nominibus coniecturam fieri posse suspicatus est, ut quae cum Pelopidarum sceleribus semper arte cohaererent. Sed ut omittam Aëropen, quam Hesiodeam fuisse nullo testimonio tradi demonstrare studuimus, Plistheni cave nimium tribuas. Namque animadvertendum mihi videtur esse tragicos, quamvis saepe ad Pelopidarum scelera descenderent, tamen hunc Plisthenem ut infra apparebit nescio quo modo neglexisse: qua re haud scio an hoc certe demonstretur Plisthenem nostrum cum sceleribus Pelopidarum tragoediis potissimum notis, quippe quae sine illo optime stare possint, non tam arte cohaerere, ut coniectura quam de Hesiodea fabula fieri posse existimat Robertus in sola Plisthenis commemoratione posita non valde incerta evadat. Hoc tantum e tota carminum genealogicorum, quae sub Hesiodi nomine ferebantur, indole ac ratione colligere liceat, non temere sed certis de causis hunc Atrei filium a scriptore genealogiae insertum esse. Fortasse ita Pelopidarum genus cum alio genere affinitatis vinculo coniunctum est[18]), fortasse per hunc patrem ignobilem et obscurum, quem Atreus gloria multum sine dubio superavit, Atridarum eorumque posterorum dignitas imminuta est[19]), id

---

[16]) Robert l. l. p. 188.

[17]) l. l. p. 190.

[18]) Haec Hesiodi ratio notissima est; certa eius exempla duo mihi praesto sunt: Helenam et Clytaemnestram sorores, Menoetium, Patrocli patrem, et Peleum fratres esse primus post Homerum, quantum nos scimus, tradidit. cf. frgg. 112 110 K. 117 115 Rz.

[19]) cf. Dictys V 16: atque exin contumeliis Agamemnonem fratremque agere (sc. Graecorum reges) eosque non Atrei sed Plisthenidas et ob id ignobiles appellare.

quod poëtam Doriensibus faventem non dedeceret.[20]) Sed iam satis de coniecturis, quae pro certis venditari nullo modo possunt.

---

§ 3.

ALCMAEONIS.

Ut carminibus epicis, quae praeter ea, quae Homero et Hesiodo vulgo tribuuntur, prima poësis Graecae aetas tulit, tertium demum locum assignarem, quamvis eorum magnam partem Hesiodi catalogis, parvam vel Odyssea quae nunc est antiquiorem esse verisimile sit, commotus sum eo, quod e tota hac copia unum frustulum ad nostros heroes pertinens servatum est ex Alcmaeonide, quam inferiori aetati attribuendam esse recte indicaverunt viri docti.[1]) Casu nimirum factum est, ut hoc solum ad nos perveniret; namque primum, quod ad epicum cyclum qui dicitur attinet, propter Thyesten in Telemachiae *νόστοις* commemoratum affirmaverim carmina quae de Graecorum reditu sunt, *Νόστους* dico et imprimis *Ἀτρειδῶν κάθοδον*[2]), ipsa quoque Atridarum et Aegisthi patrum mentionem fecisse et fortasse copiosius quam in illa, ut ita dicam, epitome *νόστων* Telemachiae inserta fieri potuit. Deinde ne poëtas quidem genealogicos illustrem Pelopidarum gentem neglexisse docent fragmenta.[3]) Sed eorum nullum, ut supra dictum est, ad Atrei et Thyestae fabulam illustrandam pertinet.

---

[20]) cf. quae de hac re Robertus disputavit l. l.

[1]) cf. O. Müller, gr. Litt. [2] I p. 389 (cf. Heitz, ibd. p. 118 n. 36.) Bergk, gr. Litt. II p. 42. Sittl, gr. Littg. I p. 178. Non ante annum 600. eam ortam esse nuperrime demonstravit Wilamovitzius, phil. Unt. VII p. 73 n. 2 (cf. p. 214 n. 15). Welckeri sententia, qui Alcmaeonidem et Epigonos eiusdem carminis duplicem titulum esse censebat (ep. Cycl.[2] I p. 209 sq.), hodie haud scio an a plerisque recte reiciatur; probat eam Sittl l. l.

[2]) Duo haec carmina fuerunt. cf. Wilamovitz. l. l. pag. 156 sq.

[3]) cf. Eumelus frg. 7 K. Cinaetho ἐπῶν frgg. 3. 4. K. Asius ἐπῶν frgg. 5. 6. K.

De Alcmaeonide quod scimus debemus scholiastae adnotationi ad Euripidis Orestem. Ibi Electra cantico res suae gentis adversas queritur et singillatim enumerat. A Pelopis autem facinore, qui Myrtilum Mercurii filium, victoria per eius dolum de Oenomao reportata, in mare praecipitavit, omnia illa mala derivanda esse arbitratur. Namque Mercurii ira ut agnus aureus, pestiferum illud monstrum, inter Atrei greges nasceretur factum est[4]), per quem fatales fratrum inimicitiae, novorum rursus causa malorum, conflatae sunt.[5]) Ad versum 997 (*λόχευμα ποιμνίοισι*) in codicibus A et B Dindorfii et in Arsenii editione scholion exstat hoc: *ἀκολουθεῖν δοκεῖ τῷ τὴν Ἀλκμαιωνίδα πεποιηκότι εἰς τὰ περὶ τὴν ἄρνα, ὡς καὶ Διονύσιος ὁ κυκλογράφος*[6]) *φησί. Φερεκύδης*[7]) *δὲ οὐ καθ' Ἑρμοῦ μῆνίν φησι τὴν ἄρνα ὑποβληθῆναι, ἀλλὰ Ἀρτέμιδος. ὁ δὲ τὴν Ἀλκμαιωνίδα γράψας τὸν ποιμένα τὸν προσαγαγόντα τὸ ποίμνιον τῷ Ἀτρεῖ Ἀντ . . . . . καλεῖ.*[8]) Itaque in Alcmaeonide *τὰ περὶ τὴν ἄρνα* eadem ratione narrata erant quam hoc loco Euripides sequitur. Haec congruentia quam late pateat, e scholiastae verbis satis incertis diiudicari vix potest. Sed ex iis quae addit: *Φερεκύδης δὲ οὐ καθ' Ἑρμοῦ μῆνιν . . . ἀλλ' Ἀρτέμιδος* et e loco adnotationis colligendum est illum haec

---

4) vv. 995 sqq. N. *ὅθεν δόμοισι τοῖς ἐμοῖς*
ἦλθ' ἀρὰ πολύστονος,
λόχευμα ποιμνίοισι Μαιάδος τόκου
τὸ χρυσόμαλλον ἀρνὸς ὁπότ'
ἐγένετο τέρας ὀλοὸν ὀλοὸν
Ἀτρέος ἱπποβώτα.

5) vv. 1001—1012 N. Commemorantur fratrum de regno certamen, portentum caeleste, quo Atreo imperium redditur, adulterium Aëropes, Thyestea cena, mutuae caedes.

6) Dionysii Rhodii frg. 3 Mueller (frg. hist. II p. 9).

7) de Pherecyde vide infra § 5 I.

8) Verba *ὁ δὲ τὴν — καλεῖ* omittit A teste Dindorfio. *ἀντ . . . καλεῖ* relicto aliquot litterarum spatio B, *ἀνταποκαλεῖ* I. Recte mea sententia statuit Bentleius (ep. ad Millium p. 17 opp. 469.) nomen pastoris a litteris *ἀντ* incipiens excidisse. Eiusmodi doctrinam a breviariorum scriptoribus non repudiatam esse docet nomen Agelai, Priami pastoris, in bibliotheca servatum (III 12 5 4.) Aliter de scholio restituendo iudicat Welckerus ep. Cycl.[2] II p. 3 n. 21.

adnotantem de agno a Mercurio irascente misso cogitasse. Eodem nos duci existimo, si reputemus, qualis fuerit locus ille Dionysii cyclographi, cuius auctoritate scholiasta nititur. Namque in cyclo Dionysius cum Pelopidarum fata exponeret, huius fabulae, quae Mercurium iratum agnum supponentem faceret, testes Alcmaeonidis scriptorem et Euripidem attulisse mihi videtur, unde Euripidem illum secutum esse quispiam colligere facile possit.*)

---

*) Comparari potest locus ille notissimus Athenaei (VII p. 277 E ἔχαιρε δ' ὁ Σοφοκλῆς τῷ ἐπικῷ κύκλῳ, ὡς καὶ ὅλα δράματα ποιῆσαι κατακολουθῶν τῇ ἐν τούτῳ μυθοποιίᾳ. cf. Wilam. l. l. p. 361; praeterea cf. schol. Ap. Rh. II 990 Ἁρμονία νύμφη Ναῒς ἧς καὶ Ἄρεως Ἀμαζόνας εἶναί φησι Φερεκύδης ᾧ ἕπεται Ἀπολλώνιος, schol. Eur. Androm. v. 796, schol. Eur. Phoen. v. 71, ubi scholiasta adnotat, Euripidem de Polynice Argis morante simul et Pherecydem et Hellanicum secutum esse. Dubito autem utrum praeter Alcmaeonidis scriptorem et Euripidem etiam alios testes Dionysium laudasse censeamus necne: etenim eorum nomina suo Marte scholiasta omittere potuit, quippe quorum mentionem huic loco inserere non referret. Contra quomodo scribi potuit Euripidem illum sequi, si apud Cyclographum etiam exstabant qui fortasse iam ante Euripidem eandem fabulam exposuissent, ut eorum potius vestigia Euripides legeret? Quare hanc sententiam praestare existimem. Licet autem ita res sit, minime Dionysii silentio probatur omnes qui post Alcmaeonidem et ante Euripidis Orestem scriberent hanc fabulam vel ignorasse vel repudiasse. Etenim Sophocles quoque in Electra, cum chorum a Myrtilo in mare praecipitato Pelopidarum infortunium derivantem faceret, eandem fabulam spectavit itemque fortasse alii, de quibus nihil traditum est. Hoc sane differt Sophocleus locus ab Euripideo, quod fabula, quam poëtae ob oculos versatam esse illic e rerum nexu colligendum est, hic plane significatur. Quare probabiliter quispiam suspicetur, eorum locorum, ubi fabulae ut in illo Sophocleo lateant potius quam illustrentur, Scytobrachionem rationem non habuisse, neque id mirum est. — Euripidem cum Alcmaeonide a Dionysio testes allatos esse supra dixi; fortasse etiam accuratius Euripidis Orestem ab eo nominatam esse statui potest. Namque inter scholia vetera in Lycophronem (v. 163 p. 81 Kink.) leguntur haec: κατηράσατο ὁ Μυρτίλος τῷ γένει τῆς Ἱπποδαμείας διότι ὡς ἐρῶν αὐτῆς εἰς τὴν θάλασσαν ἐρρίφη, ὥς φησιν Εὐριπίδης ἐν Ὀρέστῃ· ὁ δὲ Μυρτίλος ἡνίοχος Οἰνομάου, Ψύλλα δὲ ὄνομα ἵππου. Iterum igitur hoc loco Orestis Euripideae in enarrandis Pelopidarum fatis auctoritatem invenimus. Doctum grammaticum haec ita non scripsisse facile perspicitur: etenim is fabulae aliunde sumptae — nam Myrtili amorem dirasque preces frustra apud Euripidem quaerimus — vile

Hoc unum igitur certo testimonio constat, alia autem quamvis pauca non sine probabilitate de fabulae ab Alcmaeonidis auctore

---

Euripidis testimonium non apposuisset, cum et illius auctoritas ad minimam narratorum partem, *Μυρτίλον πέσημ᾽ ἐκ δίφρον*, pertineret, et hoc ipsum sine dubio decantatum esset, veluti etiam nunc in Sophoclis Electra praedicatur. Scholiastam autem inferioris aetatis hunc testem de suo addidisse per se probabile non est; praeterea autem haud scio an scripturus fuerit *ὡς καὶ Εὐριπίδης κτλ.*, ut saepissime Tzetzes fecit in commentario Lycophroneo veterem doctrinam Pindari Apollonii aliorum frustulis exornans. Accedit quod a nostro non discernenda sunt scholia vv. 159, 161, 163 (prior pars, in qua Myrtoi maris nomen explicatur) quibus omnibus in unum corpus coniunctis Hippodamiae Pelopisque fabulae narratio plena etsi brevissima existit, in qua nonnulla earum nos commonefaciunt, quas congessit Schwartzius (Schol. Hom. p. 454 sqq.), ut omnes breviariis mythologicis deberi demonstraret. Conferas quaeso

Schol. vet. in Lyc. 161.	cum Schol. C in Eurip. Orest. 990.
οἵτινες (sc. Hippodamia et Myrtilus) *τοὺς τροχοὺς τοῦ ἅρματος αὐτοῦ ἐποίησαν ἐν τῷ τρέχειν ἐκπεσεῖν ἐκβαλόντες τὰ σίδηρα κτλ.*	*ὁ δὲ* (sc. Myrtilus Hippodamiae impulsu) *ταῖς χοινικίσιν τῶν τροχῶν τοὺς ἥλους μὴ ἐμβαλὰν ἐποίησε τὸν Οἰνόμαον ἐν τῷ τρέχειν ἡττηθῆναι . . . ἐκπεσόντων τῶν τροχῶν.*

Praeterea Myrtoi maris nomen a Myrtilo derivatum hic et illic invenitur, cum alii alia tradant. Paus. VIII 14 12 *Εὐβοέων τοὺς τὰ ἀρχαῖα μνημονεύοντας* nomen maris a Myrtone femina ducere tradit, quae non differre videtur a Myrtone Amazone, quam nonnullos Myrtili matrem nominasse scholio ad Apoll. Rhod. I 752 perhibetur. Aliorum sententiam qui a parva insula nomen ducendum esse putarent servavit Plin. IV 11. Itaque Lycophronei scholii fontem investigantes in epitomen mythologicam delabimur, ubi ad Pelopis matrimonium enarrandum Euripidis Orestes vel potius canticum vers. 990 continens adhibitum erat, sed ita, ut propria huius testimonii vis genuino rerum nexu ut in eiusmodi breviariis fieri solet paulatim perturbato obscuraretur. Atqui aliquam inter Dionysii cyclum et inferioris aetatis libros mythologicos necessitudinem interesse negari vix potest. Quare qui Orestis fabulae mentionem in scholio Lycophroneo factam mecum e breviario repetendam esse censeat, inde fortasse hoc testimonium primum Dionysium ipsum attulisse suspicetur, quam ad rem optime accomodatum esset, quod ille de agno a Mercurio dato agens iterum idem canticum citasset. Causam autem si quis quaerat, cur hoc ipso loco Dionysius usus sit, cogitare potest de eo, quod hac Electrae monodia tota fere Pelopis gentis historia breviter comprehensa erat.

adhibitae forma haud scio an conici possint. Cum enim irascatur deus pestiferam hic quoque agni ab eo missi vim fuisse et calamitates per eum ortas esse apparet; neque irae causa alia fuit atque apud Euripidem. Mitto silentium scholiastae, quem eiusmodi discrepantiam inter utrumque poëtam intercedentem hoc loco commemoraturum fuisse non iniuria quispiam iudicaverit. Sed continuam scelerum seriem a Pelope incipientem eo Orestis tragoediae loco quem modo adumbravimus Electra proponit, quam genuinam esse pro fabularis historiae ratione atque indole credi vix potest. Immo quin ea fabulae forma, quae hunc nexum interruptum praebet, antiquior sit dubitari nequit. Iam vero cogitari potest, fabulam olim fuisse qua Mercurium non propter filii mortem, sed alia de causa Pelopidas odisse proderetur, quod tamen verisimile non est. Namque primum eiusmodi fabulae ne umbra quidem usquam deprehendi potest; deinde habemus aliam fabulam, Pherecydeam, a qua nexus ille fatalis abest, cum agnus mittatur a *Diana*. Haec fabula, quam satis antiquam esse infra[10]) elucebit, videtur genuina esse: qui autem Mercurium Dianae loco posuerunt, hos omnes ductos esse eo consilio, ut fatalem illum nexum efficerent, quo e scelere nova semper scelera nasci planum fieret, verisimillimum est. Huius igitur fabulae inde a Sophoclis et Euripidis aetate vulgo narratae, quae Mercurium Myrtili filii mortem ulturum perniciosum Atreo donum dedisse tradebat, Alcmaeonidis auctor primus nobis testis est. Eidem iam fratrum de regno certamen agno aureo incensum summatim notum fuisse, e posteriorum, imprimis tragicorum, fabulis, quibus nostram alia ex parte simillimam esse videmus, conicere fortasse licet. Hoc si audacius factum videtur, calamitates per agnum Mercurii Atreo et Thyestae comparatas plane nos ignorare concedendum est. Ceterum hanc ipsam rem in Alcmaeonide copiose tractatam esse docet nisi fallor nomen pastoris. Adminiculum autem ad huius narrationis argumentum iudicandum haberemus, si sciremus

---

[10]) cf. infra § 5 I. Ibidem pauca quae de agno aureo dicenda sunt exponere malui quam hoc loco, ubi de recentiore fabulae forma agitur.

quo consilio atque ratione hoc episodium carmini insertum esset. Sed de hac re nihil constat.[11])

§ 4.

PINDARUS.

Ordinem chronologicum si diligenter ac severe sequeremur, nunc primum ad Stesichorum, deinde ad Pindarum nobis transeundum esset, qui soli e magno lyricorum numero de fabula nostra aliquid docere nos possunt.[1]) Sed Stesichorus, quocum Aeschyli Orestia arte cohaeret, hanc ipsam ob causam ab Aeschylo non bene seiungitur. Quare nunc eum mittamus

---

[11]) Coniectura, quam protulit Welckerus (ep. Cycl.[2] II p. 389 sqq.) probari non potest. Iudicium quod de fragmentis 1 4 5 6 K., quae comprehendi posse arbitratur, vir ille doctus fert, imprimis laborat inde, quod Alcmaeonide bellum Epigonorum tractatum esse censet. Quicunque ab hac opinione dissentiunt, iis haud scio an fragmenta illa ab Alcmaeonidis argumento non tam aliena videantur, quam Welckero. Si omnino hic coniecturae locus est, cum conici possint multa, demonstrari nihil, de nostrae certe narrationis loco quid sentiam breviter exponam. De Alcmaeonis fatis, quae duabus tragoediis Euripides tractavit et bibliothecae scriptor memoriae prodidit (III 7 2—7), Alcmaeonidem egisse verisimile est. Omnium autem quae Alcmaeoni acciderunt, fundamentum Eriphylae matris trucidatio est, ut in Alcmaeonide eam non tractatam esse cogitari nequeat; haec ipsa autem cum bello illorum Septem artissime cohaeret. Itaque fortasse huius expeditionis, qua Amphiaraus interiit, mentio occasione data inserta et Pelopidas ei non interfuisse narratum est, quippe quos domesticae inimicitiae impedirent, quominus ad bellum proficiscerentur. Hoc cum faceret Alcmaeonidis auctor, Homerica in suum usum convertit non aliter atque apud Statium factum esse vidimus. (p. 11 sq.)

[1]) A poëtis Aeolicis Atrei mentionem factam esse colligi fortasse potest ex eo quod saepius grammatici Ἄτρευς pro Ἀτρεὺς Aeoles dixisse testantur. — Quod Tzetzes Chil. I 430 de agno aureo Pelopidarum dicit *ὁ Σιμωνίδης πορφυροῦν εἶναι δὲ τοῦτο λέγει,* temere illum ab ariete Colchico transtulisse recte iudicat Schneidewinus, Simonides p. 47. cf. Bergk, Sim. frg. 21. 200 A. locosque ab eo laudatos schol. Eur. Med. 5. Et. M. 597, 14. Schol. Ap. Rh. IV 177.

quaeque de eo dicenda sunt iis potius adiungamus, quae de Aeschylo disputabimus.

Atque Pindarus quidem in primo carminum Olympicorum, quod ol. 77, 1 in Hieronis Syracusani honorem composuit, postquam Pelopem Oenomaum vicisse et Hippodamiam in matrimonium duxisse praedicavit, sex praeclaros filios, populorum duces, ex Hippodamia eum genuisse pronuntiat (vv. 144 sq. Boeckh.)

ἕλεν δ' Οἰνομάου βίαν παρθένον τε σύνευνον
ἃ τέκε λαγέτας ἓξ ἀρεταῖσι μεμαότας υἱούς.

Quo in numero Atreum quoque et Thyesten esse et per se constat et docent scholia.[2]) Deinde iam Dissenus in commentario „non credere Pindarum Atrei et Thyestae nefaria di-

---

[2]) schol. vet. Ol. I 144 *ἃ τέκε λαγέτας ἕξ· ἥτις Ἱπποδάμεια ἔτεκε λαγέτας ἕξ, ἤγουν ἡγεμόνας καὶ ἡγουμένους τῶν λαῶν. λέγει δὲ Ἀτρέα Θυέστην Πιτθέα Ἀλκάθουν Πλεισθένη Χρύσιππον. Ἄλλως. Ἀτρεὺς Θυέστης Ἀλκάθους Ἵππαλκμος Πιτθεὺς* [*ἐκ* add. Heyn.] *Δίας ἢ Χρύσιππος ἐξ Ἀξιόχης νύμφης καὶ Πλεισθένης ἐξ ἄλλης. τινὲς δὲ οὕτως· Ἀτρέα Θυέστην Ἵππαλκμον Πλεισθένην Πιτθέα Πέλοπα τὸν νεώτερον.* Quid de hoc scholio iudicandum sit me non plane perspicere confiteor. Videntur autem eius verba aut corrupta aut indocti hominis manu scripta esse. Nam cum de Hippodamiae filiis agatur, in primo catalogo falso enumeratur Chrysippus, qui omnium consensu spurius est, in secundo Pittheus Diae et Plisthenes ignotae matris filius rursusque Chrysippus ex Axioche natus. Quae cum ita sint dubium videtur num singulari neque aliunde cognitae huius scholii doctrinae, qua Plisthenem et Pelopem iuniorem Pelopis filios fuisse discimus, ulla fides tribuenda sit. — E secundo autem catalogo praepositio *ἐκ* ab Heynio in Pindari editione addita haud scio an tollenda sit, ut is in eam formam, quae nullam suspicionis ansam praebeat et fortasse genuina fuerit, non ita difficili ratione redigi possit. Neque enim Dia Pitthei mater aliunde nota est; contra Dias invenitur in Pelopidarum catalogo schol. Eur. Or. 5 neque par est inter pares, sed insignis est eo, quod filia eius Atreo nubit. Quare fortasse scholiasta cui tradita catalogi forma debetur, cum inveniret *Πιτθεὺς Δίας ἢ Χρύσιππος ἐξ. Ἀ.*, in *Δίας* nomine satis obscuro feminae nomen latere ratus, ut numerum compleret, Plisthenem de suo addidit. Fortasse autem vel Chrysippi nomen ab hoc catalogo primo aberat, ut Pelopis et Hippodamiae filii recenserentur hi: Atreus, Thyestes, Alcathous, Hippalcmus, Pittheus, Dias. Huius catalogi particula in Hyginum videtur transisse (fab. 84 p. 83 v. 23 sq. Schm.) ubi leguntur haec: ibi (sc. in Peloponneso) ex Hippodamia procreavit Hippalcum, Atreum, Thyesten.

ıcidia" ex his verbis[3]) recte conclusit, nisi quod dicendum ei erat fabulam, quam in hoc carmine sequitur Pindarus, scelera lla non novisse.

Hanc autem Olympicam vel Pisaticam fuisse recte iudicaverunt. Cuius proprium est, ut Myrtilus, Oenomai auriga, qui am in antiquissima fabulae forma comparuisse videtur, in ea desideretur: neque enim eius doloso auxilio ut vulgo fabulabantur, sed Neptuni equis velocissimis Oenomaum Pelops superavit. Ita fabulam mutare debebant ii, quibus illorum certamen curriculorum Olympicorum principium esset, Elei. Namque fieri nullo modo potuit, ut primum victorem Olympicum, quem heroico cultu colebant,[4]) fraudulenter victoriam reportasse fingerent. Quid igitur mirum est eosdem qui Pelopem ipsum plurimi aestimarent, genti quoque eius honorem tribuisse? Retinuerunt igitur in una saltem re vetustam fabulam, quae Pelopidarum ignominiam ignorabat, ut docet Homerus, et propterea potissimum hoc Pindari testimonium magni pretii est, quod praeter Homerum solus genuinae fabulae memoriam nobis prodidit. Simul autem ita monemur, temere iudicare eos qui propter scriptorum consensum recentiore illa fabula Dorica, ut breviter eam significem, antiquam plane oppressam esse arbitrentur. Cum Achaeis Olympiam Pelopem migrasse verisimile est;[5]) Achaei autem in aliis quoque Peloponnesi regionibus post reditum Heraclidarum manserunt: nonne igitur consentaneum est, hos quoque Pelopidas suos sibi conservare studuisse, id quod fabula Olympica factum est, cuius memoria casu ad nos pervenit? Veterem illustris gentis Pelopeiae gloriam ut obscurarent Dorienses licet moliti sint, tamen fabulae popularis vis plus videtur valuisse quam eorum studium: namque Tyrtaeus,[6]) ut alios omittam, dicit

οὐδ' εἰ Ταντολίδεω Πέλοπος βασιλεύτερος εἴη.

---

[3]) Legit Dissenus cum Boeckhio pro *μεμαότας* „*μεμαλότας*"; sed sensus ita non mutatur.

[4]) Olympiae eius sepulcrum est: Pind. Ol. I 149 sq.; cfr. Paus. V 10, 2.

[5]) cfr. Curtius, Peloponn. II p. 47. Sequuntur eum Prellerus[3] II p. 386 et Lübbertus, de Pindari studiis Homericis et Hesiodeis. Ind. lect. Bonnens. 1881/82, p. 9.

[6]) fr. 12 v. 7 B.

Hac vi mea sententia coacti eam paulatim viam Dores ingressi sunt, ut Pelopidas sibi vindicarent. Commemoro, ut exempla afferam, Orestis ossa Delphici oraculi iussu Croesi aetate Tegea Spartam abducta; [7]) addo Syagrum [8]) Lacedaemonium, qui cum simul cum aliis ad Gelonem Syracusanorum tyrannum auxilium contra Xerxis impetum petiturus a Graecis missus esset, Geloni summam imperii sibi postulanti respondit: *ἦ κε μέγ' οἰμώξειε ὁ Πελοπίδης Ἀγαμέμνων πυθόμενος Σπαρτιήτας τὴν ἡγεμονίην ἀπαραιρῆσθαι ὑπὸ Γέλωνός τε καὶ Συρηκοσίων.* Eodem deniqne consilio ducti esse videntur ii, qui Herculem ipsum cum Pelope coniunxerunt, cum et Alcmenes et Amphitryonis matrem Pelopis filias nominarent. [9])

---

§ 5.

PHERECYDES. HELLANICUS. THUCYDIDES.

Quinti saeculi scriptores, qui praeter Pindarum nostram fabulam tractaverunt, duas in partes discerni possunt, scriptores historicos et poëtas scenicos. Illo nomine comprehendo Phere-

---

[7]) Herod. *A* 67.

[8]) ibid. *H* 159.

[9]) Pelopis filia Alcmenes mater est apud Diod. IV 9 (Eurydice). Plut. Thes. 7. Schol. vet. in Pind. Ol. VII 49. Schol. Townl. *T* 119 (Lysidice), Euripid. Heracl. 205 sqq., ubi nomen deest. His praeterea addendus est Phlegon (frg. 1), qui oraculum affert a Pythia Peloponnesiis datum, ubi Pelops Herculis *μήτρως* appellatur. Amphitryon ex Astydamia, Pelopis filia, natus est apud Apollod. II 4. 5. 2. Schol. Townl. l. l. *Ἀλκαῖος οὗ καὶ Λαονόμης ἢ Ἀστυδαμείας τῆς Πέλοπος Ἀμφιτρύων.* Bekkerus e codice Victor. edidit *Πηλέως* pro *Πέλοπος*, sed lectionem Townl. revera *Πέλοπος* esse benigne meo rogatu Ernestus Maassius mecum communicavit. Edidit recte schol. Townl. olim Heynius (ad Apollod. bibl. observ. 1803 p. 127). Pro Astydamia, quae apud scholiastam Thucydideum (I 9) Stheneli uxor est, nonnullos Lysidicen posuisse testatur Paus. VIII 14, sed fortasse quae in fonte suo de Pelopis filiabus a Perseidis in matrimonium ductis invenit perturbavit.

cydem, Hellanicum, Thucydidem,[1]) quos uno loco coniungendos esse putavi, cum etsi aliis rebus vehementer inter se differunt, tamen in eo consentiant, quod fabularem historiam a rerum narratione non distinguentes[2]) utramque eadem ratione tractandam esse existimant. Deinde commune iis est quod, cum fabulas narrantes in universum tragicorum commentis ut par est neglectis epicorum lyricorumque carminibus fabulisque quae in hominum ore erant nitantur, ne nostram quidem tractantes ab hoc more recessisse videntur.[3]) Cum autem fabulas ut acceperant ita immutatas memoriae traderent neque ipsi novarent, ea quae narrant a genuina forma propius abesse solent, quam tragicorum fabulae, qui quamquam ipsi quoque fabulas ex antiquis fontibus hauserunt, tamen fere ingenium suum secuti plus minusve libere eas commutatas in suum usum convertebant. Quare de illis quos supra nominavi rerum scriptoribus priusquam ad Aeschylum transirem vel potius reverterer, deinceps disserere mihi visum est.

---

[1]) Consulto hoc loco omisi Herodorum Ponticum, quamquam ἐν Πελοπείᾳ Pelopidarum fata tractavit. Nam cum e fabulis ab illo de Atreo et Thyeste traditis unum tantum fragmentum ad nos pervenerit, quo ex Herodori sententia agnum aureum pateram argenteam, cuius in medio aurea agni imago esset, fuisse discimus (fr. 61 M. Athen. VI 231 C), de hoc scriptore eo potius loco agendum videtur, ubi veterum locos quibus nostras fabulas interpretati sunt componemus.

[2]) Nimium Thucydidi tribuit U. Koehlerus (comm. in hon. Mommseni p. 371), cum diceret, illum iam res gestas et fabulas separasse. Rex est Agamemnon Thucydidi non aliter atque Pherecydi neutrique quin revera ille vixerit atque regnaverit dubium fuit. Ephorus primus historiam scribens ab Heraclidarum reditu incepit, Diod. IV 1.

[3]) Pherecydem, qui opus suum mythologicum inter annos 500—450 scripsisse videatur, tragicorum rationem non habuisse temporum ratio docet. De Hellanici aetate non convenit inter viros doctos, cf. Wilamowitz. Herm. XI p. 292 sq., Diels. Mus. Rhen. XXXI p. 50; sin autem revera in Atthide pugnam apud Arginusas anno 406 commissam commemoravit, interdum tragicos eum respexisse praefracte negari vix potest (cfr. Robert. B. u. L. p. 181), idemque cadit in Thucydidem. Neque tamen verisimile videtur illos historiam scripturos aequalium tragoedias inspexisse nisi forte in fabulis a tragicis primum in lucem protractis, et tum demum hoc statuendum esse puto, si in fabulis ipsis quae tragoediam redoleant, reperiantur. Quae autem de nostra fabula Hellanicus tradidit, eiusmodi indicia prae se non ferre infra videbimus. Thucydides fontem ipse significat.

I.

PHERECYDES.

Inquirentibus nobis quid de Pelopidis Pherecydes narraverit, incipiendum est a duobus quae habemus certis testimoniis, quorum alterum supra (p. 391 sqq.) commemoratum de agno aureo attulit scholiasta Euripideus (ad Or. 997), alterum servavit schol. Townl. ad Hom. *Ψ* 296:[4]) *Φερεκύδης ἐν τῷ τρίτῳ „Κλεώνυμος δὲ ὁ Πέλοπος ᾤκει Κλεωναῖσι καταστήσαντος Ἀτρέως, τοῦ δὲ γίνεται Ἀγχίσης, τοῦ δὲ Ἐχέπωλος.“* Itaque Atreus Argolidis terrae imperium tenet: nam eius voluntate fit, ut Cleonymus Pelopides Cleonas, oppidum Argivum, occupet. Apud Homerum a Pelope patre ipso quoque Argivo regnum paternum accipit Atreus. Aliter res se habuit in inferioris aetatis fabula, qua non solum Pelopem Pisis, filios Argis vel Mycenis imperasse prodebatur, sed etiam aliarum quoque gentium, quae in Argolide regnasse ferebantur, ratio habebatur atque ut solebat id spectabatur, ut quae gentes olim alia ab alia seiunctae essent neque temporum ratione continerentur, eae ita coniungerentur, ut inter se aptae et conexae essent, quod ut fieret praecipue propter causas chronologicas saepe fabulas variatas esse inter omnes constat. Res autem Argivas tractantibus id imprimis agendum erat, ut regnum Persidarum et Pelopidarum, quos utrosque Mycenis regnasse antiqua fama perhibebat, apte coniungerent. His sufficit fabula, quam inter scriptores primus commemorat Thucydides I 9.[5]) Mihi quidem hic cum affinitate tantum res est, quae Atreo cum Eurystheo intercedit, cuius mater una de Pelopis filiabus est. Recte enim eos iudicasse arbitror, qui eo consilio fictam eam esse affirment, ut quo iure a Persidis ad Pelopidas imperium transiret explicaretur. Quare cum apud Pherecydem quoque hoc matrimonium deprehendamus,[6])

---

[4]) Müller vol. IV p. 638 fr. 36 a. Non addidit Müllerus fragmentis Acusilai ea quae antecedunt: *Ἀκουσίλαος ἐν τρίτῳ γενεαλογιῶν κύριον ἤκουσε τὸ Ἐχέπωλος οὕτως: „Κλεωνύμου δ' Ἀγχίσης, τοῦ δὲ Ἐχέπωλος.“*

[5]) Exhibui locum infra § 5. III, ubi accuratius de eo disputandum erit.

[6]) Schol. A in Hom. *T* 116: *Δίδυμος παρατίθεται Φερεκύδην μὲν λέγοντα αὐτὴν* (sc. Stheneli Eurysthei patris uxorem) *τὴν Πέλοπος Ἀμφιβίαν.* Adduntur de Hesiodo haec: *Ἡσίοδος δὲ Ἀντιβίαν τὴν Ἀμφι-*

Atreum Eurystheo Mycenarum regi in Pherecydis[7]) quoque narratione successisse, recte inde colligi existimo.

Sed transeamus ad alterum illud multi maioris pretii fragmentum in schol. Eur. Or. 997. A B I servatum: Φερεκύδης δὲ οὐ καθ' Ἑρμοῦ μῆνίν φησι τὴν ἄρνα ὑποβληθῆναι, ἀλλ' Ἀρτέμιδος.[8]) Haec nota brevis quae per se satis ambigua est mea sententia optime illustratur alia fabella, in qua ipsa quoque Diana Mercurii partes agit atque ita quidem, ut ad Dianam Pherecydeam scholiastae optime accommodari possit. Exstat ea narratio apud scholiastam Homericum (B 105. A D) et Euripideum (Or. 812. A C Flor. 33), exstabat fortasse etiam in Apollodori bibliotheca, e qua Tzetzes Chil. I 436—39 eam affert.[9]) In

δάμαντος ἀποφαίνεται. Sed contra est scholion codicis Victoriani — e Townl. accurate id descriptum esse benigne mecum communicavit E. Maass. —: οἱ μὲν Ἀμφιβίαν τὴν Πέλοπος, οἱ δὲ Ἀντιβίαν τὴν Ἀμφιδάμαντος. Ἡσίοδος δὲ Νικίππην φησὶ τὴν Πέλοπος (consentit in Nicippes nomine Apollodorus II 4. 5. 5). Haec si legimus, Hesiodum Pherecydi ducem et auctorem fuisse suspicandum est, neque hoc ab eius consilio alienum duco, ut duas gentes certa quadam de causa affinitatis vinculo conecteret (cfr. supra p. 389). Sed obstat schol. Ven. Utrumque scholion ex eodem fonte fluxisse, ut censet E. Schwartz. l. l. p. 409, negari vix potest, quod si concedamus, vix ad eam viam profugere possimus, quam interdum, ubi diversa Hesiodi auctoritate nituntur, ingrediuntur viri docti, ut dicamus diversis ex iis, quae Hesiodea dicebantur, carminibus testimonia inter se pugnantia deberi; neque enim verisimile videtur, eodem loco diversa de una re sub Hesiodi nomine afferri. Quare aut in hanc aut in illam adnotationem vitium irrepsisse consentaneum est, ut iam indicavit Markscheffel. Leviter tango etiam in alia re ad Pelopidarum fata pertinente qui Hesiodea tradant dissentire, in numero procorum Hippodamiae: tredecim ut Pindarus Hesiodus numeravit testimonio scholiastae Pindarici (Ol. I 127), sedecim nomina e magnis Eoeis affert Pausanias, nisi forte aliena hic Hesiodeis immixta sunt; cfr. Lübbert. l. l. p. 8.

7) cfr. schol. Ap. Rhod. IV 1396. fr. 33 M. ex.

8) cfr. supra p. 391 sqq.

9) Laudat Tzetzes Apollonium auctorem, quem pro Rhodio habet Kiesslingius (in indice scriptorum in Chiliadibus laudatorum), cui iam Welckerus recte oblocutus est (gr. Tr. I p. 360 n. 3). Sed vehementer dubito, num hic fontem Tzetzae Apollonii nescio cuius (Apollonio Dyscolo in codicibus falso tribuitur) opusculum, quod ἱστορίαι θαυμάσιαι inscribitur (editum post alios a Westermanno in Paradoxographis Brunsv. 1839 et a Kellero in rerum naturalium scriptoribus

scholio Homerico, quocum ad verbum paene consentit schol. Eur. Or. A[10]), haec est: *Ἀτρεὺς ὁ Πέλοπος βασιλεύων τῆς Πελοποννήσου ηὔξατό ποτε ὅ τι ἂν κάλλιστον*[11a]) *ἐν τοῖς ποιμνίοις αὐτοῦ γεννηθῇ*[b]) *τοῦτο Ἀρτέμιδι θῦσαι· γεννηθείσης*[c]) *δὲ αὐτῷ χρυσῆς*[d]) *ἀρνὸς τῆς εὐχῆς μετεμελήθη, καθείρξας δὲ*[e]) *εἰς λάρνακα φυλάττει*[f]). *μέγα δέ τι φρονοῦντα ἐπὶ τῷ κτήματι κομπάζειν*[g]) *κατὰ τὴν ἀγοράν.*[h]) *ἀνιώμενοι*

---

min. Lips. 1877) fuisse rectius censeat. Neque enim haec fabula hodie ibi invenitur — causae autem cur illum libellum mutilatum esse putemus quantum scio non exstant — et a rebus ibi tractatis nonnihil differt. Praeterea alium locum, quo hoc fonte Tzetzen usum esse demonstretur, investigare non potui neque magis alium Apollonium, quem pro Tzetzae auctore habendum esse verisimile sit. Contra ille Apollodori bibliothecam etiamtum integram saepissime adhibuit (laudat eam in Chiliadibus tribus locis), in cuius parte hodie deperdita Pelopidarum fata narrata esse certissimum est. Deinde in ea historia, qua locus de quo agimus continetur, praeter multas res e fontibus, qui facile detegi possunt, sumptas (cfr. praecipue schol. ad Orestem 5. 812 Gu. I 984 Gr. Euripidem ipsum, sch. ad Medeam 5 = v. 431 arg. Phoen. in Eur. trag. ed. Nauck II p. 394 = v. 422) complures insunt, quae aliunde non notae (cf. exempli causa v. 448. 452—461) e narratione satis copiosa haustae sunt. Denique Apollonii et Apollodori nominum similitudo tanta est, ut aut Tzetzes ipse aut librarius (cf. Cramer, anecd. Paris. IV p. 45 n. e) per errorem ea mutare facile potuerit. Quae cum ita sint hoc loco pro *Ἀπολλώνιος* substituendum esse *Ἀπολλόδωρος* suspicari audeo. — Cum saepissime Tzetzes Appollodori nomine non allato utatur, plura eius fragmenta, quam Heynius et Müllerus collegerunt, per illum servata esse per se verisimile est. Ad haec frustula nuper Wilamowitzius (phil. Unt. VII p. 179 n. 24) philologorum animos advertit, quare commotus ad haec fragmenta per Tzetzae scripta dispersa colligenda adii. Huius laboris fructum, quem suscipere, ut rectissime Wilamowitzius iudicavit, operae pretium fuit, alio loco publici iuris me facturum esse spero: illic de hac Tzetzae historia accuratius agendum erit.

[10]) Varias scholii Euripidei lectiones quamquam ad rem nihil valent, apposui ut meliorem textum scholion Homericum praebere appareret.

[11a]) *ἀρνίον* addit sch. Eur. Deest et recte quidem in cod. Eur. C; consentit denique Tzetzes. *ἀρνίον* interpositum est opinor propter sequentia vel casu vel consilio hominis inepti, qui cum ovis nasceretur in ipso voto de ove sermonem faciendum esse putaret. b) *γεννηθῆναι καί* c) *γεννηθείς* d) *χρυσοῦς* e) *ἠμέλησε καί* omisso *δέ* f) *ἐφυλάττετο.* g) *φρονήσας .... κομπάζει* h) *ἐπὶ τοῦ ἀγροῦ* i) *ἠνίασ*[illegible]

δὲ ἐπὶ τούτῳ Θυέστην ὑπελθόντα ὡς ἐρῶντα[i]) πεῖσαι τὴν Ἀερόπην ἐκδοῦναι αὐτῷ[k]) τὸ κτῆμα· λαβόντα δὲ ἀντειπεῖν[l]) τῷ ἀδελφῷ ὡς οὐ δεόντως περὶ τοῦ τοιούτου κομπάζει. αὐτὸς δὲ ἔλεγεν[m]) ἐν τῷ πλήθει δεῖν[n]) τὴν βασιλείαν ἔχειν τὸν τὴν χρυσῆν[o]) ἄρνα ἔχοντα. τοῦτο δὲ ὁμολογοῦντος καὶ τοῦ Ἀτρέως Ζεὺς Ἑρμῆν πέμπει πρὸς[p]) Ἀτρέα συνθέσθαι λέγων περὶ τῆς βασιλείας καὶ δηλοῖ περὶ τῆς ἀνατολῆς διότι[q]) μέλλει ποιεῖσθαι τὴν ἐναντίαν ὁδὸν ὁ ἥλιος. συνθεμένου δὲ περὶ τούτων ὁ ἥλιος τὴν δύσιν εἰς ἀνατολὰς ἐποιήσατο, ὅθεν ἐκμαρτυρήσαντος τοῦ δαιμονίου τὴν Θυέστου πλεονεξίαν[r]) τὴν βασιλείαν Ἀτρεὺς παρέλαβε καὶ Θυέστην ἐφυγάδευσεν. **Itaque aut ex altero alterum scholion descriptum est, aut, quod multo probabilius videtur, ex uno fonte utrumque fluxit: quem quidem librum mythologicum fuisse et per se verisimile est et pro certo haberi potest, si Tzetzae verba Apollodorea esse recte iudicavi: namque ultro apparet fabulam quam prior scholiorum pars praebet non diversam esse ab ea, quam intuens Tzetzes fabulae de agno aureo Euripideae opposuit haec:**

ὁ δ' Ἀπολλώνιός φησιν εὔξασθαι τὸν Ἀτρέα
Ἀρτέμιδι τὸ κάλλιστον θῦσαι τῶν ἐν τῇ ποίμνῃ·
ἰδόντα τοῦτο δὲ τεχθὲν πνίξαντα κατακρύψαι
ἐν κιβωτίοις ἀσφαλῶς οἷα τῷ ὄντι τέρας.[12])

τοῦτο Θ. καὶ ὑπῆλθεν ὡς ἐρῶν [k]) δοῦναι αὐτῷ [l]) λαβὼν δὲ ἀντεῖπε [m]) δεόντως (om. π. τ. τ.) κομπάζονται. ἔλεγε δὲ αὐτον [n]) inserit καί [o]) τὸν χρυσόν [p]) inserit τόν [q]) ὅτι [r]) reliqua sic habet sch. Eur. A: συνθέμενος δ. π. τούτου ὁ. ἡ. τ. δ. εἰς ἀνατολὴν ἐ. ὁ. ἐκμαρτυρήσαντες τ. δαίμονος τοῦ Θυέστου τ. βασ. κτλ. verba συνθέσθαι λέγων — συνθεμένου δὲ περὶ τούτων non plane perspicio; infra ad ea revolvemur.

[12]) Horum testimoniorum consensu — namque priorem tantum partem, quam Tz. quoque habet, magni momenti hoc loco nobis esse statim elucebit — cum optimam fabulae formam tradi existimem, satis firmum ea disputationis fundamentum poni arbitror et de duobus qui restant locis pauca adnotare satis habeo. Scholii Flor. 33 quae huc pertinent (Ἀτρεὺς ὁ Πέλοπος — ἐκληρονόμησε) e cod. A excerpta sunt, sed ultima (ὁ δὲ Ζεὺς κτλ.) perverse in brevius redacta sunt, alio praeterea ut videtur fonte inspecto; cf. verba schol. 998 A B M I μὴ δυνηθεὶς οὖν κατὰ τὴν ὑπόσχεσιν δεῖξαι ὁ Ἀτρεὺς ἔμελλεν ἀφαιρεῖσθαι τὴν βασιλείαν, ἐκείνου τὸ ὑπ' αὐτοῦ ὑποσχεθὲν δεικνύντος κτλ. Quae sequuntur βασιλεύσας δὲ ἔτεκε — τὴν βασιλείαν si-

Quae autem in bibliotheca exstabant, ea in aliis quoque breviariis mythologicis locum habuisse consentaneum est. Iam vero cum in bibliothecam tum in omnia alia breviaria multas Pherecydis narrationes transisse nemo est quin sciat. Quare cum apud hunc scriptorem a Diana agnum missum esse certo testimonio constet, non temere facere mihi videor, quod in nostra fabula Pherecydeas particulas latere existimem. Probare sane certis argumentis hanc meam sententiam non possum, at haud scio an pro se ipsa loquatur.

Altera est quaestio, num totam narrationem Pherecydeam esse putemus. Hoc si non praefracte negandum, at certe in suspenso relinquendum est, postquam Schwartzius demonstravit quomodo in breviariis discrepantiis paullatim magis magisque oblitteratis e particulis variae originis una historia continua composita sit. Paene autem pro certo habendum est, e tragoediarum argumentis, quae Pelopidarum fata tractarent, multa in breviaria recepta esse. Quae cum ita sint, Atrei votum, agnus aureus in gregibus natus, votum neglectum, haec mea sententia Pherecydi sine dubitatione tribui possunt, cum artissime inter se cohaereant neque secerni possint.[13]) Ita autem narrationem

---

millima sunt scholio Homerico, quod inter Didymi legitur ad *B* 105 — versus ipse paullo ante affertur in scholio eidem versui 812 sub lemmate *ἀρνός* apposito — *Ἀτρεὺς βασιλεύων τῆς Πελοποννήσου ἔχει ἐκ Κρεούσης* — Creuses nomen aliunde non cognitum fortasse non diversum a Cleollae schol. Eur. Or. 5 — *κτλ.* Ultima denique *ἔχοντες γαρ ὥς φασί τινες οἱ Ἀτρεῖδαι τὸ χρυσοῦν ἐκεῖνο δέρος τοῦ χρυσομάλλου ἀρνίου ὡς πατρικόν τι καὶ ἐξαίρετον σημεῖον ἐπιφέροντες καὶ διὰ το ψευσθῆναι εἰς τὴν θεὸν καὶ οὐ τελεῖν τῆν θυσίαν ἀνέφερον πολλας συμφορὰς καὶ χαλεπὰς καὶ οἱ υἱοὶ καὶ οἱ ἔκγονοι* a grammatico Byzantinae opinor aetatis excogitata sunt, qui in hac narratione Atrei impietatem, quae utique punienda esset, causam malorum in Pelopidas irruentium esse non inepte arbitraretur. Multo sine dubio praestat scholion C, quod e peculiari fonte videtur fluxisse. Eius proprium est ut Atreus carnem immolasse, pellem retinuisse dicatur; sed ne ita quidem votum exsolvit, id quod gravissimum est. Pleiades in posteriore parte, quae est de fratrum contentione, commemoratae tragoediae nos commonefaciunt; cf. Eur. Or. 1005 sq. N.

[13]) Cistae qua pecus occultatur commemoratio epicum carmen nisi fallor redolet, id quod minime mirum est in hoc scriptore, qui alibi

absolutam non evadere liquet; deest finis, quo exponendum erat, quomodo Diana Atreum propter votum non perfectum ulcisceretur, id quod nullo modo desiderari potest. Sed cum quae scholion de hac re exhibet fabulae a tragicis decantatae simillima sint, certum iudicium de hac Pherecydeae historiae parte fieri nequit atque in eo nobis acquiescendum est, ut dicamus, nisi eadem fuerit fabula Pherecydea atque tragica, quae scholiis traditur, plane nos eam ignorare, quippe cuius vestigium, quantum ego video, non iam usquam deprehendatur.

At dicat quispiam, in illo scholio (997) deam ira commotam agnum supposuisse, aliter autem esse in hac fabella, de qua quaerimus; uni ergo scriptori tribui haec non posse. Sed is haec mecum reputet: cum scholiasta illic adnotet, Euripidem in fabula de aureo agno sequi videri Alcmaeonidem, Pherecydem autem tradere, non a Mercurio sed a Diana irata animal illud missum esse, hoc primum patet, summam rei positam esse in eo quod deus cum dea commutetur, qua re fieri potuit, ut aliae discrepantiae per neglegentiam non observarentur. Deinde hic Dianae irae dilucide mentionem non fieri concedo. Attamen, quaecunque Pherecydis narratio fuit, deae iram et poenam ab ea propter voti oblivionem immissam in illa locum habuisse vidimus. Quid igitur? Nonne scholiasta Euripideus, cum hanc narrationem, e qua suam de Pherecyde doctrinam sumpsit, cursim legeret, in eum errorem incidere potuit, ut agnum a Diana irata missum esse scriberet, praesertim cum illa de Mercurio fabula ei ob oculos versaretur, cui hanc de Diana opposuit? Quae cum ita sint, hanc discrepantiam nullam esse existimo aut certe non ita comparatam, ut narrationem illam de Atrei voto cum Pherecyde conectere nos vetet.

Hanc fabulam antiquiorem esse vulgari illa de Mercurio,

---

quoque epicorum vestigia non modo rebus, sed etiam verbis persequitur, veluti in fabula Danaeia, schol. Ap. Rh. IV 1515; cf. Welcker. Aesch. tril. p. 378 sq., Gerhard. Berliner Winkelmannsprogr. 1854 p. 8, quibus assentitur P. Schwarz. de fabula Danaeia, Halis 1881, p. 9 sq., qui de magnis Eoeis cogitat causis sane non allatis, quamquam inveniri potuerunt, quibus fortasse haec coniectura si non certa attamen probabilis fieri posset.

cum ab ea ille cum Myrtili morte nexus consulto demum comparatus absit,[14]) supra commemoratum est.

Praeterea fabula ipsa antiquitatem prodit necessitudine quam

---

[14]) Hac ex re haud scio an probabilis coniectura de Myrtili fabula Pherecydea capi possit. Narravit Pherecydes Myrtili fraude Oenomaum a Pelope victum (schol. Ap. Rhod. I 752), Myrtilum ipsum a Pelope in mare praecipitatum esse (schol. Soph. El. 504). Acerrime hoc scelus Mercurium dono illo pestifero misso vindicasse recentiore fabula traditur; aliter res, ut videmus, se habet apud Pherecydem, sed quomodo? Traditum hoc esse puto in schol. C in Eur. Or. 990, vel potius in scholio Tzetzae ad Lycophronem 156, unde scholiastam Euripideum sua sumpsisse demonstrare conabor excursu altero. In hac narratione e breviario, ut Schwartzius docuit, sumpta Pherecydeae fabulae particulae duae certe deprehenduntur, una de Myrtili fraude: *ὁ δὲ ταῖς χοινικίσι τῶν τροχῶν τοὺς ἥλους μὴ ἐμβαλὼν ἐποίησε κτλ.* = schol. Apoll. Rhod. I 752: *Φερεκύδης δὲ ἐν η' φησὶν* (non recte igitur Müllerus ad libr. X hoc rettulit) *ὅτι οὐκ ἐνέθηκεν ἐν τῷ ἄξονι τὸν ἔμβολον καὶ οὕτως ἐκκυλισθέντος τοῦ τροχοῦ ἐκπεσεῖν τὸν Οἰνόμαον*, altera de mortis causa: *διαβληθεὶς γὰρ παρ' Ἱπποδαμείας ὡς βιάζων αὐτὴν ἢ ὡς οἱ πολλοί φασι πειράζων αὐτὴν ῥίπτεται παρὰ Πέλοπος περὶ Γεραιστὸν ἀκρωτήριον* cf. schol. Soph. El. 505: *φησὶ Φερεκύδης ..... καθ' ὁδὸν* (sc. *ἐπὶ τὴν Πελοπόννησον*) *καταλαβὼν αὐτὸν προϊόντα πρὸς τὸ φιλῆσαι αὐτὴν ἔρριψεν εἰς θάλασσαν* (sc. *Πέλοψ Μυρτίλον*) cf. Schwartz. l. l. p. 454. Itaque etiam plura hic latere negari nequit. Atqui de Pelope deinde scholio narrantur aliunde non cognita haec: *ὁ δὲ Πέλοψ* (post Myrtili mortem) *εἰς Ὠκεανὸν ἐλθὼν καὶ Ἡφαίστῳ ἁγνισθεὶς λαβὼν Πῖσαν τὴν Οἰνομάου βασιλείαν κτλ.* Quid igitur? Nonne habemus fabulam qua quae melius Dianae Pherecydeae conveniat inveniri vix possit? Toleranda haec in vulgata fabula non esse liquet: namque quid tandem opus est expiatione, si nihilominus scelus punitur? Immo expiato Pelope haec composita sunt neque quidquam valent in posterum. Agnus autem aureus a Diana Atreo donatur neque ullo cum Myrtili morte vinculo cohaeret. Quae cum optime coniungi possint, revera hanc Pherecydeam fabulae formam esse, res ipsa clamare mihi videtur. Haec sententia corroborari fortasse potest his: quo minor Pelopis culpa est, eo facilius expiari ipse potest; imminuitur autem eius culpa, cum ipse Myrtilus morte dignus sit. Iam apud Pherecydem in mare deicitur, cum Hippodamiae vim inferre audeat. Contra Myrtilo favent, qui dicunt, Pelopem veritum esse ne post Oenomaum ipsum quoque Myrtilus proderet vel sibi Pelopem victoriam debere vulgaret aut ob Myrtili amorem Hippodamiam suspectam habuisse (schol. A B I Eur. Or. 990) aut uxori Myrtilo maledicenti temere credidisse (schol. B 104) et propterea eum de medio sustulisse. Quin etiam primo Myrtilum ipsa proditione iustam mortem meritum

Pelopidis cum Diana antiquitus intercedere videmus;[15]) exstitit igitur ea iam aetate, qua huius necessitudinis etiamtum conscii erant.

Neque vero huic adversatur, quod mirum quantum illa cum Orestis fabula Pherecydea convenit (schol. Eur. Or. 1645 ABMl); hac enim narratur Orestem, cum matre interempta in Parrhasiam, Arcadiae regionem meridionalem, se contulisset, ibi quoque a Furiis agitatum ad Dianae aram profugisse, Dianam autem a Furiarum impetu eum defendisse. Has fabulas cum tragicorum comparans fortasse quispiam dixerit, iam Pherecydem novisse *ἀλάστορα* Pelopidarum Aeschyleum et scelerum inter se cohaerentiam seriem ab Atreo usque ad Orestem pertinentem eumque esse inter duas, quae ex hac congerie ad nos pervenerunt, fabulas nexum, ut Diana, quae causa malorum fuisset, eadem ea finiret. Cum autem fabularum Orestearum antiquitas (de qua recte iudicavit Mayerus l. l. p. 42) summa sit, nostram ad illum ipsum nexum efficiendum excogitatam esse inde sequeretur, qua

esse utque alios in fabulis proditores veluti Scyllam, Nisi filiam, interisse coniecerim, ut alia causa ad facinus perpetrandum Pelopi omnino non opus esset neque perpetratum crimini daretur. Idem haud scio an fabulae origo flagitet. Myrtilus dei alicuius omnium paene consensu filius (plurimi Mercurium patrem nominant, schol. Eur. Or. 998 ABMI Iovem, unus Nic. Dam. frg. 17 M. Hyperochidem, sed moneo in schol. vet. in Lyc. 149 Oenomaum *Στερόπης καὶ Ὑπερόχου* filium esse) multo ipso Pelope nobilior, Phenei in urbe Arcadica simul cum Mercurio colitur (Paus. VIII 14, 10 sq.). Habemus igitur Myrtilum Arcadem. Contra in Argolidem ducimur Phaëthusa matre, una de Danai filiabus (schol. Eur. Or. ll. l. schol. Apoll. Rhod. I 752): videtur igitur Myrtilus ex Arcadia in Argolidem migrasse. Huic convenit, quod idem ibi mortis genus *πέσημα ἐκ δίφρου* in Hippolyti fabula invenimus. Iam vero Pelopis cum Arcadibus inimicitias tradit Apollodorus (II 12, 9) neque alium fontem Myrtili fabulae fuisse coniciam. Quare, qui Myrtilum gentis suae adversarium a Pelope ipsorum proavo trucidatum esse fingerent Achaei, iis hoc facinus etsi expiandum tamen praeclarum visum esse neque malorum innumerabilium causam existimo. Itaque inde quoque profecti fabulam Pherecydeam de agno aureo a Diana donato vulgari antiquiorem esse intellegimus.

[15]) De hac recte nuper disputavit M. Mayer. de Euripidis mythopoeia. Berol. 1883, p. 41.

[16]) Verba sunt Calchantis Agamemnonem interpellantis. *Φωσφόρος θεά* Diana est; cf. Preller. gr. Myth.[3] I p. 239, Wilam. Herm. XVIII p. 257. Dianae huius statuam commemorat Pausan. IV 31, 10.

re multum eam pretii amissuram esse ultro apparet. Sed hanc fuisse indolem fabularis historiae, e qua Pherecydes sua sumpsit, nego et potius et hic et illic veteris Pelopidarum Dianae memoriam apparere confido. Verum enim vero inter antiquissimas nostram fabulam numerandam non esse alia via demonstrari potest. Namque eam nobis legentibus statim in mentem venit alius simillimae, ab Euripide in prologo Iphigeniae Tauricae adhibitae, quam secutus Iphigeniam quoque propter eiusmodi patris votum immolandam fuisse facit

ὅ τι γὰρ ἐνιαυτὸς τέκοι
κάλλιστον, εὔξω φωσφόρῳ θύσειν θεᾷ.

Habemus igitur in utraque fabula eandem deam, simile votum, votum neglectum, deam iratam, quae similitudo tanta est ut aliquam rationem inter utramque intercedere negari vix possit, praesertim cum de eiusdem gentis viris, patre et filio, agatur. Quaenam autem fuerit, considerantibus nobis Dianae utriusque fabulae naturam dubium esse nequit. Etenim Diana Euripidea antiquissima est, cuius numen ad omnia quae terra fert, bestias et fruges, pertinet,[17]) Diana fabulae Meleagreae,[18]) cuius vim posteriore aetate plane obscuratam primus patefecit O. Müllerus (Dor. I 375, 5); contra Pherecydea vulgaris illa Diana est, cuius tutelae animalia tantum subdita esse crediderunt. Cum enim Atreus gregum tantum primitias deae voveat, animalium modo patronam etiamtum eam fuisse iis, qui hanc fabulam excogitarent, liquet. Itaque ad illius exemplum hanc fictam esse existimo. Qua autem via ab Agamemnone ea ad Atreum translata sit, hoc perquirere neque volo neque possum.

Hoc unum addo, eandem fabulam a Lesbiis ad Pelopem quoque translatam esse, si quidem fides habenda est testimonio Anticlidis,[19]) quod e νόστοις eius nobis servavit schol. ad Arist.

---

[17]) Item indicare Robertum libenter lego apud Mayerum l. l. p. 27. Nimium autem hic verbo κάλλιστον tribuere mihi videtur, quo ad καλλίστην nomen Dianae tecte respici putat. Sed etiamsi recte hoc observatum est, tamen fabulae antiquitatem non probaret, cum idem in nostra narratione redeat. Contra non neglegendum videtur, priscum carnis humanae immolandae morem aperte significari.

[18]) Hom. I 537.

[19]) Fragmenta collegit C. Müllerus (cf. Stiehle Phil. IV p. 99): „scriptores rerum Alex. magni" (Arriani editioni a Dübnero curatae adi.).

Nub. 144 (p. 88 D. frg. 10 M). Commemoratur autem ibi χρησμὸς ἐν Λέσβῳ ναπαίου Ἀπόλλωνος,[20]) δοθεὶς Πέλοπι αἰτοῦντος αὐτὸν ἀνάθημα τοῦ θεοῦ τὴν ἄρνα τὴν χρυσῆν ἕτερα παρέχοντι κειμήλια. ἔστι δὲ οὕτως

ὃ βούλομαι δὸς μὴ δίδου δ' ὃ μὴ θέλω.

Haec fabula extra Lesbum insulam vix propagata satis obscura et remota sine dubio erat, atque ex eo genere quas Alexandrinae aetatis mythographi novi interdum vehementius quam veri studio inflammati in urbium antiquitatibus vel in ipsa fama populari investigare et in lucem protrahere solebant. Sed respice vetustum inter Pelopidas Pelopemque[21]) ipsum et Lesbum insulam nexum: fortasse concedes de hac fabula, quae per se suspicionis ansam non praebet, adeo non dubitandum esse, ut vel vetustam in ea esse memoriam putari possit.

Sed etiamsi recte de Pherecydeae fabulae origine disputavimus, tamen una discrepantia nos docet non plane ad Agamemnoneae exemplum eam factam esse: namque virginis loco agnum auratum habemus. Unde autem hoc sumptum esse arbitremur? Certissimum esse puto, eos qui primi hanc de Atreo fabulam vulgarent pro filia sacrificanda animal illud non arbitratu suo supposuisse propterea quod homines immolandi mos ab illorum aetate iam alienus esset: acceperunt potius agnum a maioribus, quem cum abicere neque vellent neque possent, ob id ipsum talem fabulae formam elegerunt, qualem cum illo coniungere liceret. Hoc docet mea sententia Minois taurus,[22]) hoc ipsa Iphigenia, votis haec et ille antiquiores. Quare si pristinam huius miraculi vim investigare conamur, fortasse vel supra hanc fabulam ascendere nos oportebit. Ὀλοὸν τέρας agnus a Mercurio missus est: nihil eum esse nisi malorum fontem ille vult. Ab hac Pherecydea fabula discrepat eo quod benigno dea numine ovem in Atrei gregibus nasci facit, cui se favere ita demonstrat: sed hic quoque illius demum impietate fit, ut

---

p. 147 sqq. „Rerum priscarum scrutatorem" Anticlidem nominat vir ille doctus.

[20]) cf. Preller, gr. Myth.[4] I 269.

[21]) Iam Hecataeus Mytilenam Pelopis filiam noverat; frg. 101 M. vol. I p. 7.

[22]) cf. Preller[3] II p. 120 sq.

donum divinum ei detrimento sit. Atqui apparet haec Atrei mala cum nova fabulae forma tam arte cohaerere, ut horum [illegible] eam fictam esse suspicari possis. Quare haec quoque animadvertenda puto ei qui [illegible] huius doni divini vim [illegible] velit. Itaque agnus donum vere divinum est, beneficium [illegible] ei qui accipiat alio modo pestiferum. Sed hic nobis in hac disputatione subsistendum est. Namque ut etiam propius ad huius fabulae finem accedere possimus, non solum quae tragoedia de agno narrat perlustranda sunt, sed etiam fabula [illegible] de Athamantidarum ariete accurate examinanda est, quam recte cum nostra comparat Prellerus (gr. Myth.³ II p. [illegible]). Tum spero, quid sibi velit agnus auratus Thyestae[1] primo a [illegible] datus [illegible] apparebit. Itaque missa hac quaestione [illegible] ad mythographorum testimonia revertamur.

II.

HELLANICUS.

Hellanici unum fragmentum servatum est hocce schol. Hom. A [illegible]. [illegible] ἔχων παῖδας [illegible] [illegible] τοῦ Χρυσίππου [illegible] καὶ οἱ παῖδες [illegible] [illegible] τοῦ Χρυσίππου [illegible] [illegible] Valemus igitur attentionem nostram non in [illegible]

---

[1] Thyestem [illegible] esse [illegible] quoque [illegible] p. [illegible] indicat.

[2] Ex autem [illegible] schol. [illegible] BL excerptum est: [illegible] [illegible] Atreum et Thyesten [illegible], cum Homerus [illegible]

nissimo fundamento positam esse; nam eius quoque fontem habemus unam de numero illarum ἱστοριῶν, de quarum maximae partis auctoritate severum iudicium ferendum esse Schwartzius nos docuit. Quare non supervacaneum videtur quoad fieri potest examinare, quantum fidei primum ipsi narrationi, deinde subscriptioni tribuere possimus.

Ac profecto haud scio an demonstrari possit nostrum quoque scholium non ex ipso scriptore, qui in eo nominatur, sed ex breviario fluxisse. Huius rei argumentum non contemnendum inde repetere licet, quod duas alias historias (*B* 494. *Γ* 75), quae in scholiis Homericis Hellanico tribuuntur, e breviariis sumpta esse Schwartzius probavit (l. l. p. 443. 458), quare idem in nostram cadere verisimile est. Deinde autem nisi fallor iis, quae ea narrantur, diligenter perlustratis deprehendi possunt, quibus hic quoque e ratione breviariorum usitata diversae originis particulas ad unam et continuam historiam conexas esse probetur. Pelops igitur Pisis habitans[25]) praeter complures liberos ex Hippodamia uxore natos Chrysippum habet spurium, quem antea alia ei femina pepererat. Cui a patre vehementissime dilecto cum ceteri filii et noverca inviderent veriti ne imperium a patre acciperet, interficere decreverunt, quod facinus ab Atreo et Thyesta, maximis natu, committitur. Deinde sequuntur haec: *ἀναιρεθέντος οὖν . . . ἀναιρεθῆναι*. Quicunque haec legerit, illud *αὐτόχειρας αὐτοῦ γενομένους παῖδας* ad Atreum et Thyesten, quippe quos solos facinus perpetrasse antea dilucide dictum sit, mea sententia referet. Attamen pergitur: *οἱ μὲν οὖν ἄλλοι κτλ.*, omnes igitur, non illi tantum fugati sunt. Denique Pelope mortuo Atreus magno cum exercitu reversus patris regnum occupavit et hoc quidem *κατὰ τὸ πρεσβύτερον*. Animadvertas quaeso comparativum. Neque enim probabile est temere hac forma usum esse scholiastam, qui supra Atreum et Thyesten filiorum *πρεσβυτάτους* esse recte dixerit: immo delabimur rursus eo, ut scholiastam comparativum propterea posuisse putemus,

---

tantum commemoret. Praeterea Atreum Elidem recuperasse dicendum erat, quia in antecedentibus aliter atque in A Pelopidas Pisis expulsos esse non narratum est.

[25]) Hoc colligendum est e verbis: *οἱ μὲν οὖν . . ἐκπίπτουσιν τῆς Πίσης*.

quod ceteris filiis neglectis de maximis tantum natu sermo sit, quorum Atreus recte nominetur πρεσβύτερος. Hae res indicare mihi videntur nostro scholio duas narrationes olim iuxta positas nunc in unam coniunctas latere, quarum altera omnes Pelopidas, altera Atreum tantum cum Thyeste propter Chrysippi mortem fugatos esse perhibuit.

Consentaneum est reliquorum Pelopidarum ut poenam ita cum ipso scelere nexum diversum fuisse, sed haec discrepantia plane evanuit. Eodem Pelopis exsecratione perducimur, quam non ad omnes filios, sed ad duos maximos tantum natu recte pertinere mihi persuasum est: nusquam de reliquis eiusmodi quidquam traditum invenimus, neque casu factum videtur, quod etiam e nostri scholii auctoritate exsecratio ad αὐτόχειρας παῖδας pertinet. Non minus Hippodamiae mentio suspicionem mihi movet. Simul cum filiis Atreum et Thyesten ad scelus perficiendum incitat; in illos — ut nunc res se habet — graviter pater consulit, de hac silet fabula. Neque tamen eam rem commemorarem — nam fortasse fieri potuit, ut quis mythologiae studiosus malam novercam ut in aliis fabulis[26]) ita hic quoque aptum locum tenere ratus de suo adderet[27]) — non commemorarem,

[26]) Malas novercas in Graecis quoque fabulis vel antiquissimis saepe inveniri notissimum est; commemoro praeter Inonem Eriboeam Hom. *E* 385 sqq. cf. Eurip. Alc. 309 sq., Ion. 1025, 1329 sq., Hippol. 962 sq.

[27]) Simile quid accidisse mihi videtur in Phoci fabula, a fratribus Peleo et Telamone necati. Pausanias (II 29, 9) enim narrat, matris gratia eos hoc fecisse: ταῦτα δὲ ἐχαρίζοντο τῇ μητρί. Contra in bibliotheca (II 12 6, 11) causa est illorum in Phocum invidia et apud Diodorum (IV 72) Peleus vel ἀκουσίως Phocum trucidat, cum apud Pausaniam idem ἑκών faciat. Hunc autem de suo matrem narrationi immiscuisse, ut suam de Aeaci uxoribus doctrinam apte annectere posset, hoc si quis affirmaverit, ego non obloquar. Leviter tango discrepantiam inter Apollodorum et Diodorum, quorum ille Telamonem, a Peleo in abscondendo tantum corpore mortuo adiutum, hic Peleum, Telamone ut aptum est historiae Diodoreae omnino non commemorato, percussorem nominat (cf. schol. in Hom. *Π* 14), cum Alcmaeonis (schol. Eur. Andr. 687, frg. 1 K) utrumque facinoris participem perhibeat (cf. schol. in Pind. Nem. V 25, vol. II p. 156 ed. Abel = Tzetz. schol. in Lyc. 175, ubi percussorum instrumenta inter se mutata sunt). Quamnam fabulam Euripides ipse (Andr. l. l. οὐδ' ἂν σε Φῶκον ἤθελον κατακτανεῖν — verba Menelai sunt Peleum increpantis) sequatur dubium est.

nquam, nisi de Hippodamia Chrysippo insidiante certa testimonia exstarent. Primum enim Pausanias (VI 20, 7) de Eleis tradit haec: *τὴν δὲ Ἱπποδάμειάν φασιν ἐς Μιδέαν τὴν ἐν τῇ Ἀργολίδι ἀποχωρῆσαι, ἅτε τοῦ Πέλοπος ἐπὶ τῷ Χρυσίππου θανάτῳ μάλιστα ἐς ἐκείνην ἔχοντος τὴν ὀργήν*, quocum conferendae sunt nugae Ps.-Plutarchi par. min. 33. *Ἱπποδάμεια δ' ἀνέπειθεν Ἀτρέα καὶ Θυέστην ἀναιρεῖν αὐτὸν* (sc. *Χρύσιππον*) *εἰδυῖα ἔσεσθαι ἔφεδρον βασιλείας. τῶν δὲ ἀρνησαμένων αὐτὴ τῷ μύσει τὰς χεῖρας ἔχρισε . . . . ὁ δὲ* (Pelops) *θάψας, τὴν Ἱπποδάμειαν ἐξώρισε. ὡς Δοσίθεος ἐν Πελοπίδαις.* Huc accedit argumentum tragoediae [28]) nisi fallor recentioris aetatis ab Hygino servatum (fab. 85): „Hunc (sc. Chrysippum) Atreus et Thyestes matris Hippodamiae impulsu interfecerunt. Pelops, cum Hippodamiam argueret, ipsa se interfecit."[29]) Similia haud scio an quondam nostro quoque loco inventa sint, quae hodie longa fortasse per epitomas via facta desiderantur. Utrum autem Hippodamia in altera earum fabularum, quas supra disiunximus, locum habuerit, ut Pausania et Hygino collatis probabile videtur, an his tertia addita fuerit, de hac re certum iudicium non facio.

Haec si recte disputata sunt, certi alicuius scriptoris quisquis fuit auctoritate totum scholion non nititur. Eo cautius ad argumentum eius adhibendum adeamus necesse est. In hoc autem labore auxilium non spernendum inde nobis venit, quod simillima narratio schol. Eur. Or. servata est, quae cum nostra coniungenda videtur. Ut ipse facilius iudicium facere queas, duo scholia iuxta proponam.

Euripidem autem spectans scholiasta cod. A Telamonem Apollodori Peleo videtur commutasse, si revera e bibliotheca suam notam descripsit, ut iudicavit P. Decharme, R. d. Ph. VIII 1884 p. 131. Non dubito, quin antiquitus solus Peleus hunc locum obtinuerit, quippe qui genuinus Aeacides sit, cuius famae ita vestigium deprehendimus. Memorabilis est denique locus Diodoreus, ubi sceleris a Peleo solo commissi uterque frater fugatus poenam solvit. Nonne hic luculentum breviariorum rationis exemplum habemus?

[28]) Inter tragicos maiores unus Euripides Chrysippi fata tractavit, sed a Laio eum raptum facit. cf. Welcker., gr. Trag. 533 sqq. Geist., de fabula Oedipodea II. Progr. Büdingense 1880 p. 2—4. 14.

[29]) cf. f. 243 (quae se ipsae interfecerunt) „Hippodamia, Oenomai filia, uxor Pelopis, quod eius suasu Chrysippus occisus erat."

Schol. Eur. Or. 5 ABCMI.[30])

Διὸς πεφυκώς· Τμώλου καὶ Πλουτοῦς υἱὸς ὁ Τάνταλος, Ταντάλου δὲ καὶ Εὐρυανάσσης Πέλοψ Βροτέας Νιόβη. Πέλοπος δὲ καὶ Ἱπποδαμείας Ἀτρεὺς Θυέστης Δίας Κυνόσουρος Κορίνθιος Ἵππαλμος Ἵππασος Κλέων Ἀργεῖος Ἀλκάθους[a] Ἕλειος[b] Πιτθεὺς Τροίζην[c] Νικίππη Λυσιδίκη καὶ ἔκ τινος Ἀξιόχης νόθος Χρύσιππος. τούτῳ φθονοῦντες[g] οἱ λοιποὶ[f] Πελοπίδαι ὡς προκρινομένῳ[d] παρὰ[e] τοῦ πατρὸς ἀναπείθουσιν ἅμα τῇ μητρὶ τοὺς πρεσβυτάτους[h] Ἀτρέα καὶ Θυέστην ἀνελεῖν τὸν παῖδα. οἱ δὲ ἀποκτείναντες εἰς φρέαρ ἐνέβαλον. ὁ

Schol. Η. Β 105.

Πέλοψ ἐκ προτέρας γυναικὸς ἔχων παῖδα Χρύσιππον ἔγημεν Ἱπποδάμειαν τὴν Οἰνομάου, ἐξ ἧς ἱκανοὺς ἐπαιδοποίησεν. ἀγαπωμένου δὲ ὑπ᾽ αὐτοῦ σφόδρα τοῦ Χρυσίππου ἐπιφθονήσαντες ἥ τε μητρυιὰ καὶ οἱ παῖδες μή πως καὶ τὰ σκῆπτρα αὐτῷ καταλείψῃ, θάνατον ἐπεβούλευσαν, Ἀτρέα καὶ Θυέστην τοὺς πρεσβυτάτους τῶν παίδων εἰς τοῦτο προστησάμενοι. ἀναιρεθέντος οὖν τοῦ Χρυσίππου Πέλοψ ἐπιγνοὺς ἐφυγά-

a) ἀργείων Ἀλκαθοῦς codd. Ἀργὼ Ἀλκαθώ M. p.
b) ἔλιος M. ἐλεῖος C. Ἐλεῖος M. p.
c) τροιζήν C, M. p.
d) τοῦτον — προκεκριμένον C, M. p.
e) παρὰ codd. praeter C, qui περὶ habet. ὑπὸ M. p.
f) λοιποί add. C, M. p.
h) τῇ πρ . . . ῃ M. p.
g) φθονήσαντες A B I (cf. schol. Hom.), φθονοῦντες M C, M. pr.

[30]) Transscriptum est hoc scholion in Apostolii codicem E (Parisin. saec. XVI; cf. Paroemiogr. Graec. ed. de Leutsch. et Schneidewin. II p. XI § 9) et Bruxellensem indeque translatum est in editionem Pantini (cf. ibid. p. XIII § 16. 18). Quae autem ibi exstant (edita sunt in Mantissa proverbiorum II 94, Paroem. Graeci II p. 772 sq.) in scripturae discrepantiis paene semper faciunt cum cod. C, a quo uno tantum loco (cf. not. y; cetera nullius momenti sunt) differunt. Quare librarius aut cod. C ipsum in manu habuit, lacunam autem illam ex alio codice supplevit, aut codicis C simillimum etiamtum integrum. Ad hanc rem illustrandam quae valeant varias lectiones adieci.

δὲ Πέλοψ ὑπόπτους ἔχων τοὺς παῖδας ἐκβάλλει τῆς πατρίδος ἐπαρασάμενος· τούτων ἄλλοι μὲν ἄλλῃ ᾤκησαν, Ἀτρεὺς δὲ καὶ Θυέστης ἐν τῇ Τριφυλίᾳ κατῴκησαν[k] ἐν[l] Μακέστῳ[l]. καὶ Ἀτρεὺς μὲν Κλεόλαν τὴν Δίαντος ἀγαγόμενος ἔσχε Πλεισθένη τὸ σῶμα ἀσθενῆ, ὃς Ἐριφύλην γήμας ἔσχεν Ἀγαμέμνονα καὶ Μενέλαον καὶ Ἀναξιβίαν. νέος δὲ τελευτῶν ὁ Πλεισθένης καταλείπει τῷ πατρὶ τοὺς παῖδας. Θυέστης δὲ λαβὼν Λαοδάμην[o] ἔσχεν Ὀρχομενὸν Ἀγαυὴν[p] Κάλλαιον.[q] τῶν δὲ Ἡρακλειδῶν κατασχόντων τὴν[r] Πελοπόννησον ἔχρησεν ὁ θεὸς αὐτοὺς[m] μὲν ἀποστῆναι Λακεδαίμονος[n], τοὺς δὲ Πελοπίδας βασιλεῦσαι.

δευσε τοὺς αὐτόχειρας αὐτοῦ γενομένους παῖδας ἐπαρασάμενος αὐτοῖς καὶ τῷ γένει δι' αὐτῶν ἀναιρεθῆναι. οἱ μὲν οὖν ἄλλοι ἀλλαχῇ ἐκπίπτουσι τῆς Πίσης· τελευτήσαντος δὲ τοῦ Πέλοπος Ἀτρεὺς κατὰ τὸ πρεσβύτερον σὺν στρατῷ πολλῷ ἐλθὼν ἐκράτησε τῶν τόπων. ἱστορεῖ Ἑλλάνικος.

[i]) ἐπαρασάμενος — ᾤκισαν — ἐν: ἐπ. τούτους· ἄλλοι μὲν οὖν ἄλλῃ (cf. sch. Hom. ἐπ. αὐτοῖς . . . οἱ μὲν οὖν κτλ.) ᾤκισαν — ἐλθόντες ἐν C, M. p.

[k]) ᾤκησαν A. ᾤκησ. M. p. ᾤκισ. C.

[l]) μακέστοις M. μηκέστῳ C. μηκεστῷ M. p.

[m]) τούτους C, M. p.

[n]) om. C; exstat in M. p.

[o]) Λαοδάμειαν C, M. p.

[p]) ἀγάνην C. Ἀγαύην M. p.

[q]) Κάλλεον M. κάλαιον I. καλλε C, altero λ alteri subscripto. Κάλεα M. p.

[r]) additum ex C. consentit M. p.

Proficiscendum nobis est ab iis, quae utroque scholio communiter de Chrysippi morte et Pelopidarum exilio narrantur. Habemus igitur Pelopem et Hippodamiam multorum liberorum

parentes, causam Chrysippi occisi Pelopidarum invidiam in fratrem a patre vehementius dilectum; utroque loco Atreus et Thyestes maximi natu a fratribus et matre incitati facinus committunt et Pelopidae a patre fugati et exsecrati dissipantur. Imprimis in his Hippodamiam sceleris, non poenae participem dirasque Pelopis in omnes filios preces notandas esse ex iis quae supra de scholio Homerico disserui apparet. Neque deinde desunt in ipsis verbis cum quae simillima sint tum quae prorsus congruant. Quae cum ita sint, artiore vinculo has narrationes coniunctas esse existimo, quippe quarum fontes, breviaria opinor mythologica, ex uno eodemque fonte, ipso quoque breviario, derivandi sint. Huic rei minime refragantur duorum locorum discrepantiae: namque ad minutias tantum pertinent et eiusmodi sunt, ut interdum quod altero omissum est, altero addatur, non de eadem re discrepantia inter se tradantur. Hic autem eo minorem eae vim habent, quod qui utrumque scholion conscripserunt fontes non ad verbum secutos esse, sed tantummodo suo utrumque consilio, ut infra elucebit, excerpsisse vestigia huius rationis docent satis impressa. Primum enim certissimum est, scholiastam Homericum non verba ἐξ ἧς ἱκανοὺς ἐπαιδοποίησεν, sed nomina[31]) liberorum legisse. Incertum illud genus dicendi a ratione scriptorum res mythologicas tractantium plane abhorruisse et per se consentaneum est et comprobatur eo, quod fuerunt qui nominum certorum nimis cupidi, ubi recte ea deessent, addere solerent, ὑποθέσεων dico scriptores. Etiam manifestior res mihi videtur esse in scholio Euripideo, cuius in fine quae quidem nunc leguntur sensu carent. Namque αὐτοὶ illi Pelopidis oppositi ipsi debent esse Heraclidae, cum aliorum praeter eos mentio non facta sit. Ubi autem unquam quisquam narravit Heraclidas Peloponnesum occupantes Lacedaemonis regnum Pelopidis cessisse? Immo si Pelopidae — namque de iis in huius scholii nexu haec quoque extrema verba esse oportet — una cum Lacedaemone et Heraclidis ita, ut nostro loco fit, commemorantur, vix de alia re cogitari potest,

[31]) Addere fortasse debebam „aut numerum". Sed hoc quoque, ni fallor, perraro fit. E tota bibliotheca unum mihi praesto est exemplum (III 12. 6. 4), ubi filias Asopi viginti fuisse nominibus omissis narratur. Diodorus IV 72 contra et numerum et nomina affert.

nisi de Pelopidarum regno Lacedaemonio per Heraclidas in Peloponnesum immigrantes finito. Simili fortasse deliberatione commotus O. Müllerus (Dor.[2] I p. 58) pro *Πελοπίδας* scribere nos iubet *Περσεΐδας, αὐτούς* autem ad Atridas refert. Hac emendatione is quem postulavimus sensus efficitur: etenim *Περσεῖδαι*, ut mihi indicavit Hillerus, Heraclidae intellegendi sunt, qui ipsi quoque *τὸ ἀνέκαθεν Περσεῖδαι* erant, ut dicit Pausanias, atque hac significatione sane insolentiore uti optime decet oraculum sine dubio Delphicum, Doriensibus eximie favens: namque ita Heraclidae legitimi Peloponnesi reges videntur. Sed etiam verba sic emendata et intellecta offensionem habent. Etenim primum quidem, priusquam Pelopidis regnum Lacedaemonis ereptum esse[32]) narretur, quomodo assecuti sint, certiores nos fieri oportet[33]), cuius rei supra ne levissimum quidem vestigium invenitur. Deinde autem quo iure, ut nunc est nexus verborum, *αὐτούς* intellegimus Atridas? et qui sunt hic „Atridae"? Agamemnon et Menelaus intellegi nullo modo possunt. Hoc ad eos tantum pertinet, qui in antecedentibus aliquo modo commemorantur, aut ad Heraclidas, id quod sensu vetari vidimus, aut ad Pelopidas, qui supra enumerati sunt, praecipue ad Thyestae liberos, ut qui proximum locum teneant. Sed quid his omnibus est cum Heraclidis? Nego enim id fieri posse, ut e singulorum Pelopidarum nominibus antea enumeratis totius gentis nomen audiatur ita, ut ii quoque, qui post Agamemnonem et Thyestae filios e Pelopis stirpe orti sunt, comprehendantur, quos migrationis Doricae aetate fuisse fabularis historia tradit, atque ad hoc nomen gentile pronomen *αὐτούς* referatur. Duae igitur in verbis ita emendatis et intellectis insunt etiam difficultates, ad quas tollendas nullam viam nobis apertam esse video nisi eam, ut lacunam

---

32) Hanc esse vim verborum *ἀποστῆναι Λακεδαίμονος* sequitur ex opposito *βασιλεῦσαι*.

33) Simile quid fortasse sensit scholiasta, qui Persidarum loco Pelopidas supposuit, cum illius patronymici vim non intellegens quomodo Pelopidae Lacedaemone potiti essent, his verbis tradi satis neglegenter putaret. Sed fortasse mero errore pro *ΠΕΡΣΕΙΔΑΣ* irrepsit *ΠΕΛΟΠΙΔΑΣ*, quod eo facilius fieri potuit, quod de his tantum in scholio sermo est.

ante ultima scholii verba τῶν δὲ Ἡρακλειδῶν κτλ. statuamus, qua et narratio de Pelopidis Lacedaemonis regno potitis et illud interciderit, quo olim pronomen αὐτούς recte referretur. Itaque ut quid sentiam breviter exponam, Pelopidarum nescio quorum in Laconicam adventum commemoratum fortasse aut verba huiusmodi sequebantur: οὕτως δὲ εἰς Πελοπίδας περιῆλθε τὸ τῆς Λακεδαίμονος κράτος, quae deinde verba τῶν δὲ Ἡρακλειδῶν κτλ. excipiebant, aut ii Pelopidae, quos Lacedaemonem relinquere deus iubet, vel Orestes vel eius filii, olim nominabantur et ipsi vocula αὐτούς significabantur. Iam si quaerimus, cur haec scholii Euripidei auctor neglexerit, huius rei causa ex ipsa scholii ratione repeti possit. Namque scholiastas suo quemque consilio excerpsisse docent scholiorum lemmata: apud Homericum summa in eo posita est, ut, quomodo Atreus Pelopi successerit, narratione explicetur, apud Euripideum in Tantalidarum stemmate. Huius autem adnotationem, ut nunc est, suo loco ineptam esse liquet, cum Euripideis ipsis plus quam semel repugnet atque ad eorum explicationem paene nihil afferat. Sine dubio igitur in genuina scholii forma dictum erat, genealogiam prodi ab Euripidea diversam, quae scholiastae certe aetate longe usitatissima erat, ut non temere, sed consilio[34]) hoc factum esse appareat. En habemus causam, cur usque ad Atrei nepotes et Thyestae filios tantum genealogia producatur: quae de Atridarum uxoribus et de Agamemnonis filiis in fonte suo invenit scholiasta, cum ab Euripideis non discreparent — hoc autem in his rebus pervulgatis probabile esse neminem fore puto qui neget — propterea ea addere supervaneum esse ratus est neque animadvertit ultimorum verborum, quae nescio qua de causa commemoratione digna existimans retinuit, sensum sic perturbari. Contra Homeri interpres suo consilio ductus in iis, quae utrique scholio communia sunt, nomina propria fere omnia omittit, in quibus enumerandis religiosus est alter.

Haec autem scholiorum ratio in iis quoque rebus indicandis tenenda est, quae narrationi communi in utroque scholio adduntur plane diversae, cum scholiasta Euripideus praeter ex-

---

[34]) Huius consilii haud scio an Euripides aliqua ex parte auctor fuerit verbis Electrae Διὸς πεφυκὼς ὥς λέγουσι Τάνταλος sibi ipsi de divina Tantali origine minime constare significans.

trema, quae modo tractavimus, verba genealogiam Tantalidarum finibus supra significatis conclusam praebeat, Homericus autem paucis tantum verbis Atreum Elidis imperio potitum esse prodat. Artissime hoc iudicium cum iis, quae adhuc de scholiorum congruentia disseruimus, cohaeret: etenim utrumque scholion non e compluribus fontibus consarcinatum, sed totum ex uno sumptum esse apparet, ut quod de unius eorum partis origine iudicandum sit, nisi aliae causae obstent, in omnes cadat. Quare si eae scholiorum partes, de quibus nobis nunc dicendum est, propter diversitatem eodem olim loco comprehensas fuisse negandum esset, reliquarum quoque quam deprehendimus congruentiam non communi scholiorum fonte, sed alia causa nos explicare oporteret; quae autem de una utriusque scholii parte, similitudine earum commoti, collegimus, eadem ad ea nobis transferre licere existimo, quae inter se diversa ipsa quidem huius consensus signa non prae se ferant, dummodo ne diversitatis iusta causa desit neque quae utrobique traduntur inter se pugnent. Atqui facile intellegitur, ea, quae scholiastae nostri dissentientes inter se afferunt, optime cum utriusque consilio convenire, ut inde cur ii haec ipsa elegerint non inepte explicari possit. Neque magis haec inter se pugnant. Duas hic fabulas habemus aliunde non cognitas: quarum altera Atreum Mecisti, in urbe Triphyliae, Elidis partis, habitasse, altera patris eum regnum Eliacum occupasse narratur. Nonne hoc ipsum Atrei domicilium aptissimum videtur, unde regnum paternum sub suam ille potestatem redigere potuerit? Immo postulare mihi videtur haec locorum propinquitas, ut utramque de Atreo memoriam uni fabulae tribuamus. Quare cum in his scholiis communia vel in ipsis verbis deprehendamus multa, pugnantia autem nulla, nihil mea quidem sententia obstat, quominus omnem eorum doctrinam uno quondam loco coniunctam fuisse statuamus, ad cuius pristinam formam duobus scholiis coniunctis propius accedere possimus. Continebatur igitur ea, quantum nos e reliquiis perspicere possumus, primum genealogia Tantalidarum a Tantalo usque ad Pelopem, deinde sequebatur narratio de Chrysippi morte et Pelopidarum exilio, cui addendum est e scholio Euripideo Atreum et Thyesten fugatos in Triphylia consedisse, ex Homerico illum patris mortui regnum occupasse. Tum continuatum Pelopidarum stemma ex-

cipiebant ea, quae lacuna interisse supra exposuimus, in fine denique positum erat oraculum Pelopidis datum. Haec si recte disputata sunt, ea, quae de Atreo Eleis imperante narrat scholiasta Homeri, firmo argumento comprobantur, itaque memoria haec satis obscura a suspicione defenditur, quam fortasse imprimis hoc loco nonnullis movere possit. Cum enim scholiasta verba *Πέλοψ δῶκ᾽ Ἀτρέϊ* sc. *σκῆπτρον*, sibi explicanda sumpsisset, ut proposito suo satisfaceret eiusmodi narratio ei afferenda fuit, quae Atreum patris regnum accipientem faceret. Quare cum hoc loco Pelops Pisas teneret, fieri non potuit, quin scholiasta Atreum eodem reduceret. Inde fortasse quis suspicetur, haec ultima verba scholiastam ipsum hariolando addidisse, quibus eam, quam inveniret narrationem, ad suum consilium accommodaret. Huc accedit alterum. Etenim si cui scholium tantum Homericum praesto est, ea fortasse via ei ingredienda videatur, ut putet, in pleniore grammatici fonte Atrei regni Argivi mentione facta narratum esse illum post Pelopis obitum Elidem quoque occupasse, scholiastam autem ea tantum excerpsisse, quibus ad Homeri verba interpretanda uti posset. Sed hanc quoque dubitationem comparato scholio Euripideo sublevari posse iudico. Namque qui Atreum Macisti domicilium tenuisse contenderent, eos de Atreo Argivo memoriam consulto abiecisse ipsum per se liquet. Quare in illam fabulam hunc inserere non licere arbitror. Quin etiam, si duae de Atrei domicilio opiniones compositae invenirentur, ut Atreum primum hic deinde illic habitasse diceretur, eae ut genuinam fabulam ad lucem protraheremus, secernendae essent, cum talis coniunctio in mente tantum eorum existere potuisset, qui fabularum naturae ignari e variis, quae ubique de iis ferebantur, perpetuam narrationem componendam esse censerent. In hac autem fabula, quod feci iudicium confirmatur aliquo modo iis, quae de eius origine non sine omni probabilitate suspicari posse mihi videor. Dubitari enim nequit, quin Pelopidarum memoria, cuius priscae sedes in parte Peloponnesi ad orientem versa quaerendae sunt, in Triphylia non aliter atque Pisis non antiquitus viguerit, sed posteriore demum aetate immigraverit. Atqui Macistus ab Herodoto (IV 148) in numero sex urbium refertur a Minyis qui dicuntur conditarum', qui e sedibus, quas inter Achaeos in Laconica te-

ıuerant,[35]) Doriensium irrumpentium impetu expulsi, Triphyiam occuparunt.[36]) Itaque his puto hanc de Atreo Macistio fabulam tribuendam esse; hi Pelopidarum fabulas, quas ab Achaeis in veteribus sedibus eos accepisse consentaneum est, in novas transtulerunt ibique proavos suos iam multis annis ante sedisse lege illa notissima in mythologia Graeca saepissime observata finxerunt. Ac profecto singularis nostri scholii genealogia, quae a domicilio segregari nequit,[37]) duabus saltem rebus Minyas et Lacedaemonios redolet. Namque inter Thyestae filios est Orchomenus, de cuius nominis cum Minyis nexu verba facere supervacaneum est, et Laodamiae, Thyestae uxori, nomen commune est cum Amyclae Lacedaemoniorum regis filia teste Pausania (X 9, 5). In fabula autem hoc modo orta Atreo Argivo nullum locum patere certissimum est. Narrabatur autem eadem, nisi fallor, Atrei posteros in Laconicam, unde venerunt Minyae illi, migrasse: unde fortasse causa repeti possit, cur extremam scholii Euripidei partem simul cum eis, quae lacuna intercidisse vidimus, suo iure cum hac Macistiorum fabula coniunctam esse dicatur. Iam vero etiam in proxima Triphyliae vicinitate vigebat Pelopis eiusque filiorum praeclarorum fama Pisatica, alia ut videtur via huc translata (cf. pag. 397 n. 5), cuius tanta erat auctoritas, ut, quae ad Pelopem ipsum pertinerent, ea posteriore aetate omnes ceteras de eo narrationes obscurare videamus. Itaque paene necesse erat has vicinarum regionum de iisdem fabulas aliquo modo inter se conciliari, id quod nostra narratione factum esse videmus. Hic autem nexus num semper fuerit, diiudicare non audeo; hoc iudicium pendet ex altero, utrum Pisatica an Triphylica fabula antiquior ducenda sit. Sin autem Minyae fabulam Pisaticam iam invenerunt, facillime fieri potuit, ut Atreum et Thyesten suum Pelopi Olympico statim initio quolibet modo annecterent.[38]) Sed cum aliquando hoc factum esse constet, quid mirum est Macistios Atrei sui imperii fines ita pro-

[35]) cf. O. Müller. Orchomenos cap. 15.

[36]) cf. ibid. cap. 18.

[37]) cf. infra p. 423.

[38]) Si forte Pelops Pisaticus antiquior fuerit quam Pelopidae Macistii, fortasse cum aliis tum illa ipsa fabula factum est, ut hi Pelopidas Macisti sedisse narrarent.

pagavisse, ut Pelopis patris regnum quoque Pisaticum comprehenderent? At fortasse etiam particula Pisaticae fabulae aliunde non cognita hic latet. Vulgaris sane fabula Pelopem tantum ex ea sumit, filios Argos transfert neque ego aliter olim Eleos ipsos narrasse possum demonstrare. Sed nonne cogitari potest, illos ut Pelopem ita posteros quoque sibi vindicasse? Illum ut omnium consensus iis condonaret, factum esse puto imprimis illius cum ludis Olympicis nexu; in fabulis quae sunt de filiis eiusmodi adiumentum defuit; quare etiamsi revera fabula de Atreo et Thyeste Eleis exstabat, primum locum semper obtinuisse fabulam Argivam a poëtis epicis Asiae minoris primum propagatam mirum non erat. Interisset illa[39]) ut multa alia a magno fabularis historiae fluvio seclusa, nisi Macistii eam accepissent, quorum commenta casu nobis tradita sunt. Sed haec mera coniectura est neque ea ad Macistiorum fabulam explicandam opus esse puto.

Duo igitur membrorum per nostra scholia disiectorum revera unius corporis esse vidimus. Nunc inquiramus, an inde egressi etiam alia investigare possimus, quae pro eiusdem fabulae particulis si non cum veritatis at certe probabilitatis specie haberi queant. Atque primum quidem Atreum et Thyesten a Pelope fugatos in Triphyliam migrasse sibi finxit is, qui hanc narrationem scripsit: hoc recte me iudice colligitur inde, quod Pelope mortuo Atreum regnum paternum bello recuperantem facit. Quare ab his de Chrysippi morte fabula segregari nequit ut qua causam illorum exilii comperiamus. Sed ne quis miretur eos fugatos non longius discedere quam ex una Elidis regione, Pisatide, in alteram, Triphyliam, singulas Elidis partes

[39]) Eandem fabulam tradere videtur schol. vet. in Lyc. 151: *φασί τινες ὅτι ἐν Ἤλιδι ἐγεννήθη διὰ τὸ τὸν Οἰνόμαον ἐκεῖσε βασιλεῦσαι.* Ultima enim verba *διὰ τὸ τὸν κτλ.* hunc tantum sensum mea sententia habere possunt, ut qui Menelaum Eleum nominarent commoti sint eo, quod Pelopidas Oenomai regis Eliaci successores ipsos quoque ibi habitasse putarunt. Utrum autem Lycophron ipse, cum Menelaum *τὸν ἐκ Πλευνοῦ τε κἀπὸ Καρικῶν ποτῶν | βλαστόντα ῥίζης, ἡμικρῆτα βάρβαρον | Ἐπειὸν οὐκ Ἀργεῖον ἀκραιφνῆ γοναῖς* nominaret, hanc scholiastae fabulam significare voluerit, an Menelaus propter proavorum tantum sedes Eliacas ita appellatur, mihi non constat, cum in verbis *τοῦ σκοτεινοῦ* interpretandis parum versatus sim.

non semper tam arto vinculo coniunctas fuisse moneo quam hodie quis existimaverit seductus eo, quod has regiones uno Elidis nomine comprehendere consuevimus.[40]) Ceterum similia saepe inveniuntur: non aliter, ut exempla afferam, Adrastus Argivus Sicyone exul vivit, Bellerophon Corinthius apud Proetum Tirynthium. Breviter praeterea tango, hic quoque uno eodemque loco fratres habitare non aliter atque in vulgari fabula. Artissime denique cum eorum domicilio Macistio coniungenda videtur genealogia scholii Euripidei, quoad ad ipsos et liberos pertinet. Namque hoc stemma ut fabula ipsa ab iis quae alibi produntur tam diversum est, ut non casu ea in scholio nostro conflata, sed revera eandem utriusque originem esse verisimillimum sit. Pauca, quibus hoc iudicium confirmetur, Orchomeni et Laodamiae nomina, supra (p. 421) commemoravi. Ad cetera nomina illustranda ut quid invenirem mihi non contigit. De una Cleola hoc addam, aliis fabulis comparatis verisimile videri illam Elidi vel Triphyliae attribuendam esse, ut hoc matrimonio Atreus eiusque gens cum novi domicilii regione conectatur.

Haec igitur tam arte inter se cohaerere mihi videntur, ut unius quondam scriptoris fabula ea complexa esse putanda sit. Coniectura his supra (p. 421) ultimam scholii partem de Pelopidis Laconicis addidi; de ceteris idem asseverare non audeo, Dubium mihi videtur, num reliqua stemmatis pars, Pelope et et Hippodamia nimirum, de quibus inter omnes convenit, exceptis eidem scriptori tribuendum sit,[41]) dubium praeterea, num et quo-

---

[40]) cfr. Curtius Pelop. II p. 1 sqq.

[41]) Priorem genealogiae partem Pherecydeam non esse docet Pelopis matris nomen, Euryanassa, cum Pherecydes eandem Clytiam Amphidamantis filiam nominet (schol. Eur. Or. 11 B M). Ibidem Euryanasses nomen Hellanici auctoritate niti coniectura est Mülleri — lacuna enim scriptoris nomen intercidit — sed satis incerta (frg. hist. I p. 93). Eodem duceremur Nicol. Damasceni testimonio, qui ipse quoque Euryanassen exhibet, si probari posset, quod vir ille doctus affirmat, in rebus mythologicis eum Hellanici vestigia sequi, neque tamen hoc fieri posse spero. Alteram autem stemmatis partem Atreum et Thyesten cum suis complectentem neque Pherecydeum neque Stesichoreum esse demonstratur eo, quod Laodamiae nomen hic Thyestae uxori datum ab illis ad Orestis nutricem translatum est. cf. Pherecyd. in schol. Pind. Pyth. XI 25, frg. 96 M; schol. Aesch. Choeph. 714. Denique fortasse non mero casui tribuendum est, quod Pelopis filiae,

modo Hippodamia ceterique Pelopidae Chrysippi necis participes fuerint, dubium denique num diras Pelopis preces haec fabula noverit, quod eo magis dolendum est, cum ex hac re de Atrei praecipue et Thyestae fatis aliquam coniecturam facere nobis liceret: neque enim dubitandum est, quin ii, qui hanc exsecrationem excogitarent, malorum eam Pelopidarum fatorum causam esse voluerint.[42]) Sed quantum equidem video ignoramus neque placet incertam rem pro vera venditare, ut fundamento tam infirmo aedificium imponamus.

His rebus perspectis non supervacaneum videtur ad subscriptionem redire, quam ad totum scholii Homerici argumentum non recte referri vidimus. Sin autem quae in his Hellanico revera debeantur quaerere conemur, post ea, quae de communi scholii Homerici et Euripidei fonte demonstrare studuimus, non in Homerico tantum nobis substituendum esse apparet. Haud ignoro me in tali disputatione veritatem assequi non posse: sed coniecturam afferre mihi liceat. Variae cogitari possunt rationes, quibus historiis quae dicuntur falsae subscriptiones adiungi potuerunt, sed verisimillimum mihi ea videtur esse, ut nomen eius scriptoris, cui extrema debeantur, praecipue si quae singularis memoria iis continetur, toti historiae subscribatur. Eiusmodi autem res Atrei regnum Eliacum est in fine scholii Homerici commemoratum, ut non sine probabilitate quis suspicetur huius quondam fabulae teste Hellanico laudato subscriptionem ortam esse. Inde colligendum esset, totam quam supra composuimus fabulam huius auctoritate niti.[43]) Sin autem quaeramus,

---

quae hoc catalogo recensentur, Nicippe et Lysidice, eaedem in bibliotheca ut nunc est commemorantur, reliquae omittuntur.

[42]) Idem indicat Prellerus gr. Myth.[3] II p. 387. Quod dicit, eosdem simul Atrei et Thyestae res adversas et Pelopidarum dissipationem e Pelopis imprecatione repetisse, de hac re vide, quae disputavi supra.

[43]) Si revera Hellanicus huius fabulae auctor est, apud eum Chrysippi necem omnium Pelopidarum dissipationis causam fuisse suspicatus sim, ut Pelopis exsecratio deesset, quam in nostro fonte fabulae, quae de Atreo tantum et Thyeste esset, tribuendam esse demonstrare conati sumus. Optime illam fabulae formam primordiis historiae Graecorum accommodatam esse docet Pherecydes apud Dion. Hal. Arch. I c. 13 frg. 85 M.

cuinam ex Hellanici voluminum numero haec tribuenda sit, hoc primum patet non de uno ex iis cogitari posse, in quibus Argivorum narrationes secutus est, veluti de Argolicis, quo Müllerus schol. Hom. refert; namque haec fabula non Argiva est, quam infra cognoscemus, sed Eliaca. Facile alicui in mentem venerit Atlantidis, in qua ut de Oenomao ipso (cf. frg. 56 M, schol. Σ 486) ita de eius liberis Hellanicum scripsisse verisimile est. Non aliter in Asopide Aeaci gentem usque ad Miltiadem deduxit.[44])

Sed haec hactenus de Hellanico; nunc transeamus ad Thucydidem.

III.

THUCYDIDES.

Thucydides in archaeologia, quae dicitur, in eo capite (I 9), ubi ad illustrandam Agamemnonis potentiam, qua Graecorum duces ut in expeditionis Troianae societatem venirent, coactos esse censet, de crescentibus paullatim Pelopidarum opibus disserit, nostram quoque fabulam tangit. Locus autem est hic: *λέγουσι δὲ καὶ οἱ τὰ σαφέστατα Πελοποννησίων μνήμῃ παρὰ τῶν πρότερον δεδεγμένοι Πέλοπά τε πρῶτον πλήθει χρημάτων, ἃ ἦλθεν ἐκ τῆς Ἀσίας ἔχων ἐς ἀνθρώπους ἀπόρους, δύναμιν περιποιησάμενον τὴν ἐπωνυμίαν τῆς χώρας ἔπηλυν ὄντα ὅμως σχεῖν καὶ ὕστερον τοῖς ἐκγόνοις ἔτι μείζω ξυνενεχθῆναι, Εὐρυσθέως μὲν ἐν τῇ Ἀττικῇ ὑπὸ Ἡρακλειδῶν ἀποθανόντος, Ἀτρέως δὲ μητρὸς ἀδελφοῦ ὄντος αὐτῷ, καὶ ἐπιτρέψαντος Εὐρυσθέως, ὅτ' ἐστράτευε, Μυκήνας τε καὶ τὴν ἀρχὴν κατὰ τὸ οἰκεῖον Ἀτρεῖ (τυγχάνειν δὲ αὐτὸν φεύγοντα τὸν πατέρα διὰ τὸν Χρυσίππου θάνατον) καὶ ὡς*

[44]) cf. Marcellinus, vita Thucyd. § 2 frg. 14 M (I pag. 48): „Marcellinus postquam Pherecydem dixerat ab Aiace et Aeaco Miltiadis genus deducere *Μαρτυρεῖ τούτοις*, inquit, *καὶ Ἑλλάνικος ἐν τῇ ἐπιγραφομένῃ Ἀσωπίδι*". Haec non accurate a Müllero disputata sunt. Pherecydes enim (frg. 20 M. vol. I p. 73) ab Aiace Miltiadis genealogiam deduxit; si altius ascendisset, ad Actaeum, non ad Aeacum pervenisset: nam ille apud Pherecydem, Atticam fabulam ut recte statuit Wilamowitzius (phil. Unt. VII p. 246 n. 10) secutum, Telamonis pater est (Apollodr. III 12, 6. frg. 15 M). Cum autem Hellanicum hanc genealogiam in Asopide tractasse constet, inde recte colligitur, alteram fabulam eum amplexum esse, qua Telamonem Aiacis patrem, Aeaci filium ex Aegina, Asopi filia, natum esse proditum est.

οὐκέτι ἀνεχώρησεν Εὐρυσθεὺς βουλομένων καὶ τῶν Μυκηναίων φόβῳ τῶν Ἡρακλειδῶν καὶ ἅμα δυνατὸν δοκοῦντα εἶναι καὶ τὸ πλῆθος τεθεραπευκότα, τῶν Μυκηναίων τε καὶ ὅσων Εὐρυσθεὺς ἦρχε τὴν βασιλείαν Ἀτρέα παραλαβεῖν, καὶ τῶν Περσειδῶν τοὺς Πελοπίδας μείζους καταστῆναι. ἅ μοι δοκεῖ Ἀγαμέμνων παραλαβὼν καὶ ναυτικῷ τε ἅμα ἐπὶ πλέον τῶν ἄλλων ἰσχύσας τὴν στρατείαν οὐ χάριτι τὸ πλεῖον ἢ φόβῳ ξυναγαγὼν ποιήσασθαι. Magnas autem fuisse Agamemnonis opes maritimas ex Homero Thucydides colligit, qui plurimas Agamemnoni naves tribuat multisque eum insulis imperitantem faciat, ad quas in officio continendas magna classe illi opus fuerit. Atreus igitur Pelopis filius a patre propter Chrysippi mortem fugatus in Mycenaeorum finibus moratur, quorum cum regibus a Perseo ortis necessitudinis vinculo coniunctus est: nam Sthenelus unam de Atrei sororibus in matrimonium duxit. Hic autem, cum ab Eurystheo, Stheneli filio, bellum Atheniensibus illaturo[44a]) propter necessitudinem vica-

[44a]) Thucydidi pervulgatam illam de Heraclidis Atheniensium auxilio Eurysthei impetum repellentibus (cf. Prellerus[3] II p. 280 sq. Jacobi lex. myth.[2] p. 424 sq.), quam ut exemplum afferam Euripides quoque in Heraclidis tractavit, ob oculos versatam esse verisimillimum est. Consentiunt autem cum Thucydide de Atreo Eurystheo succedente posteriorum scriptorum quantum scio hi: Diod. IV 58: *μετὰ ταῦτα* (sc. Eurystheo interfecto) *οἱ μὲν Ἡρακλεῖδαι πάντες ..... ἐστράτευσαν ἐπὶ τὴν Πελοπόννησον Ὕλλου στρατηγοῦντος, Ἀτρεὺς δὲ μετὰ τὴν Εὐρυσθέως τελευτὴν καταλαβόμενος τὴν ἐν Μυκήναις βασιλείαν, καὶ προσλαβόμενος συμμάχους Τεγεάτας καί τινας ἄλλους ἀπήντησε τοῖς Ἡρακλείδαις κτλ.* (sequitur narratio de Hylli Echemique certamine singulari). Castor chronographus de Argivorum regno (*περὶ τῆς Ἀργείων βασιλείας*) apud interpretem Armen. Eusebii (vol. I p. 177 Sch.): post quem (sc. Eurystheum) Pelopidae regnum ceperunt. .... Pelopidarum vero qui ab Atreo (incipientes) regnaverunt .... reperitur tempus CV annorum. Liban. IV p. 75 R: *εἰ γὰρ Μυκηναῖοι σφᾶς αὐτοὺς ἑτέρῳ προσένεμον, οὐκ ἂν εὐθὺς ἦν Ἀγαμέμνων ἰδιώτης; ἢ τὸν μὲν Ἀτρέα μετὰ τὴν Εὐρυσθέως τελευτὴν τύραννον ἐξ ἰδιώτου κατέστησαν· εἰς δὲ τὸν ἐκείνου παῖδα τἀναντία ποιεῖν οὐ τῆς αὐτῆς ἐξουσίας;* Schol. BL ad Hom. *B* 569: *Μυκηνῶν ἦρχεν Εὐρυσθεύς. ἐπεὶ δὲ συμβαλὼν Ἀθηναίοις ἐτελεύτα, ἱστοῦσιν Ἀτρέα αὐτόθι διάγοντα, ἅμα Θυέστῃ ἐπὶ τῷ φόνῳ Χρυσίππου φυγόντα*, quibus Eust. ad *B* 571 p. 290 addit *κατά τι λόγιον* Atreum creatum esse. Atrei nomen deest apud Strab. VIII p. 377 C: *αἱ Μυ-*

rius[45]) creatus esset, Eurystheo non reverso ipse regno Mycenaeo potitus est. His rebus e fabula sumptis Thucydides quasi fundamento suae disputationis utitur, in qua quae praeterea sunt, veluti causae quibus commoti Mycenaei Atreo regnum tradiderint, ipsius[45a]) ingenio tribuenda sunt, qui hic ut ubique res non solum narrandas, sed etiam explicandas sibi proponit. In fabula autem Thucydidea res nobis notae sunt Chrysippi mors, quam apud Hellanicum, atque Pelopidarum et Persidarum affinitas, quam apud Pherecydem invenimus; contra discimus eos quoque, qui Atreum in Argolide regnasse narrarent, Chrysippi fabula usos esse ad Atrei migrationem Pisis in Argolidem factam explicandam. Pisis enim Pelopem habitasse Thucydidis aetate sine dubio omnes consentiebant neque ipsum aliam memoriam spectasse cogitari potest. Quin etiam ipsa fabula opinor hoc postulat. Neque enim aliter de eius origine et consilio iudicandum esse censeo atque de aliis, quae multae exstant, simillimis, e quibus exempli causa Phoci fabulam affero. De qua cum nuperrime docte disputaverit Wilamowitzius (phil. Unt. VII p. 244 sqq.), verba facere supersedeo. Hac autem comparata apparet tum demum nostram fabulam fictam esse, cum Atreum non iam indigenam Argivum esse crederent et propterea ei, qui eius fata ab Argolide secernere nollent, aliqua via in veterem

---

κῆναι μετέπεσον εἰς τοὺς Πελοπίδας (sc. Eurystheo necato) *ὁρμηθέντας ἐκ τῆς Πισάτιδος*. Cf. denique Dio Chrys. Or. 73 p. 251 D in proxima adnotatione laudatus. Ceterum praeter Diodorum nullum inveni scriptorem, qui Atreum exercitui, quo Heraclidarum Hyllo duce in Peloponnesum irrumpentium impetus propulsatur, imperitantem faceret.

45) Dubitari potest num hoc quoque Thucydides ipse excogitaverit. Sed idem aliis fabulis traditur, veluti schol. vet. in Lyc. 1218 de Leuco, *ᾧτινι Ἰδομενεὺς τὴν βασιλείαν καὶ τὸν οἶκον παρέθετο ἐπὶ τὴν Τροίαν ἀπαίρων*. Quare Thucydidem quoque id in fabula invenisse negari nequit. Nostro autem loco haud scio an sua debeat Dio Chrys. l. l., ubi vicariorum exemplis e rerum historia sumptis Thucydideum addit: *πολὺ δὲ πρότερον τούτων Ἀτρεὺς* (sc. *παρέλαβε*) *παρ᾽ Εὐρυσθέως τὸ Ἄργος, ὅτε Εὐρυσθεὺς ἐπ᾽ Ἀθήνας ἐστρατεύετο.*

45a) Verum si quaerimus haec ipsa quoque fonti suo debere Thucydidem statuendum est, cum ab ipso ea addita esse non significet. Sed haud scio an ei tribui possit, quod cum fabula e fonte sumpta suas explicationes tacite coniunxerit, quippe quibus in ipsis rebus nihil mutaretur.

patriam a novis sedibus eum reducere deberent.[46]) Neque vero solos Atreum et Thyesten, sed ceteros quoque Pelopidas propter Chrysippi mortem Pisis relictis dissipatos esse fabulabantur; traditur hoc iis locis qui supra tractati sunt, schol. in Eur. Or. 5 et Hom. *B* 105, quibus addendum est testimonium Dieuchidae[47]) in schol. ad Apoll. Rhod. *A* 517 *Διευχίδας ἐν τοῖς Μεγαρικοῖς ἱστορεῖ, ὅτι Ἀλκάθους ὁ Πέλοπος διὰ τὸν Χρυσίππου φόνον φυγαδευθεὶς ἐξ Ἤλιδος*[48]) *κτλ.* Attamen hanc fabulam ad ceteros Pelopidas ab Atreo demum et Thyeste translatam esse demonstratur eo quod revera hi soli scelus perpetrant, cum ceteri consilii tantum participes sint.

Sed etiam alteram fabulam fuisse de Pelopidarum in Persidarum regnum adventu testatur Apollodorus[49]); narrat enim Sthenelum, Eurysthei patrem et Nicippes Pelopis filiae maritum,[50]) cum Amphitryone expulso totam Argolidem in suam potestatem redegisset, Mycenas et Tiryntha sibi ipsi retinuisse, Mideam autem Atreo et Thyestae arcessitis domicilium assignasse. Hae autem fabulae sane inter se coniungi possunt ita, ut Pelopidas a patre in exilium missos, cum quo se conferrent non haberent, a Sthenelo arcessitos esse statuatur; sed recte hoc fieri nego. Immo concedendum est, fabulam Apollodoream de Chrysippo a fratribus trucidato nihil scire: quamobrem in hac Stheneli invitatione opus est, cum in illa ad novas sedes quaerendas sua sponte proficiscantur. Unde autem Sthenelus venire eos iussit? E regione, opinor, extra Argolidis fines sita, intra quos antea

---

[46]) Confirmatur haec sententia quodammodo eo, quod alteram illam habemus fabulam de Chrysippo rapto, quae primitus ad Chrysippum Argivum pertinere videtur. Huc enim ducimur — ut missum faciam nomen matris, quae est *Δαναΐς νύμφη* apud mendacem par. min. scriptorem 33 — primum verbis Hyg. fab. 85: Laius Chrysippum Nemeae ludis rapuit, deinde eo, quod Praxilla Sicyonia (Athen. XIII p. 603 A; cf. Geistium, de fab. Oedipodea I, Büdingen 1879, p. 17 sq. Schneidewinum, die Sage von Oedipus, Gött. 1852, p. 171 sqq.) famam popularem sine dubio secuta eam protulit.

[47]) cf. de eius aetate Wilamowitz., phil. Unt. VII 240 sqq.

[48]) cod. *ἐκ τῶν Μεγάρων* corr. Keilius. Huic mutationi quod repugnare videtur *πάλιν ἦρχε ἐς τὰ Μέγαρα* illa corruptela demum videtur ortum esse.

[49]) II 4 6 5. [50]) II 4 5 5.

Pelopidis locus non esset, quod et Apollodori narratione et — quod maioris momenti est — ipsa fabula indicatur. Namque veterem in ea de Pelopidis Mideae habitantibus memoriam resonare apparet, quae etiam alium praeterea Argolidis locum, Mycenis ipsis fortasse exceptis, eorum domicilium fuisse certe non agnovit.[51]) Quare verisimile non est, in hac fabula de Pelopidis Midea aliam Argolidis regionem commutantibus cogitandum esse, sed Pisis hic quoque illi veniunt.[52]) Itaque cum duplici ratione Pelopidas Eleos cum Argolide coniungi videamus, de singulis scriptoribus, quibus eiusmodi fabula opus erat, veluti de Pherecyde, certam coniecturam facere non possumus, cum utram fabulam amplexi sint, in dubio relinquendum sit.[53])

Sed, ut ad Thucydidem revertamur, gravissima tantum, quae in usum suum convertere posset, illum e fabula sumpsisse vix monendum est:[54]) neque enim legentibus fabulam narrare

---

[51]) Huius memoriae vetustas quam late pateat, disceptare non audeo. Eadem autem deprehenditur apud Pausaniam VI 20, 7, qui sacro Hippodamiae Olympico et cultu, quem ea ibi habuit, commemorato addit haec: *τὴν δὲ Ἱπποδάμειάν φασιν ἐς Μιδέαν τὴν ἐν τῇ Ἀργολίδι ἀποχωρῆσαι, ἅτε τοῦ Πέλοπος ἐπὶ τῷ Χρυσίππου θανάτῳ μάλιστα ἐς ἐκείνην ἔχοντος τὴν ὀργήν· αὐτοὶ δὲ ὕστερον ἐκ μαντείας κομίσαι φασὶ τῆς Ἱπποδαμείας ὀστᾶ ἐν Ὀλυμπίᾳ.* — Neque illa contemnenda videbitur ei, qui de Achaeorum in Peloponnesum migratione tale iudicium faciendum esse existimet, quale indicat Wilamowitzius, Z. f. G. XXXVIII 1884 p. 114. Namque Midea sita est in via, quae ab Isthmo Argos fert.

[52]) Hanc alteram famam secuti sunt nisi fallor ii qui fabulam de Chrysippo rapto tenebant. In his Praxillam Sicyoniam fuisse vidimus, neque longe ab eius patria Midea abest. Videtur igitur haec fabula in illa Argolidis parte orta esse. Duas autem de Chrysippo a Laio rapto et deinde a fratribus necato fabulas posteriore demum aetate inter se conciliatas invenimus, ut apud Hyginum fab. 85 (Ps.-Plut. Par. min. 30).

[53]) Historicum fabulas interpretantem redolent, quae Plutarchus Thes. cap. 3 memoriae prodit, cum dicat Pelopem ipsum filios multis locis reges constituisse, neque his videtur praeter eas quas supra tractavimus fabulas, tertia postulari, qua Pelopis filii natu maximi ab ipso regnum Argivorum accipiunt. Plutarchi autem loco explicatur Sync. chron. p. 155 (Eusebius ed. Schoene vol. II p. 3) *μεθ' οὓς* (sc. Danai stirpem usque ad Eurystheum Argis imperantem) *οἱ Πελοπίδαι ἀπὸ Πέλοπος παραλαβόντες τὴν ἀρχὴν, ὧν πρῶτος Ἀτρεύς.*

[54]) „Alle mythischen Ausschmückungen und alle genealogischen

in animo habet. Quare ex eius silentio de rebus, quae ad eius consilium supra significatum non pertinent, nihil colligendum est: velut de Thyeste ex hac disputatione hoc unum elucet, illum e Thucydidis sententia gentis suae opes non auxisse: quamobrem hunc praeterire Thucydidi licuit, etiamsi forte post Atreum eum regnasse historia fabularis Homerum secuta traderet. Namque sive Thyestes intercedit sive non intercedit, quas Atreus comparavit opes Agamemnon non minutas accipit neque de alia re hoc loco agitur.[54a]) Tale autem silentium eo minus mirum est, quod Thucydides fabulam ipsam legentibus praesto esse sine dubio existimabat: etenim res ex ea haustas tetigit potius quam explicavit, atque ita quidem, ut verba eius mea sententia ab hominibus fabularum ignaris facile non recte intellegi possent, etiamsi non laborarent ignorantia scholiastae qui in verbis *τυγχάνειν δὲ αὐτὸν φεύγοντα τὸν πατέρα κτλ.* vocem *φεύγειν* de exilio dictum esse non intellegens ad verba illa explicanda adnotat haec: *ὁ γὰρ Πέλοψ τὸν Χρύσιππον τὸν υἱὸν ἀνεῖλεν· ὁ δὲ Ἀτρεύς, φοβούμενος μὴ τὸ αὐτὸ πάθῃ ἔφυγεν.* Sequitur autem e verbis Thucydidis ipsis (neque hoc monere supervacaneum videtur) hanc de Chrysippi morte fabulam illa aetate pervulgatam fuisse.

Fontem denique, e quo suam fabulae notitiam hausit, ipse indicat Thucydides primis loci supra descripti verbis. In his, ut recte monuit U. Koehlerus[55]), *Πελοποννησίων* coniungendum

Schwierigkeiten bei Seite lassend, hält Thucydides sich einfach an den überlieferten Zusammenhang des Persiden- und Pelopidenhauses' adnotat Classenus in commentario.

[54a]) Itaque in fabula quam Thucydides sequitur Thyesten Chrysippi trucidationis participem non fuisse hoc loco non magis probatur quam de Platonica loco Cratyli (p. 395 A), ubi de Atrei nominis significatione disserens Plato scribit haec: „*Ἴσως δὲ καὶ ὁ Ἀτρεὺς ὀρθῶς ἔχει. ὅ τε γὰρ τοῦ Χρυσίππου αὐτῷ φόνος καὶ ἃ πρός τὸν Θυέστην ὡς ὠμὰ διεπράττετο, πάντα ταῦτα ζημιώδη καὶ ἀτηρὰ πρὸς ἀρετήν. ἡ οὖν τοῦ ὀνόματος ἐπωνυμία σμικρὸν παρακλίνει καὶ ἐπικεκάλυπται. ὥστε μὴ πᾶσι δηλοῦν τὴν φύσιν τοῦ ἀνδρός· τοῖς δ' ἐπαΐουσι περὶ ὀνομάτων ἱκανῶς δηλοῖ ὃ βούλεται ὁ Ἀτρεύς. καὶ γὰρ κατὰ τὸ ἀτειρὲς καὶ κατὰ τὸ ἄτρεστον καὶ κατὰ τὸ ἀτηρόν, πανταχῇ ὀρθῶς αὐτῷ τὸ ὄνομα κεῖται.*

[55]) in dissertatione de Thucydidis archaeologia, comment. in hon. Mommseni Berol. 1877 pag. 375.

est cum *οἱ δεδεγμένοι* et intellegendi sunt ii Peloponnesiacorum, quibus maiores certissimam de Pelopidarum fatis memoriam tradiderunt; hi autem sunt, cum de Atreo Argivo agatur, Argivi. Atque de hac quidem re dubitari vix potest; alia autem quaestio est, unde Thucydidem hanc cognitionem sumpsisse putemus. Primus enim Classenus cum fabula a Thucydide adhibita fragmentum Hellanici supra tractatum (schol. ad Hom. *B* 105) congruere ratus, huic Thucydidem sua debere in commentario coniecit eique deinde assensus est Koehlerus l. l. qui cum de Argivae originis memoria ageretur, etiam certius de Hellanici Argolicis cogitandum esse professus est. Sed vereor ne fundamentum, cui haec sententia superstructa est, non ita firmum sit. Primum enim, si recta sint, quae de Hellanici fragminis argumento supra evincere conatus sum, multum hoc a Thucydidea fabula abhorrere liquet. Sed etiamsi mea sententia reicienda sit, accurata Thucydidis et scholiastae comparatione discimus, nihil his commune esse praeter Atreum ob Chrysippi mortem in exilium eiectum.[56]) Haec autem similitudo eo minus valet, quod hanc ipsam rem illa aetate pervulgatam fuisse supra vidimus. At dicat quispiam, non pugnant Thucydidea cum iis, quae sunt in scholio, quibuscum optime coniungi possunt.[57]) Sed hoc non sufficit, si quis demonstraturus est duorum scriptorum alterum ex altero pendere. Accedit autem, quod revera inter hos discrimen non contemnendum interesse mihi persuasum est. Neque enim Thucydides de Atreo Pisae vi rerum potito quidquam habet: immo *Μυκηναίων τε καὶ ὅσων ἦρχε Εὐρυσθεὺς τὴν βασιλείαν Ἀτρέα παραλαβεῖν* diserte dicitur, Eurystheum autem Elidi quoque praefuisse a nullo usquam traditum est. Cave autem dicas Atreum ut filium Pelopi in hoc regno successisse neque huius rei mentionem necessariam fuisse. Primum enim vereor, ne Thucydides regni Pelopis Elei rationem

---

56) Monuit hoc iam Herbstius in recensione commentationis Koehlerianae in Phil. vol. XL 1881 p. 354.

57) Hoc concedendum esse nuperrime iudicavit G. Schneege, de relatione histor. quae intercedit inter Thuc. et Herod. dissert. inaug. Vratisl. 1884 p. 30 n. 2, non recte ut probaturum me esse spero. Contra recte Thucydidem ex Hellanico pendere negavit. Herbstii illud opusculum, ut videtur, ei notum non erat.

hic habeat nullam.[58]) Opponuntur enim inter se me iudice Pelopis et Atrei opes. Ille pecuniae tantum abundantia potestatem ad totam Peloponnesum pertinentem [59]) sibi comparavit, hic demum etiam magno regno occupato generis sui opes non solum

---

[58]) Dissentio igitur in hac re a Classeno ad hunc locum adnotante: „Dieser gedrängte Ueberblick von dem Ursprung und der Ausbildung der Königsherrschaft der Atriden zerfällt in die beiden Hauptheile: 1) die Gründung des Reiches in Pisa mit besonderer Hervorhebung der mitgebrachten Schätze, und 2) die Ausbreitung unter den Nachkommen." Mea sententia regnum Pelopis Pisaticum Thucydides aut omnino negavit aut quod commemoraretur, dignum non ducebat. Ad hoc iudicium Thucydides fortasse cum aliis rebus adductus est tum suae aetatis Eleos spectans, qui ad Graecarum civitatum fata nihil valebant.

[59]) Quaeri potest, quibus rebus hanc Thucydidis de Pelopis potentia sententiam niti putemus. Namque aut hic ipse e Peloponnesi nomine hanc coniecturam fecit aut auctores suos in hac quoque re secutus est, cum iam ante eum essent, qui in tota Peloponneso Pelopem dominatum esse traderent. Hoc autem verisimilius mihi videtur. Primum enim mea sententia negari vix potest, eandem fuisse sententiam eorum, qui Peloponnesum *Πέλοπος νῆσον* (quod nomen iam apud Tyrtaeum exstat fr. 2 v. 4 B) esse primi dicerent. Deinde eiusdem memoriae vestigia — ut de Homero taceam — etiam alibi apud scriptores haud scio an deprehendi possint. cf. Pherecydem in schol. Soph. El. 504, ubi *ἐπὶ τὴν Πελοπόννησον* Pelops redit; adde schol. Hom. *B* 105 (= Eur. Or. 812) *Ἀτρεὺς βασιλεύων τῆς Πελοποννήσου*, Herodotum VII 11, ubi Xerxes eiusmodi hominibus bellum inferri dicit *τούς γε καὶ Πέλοψ ὁ Φρὺξ . . . . κατεστρέψατο οὕτω ὥς καὶ ἐς τόδε αὐτοί τε ὤνθρωποι καὶ ἡ γῆ αὐτῶν ἐπώνυμοι τοῦ καταστρεψαμένου καλέονται.* Tzetzen, schol. in Lyc. 156 = schol. Eur. Or. 990 C *Πέλοψ . . . λαβὼν Πῖσαν τὴν Οἰνομάου βασιλείαν καὶ τὴν Ἀπίαν Πελασγίαν λεγομένην Πελοπόννησον ὠνόμασεν.* (cf. narratio apud Westerm. Myth. Gr. p. 380 (LVII 3) *Πέλοψ . . . ἔλαβε γυναῖκα τὴν τοῦ Οἰνομάου θυγατέρα Ἱπποδάμειαν καὶ κατέσχε τὴν χώραν καὶ ἀντὶ Ἀπίας ἐκάλεσε Πελοπόννησον*, et Hyg. fab. 84: Hippodamiam in patriam abduxit suam quod Peloponnesum (sic!) appellatur. Schwartzius, de Hom. schol. p. 456 n. 1; non recte de his verbis indicavit C. Langius, de nexu inter C. Julii Hygini opera mythologica, diss. Bonn. 1865), denique Eusebium apud Sync. 303, 4 II p. 36 et 42 Sch. *τὸν Πέλοπά τινες οὐ μόνον Ἀργείων καὶ Μυκηνῶν ἱστοροῦσι βασιλεῦσαι, ἀλλὰ καὶ πάσης τῆς Πελοποννήσου*, versionem Armenicam ibid. p. 41 n. f, Peloponneso imperat Pelops=Hieronymus ibid. n. f, vers. Armen. p. 44 n. 1 Atreus et Thyestes post Pelopem diviserunt imperium Peloponnesi=Hieron. pag. 46 n. c. Addi possunt praeterea loci p. 419 n. 53 laudati. Sin autem revera

multum auxit, sed etiam probe stabilivit. Minime autem in tali interpretatione Pelopis mentio supervacanea est. Namque auctoritas, quam is sibi comparavit, in filium quoque transiit, quo factum est, ut Mycenaei Atreum regem crearent *δυνατὸν δοκοῦντα εἶναι*, nempe quia magni Pelopis filius fuit. Accedit, quod Atreus a patre Pisis fugatus est, cui rei optime convenit quod narratur scholio Homerico, eum armorum vi Elidem in suam potestatem redegisse. Quare si hoc in fonte suo Thucydides legisset, mea sententia in hac disputatione certe non neglexisset, ubi ut opes Pelopidarum gradatim accrescentes illustraret sibi proposuerat. Denique verisimile non videtur, Agamemnonem, qui Atrei imperium acciperet, Elidis regem duxisse Thucydidem, cui in tota hac quaestione ob oculos versaretur Homerus non sine Boeotia, qua Agamemnonei imperii fines satis accurate describuntur. Quae cum ita sint a scholio Homerico fabula Thucydidea utique seiungenda est neque certum illud de huius fonte iudicium stare iam potest; suspicandi tantum locus videtur esse. Fortasse Thucydides revera Hellanici Argolica, a quibus fragmen illud alienum esse intelleximus, sequitur; namque alias in aliis libris fabularum formas Hellanicum amplexum esse neque mirum est et exemplo certo constat.[60]) Sed certe non unus Hellanicus nostram fabulam tetigit. Denique omnino iis astipulari malim, qui non e scriptoris alicuius volumine, sed e fabula memoria prodita Thucydidem sua sumpsisse propter verba *οἱ τὰ σαφέστατα κτλ.* censent. Sed haec res utut se habet, de una re eaque nobis gravissima omnes consentiunt, res a Thucydide commemoratas fabulae tribuendas esse, quae illis temporibus in ore fuerit Argivorum.

eiusmodi memoriam Thucydides invenit, prorsus eam sequi non potuit, quippe qui Peloponnesi non parvam partem Persidarum imperio Pelopis aetate subiectam fuisse crederet. Quare Pelopis regnum Peloponnesiacum mutavit potentia ad totam illam Graeciae partem pertinente, quam pecunia ille sibi comparavit, cuius vis quanta esset Thucydidem aetas eius satis superque docuit.

[60]) Hellanicum apud Athenaeum IX p. 410 F, fr. 3 M: *τὸν δὲ τῷ χερνίβῳ ῥάναντα παῖδα, διδόντα κατὰ χειρὸς Ἡρακλεῖ ὕδωρ, ὃν ἀπέκτεινεν ὁ Ἡρακλῆς κονδύλῳ, Ἑλλάνικος μὲν ἐν ταῖς ἱστορίαις Ἀρχίαν φησὶ καλεῖσθαι, δι' ὃν καὶ ἐξεχώρησε Καλυδῶνος, ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ τῆς Φορωνίδος Χερίαν αὐτὸν ὀνομάζει.*

§ 6.

AESCHYLUS.

Quoniam mythographorum quinti saeculi reliquias perlustravimus, nunc ad Aeschylum transeundum vel potius redeundum nobis est: namque ad quinti saeculi exitum disputatio nostra iam pervenit, initium autem in hac eius parte nobis capiendum est ab Aeschyli Orestia, quam is anno 458 docuit, quo testimonio antiquius in tragicorum reliquiis habemus nullum. In huius tetralogiae quae supersunt fabulis Atrei et Thyestae fata cum saepe occasione data aut plus minusve tecte significantur aut aperte, sed breviter commemorantur, tum ordine ab initio usque ad Agamemnonis necem ab Aegistho copiose enarrantur in exitu Agamemnonis (1554—82 K. 1583—1611 W.). Quare aptissimum mihi videtur huic loco quasi fundamento quaestionem nostram superstruere. Sed ut recte hoc fonte uti possimus, hoc monendum est, Aegisthum eo duci consilio, ut Agamemnonis caedem a semet ipso perpetratam probet eo, quod quae Atreus in Thyesten peccasset, eorum poenam ab illius filio se repetisse simulet. Quam ad rem exaggeranda ei est quantum fieri potest Atrei culpa, Thyestae minuenda vel omnino silenda, id quod eo libentius eum facere putandum est, cum de suo ipsius patre agatur. Itaque deinde diligenter nobis circumspiciendum erit, num forte ex brevibus harum rerum commemorationibus per totam trilogiam sparsis enucleari possint, quibus Aegisthi narrationem suppleamus vel corrigamus.[1])

Atreus igitur et Thyestes fratres e Tantalidarum gente orti Argis habitant, cuius urbis Atreus Agamemnonis pater regnum

---

[1]) In hac commentationis meae parte, qua de Aeschylo agitur, adhibui imprimis commentarios, praecipue Klauseni ab Engero denuo editum, Karsteni, Weilii, Heckii, Schneidewini, quem retractavit Hense, Engeri a Gilberto retractatum, deinde H. L. Ahrensii disputationem in Phil. Suppl. I p. 213 sqq. 479 sqq. Cum quid de sententiis ab his viris doctis prolatis mihi iudicandum esset, in universum mihi persuasissem, in Weckleinii librum „Studien zu Aeschylus" miro casu a me primum neglectum incidi, quocum in multis rebus me consentire valde gavisus sum. Horum virorum doctorum sententiarum saepissime rationem habui, neque tamen uniuscuiusque auctorem diligenter nominare opus esse mihi videbatur, quod quae mea, quae aliorum sint, facile ultro apparebit.

tenet. Discidio autem de imperio inter eos exardescente Thyestes ab illo e domo et urbe fugatur. Rursus deinde supplex reversus ab Atreo benigne ut videtur excipitur, qui ipsum quidem, ne scelere nefario commisso polluatur, violare non audet, filiorum autem mactatorum ei carnem apponit. Quo facto hic, cum primum foedissimum cibum se comedisse intellexit, Pelopidis perniciem imprecatus postea ab Agamemnone simul cum Aegistho filio in cunabulis etiam iacente iterum in exilium extruditur, unde Aegisthus adultus revertitur.

Hae res ab Aegistho narratae quamquam in universum perspicuae sunt, tamen nonnullis locis ut subtilius considerentur postulant, cum de singulis parum constet.

Atque primum quidem non satis liquet, quo modo Atreus epulas illas scelestas paraverit ita, ut Thyestes deciperetur. Diem festum hostiarum immolatione celebratum ad scelus perpetrandum eum elegisse, diserte dicit Aeschylus v. 1563 sqq. K (1592 sq. W):

κρεουργὸν ἦμαρ εὐθύμως ἄγειν
δοκῶν παρέσχε δαῖτα παιδείων κρεῶν.

Deinde sequuntur in codicibus haec:

τὰ μὲν ποδήρη καὶ χερῶν ἄκρους κτένας
ἔθρυπτ' ἄνωθεν ἀνδρακὰς καθήμενος
ἄσημα δ' αὐτῶν αὐτίκ' ἀγνοίᾳ λαβὼν
ἔσθει βορὰν ἄσωτον κτλ.

In his certa puto coniectura *ἄσημα δ' αὐτῶν* in *ἄσημ' · ὁ δ' αὐτῶν* mutasse Dindorfium, cetera autem dubia sunt. Namque et traditam lectionem alterius versus sensu carere apparet, neque adhuc viris doctis huic loco operam navantibus, ut medelam ei afferrent, mea sententia contigit. Ac profecto me ipsum illis feliciorem non fuisse haud ignoro. Sed insunt in verbis traditis nonnulla genuinae lectionis vestigia impressa, quibus quosdam virorum doctorum paulo neglegentius usos esse putaverim. Quare non supervacaneum mihi videtur, locum hunc retractare et de via saltem ad emendationem nobis ingredienda denuo disserere.

Et primum quidem, ne quid praeiudicati afferentes in hunc locum inquiramus, eorum sententia reicienda est, qui comparatis Hygini (fab. 88 init.) de Atreo et Herodoti (I 119) de Astyage

narrationibus putant Atreum hic quoque extrema membrorum secreto loco usque ad epularum finem abscondita cenato demum Thyestae ostendisse, ut quid comedisset intellegeret, quam ad rem verbis plus semel sed leniter mutatis scribunt ita: *ἔθρυπτ' ἄπωθεν* (vel *ἄνευθεν*) *ἀνδρακὰς καθημένοις ἄσημ'· κτλ.*

Namque ut taceam de iis quae in ipsis his verbis offendant — infra enim haec tangenda erunt — satis superque haec sententia redarguitur eo, quod capita hic non commemorantur. Neque enim casu factum esse arbitror, ut illius partis, qua optime pueri agnosci possent quamque et Herodotus et Hyginus commemorant, Aeschylus mentionem non iniceret; qui autem consulto eam omissam esse evincere studebit, frustra ille laborabit Immo haec ipsa res clamare mihi videtur cenam Aeschyleam alia ratione instructam esse. Sed accedit alterum: frustra enim apud Aeschylum quaeruntur quibus post cenam partes illas insignes Thyestae ut rem perspiceret ab Atreo monstratas esse narretur. Namque Aeschyleis *κἄπειτ' ἐπιγνοὺς* per se tale quid prorsus non indicatur, neque Aeschylum in hac epularum descriptione satis copiosa incertis illis verbis ad hanc rem significandam usum esse puto, praesertim cum causam haberet gravem, cur eam luculenter exponeret. Est enim hominis atrocissimi omnemque humanitatem exuentis meo quidem sensu alterum non solum acerrime violare, sed etiam ipsum ei vulnus monstrare. Hoc autem si viros illos doctos audias facit Atreus. Mactat liberos, mactatorum carnem apponit, quam pater miserandus nihil opinatus comedit. Tum penes Atreum arbitrium est aut verum illi plane detegendi aut id saltem, quod atrocissimum est, celandi, ipsum patrem liberorum carnem devorasse. Sed nulla sceleris commissi poenitentia, nulla infelicissimi patris misericordia animus eius commovetur neque vox illa fatalis faucibus haeret, qua patri miserrimo rem factam crudelissime patefacit. Cum autem Aegisthus eo praecipue tendat, ut Atrei impietatem et atrocitatem quam vehementissime accuset, verisimile mihi non videtur, Aeschylum hanc eum occasionem praetermittentem facturum fuisse, si omnino rem ita, ut exposuimus, sibi finxisset. Sed hoc omnino factum non esse iis quae disseruimus satis elucere censeo. Immo cum nostri loci cum Hygini fabula et Herodoti narratione comparatio tum imprimis

verba *κἄπειτ' ἐπιγνοὺς* docent, Thyesten Aeschyleum ipsum foedissima perspexisse. Itaque quomodo Atreus hoc loco cenam instruxerit, illis narrationibus explicari prorsus nequit, sed sola Aeschyli verba consulenda sunt.

Proficiscendum autem nobis est ut semper a tradita lectione. Sed priusquam ad eam adeamus, pauca praemonenda sunt, et primum quidem de adiectivi *ἄσημος* vi atque significatione. *Ἄσημος* enim nominatur res, quae signis caret, unde de ea conicere quis possit, id quod germanica lingua dicimus „unkenntlich“. Quare haec vocula hoc loco, ubi de corporis humani membris agitur, quorum ea, quae praeter cetera insignia sunt, manus et pedes commemorantur, ad nullam aliam rem pertinere potest nisi ad corporis humani partes quae non forma sua singulari et propria originem statim prodant. Quare iis assentiri nequeo, qui *ἔκρυπτε ἀνδρακὰς καθημένοις ἄσημα* scribentes haec ad membra pertinere interpretantur, quae Atreus absconderit, ut hospites ea videre non possent, cum ita *ἄσημος* vim a nobis flagitatam non habeat. Deinde, ut transeam ad eos qui *ἀνδρακὰς καθημένῳ* vel *καθήμενον* — utrumque enim proposuerunt — ad solum Thyesten pertinere statuunt, persuadere mihi non possum Aeschylum unum hominem *ἀνδρακὰς καθῆσθαι* dixisse, cum hoc adverbium non aliter atque *κατ' ἄνδρα* mea sententia de compluribus tantum hominibus usurpari possit ita, ut quod vel a compluribus perficiatur, vel ab uno perfectum ad complures pertineat, ab unoquoque eorum separatim fieri vel ad unumquemque separatim pertinere significetur.

Haec si tenemus, tradita lectione retenta verba *τὰ μὲν ποδήρη κτλ. ἔθρυπτε ἄσημα* coniungenda esse apparet. Atreus igitur membra illa contundit, ut insigni sua forma privata dignosci non iam queant. Inde primum sequitur, quod vix commemorandum est, illas quoque partes Thyestae appositas esse: aliter enim conteri eas plane supervacaneum fuit. Deinde si quaerimus, quid spectans Atreus ita fecerit, dubii esse non possumus. Etenim si verebatur, ne iis scelus suum priusquam Thyestes cibum teterrimum gustaret,[2]) detegeretur, nonne prudentius

---

[2]) Priusquam gustaret dixi: namque Atreum quid comedisset Thyesten omnino celare voluisse nemo affirmaverit.

et cautius fecisset, si ut capita ita has dapibus omnino non immiscuisset, cum immisceri eas minime necessarium esset? Quare hoc uno consilio ductus esse potest, ut Thyestes ex ipsis illis membris, quid comedisset, perspiceret. At qui tandem hoc factum esse cogitemus membris ἀσήμοις omnibus signis privatis? Hoc certe nullo modo fieri potuit. Itaque non omnia signa deleta esse sensus postulat, sed ea tantum opinor, quibus Thyestes ilico primo obtutu quae sibi apposita essent videret; manserunt quae ab acrius demum spectantibus animadverterentur et satis superque agnoscerentur. Comprobatur autem haec sententia eo, quod ita cur capita puerorum absint optime intellegitur, quippe quorum formam ea qua opus est ratione abscondi vix posse nemo negaverit. Desideratur igitur aliquid, quo adiectivum ἄσημος eo quem exposuimus sensu accuratius definiatur. Restant autem etiam verba ἄνωθεν ἀνδρακὰς καθήμενος, in quibus fortasse id quod quaerimus latet. Ac profecto adverbio ἄνωθεν cum ἄσημος coniuncto sensus non ineptus evadit; haec enim meo iudicio interpretari possis de iis quae ab exteriore parte (von aussen, an der Oberfläche) cognosci non possint. Quare Thyestes nihil opinatus manu carnem petit (ἀγνοίᾳ λαβών), cuiusque corporis frusta prae se habeat tum demum perspicere potest cum exterioribus carnium partibus et avulsis et forte comesis ea, quae his circumdata erant — de ossibus nisi fallor cogitare nos oportet — aspicit, originem patefacientia. Sed haec horum verborum coniunctio ut stare possit, quae in medio posita sunt eodem pertinere debent, ut verba ab ἄνωθεν usque ad ἄσημα inter se cohaereant. Namque alienis rebus interpositis ἄνωθεν cum ἄσημα coniungere longo intervallo vetamur. Attamen facile intellegitur verbis ἀνδρακὰς et καθῆσθαι servatis huic postulato satisfieri non posse. Dativum enim καθημένῳ vel καθημένοις pro καθήμενος scriptum coniunxerunt quidam viri docti cum ἄσημα, ut sensus evaderet: „quae a viritim sedente (scil. Thyesta) vel sedentibus (i. e. omnibus convivis) cognosci non poterant“. Agitur autem hoc loco imprimis illud, ne Thyestes rem perspiciat. Neque quae Thyestes ipse, cui apponuntur, non dignoscat metuendum est, ne quis ea ceterorum convivarum perspiciat, quippe qui utique a funesta illius portione plus minusve longius quam ille ipse absint. Haec igitur spectantes fortasse

praeferremus singularem καϑημένῳ, nisi obstarent quae supra de adverbii ἀνδρακὰς vi et usu statuenda esse iudicavi. Quare plurali καϑημένοις omnes convivas non sine Thyeste comprehendi oportet. Hoc cum ferri possit gravior difficultas oritur adverbio ἀνδρακὰς verbo καϑῆσϑαι adiecto, quo convivas viritim sedentes suam quemque mensam habere significatur. Namque cum membra illa contusa non ab epulantibus in universum, sed a convivis viritim sedentibus cognosci non potuisse dicantur, illud „viritim sedere" ad ea cognoscenda alicuius momenti fuisse putandum est. Sed haec opinio vehementer nos fallit. Etenim Atreo, ut supra observatum est, in cena illa apparanda Thyestae imprimis ratio habenda idque cavendum est, ne huius suspicio ante tempus moveatur. Oculorum autem eius acies eadem est, sive convivae alii adsunt, sive non adsunt, sive viritim epulantur, sive de una eademque omnes mensa cenant neque ego quidem ullam aliam rationem interiorem inter membra ab Atreo deformanda et convivas viritim sedentes intercedere video. Quare cum hoc additamento ἀνδρακὰς verbum ἄσημος nullo modo illustretur, in verbis ἀνδρακὰς καϑημένοις ἄσημα illud ἀνδρακὰς plane supervacaneum mea sententia esset. At dicat quispiam: minime res ita se habet. Sane membra illa ἄσημα convivis sunt qui viritim sedent, neque tamen eam ob causam quod viritim sedent. Huic loco poeta viritim sedendi commemorationem adiunxit non quo ea ad membra conterenda ullius momenti esset, sed quia hic uno verbo facillime et brevissime annecti poterat; adiuncta autem est omnino propterea, quod haec res ad Atrei dolum intellegendam gravissima est: namque ita tantum apparet, qui fieri potuerit, ut Atreus diem illum quo utpote festo multi simul epularentur ad scelus suum perpetrandum eligeret: namque Thyestae carnem puerorum, aliis aliam apponere poterat atque ad hanc solam rem significandam Aeschylus oonvivas viritim sedisse commemoravit.[3]) Recte haec partim sine dubio se habent. Concedo e verbo ἀνδρακὰς colligendum esse eiusmodi sententiam ab Aeschylo olim huic descriptioni insertam fuisse, praesertim cum illa res commemoratione haud indigna esset, con-

[3]) Ne Herodotus quidem l. l. hanc rem omittit: *τοῖσι μὲν ἄλλοισι καὶ αὐτῷ Ἀστυάγεϊ παρετιϑέατο τράπεζαι ἐπίπλεαι μηλείων κρεῶν, Ἁρπάγῳ δὲ τοῦ παιδὸς τοῦ ἑωυτοῦ κτλ.*

cedo hoc brevissime fieri potuisse uno verbo ἀνδρακὰς iusto loco posito, sed non concedo ita factum esse, ut illud verbum insereretur in locum, ubi servatis recte cogitandi legibus tolerari non potest, cum supervacaneum sit atque qui legant facile in errorem inducere possit. Perversa eiusmodi dicendi ratio non solum ab Aeschyli ingenio abhorret. Contra autem alium locum, qui in traditae scripturae nexu verbis ἀνδρακὰς καθήμενος assignari possit, non habeo. Quae cum ita sint, constare mihi videtur, tradita verba corrupta esse, cum apta eorum interpretatio inveniri non possit; ad emendationem igitur confugiendum est.

Quicunque autem huic loco medelam afferre conantur, his a verbis ἀνδρακὰς καθήμενος proficiscendum esse liquet, quia haec ipsa interpretationi traditae lectionis resistant. Atque primum quidem fortasse quispiam suspicetur verba illa ipsi Aeschylo deberi, sed ab eo quem nunc tenent loco amovenda esse, a quo per errorem demum huc delati genuina versus 1566 verba expulerint. His fortasse olim continebatur illud, quo verbi ἄσημος vis ita ut necessarium esse supra (p. 428) exposui, artius circumscriberetur, illa autem reliquiae solae sunt verborum, quibus Aeschylus id, quod hodie uno verbo ἀνδρακὰς significari vidimus (p. 429 sq.) paulo copiosius unius fere versus spatio usus, explicaverit. Eiusmodi autem sententia, ut aliquid quod fieri possit afferam, versui 1564 adiungi possit ita fere: apposuit carnem liberorum Thyestae, id quod fieri potuit, cum viritim convivae sederent, iis quae sequuntur deinde describitur, quo dolo usus Atreus fratrem deceperit, ut ille cenaret, cenatus rem atrocissimam ipse cognosceret. Verumenimvero concedendum est, in traditis versibus (1562 sqq.) nulla praeterea vestigia inveniri, quibus alium principio fuisse atque nunc est nexum sententiarum prodatur. Quare quamquam huic coniecturae haud scio an faveat, quod ipsa verba codicibus servata corruptelae speciem prae se non ferunt — imprimis autem vocem ἀνδρακὰς perraro a scriptoribus adhibitam librarii errore ortam esse probabile non est — tamen iis potius adstipulandum videtur, qui singulis verbis mutatis lectionis vitia tollere studeant.[4])

[4]) Nemini me vituperationis ansam daturum esse spero, quod hoc loco eorum conamina omitto, qui Aeschyli verba ad Herodoti et Hygini narrationes accommodare laborent.

Atque primum quidem Weckleinius[5]) pro καθήμενος scribens δατούμενος — corruptelam autem fortasse litteris finalibus verbi ἀνδρακὰς per errorem iteratis ortam esse vult — ἄνωθεν ἀνδρακὰς δατούμενος coniungit additque hanc explicationem: „Atreus vertheilt Mann für Mann die Speisen und giebt jedem seinen Theil (viritim); so ist es ihm möglich, eigens dem Thyestes das absonderliche Gericht zukommen zu lassen. Jetzt ist auch ἄνωθεν erklärlich: der scissor — huius enim munere Atreum functum esse existimat vir ille doctus — steht am Oberende des Tisches . . . So giebt in

ἔθρυπτ' ἄνωθεν ἀνδρακὰς δατούμενος

ἀνδρακὰς δατούμενος die natürliche und notwendige Bestimmung zu ἔθρυπτε und enthält zugleich ein wesentliches Moment der Darstellung." Hanc coniecturam et argumentationem qua eam vir ille doctus confirmare studet, valde mihi placere confiteor. Quominus autem in ea acquiescam nihilominus prohibeor eo, quod ἄσημος in hoc verborum nexu nude positum est id quod ferri posse persuadere mihi nequeo (cf. p. 427 sq.). Aliam deinde viam ingressus est Engerus,[6]) qui cum iis, qui nostram descriptionem ad exemplum Herodoti et Hygini conformare nituntur, ἔθρυπτε in ἔκρυπτε mutat, sed verba

ἔκρυπτ' ἄνωθεν ἀνδρακὰς καθημένοις ἄσημ'·

ab illis dissentiens explicat: „Videtur Atreus pedes et manus texisse superpositis (ἄνωθεν) carnibus." His autem comesis Thyesten ipsum rem agnovisse. Sane ipse in annotatione critica locum nondum restitutum esse confitetur, atque hoc quidem optimo iure. Namque cum verba ἔκρυπτ' ἀνδρακὰς καθημένοις ἄσημα vertenda sint: „occultavit pedes etc., ut viritim sedentes eos videre non possent", in his mihi displicet — iterum autem hoc monere vix necesse est — primum adiectivi ἄσημος significatio, deinde viritim sedendi commemoratio: neque enim hoc ad membra illa abscondenda plus valet quam ad conterenda, de qua re supra disseruimus; denique ἄσημα sine ulla conspicua causa per pleonasmum verbo κρύπτειν adiectum et cum gravitate quadam supervacanea in fine enuntiati positum est. Con-

[5]) l. l. p. 146 sq.

[6]) in Klauseni ed. II ad vers. 1563.

tra ea quam vir ille doctus proposuit ratione ad consilium suum perficiendum optime Atreum uti potuisse negari[7]) non potest et traditae scripturae mutatio (ἔκρυπτε) facillima est, ut forsitan huius quoque viae rationem habere liceat. Itaque in huius disputationis calce coniecturam proferre audeo, in quam et Engeri et Weckleinii conamina intuens incidi. Scripsit Aeschylus ἔκρυπτ', ut Atreus sic ut Engerus significavit cenam instruxerit. Carnium autem quibus τὰ ποδήρη καὶ χερῶν ἄκροι κτένες absconduntur, mentio latet in voce ἄσημα. Haec non, ut omnes adhuc quantum video fecerunt, cum ποδήρη κτλ. coniungenda est, sed substantivi loco usurpata membris illis insignibus opponitur, atque ita interpretanda est, ut eae corporis humani partes intellegantur, quae non singulari forma originem statim prodant. Huic interpretationi primum convenit quodammodo collocatio verborum, cum illa initio, ἄσημα in fine enuntiati posita sint, ut videtur, non sine consilio. Deinde eandem secuti verbum habemus quo insequens pronomen αὐτῶν commode referri possit, neque oportet ad verba Aeschylea τὰ μὲν — ἄσημα audire nos tale quid: τὰ δὲ ἄλλα παρετίθει Θυέστῃ, ut suadet Schneidewinus in commentario id quod nimis languidum mihi videtur, quia cum antea iam (1564) de epulis Thyestae appositis sermo sit, bis paene idem si non legendum at certe cogitandum est. Carnes autem Thyestae apponendas Atreus ita componit, ut infra membra perspicua, supra ἄσημα iaceant. Hoc apte significari posse puto verbis ἄνω θεὶς (supra ponens)[8]) quae pro ἄνωθεν scribenda sunt, ἄσημα.

Restant denique verba ἀνδρ. καθ., quae si quis quolibet traditi participii καθήμενος casu servato cum verbis ἔκρυπτ' ἄνω θεὶς ἄσημα conectere velit, iisdem difficultatibus, quas supra nobis haec paraverunt, implicabitur. Quare recipienda est Weckleinii emendatio, quo facto narratio commode suppletur.

---

[7]) Leviter tango hic quoque recte deesse capita propterea quod propter magnitudinem non ut digiti occultari possunt ita, ut diu ea Thyesten fugere probabile sit.

[8]) Defendi haec possunt mea sententia notissima illa elocutione τὰ κατὰ ἄνω τιθέναι etc. — Haec dudum composita erant, cum e Weckleinii editione didici iam Casaubonum ἔκρυπτ' ἄνω θεὶς ἀνδρακὰς καθημένοις scripsisse.

cum exponatur, quae occasio ad cenam ita ut vidimus apparandam Atreo data sit. Atreus igitur

τὰ μὲν ποδήρη καὶ χερῶν ἄκρους κτένας
ἔκρυπτ' ἄνω θεὶς ἀνδρακὰς δατούμενος
ἄσημ'·

i. e. manus et pedes abscondidit supraponens, cum carnes viritim in convivas distribueret, ea quae dignosci non possent. Quibus comesis Thyestes (ὁ δ' αὐτῶν λαβὼν ἔσθει) cum insignia illa membra vidisset, ipse rem perspexit (κἄπειτ' ἐπιγνούς). Utut autem de hac coniectura iudicandum est, hoc ex iis, quae adhuc disputata sunt, pro certo haberi potest, Atreum ita cenam instruxisse, ut Thyestes e pedibus et manibus aut occultatis aut contusis quid comedisset ipse intellegeret.

Sed iam pergamus. Thyestes cum primum fratris scelus cognovit, in questus se profundit cibumque emovens relabitur

μόρον δ' ἄφερτον Πελοπίδαις ἐπεύχεται
λάκτισμα δείπνου ξυνδίκως τιθεὶς ἀρᾷ
οὕτως ὀλέσθαι πᾶν τὸ Πλεισθένους γένος.

Ad huius loci difficultates tollendas multam operam navarunt viri docti, quorum conamina si quis cognoscere studeat commentarios evolvat, cum nemini eorum adhuc contigerit, ut interpretationem aut emendationem proferret nulli dubitationi obnoxiam; meque ipsum profiteor non habere quo hunc nodum expediam. Hoc tantum certum mihi videtur esse, verbis λάκτισμα δείπνου mensam cum cibo a Thyeste ictu calcis eversam significari, non „conculcationem mensae hospitalis“, cum nostram narrationem insignem Lycaonis fabulae similitudinem[9]) casu prae se ferre negaverim. Deinde autem me iudice non licet, dum totius loci emendatio admodum dubia sit, unum ex his versibus eicere, id quod nonnulli viri docti fecerunt, quamquam probabilem interpolationis causam afferre non potuerunt, quare eos inter se de versu amovendo dissentire mirum non est.[10])

[9]) cf. Apollod. III 8, 1, ibi quoque Jovem tetrae coenae taedio mensam evertisse constat. De harum fabularum similitudine idem indicare Robertum libenter disco ex adnotatione Mayeri de Eur. myth. pag. 32 n. 41.

[10]) Versum μόρον κτλ. probata Schneidewini coniectura ἀρᾶτ' pro οὕτως amovit Schmittius, Obs. crit. in Aesch. Agam. Mannh. 1859 p. 8,

De totius denique Plisthenidarum generis exsecratione, in qua nonnulli haeserunt, infra disseremus.

Denique transeamus ad tertium locum orationis Aegisthi, qui offendit criticos. Postquam enim propter Thyestae cenam Agamemnonem trucidatum esse pronuntiavit, pergit hisce:

> κἀγὼ δίκαιος τοῦδε τοῦ φόνου ῥαφεύς·
> τρίτον γάρ ὄντα μ' ἐπὶ δέκ' ἀθλίῳ πατρί
> συνεξελαύνει τυτθὸν ὄντ' ἐν σπαργάνοις.

Tertium igitur decimum Thyestae filium, si traditam lectionem tenemus, Aegisthus se nominat. Hoc primus Emperius (opusc. p. 133) vituperavit, cuius sententiam recentiores Agamemnonis editores amplexi sunt. Negant enim duodecim liberos ab Atreo mactari potuisse, quorum partim iam adulti sine dubio se defendissent neque scelus in se committi sivissent. Praeterea nusquam in aliis veterum scriptis plures quam tres Thyestae filii commemorari. Sed primum num hoc verum sit, dubitari haud scio an possit. Namque in scholio Eur. Or. 5, ubi tres filii nominantur, Aegisthus deest; hic igitur, quem non est verisimile ullam fabulam aut ignorasse aut pro alius patris filio venditasse hoc testimonio non tertius sed quartus Thyestiadarum esset. idemque quadrat ad Senecae Thyesten, cum ibi quoque tres filii ab Atreo mactentur.[11]) Quod Aeschyleae fabulae, si revera recta est tradita lectio, vestigium alibi non invenimus, huic argumento non multum tribuam. Nam constat posteriorum temporum mythographos cum Sophoclem tum praecipue Euripidem multo diligentius adhibuisse quam Aeschylum, ut fabularum Aeschyli propriarum et a Sophoclis Euripidisque diversarum memoria ad nostram aetatem saepe non pervenerit. Atque tragicos Aeschyli aetate inferiores puerorum Thyestae mactatorum numerum minuisse recte colligitur e Senecae Thyeste et Hygini fabula 88, ubi duorum tantum puerorum nomina traduntur. Seneca autem simul nos docet, non recte Emperium in iuvenili mactatorum aetate haesisse: namque apud illum quoque eorum unus puer (v. 738 sqq.) duo iuvenes sunt (v. 685). Denique

---

versum οὕτως ὀλέσθαι dammavit Schützius, cui astipulantur Klausenus et Engerus.

[11]) Sen. Thyest. 717 sq. 726. 738 sqq.

accedit tredecim esse numerum in fabulis haud insolentem, id quod observavit Welckerus (Aesch. Tril. p. 21 n. 22; p. 605): per tredecim saecula Prometheus vinculis tenetur, tredecim Cadmi filii commemorantur schol. Eur. Phoen. 674; duodecim Nelei filiis necatis unus superstes est Nestor, tredecim procos Oenomaus necat, priusquam ipse Pelopi poenas dat. (Schol. Pind. Ol. I 127. Müller. fragm. hist. Graec. IV p. 405, 2. Hes. frg. 158 K.) His addi possunt tredecim Pelopis filii e schol. Eur. Or. 5. Quare quamquam hoc numero nostro loco suspicionem nonnullam moveri concedo, tamen dubito, num is solus ad traditam lectionem mutandam sufficiat.[12]) Si tamen aliae causae traditi ἐπὶ δέκ' emendationem postulant, Aegisthum tertium decimum filiorum sine dubitatione abici posse censeo. Sed de hac re melius infra disputabimus. Satis igitur habeo hoc loco illud indicium facere.

Sed iam missa de singulis Aegisthi orationis verbis quaestione nunc eos, qui fabulam breviter tangunt, perlustrantes videamus, num quid novi forte in iis invenire possimus, quo Aegisthi narratio suppleatur vel corrigatur, ut Aeschyleae fabulae imago quam accuratissima describatur.

Atque primum quidem prioris Thyestae exilii saevissimaeque Atrei in eum reducem crudelitatis causa, si Aegisthum audimus, fratrum certamen de regno conflatum fuit (*ἀμφίλεκτος ὢν κράτει* v. 1556 K). Quas autem partes in hac rixa uterque frater egerit quaeque eorum fuerit culpa, hoc loco non explicatur. Posteriorum autem narrationes,[13]) quamquam in levioribus rebus discrepant, omnes consentiunt in hisce rebus: postquam agnus aureus in Atrei regis gregibus natus est, Thyestes

---

[12]) Quod Welckerus Aesch. Tril. p. 21 n. 22 dicit: „so ist Aegisth der dreizehnte seit dem Frevel des Atreus", hoc me non intellegere fateor.

[13]) Praeter schol. Hom. *B* 106 A, Eur. Or. 812 supra allata cf. Paus. II 18, 2 *τὴν ἄρνα ὁ Θυέστης ἔσχε τὴν χρυσῆν, μοιχεύσας τοῦ ἀδελφοῦ τὴν γυναῖκα.* Sen. Thyest. 220 sqq. (praecipue 222, 234 sq.). De tota autem fabula hoc loco agendum non est, cum quae de ea praecipue in scholiis nobis servata sunt testimonia, magna ex parte posteriorum tragicorum, imprimis Euripidis et Sophoclis, tragoediis niti probabile sit. Eandem ob causam in textu ea tantum apposui, quibus ad Aeschyli verba intellegenda opus est.

eum, qui agnum possideret, regnaturum esse sperans Aëropen fratris uxorem adulteravit, eiusque auxilio ove potitus Atreum regno pellere conatus est. Hanc fabulam nobis considerantibus statim apparet huc referenda esse verba Cassandrae, quae ut vaticinationi suae de Agamemnonis morte fidem adiungat, antea res praeteritas coram choro breviter adumbrat cum dicat (v. 1145 sqq.):

ὑμνοῦσι[14]) δ' ὕμνον δώμασιν προσήμεναι
πρώταρχον ἄτην· ἐν μέρει δ' ἀπέπτυσαν
εὐνὰς ἀδελφοῦ τῷ πατοῦντι δυσμενεῖς.

Etenim inter omnes constat Aeschylum horum versuum tertio adulterium illud Thyestae cum fratris uxore commissum respicere, cum nihil praeterea notum sit, quo haec referri possint. Sed hic locus memorabilis propterea quoque est, quod πρώταρχος ἄτη, i. e. principale scelus, e quo omnia gentis Pelopidarum mala fata repetenda sunt, commemoratur. Cum autem dissentire video viros doctos, quaenam sit haec πρώταρχος ἄτη, de ea re paullo accuratius disquirendum est.

Primum enim sunt, qui Aeschylum ipsum hoc loco quae fuerit πρώταρχος ἄτη dicentem faciant. Blomfieldus enim verba ἐν μέρει δ' ἀπέπτυσαν absolute posita et εὐνὰς ἀδελφοῦ ad explicandam ἄτην per appositionem adiecta esse ratus principale illud scelus suo iudicio Thyestae adulterium esse profitetur. Eadem est sententia Karsteni, qui in verborum tantum constructione ab illo paullulum recedit, cum accusativum εὐνάς e participio τῷ πατοῦντι pendere et δυσμενεῖς ad furias referendum esse iudicet. Tamen his verbis „indicari" existimat, πρώταρχον ἄτην nominari illud adulterium „unde nati liberi quos postea patri epulandos apposuit Atreus." His denique addendus est Klausenus, qui principalis sceleris explicationem contineri vult verbis ἐν μέρει κτλ. quae, εὐνὰς δυσμενεῖς obiectum verbi ἀπέπτυσαν esse statuens, hunc in modum interpretatur: „non adulterium aspernantur Furiae, sed conubium infensum, id est vindictam de laeso matrimonio sumptam, facinus Atrei." Hanc autem interpretationem profert ea de causa, qua nisi fallor eius argumentatio explenda est, quod Furiis de eo scelere canendum

---

[14]) Sermo est de Furiis, quae domui Pelopidarum, ut semel in ea sanguinem humanam biberunt, insident neque iam eici possunt.

sit, quo primum in Pelopidarum domum inductae sint; hoc autem esse scelus Atrei, primam caedem domesticam, qua sola Furiae irritari possint in totam gentem: quamobrem Myrtili caedem a Pelope olim perpetratam, quam hic respici nonnulli statuerint, ab Aeschylo non commemoratam et a loco nostro segregandam esse, neque magis Furias ipsius adulterii, quamvis improbi facinoris, rationem habere, cum iis multa graviora ulciscenda sint. Sed hae interpretationes non ita comparatae sunt, ut earum ullam libenter accipiam. Contra Blomfieldum iam G. Hermannus recte mea sententia annotavit, illud *ἐν μέρει δ' ἀπέπτυσαν* in medio positum frigidius esse, quam ut tolerari posset. Klauseni autem interpretatio nimis artificiosa mihi videtur esse. Nam quicunque praeiudicata opinione non vinctus haec legit, ei haud scio an concedendum sit, summam positam esse in substantivo *εὐνάς*, non in adiectivo *δυσμενεῖς* — ut notionis adiectivi a viro illo docto acceptae nunc ei gratiam faciamus — in ipso adulterio, non in poena, ut non hanc sed illud Furiarum carminis argumentum fuisse putandum sit. Accedit autem, quod sine dubio praeferenda est altera vocis *δυσμενεῖς* interpretatio, primum a Karsteno quantum video prolata, deinde a Schneidewino confirmata gravi argumento, cum diceret, epitheto illo Furiarum *δυσμενεῖς* sollemne dearum nomen *Εὐμενίδες* post Orestis absolutionem, ut ferebatur, eis inditum respici. Porro mihi displicet verborum *ἐν μέρει* explicatio, quam illos criticos sequi necesse est. „Ordine, i. e. alia post aliam," inquit Karstenus, neque aliter Klausenus: „tum cum cuique Furiarum sua carminis pars iusto ordine distributa canenda est." Sed haec pugnant cum antecedente descriptione chori Furiarum concinentis,[15]) qua de singularum monodiis cogitare nos vetari existimaverim. Deinde nimis pusilla haec certi ordinis in respuendo observati commemoratio pro totius loci gravitate mihi videtur. Denique particula adversativa *δέ* novi aliquid principali sceleri addi mea sententia significatur, unde statim aptam

---

[15]) Non dubito, quin in v. 1141 K tradita lectio retinenda sit *ξύμφθογγος οὐκ εὔφωνος*. Ut alii chori, ita hic Furiarum concinit, quia omnes, quae ei intersunt, eadem canunt. Cum autem alii chori, si concinunt, bene sonent, hic quamquam concinit, pessime sonat; *οὐ γὰρ εὖ λέγει,* non bona et fausta dicit.

verborum vim evasuram esse videbimus. Duplex est enim Furiarum carminis argumentum, principalis calamitas et adulterium, per vicesque (ἐν μέρει) modo hanc modo illam rem cantrices illae terribiles canendo persequuntur. Hunc nostro loco sensum inesse Schneidewinum et Keckium censere video,[16] quibus asti pulari non dubito. Sane ita labor illius πρωτάρχου ἄτης explicandae nobis ipsis suscipiendus est.

Duae autem sunt res, quas apud alios scriptores πρωτάρχου ἄτης locum obtinere videmus, Myrtili mors et Chrysippi: hanc ipsi supra (pag. 414 sqq.) in scholio Homerico *B* 105 et in Euripideo ad Or. 5 invenimus, illa notissima est Sophoclis et Euripidis tragoediis. Attamen earum neutram Aeschylo vindicandam esse, inter viros doctos nunc videtur constare, cum recentiorum editorum nullum ad eas confugere videam, et hoc quidem recte meo iudicio propterea, quod utriusque fabulae vestigia in Orestia frustra quaeruntur. Sane eiusmodi argumento e silentio ut dicunt derivato per se in hac re non ita multum me tribuere confiteor. Namque cum Aeschylum notam fabulae formam, quantum ad nostrum propositum attinet, proferre liqueat, difficillimum esse arbitror diiudicare, quot et quibus verbis ad certam quandam rem significandam illi opus fuerit. Nonne cogitari potest πρώταρχον ἄτην Pelopidarum apud illius aetatis Athenienses tam vulgatam fuisse, ut his ipsis verbis, de qua re ageretur, satis perspicuum iis fieret? Non multo minus leviter adulterium Aëropes tangitur, neque contra dici potest alias res, Iphigeniae sacrificationem et mensas Thyesteas, identidem non uno verbo commemorari. Neque enim hoc mirum est in iis rebus, quae multo artius quam priora illa fata cum Orestiae argumento cohaerent, quod novissimae Agamemnonis mortis causae sunt, quippe quibus facinoris sui perpetrandi ius sibi dari Aegisthus et Clytaemnestra si non persuasum habeant, at certe simulent. Praeterea Atrei scelus primum locum in parricidiorum, quae Atridarum domus vidit, infausta serie tenet, quam in Χοηφόρων exitu chorus enumerat hisce

[16]) Idem videntur sentire Weilius, Engerus in editione minore, Hermannus, qui ita verba vertit: „canunt aedibus assidentes carmine primaevum scelus per vicesque abominantur torum fratris infestum corruptori."

Ὅδε τοι μελάθροις τοῖς βασιλείοις
τρίτος[16a]) *αὖ χειμὼν*
πνεύσας γονίας ἐτελέσθη·
παιδοβόροι μὲν πρῶτον ὑπῆρξαν
μόχθοι τάλανές [τε Θυέστου]·[17])
δεύτερον ἀνδρὸς βασίλεια πάθη·
λουτροδάϊκτος δ' ὤλετ' Ἀχαιῶν
πολέμαρχος ἀνήρ·
νῦν δ' αὖ τρίτος ἦλθέ ποθεν σωτήρ,
ἢ μόρον εἴπω;
ποῖ δῆτα κρανεῖ, ποῖ καταλήξει
μετακοιμισθὲν μένος ἄτης;

Sed nonnullae sunt caussae, quibus in ea de qua nunc agimus re Aeschyli silentium gravissimum argumentum esse demonstratur. Etenim quod primum ad Myrtili mortem attinet, quamquam iam Alcmaeonidem eam cum Pelopidarum fatis coniunxisse vidimus, tamen alteram eamque genuinam fabulae formam hunc nexum ignorantem deprehendimus etiam apud Pherecydem, fabula autem Olympica a Pindaro servata Myrtilum omnino non agnoscit. In tanta fabularum varietate sane dubium mihi videtur, num earum unam Aeschylo recte impertiamus nulla alia de causa, nisi quod apud posterioris aetatis tragicos praevalet. Deinde ne supra Atreum et Thyesten ad Pelopem ipsum ascendamus, trilogia Thebana, quam cum nostra iam Schneidewinus[18]) comparavit, nobis suadet; nam in ea quoque Aeschylus per tres aetates Labdacidarum scelera persequitur, ut non casu factum esse videatur, ut tertium scelus Orestis matricidium esse bis diserte dicatur. Chrysippi deinde mors, si recta sunt, quae de Hellanici fragmento disputavi, ipsa quoque a poetis tragicis Aeschyli aetate inferioribus fatalis illius rivi fons factus est, atque etiamsi Hellanicus ipse huius fabulae primus testis est, tamen a scenicis inferiorum demum temporum ea recepta esse videtur, cum in tragoediis et Sophocleis et Euripideis nusquam deprehendatur, quamquam iis saepissime Pelopidarum fabulae tanguntur. Denique Aeschylus si alterutrum

[16a]) cf. Choeph. 564 sq. K (575 sq. W).
[17]) Eiecit Hermannus.
[18]) Phil. III p. 350.

de his sceleribus, aut Myrtili aut Chrysippi necem, pro eo quod principale fuit posuisset, mea quidem sententia in eo cantico, quod supra laudavi, id non transisset neque hoc loco, quo parricidiorum deinceps se excipientium infausta serie breviter comprehensa uno quasi aspectu totam calamitatis in illustrem quondam gentem irruentis molem monstrat, quo maiore vi salus extrema trilogiae fabula descripta ei opponatur — non, inquam, hoc loco eorum tantum, quae in ipsis aedibus regiis (*μέλαθρα βασίλεια*) perpetrata erant, rationem habuisset, si quidem etiam aliud iis antecedens cum iis coniungi voluisset atque id quidem tam arte, ut hoc pro illorum fonte habendum esset. Quare de hac re omnem dubitationem remotam esse censeo: neque Myrtili neque Chrysippi necem cum Orestiae argumento Aeschylus conexuit.

Quid igitur? Habemusne nunc *πρώταρχον ἄτην*? Habemus, si fundamentum satis stabilitum nobis videtur, cui viri docti, qui eam ad mensas Thyesteas pertinere interpretantur, sententiam suam tacite superstruxerunt, cum iudicent, Furias de ea tantum re carmine suo canere posse, qua in domum inductae sint; atqui hoc liberis Thyestae occisis factum esse; ergo *πρώταρχον ἄτην* ab illis cantatam hoc Atrei facinus intellegendum esse. Itaque Klausenus artificiosa quam supra cognovimus interpretatione adulterii commemorationem omnino delere studet, Schneidewinus autem eius detestationem quasi parergon proprio carminis argumento insertam esse nos docet nisus aoristo *ἀπέπτυσαν* iuxta praesens *ὑμνοῦσι* posito. Haec ratio sine dubio nonnihil probabilitatis habet, sed pro certa eam venditare non ausim. Namque in hac interpretatione hoc mihi displicet, quod cum gravitate quadam certe non fortuita principale scelus, ceterorum fons, nominatur id, quod illo tempore, quo Agamemnon etiamtum vixit, omnino solum ac singulare fuit, cum *πρώταρχος* de primo potius membro longam seriem incipiente apte usurpari mihi videatur. Fortasse quispiam dicat, iam hoc loco primae de tribus trilogiae tragoediis ea facinora quae Agamemnone et Choephoris tractaturus esset, poëtae ob oculos versata esse: neque tamen hoc argumento omnem mihi scrupulum demi confiteor. Deinde dubito, num omnino *ἄτη* hoc loco parricidium esse debeat. Ipsius enim verbi vim hoc non

postulare multi docent scriptorum loci: immo adulterium illud non minus ἄτη est, quam illa quidquid fuit πρώταρχος. Quare miror quod iuxta principale scelus aliud commemoratur illo, ut docet fabularis historia, non ut exspectatur prius sed posterius. Tum Furias caede demum domestica in domum vocatas esse concedo, ideo nihil aliud eas cantare posse non concedo atque etiamsi non de Thyestae liberorum nece, sed de alia re nefaria priore cogitamus, aptum nos carminis argumentum statuere existimo. Nam prima illa quaecunque fuit calamitas cum aliorum tum Atrei sceleris fons est, cui ipsi illae deae primitus sedes suas in Atridarum aedibus occupatas debent. Quid? quod adulterii mentionem non aspernantur? Etenim quod de duarum carminis partium ratione Schneidewinus e verborum temporibus conclusit, hoc quamquam callide sine dubio excogitatum est, tamen propter sollemnem aoristi ἀπέπτυσα usum incertum mihi videtur, ut argumentum inde firmum repeti nequeat. Praeterea duarum carminis partium vicissitudo, quae verbis ἐν μέρει describitur, eandem illarum gravitatem postulare videtur. Denique fortasse etiam aliud accedit. Etenim eorum quae olim gesta sint vestigium se investigaturam esse postquam pronuntiavit Cassandra (v. 1138 sq. K), versibus insequentibus (1140—47) huic promisso satisfacit, quod particula γάρ indicatur. Et primum satis multis verbis Furiarum cohors aedibus insidens describitur, cuius insolentia sanguine humano hausto ita aucta est, ut expelli iam non possit. Hac descriptione tam aperte Atrei facinus significatur, ut statim uno eodemque quasi spiritu ad eandem rem redire supervacaneum videatur, praesertim cum ea et supra (v. 1095 sqq.) et paullum infra (1215 sqq.) a Cassandra vaticinante decantetur. Quin etiam postulare quodammodo mihi orationis nexus videtur, ut nova hac significatione πρώτ. ἄτη post vv. 1140—44 adhibita non iterum Atrei scelus modo adumbratum tangi censeamus, sed novam rem ei addi, scelus vel culpam, quae primae huius caedis domesticae, cuius sanguini avide inhiant Furiae, primus et proprius fons est. Quae cum ita sint, dubito, num πρώτ. ἄτη recte Thyestae liberorum mactatio intellegatur nec potius ad principale scelus indagandum nobis altius ascendendum sit, ubi si quid aptum inveniatur, hoc mensis Thyesteis praeferre non haesitaverim.

Ac profecto hanc spem nos fallere non puto. Etenim adulterium Thyestae hoc loco Cassandra, fratrum de regno certamen Aegisthus commemorat. Habemus igitur elementa, ut ita dicam, fabulae illius, quae Thyesten agno aureo per Aëropen adulterio corruptam potitum de regno cum Atreo contendisse perhibuit. Sane ovis diserta mentio apud Aeschylum non invenitur. Sed Aegisthus quidem, cum, ut callidus causarum patronus res ita tractat, ut eius pro quo dicit noxam minimam vel nullam esse persuadeat iudicibus, ita ille Thyesten ab omni culpa liberare studeat, de agno omnino silere debet, quo commemorato ultro choreutas Thyestae furti admonuisset. Huc accedit, quod memoria illa tragoediae aetate longe antiquior est, quippe quae cum iam ab Alcmaeonidis scriptore et a Pherecyde antiquiores ipso quoque fontes secuto propagata sit, tum praecipue ipsa antiquitatem valde sapiat. Quare non temere facere mihi videor, quod pauca illa, quae de fratrum rixa Aeschylus protulit, fabula de agno aureo tradita suppleo. Utrum autem deorum hoc donum Pelopidis dedisse arbitremur, Mercurium an Dianam? Si Mercurius id mittit, ne Myrtili quidem necem abicere licet. Ut autem de Diana cogitare malim eamque fabulam, quam Pherecydeam esse supra demonstrare studui, Aeschylo tribuam, commoveor praeterea loco illo vexatissimo, qui est in initio Agamemnonis (v. 131 sqq.):

> *οἷον μή τις ἄγα θεόθεν κνεφάσῃ προτυπὲν στόμιον μέγα Τροίας*
> *στρατωθέν· οἴκῳ γὰρ ἐπίφθονος Ἄρτεμις ἁγνὰ πτανοῖσιν κυσὶ πατρὸς κτλ.*

Etenim recte mea sententia Mayerus (l. l. p. 25 sqq.) *οἴκῳ* illo retinendo noxam aliquam domesticam significari iudicavit, qua Dianae ira incendatur, idemque recte statuit: fabula illa Euripidea (Iph. Taur. v. 17 sqq.) ad Aeschyli verba interpretanda adhibita non omnes difficultates levari. Sed optime nisi fallor „vaticinii Calchantis singula argumenta inter se coagmentari" possunt hoc modo. Irascitur Diana Atridarum domui — aptissimum igitur est *οἴκῳ* — ex illo tempore, quo Atreus agnum aureum ab illa ut ipsi immolaretur missum avaritia commotus servare maluit invidetque propterea illis Troia

expugnata[19]) summam gloriam ablaturis. Quare sacrificium Iphigeniae postulat, ut aut Atridae hoc repudiantes, quominus bellum gerant, impediantur, aut quod ipsa mavult,[20]) sacro facto rixa genti innata, *νείκεων τέκτων σύμφυτος*, i. e. genius *ἀλάστωρ*, ut recte dicit Keckius, qui inde a Thyestae liberorum mactatione quievit, denuo excitetur, neque iam viros i. e. Agamemnonem metuat (*οὐ δεισήνορα*). Namque Diana haud ignorat, huius sacrificii illum poenas daturum esse;

μίμνει γὰρ φοβερὰ παλίνορτος
οἰκονόμος δολία μνάμων μῆνις τεκνόποινος.[21])

Quae cum ita sint, haud scio an *πρώταρχος ἄτη* votum sit ab Atreo non solutum, quo ille impietatis culpam in se admisit. Hoc si statuamus, rursus similititudo cum Thebana trilogia apparet: namque ibi quoque principale scelus aliorumque fons nihil aliud est nisi Apollinis numen violatum a Laio qui oraculo ne liberos procrearet monenti obsecutus non est.[22])

Sed iam pergamus. Thyestes igitur post adulterium perpetratum et certamen de regno finitum fugatur. Postea sua sponte reversus liberorum carnem comedit et gentem exsecratur. Iam vexat viros doctos quaestio, quid deinde Thyeste factum sit. Ex Aeschyli enim verbis hoc tantum discimus Thyesten cum Aegistho infante ab Agamemnone iterum expulsum esse.

---

[19]) Recte puto Mayerum l. l. contra Wilamowitzium contendere portento illo monstrari „irasci deam Atridis, sacrificium flagitare pro communibus dapibus vel fruendis vel iam perceptis“, et „fruendis dapibus Troiam significari posse“.

[20]) Quare illo deae consilio plane neglecto hoc tantum adumbrat hisce verbis (v. 151 sqq.):

σπευδομένα θυσίαν ἑτέραν ἄνομόν τιν' (scil. Iphigeniae immolationem) *ἄδαιτον*
νεικέων τέκτονα σύμφυτον, οὐ δεισήνορα (*δαῖσαι*).

δαῖσαι addidit Keckius, recepit Weilius in novissimam quam curavit Aeschyli editionem. (Lips. ap. Teubn. 1884.)

[21]) Iram liberorum ultricem et ad Aegisthum et ad Clytaemnestram pertinere adnotat Engerus in editione Klauseni ad v. 144. Reviviscit haec ira Iphigeniae morte cum Aegisthus a Clytaemnestra adiutus demum Thyestae liberos ulcisci audeat. cf. praeterea ad *τεκνοπ.* Agam. 1466.

[22]) Cf. Schneidewin. Phil. III p. 350. Geist. de fabula Oedipodea II p. 2. Aeschyl. Septem v. 742 sqq.

Ab Agamemnone dico: etenim cum duobus antecedentibus versibus (1574 sq.) de eo agatur, orationis leges postulare videntur, ut insequentis quoque enuntiati (1576 sq.) subiectum hunc, non Atreum, esse sumamus. Inde sequitur, Thyesten post cenam funestam in patria remansisse, atque in hac re, quamvis mira sit, acquiescendum nobis videtur esse. Falsum autem sine dubio est, quod nonnulli excogitarunt, Atreum a fratre occisum esse: namque alii rectissime iam viderunt, Agamemnonis demum caede Atrei facinoris poenam capi in nostra tragoedia passim[22a]) pronuntiari non solum ab Aegistho, Thyestae sibique ipsi favente, sed etiam ab aliis, veluti a Cassandra, locupletissima teste (cf. v. 1177), quod, si Thyestes ipse fratre necato iniuriam acceptam vindicasset, fieri non potuisse apparet. Praeterea deest hoc scelus in catalogo, quem praebet *Χοηφόρων* finis, ubi desiderari nullo modo poterat. Quod deinde de Aërope Aegisthus silet, mirum non est. Etenim cum de ea hoc loco non agitur, tum eius mentio eos qui audiverunt Thyestae culpae commonefecisset.

Quo iam cognito examinemus locum, unde has Aegisthi narrationes expleri posse nonnulli viri docti sibi visi sunt. Est autem in initio praeclarissimae illius scenae qua Cassandra Agamemnonis suamque caedem vaticinatur. Primo autem furoris divini impetu capta queritur in talem domum se venisse

> στρ. μισόθεον μὲν οὖν πολλὰ συνίστορα 1044
> αὐτοφόνα κακὰ καρτάναι
> ἀνδρὸς σφάγιον καὶ πέδον ῥαντήριον,

deinde chori brevis responsi ratione non habita pergit hisce

> ἀντ. μαρτυρίοισι γὰρ τοῖσδ' ἐπιπείθομαι 1049
> κλαιόμενα τάδε βρέφη σφαγὰς
> ὀπτάς τε σάρκας πρὸς πατρὸς βεβρωμένας.

Strophae alterum et tertium versum corruptum esse, et ipsa verba et antistropha docent, cuius versus medius una syllaba longior est quam strophae. Antistropha enim, cuius versum secundum impugnarunt, iustae dubitationis ansam non praeberi mihi persuasi. Miror autem, primum Karstenum probante Ahrensio (l. l. p. 609) contendere *τάδε* in secundo versu „languide

---

22a) cf. Ag. 1462 sqq.

additum" esse, praesertim cum modo antecesserit τοῖσδε.[23]) Hoc languidum esse prorsus nego: nam animo fingo Cassandram illa vociferantem vaticinis furoribus et dirae visionis terrore concussam bis digito monstrare atrocem puerorum imaginem spectantibus occultam, sibi ipsi terribili perspicuitate ob oculos versantem. Languidum iure quis duxerit quae Keckius ipse quoque sua emendatione pronominis ὅδε iterationem se vitasse gavisus proponit:

κλαιόμενα τ' ἰδὲ βρέφη σφαγὰς
ὀπτάς τε σάρκας πρὸς πατρὸς βεβρωμένας·

nam illud τε — τε ab huius cantici ardore alienissimum mihi videtur. Neque magis apta chori appellatio est — nam quis tandem alius imperativo ἰδὲ ad videndum invitatur nisi chorus — cum vates in tota prima huius cantici parte usque ad versum 1103 visione sua plane occupata chori nullam rationem habeat.[24]) Sed videamus causas, quibus ad traditam lectionem mutandam vir ille doctus commoveatur. Atque primum quidem constructionem verborum κλαιόμενα κτλ. vel eam quam tolerari posse ipse concedit — ad nominativum autem βρέφη audiendum censet ἐστί — ei displicere ipsius verba docent.[25]) Deinde autem in horum verborum sensu haeret, cum ita nostro loco pueri non solum caedem suam (videtur autem Keckius de pueris in ipsa trucidatione gementibus cogitare), sed etiam carnem a patre comesam deflere dicantur. Hoc appellat „eine sehr incorrecte Vor-

---

[23]) Pronomine τάδε eiecto antistropham vir ille doctus conformat ita: μ. γ. τ. ἰ. κλαόμενα βρέφη σφαγαὶ ὀπταί τε σάρκες πρ. π. βεβρωμέναι· cui respondet stropha haec: μ. μ. οὖν, π. σ. κἀὐτόφονα κάκ', ἀρτάνας ἀνδρὸς σφαγεῖον κ. πέδον ῥ. Quicunque accuratius huius lectionis virtutes perspicere volunt, Karsteni commentarium inspiciant. Mea sententia ea se ipsa condemnat, ut, quid sentiam, exponere non opus sit. Metrum dipodia trochaica pro iambica inculcata depravari recte iam Keckius dixit.

[24]) Si cum Keckio v. 1079 sq. scribitur ἄπεχε τᾶς βοὸς τὸν ταῦρον ἐν πεπλώδει μελάγκερων λαβοῦσα κτλ. imperativo ἄπεχε ipsum Agamemnonem appellat Cassandra. Quare cum plane aliter hic res se habeat, non perspicio, quid spectans Keckius ad coniecturam suam firmandam lectores ad illum locum revocaverit.

[25]) „v. 1055 wäre das überlieferte κλ. τ. βρ., falls die Lesart unverdorben wäre, sicherlich der Nominativ", et porro „nehmen wir denn einmal an, dass κλ. τ. βρ. Nominativ mit einem zu ergänzenden ἐστί ist."

stellung" atque id quidem hac de causa: „denn was in der Wirklichkeit nicht existirt hat und nicht existiren wird (und wie könnten Kinder um ihr verzehrtes Fleisch weinen?) das kann auch die Seherin nicht schauen: ihr offenbart sich nur das wirkliche, freilich so, dass sie Vergangenheit und Zukunft wie in einem Blicke überschaut. Und was aus der Nebelverhüllung ihrem Hellblick entgegentritt, hat sie einfach zu beschreiben." Itaque pueros flentes et carnem comesam caligine discussa Cassandrae apparuisse Keckius statuit: nam haec vaticinio ad eius sententiam emendato describuntur. At quomodo carnes a patre comesae apparere etiam possunt? Nam comesae carnes sunt σάρκες βεβρωμέναι, non gustatae, ut vertit Keckius: quod si Aeschylus exprimere voluisset, verbo γεύεσθαι ut in v. 1176 ita hoc loco usus esset. Nihil igitur ita ad rem expediendam affertur. Sed mea sententia lectio vulgata causis a Keckio adhibitis omnino impugnanda non est. Recte iam scholiasta adnotat: φαντάζεται γὰρ ὁρᾶν τὰ σώματα τῶν ἀνῃρημένων παίδων Θυέστου: pueros solos vel potius eorum umbras (cf. v. 1172) Cassandrae apparere docet pronomen τάδε ad unum βρέφη appositum. Flent autem infantes et quae defleant cognoscit[26]) vates acribus sensibus praedita, caedem suam et carnem comesam, i. e. atrocem patris cenam. Neque vero in hac sententia sane insolentiore, qua pueri ea, quae post eorum mortem facta sunt, conqueri dicantur, haerendum esse comparatio vv. 1171 sqq. docet, ubi Cassandra se pueros ipsorum carnem et viscera manibus tenentes, id quod ipsum quoque revera fieri nequit, se videre pronuntiat. Quod autem ad verborum constructionem attinet, satis habeo Lobeckii iudicium apponere (ad Aiacem² p. 131 n.*, ed. III p. 108 n.*): „ὁρῶσα", inquit, „suppleri potest, sed et μαρτυρεῖ et alia, estque haec non grammatica ellipsis, sed rhetorica, quam nos notis orationis abruptae et concisae significare solemus", quaeque his addit Schneidewinus cum dicat, Aeschylum consulto non dativo, qui exspectetur, usum esse, sed nominativo vel accusativo nescio unde pendente, ut Cassandra atroci imagine perterrita orationem suam

[26]) Idem facere Cassandram Keckii ipsam quoque pueros caedem conqueri pronuntiantem leviter tango.

quasi de integro incipere videretur. Quibus cum plane assentiar, coniecturae locum in his verbis non esse et stropham ad antistrophàe traditae normam castigandam esse mihi persuasum est.

Ordiamur autem a tertio strophae versu, cuius vitia leviora videntur esse. Cum Dobraeo[27]) et Dindorfio enim sic scribendum eum puto esse

ἀνδροσφαγεῖον καὶ πεδορραντήριον,

ut adiectiva evadant ad domum pertinentia, quam homines vel viros vel virum trucidantem et solum (sanguine) irrigantem nominat Cassandra. In hac emendatione, quae mutationum facilitate commendatur, me non cum Ahrensio aliisque offendi confiteor eo, quod domus ipsa *πεδορραντήριος* vocatur. Namque inflammatae vatis orationi summo cum ardore pronuntiatae et a cotidiani sermonis legibus satis abhorrenti hoc insolens genus dicendi condonandum mihi videtur esse atque hoc quidem eo magis, quod alterum quoque epitheton iuxta positum, si verum quaerimus, non tam ipsi domui, quam hominibus in ea habitantibus tribuenda est. Alii coniecerunt alia; sed cum omnes in eo consentiant, ut Cassandram homicidium in Atridarum aedibus perpetratum et sanguinem profusum significantem faciant, omnia eorum conamina enumerare supervacaneum est. Accuratius porro examinandus est versus alter, quem codices sic praebent

αὐτοφόνα κακὰ καρτάναι.

His igitur syllabam unam deesse docet antistropha, ad quod vitium tollendum viri docti varias vias ingressi sunt. Primum enim sunt qui hunc versum gravius corruptum esse negantes syllabam desideratam alii aliam addant neque in reliquis quidquam commutent nisi *ἀρτάναι* in *ἀρτάνας* vel *ἀρτάναν,* quem accusativum ex adiectivo *συνίστορα* antecedentis versus pendere volunt. Hermannus igitur aliique scribunt *αὐτοφόνα τε κακὰ κἀρτάνας*[28]) similiterque Weilius in maiore editione *αὐτ. κακά τε κἀρτάνας*, Dindorfius autem *αὐτοφόνα κακὰ κὰκ' ἀρτάνας*. Severius nostrum locum castigat Keckius. Negat

---

[27]) cf. hanc Dindorfii adnotationem: „Hoc (sc. Dobraei emendationem *ἀνδροσφαγεῖον*) qui probat, etiam *πεδορραντήριον* conicere poterit. Sed servandum videtur *ἀνδρὸς σφαγεῖον* adscita Pearsoni emendatione *πέδον ῥαντήριον*.

[28]) Antea Hermannus maluit *αὐτ. κακὰ καὶ ἀρτάνας*.

enim *συνίστορα* cum accusativo obiecti coniungi posse;[29]) itaque ab *αὐτοφόνα* novum enuntiatum incipere censet, qua re praeterea interpunctionem verborum in utraque stropha consentientem efficit, quem consensum per totum hoc carmen commaticum animadvertisse sibi videtur. Denique nititur interpretatione scholiastae huic versui adiecta: *ἀντὶ τοῦ ἀγχόνῃ*, qua illum quoque verbum *ἀρτάνῃ* legisse indicetur. Quibus de causis ita legi iubet

αὐτοφόνα κάκ' ἔδρακ' ἀρτάνᾳ[30])

quae vertit: es (sc. domus) sah (erlebte) Selbstmord mit der Schlinge. Sed haec coniectura prorsus reicienda mihi videtur. Primum enim haud scio an suspicionis ansam praebere possit forma *ἔδρακε*. Quamquam enim perfectum *δέδορκα* saepius apud Aeschylum et Sophoclem invenitur,[31]) aoristi secundi formarum apud Sophoclem exstat nulla, apud Aeschylum bis (Ag. 580 Eum. 34) infinitivus *δρακεῖν*; indicativum *ἔδρακον* inter tragicos primus, quantum hodie nos scimus, Euripides (Or. 1456) adhibuit; inde forte quis colligat, ab hoc demum hanc formam in tragicum sermonem receptam esse. Sed multo vehementius me offendit dativi *ἀρτάνᾳ* cum adiectivo *αὐτοφόνα* coniunctio, quae etiam obscurior fit verbo *ἔδρακε* interposito: in tali verborum collocatione *ἀρτάνᾳ* commode vix cum alia voce conecti possit, nisi cum antecedenti *ἔδρακε*, id quod nimirum sensu caret. Contra causis, quibus commotus ad coniecturam confugit vir ille doctus, multum ego non tribuam. Etenim primum quamquam scholiastam iam in libro suo dativum *ἀρτάνᾳ* legisse eius adnotatione confirmatur, Aeschyli manum inde certe non cognosci quis est qui neget? Deinde inter *ἄπορα πόριμος* (Prom. 902) vel *πολλὰ συνίστορα* et structuram adiectivi *συν-*

---

[29]) Idem ante Keckium professus est Klausenus: „*συνίστορα* accusativum non magis regere potest quam *συνειδέναι*." De verbo *συνειδέναι* quo iure hoc dictum sit, docent loci huiusmodi: *εἰς τὴν πατρίδα εὔνοιαν ἐμαυτῷ σύνοιδα* (Dem. p. 1472, 16). *ξύνοιδ' ἐμαυτῷ πολλὰ δεινὰ* (Aristophanes Thesmophor. 477). *οὐδὲ σύνοιδέ σοί τις ἔχθεσιν τέκνου;* (Eur. Ion. 956 N).

[30]) In sequentibus Ahrensii coniecturam amplexus est

κἀνδροσφάγ' ἰὸν γαπέδου ῥαντήριον.

[31]) cf. Veitsch, Greec verbs[4] 1879 pag. 176.

ἵστορα a plerisque hic comprobatam, a Keckio autem impugnatam, cuius certum exemplum apud Aeschylum nullum amplius invenitur, aliquid interesse hoc concedo: sed restat Sophocleum *φύξιμός σε* (Ant. 786), quo qui *συνίστορα* cum accusativo obiecti ponit, satis defenditur. Quod autem de interpunctione stropharum binarum inter se respondentium dicit Keckius, hoc potius hariolatus est. Namque vel in textu verborum ab ipso edito, qui a codicum scriptura plus quam semel recedit, incisiones, ut facile quicumque eius editionem inspicient sibi persuadebunt, tantopere dissentiunt, ut quae consentiunt, non legi per totum carmen commaticum consulto servatae, sed mero casui deberi liqueat. Quare in rebus criticis argumentum inde repetitum spernendum esse dico atque contendo.

Haec ipsa, opinor, ad emendationem illam refellendam sufficiunt. Sed accedit alterum, quod non modo huic sed omnibus simul lectionibus adhuc commemoratis adversatur. Quaeritur enim — hoc autem, quod ad nostram rem attinet, in hoc loco gravissimum est, — ille laqueus primum quid significet, deinde num omnino hoc loco ferri possit.

Primum enim apparet et inter omnes constat, nostro loco in tali verborum conexu laqueo commemorato nihil aliud significari posse nisi aliquem e Pelopidarum gente suspendio ipsum sibi mortem conscivisse. Hoc autem si fabulas ad nostram aetatem servatas respicimus de una Hippodamia intellegi potest, quam cum Pelops de Chrysippi morte argueret, ipsam se interfecisse tradit Hyginus (fab. 85). Laqueo eam e more feminarum Graecarum fabulari historia celebratarum usam esse libenter concedo, quamquam traditum non est. Sed haec Hippodamia suspensa cum Chrysippi fabula, quam ab Aeschylo alienam esse mihi persuasum est et aliis persuadere studui, arte cohaeret. Deinde extra Atridarum aedes Argivas, in Elide, mortem obiit. Quibus de causis illa et ex hoc loco et omnino ex Aeschyli mythopoeia tollenda est contra sententiam Bothii, quem ceterorum editorum, quantum video, nullum secutum esse gaudeo. Sed quid protulerunt hi? De Aëropes morte cogitare nos iubent, neque tamen ego eos audire possum. Non eo nitor, quod de Aërope suspendio ipsius vitam finiente nihil testantur fabularum reli-

quiae.[32]) Namque si revera Sophocles, ut scholion Byzantinum ad Or. 812 tradit,[33]) ab Atreo eam propter adulterium necatam esse perhibuit, non inconsiderate factum esse dicerem, si quis ad laquei illius vim explicandam e fabula Sophoclea de Aeschylea eam coniecturam faceret ut diceret, testimonio Sophoclis constare Aëropen propter adulterium perisse; saepius autem in fabulis inveniri eiusmodi diversitates ut eundem hominem mortem obisse hi sua illi alius manu narrent. Quare cum ad verbum ἀρτάνη explicandum femina quae ipsa sibi manum intulit opus sit neque de alia nisi de Aërope cogitari possit, verisimile esse mortem eius ipsam a prioribus Sophoclem accepisse, mortis genus autem commutasse ita, ut quae apud Aeschylum et fortasse apud alios vel facinoris pudore vel vindictae timore sibi ipsa mortem conscivit, id quod ad fabulam accommodatissimam fore patet, eam ab Atreo irato in mare deiectam esse fingeret. Itaque rationes mythologicas huic sententiae virorum doctorum non magnopere putaverim obstare. At locus ipse accuratius examinatus clamare mihi videtur laqueum hic omnino abiciendum esse. Hoc duplici nisi fallor via demonstrari potest. etenim non solum ea interpretatione, quae laqueum defendentibus amplectenda est, toti loco, quo ἀρτάνη illa continetur, satisfieri non potest, sed etiam certae sunt causae, quibus illam vocem corruptelae deberi demonstretur. Primum igitur, quicunque ἀρτάνης vocem ad Aëropes mortem pertinere censent, iis ad singula certa Pelopidarum fata reliqua quoque referenda sunt; neque hoc onus respuerunt, quod feliciter se suscepisse arbitrantur. Atque in universum quidem primus Klausenus recte sine dubio statuit, hic praeteritorum tantum fatorum Cassandram rationem habere.[34]) Quare qui hac re neglecta huic caligini

---

[32]) Hanc ob causam Aëropen spectari primus negavit Emperius opusc. p. 128.

[33]) Ἀτρεὺς . . . ἀποχειροτονεῖ, ὅτι ἀδίκως ἐστέρηται τῆς ἀρχῆς καὶ ὅτι τὴν γυναῖκα Ἀερόπην τιμωρεῖται κατ' ἄμφω καὶ ὅτι ἐμοίχευσε Θυέστης καὶ ὅτι κέκλοφε τὸ ἄρνιον καὶ δέδωκεν αὐτῷ, ῥίψας ἐν τῇ θαλάσσῃ ἀπέκτεινεν, ὥς φησι Σοφοκλῆς, καὶ κτλ. Gu. I. cf. 16 Bar. Ga . . . καὶ ὅτι δὲ τοῦτο (sc. μοιχείαν πρὸς Θυέστην) κατὰ θαλάσσης ταύτην (sc. Aëropen) ἔρριψεν (sc. Atreus).

[34]) In annotatione ad Ag. v. 1051 ed. alt. p. 220: „Haec omnia (sc. stropha et antistropha tertia a Cassandra prolata) bene intellegit

lucem afferre studuerunt, eorum conamina omitti possunt. Sed audiamus aliorum interpretationes. Discernuntur igitur hoc loco *αὐτοφόνα κακά* et *ἀρτάνη*, deinde domus *ἀνδροσφαγεῖος* et *πεδορραντήριος* nominatur.[35]) Horum igitur quidque quid scelus significet, enucleandum est. Atque *αὐτοφόνα κακά* primus Klausenus domesticas caedes recte intellexit,[36]) quam sententiam plerique amplexi sunt: designari autem caedem puerorum Thyestae, ut antistropha diserte indicetur. Deinde laqueum esse Aëropes vitam detestantis modo vidimus. Iam existit haec difficultas: quis est vir in Atridarum domo olim trucidatus? De Myrtilo compluribus de causis cogitare vetamur, neque quisquam, ut videtur, cogitavit. Immo nova fabula patefacta, quam e vestigiis apud Homerum et Aeschylum dispersis longa commentarii sui adnotatione elicere laborat, Klausenus has angustias aperire studet: Atreum enim liberis mactatis a Thyeste interfectum esse existimat. Sed supervacaneum est, haec singillatim perstringere. Namque supra intelleximus eiusmodi fabulam ab Aeschyli mythopoeia alienissimam esse, ut viri illius docti commenta, quae avide nonnulli arripuerunt, ultro corruant. Ut autem illi fabulae alia felicius excogitata substitui possit, hoc futurum esse despero. Quare quod in una parte frustra tentamus, ut scelera verbis singula singulis respondentia investigemus, hoc omnino iure nos tentare, quamquam nonnulla huic consilio favere videntur, praefracte nego.

---

chorus, intellegit eam esse vatem acutae mentis (1052), prolatam existimat hac praesagitione famam eius propheticam (1057); patet igitur haec omnia esse scelera iam pridem perpetrata, omnibus nota (*πᾶσα γαρ πόλις βοᾷ*). Simulac de consiliis a Clytaemnestra paratis dicit Cassandra, chorus haeret (vv. 1064. 1074) neque amplius se intellegere profitetur." cf. Emperius op. p. 128.

[35]) Lectionem a me probatam in textu sequor, simulque denuo moneo omnes criticos qui *ἀρτάνη* servant insequentia formare ita, ut vir mactatus et solum conspersum deinceps commemoretur. Unus Keckius exceptus est (cf. p. 448 n. 30), de cuius mutatione satis multa verba fecisse mihi videor.

[36]) cf. eius adnotationem ad v. 1050 ed. II p. 218 sq. de verborum *αὐτοφόνος, αὐτοκτόνος, αὐτοσφαγής, αὐτοφόντης* (Eur. Med. 1269) significatione vide Klausenum l. l., Lobeckium et Schneidewinum ad Soph. Aiac. 841 sq. Verbum *αὐτοφόνος* per se significare posse „qui se ipsum interficit" non cum Klauseno negaverim.

Huic causae per se opinor satis firmae duae leviores san· addi possunt. Primum enim moneo interpretationi verborum *αὐτοφόνα κακά* modo commemoratae, quamquam ipsis verbis optime accomodata est, tamen obstare id quod caedes Atrei deinde significata non minus in domesticarum caedium numerum referenda est. Quare quo iure duarum eiusdem generis rerum uno loco iuxta positarum alteram totius generis alteram suo proprio nomine appellatam esse statuamus? Perspicuus sermo ita non evadit, cum re secundo demum loco tacta qui audiunt discant verbis antecedentibus *αὐτοφ. κακά* non, ut debuit, et liberos mactatos et Atreum occisum significari, sed illos tantum.

Deinde illud *πεδορραντήριον* vel *πέδου*, *πέδοι* vel *πέδοι ῥαντήριον*[37]) — nam haec omnia a criticis prolata sunt — in ea de qua disserimus, huius loci interpretatione concinnae orationis legibus adeo non respondet et tam languidum est, ut neminem adhuc, quod videam, hac re offensum esse mirer. Neque enim aliter *πεδορραντήριον* cum *ἀνδροσφαγεῖον* particula *καὶ* coniunctum est atque in secundo versu *αὐτοφόνα κακά* et *ἀρτάνη*, ut verborum structuram nobis spectantibus tribus prioribus membris illud quartum aequale adiungi videatur. Quare exspectandum esset, ut quam illis ad certa quaedam scelera relatis tribuerunt viri docti vim, ea in hoc quoque membro inveniretur. Sed haec spes vehementer fallitur. Si revera Aeschylus cogitavit Cassandram praeterita Pelopidarum fata breviter adumbrantem hoc loco facere, ad hoc efficiendum illud *καὶ πεδορραντήριον* nullius momenti est neque ad aliam rem utile videtur nisi ad versus numeros complendos: ad tales autem artes confugere Aeschyli ingenio, qui ipsa verborum gravitate omnes superavit, indignum esset. Quamobrem qui illam interpretationis viam rectam ducunt, iis hoc saltem vitium submovendum est, tertii versus verbis artius inter se coniungendis, ut quod nunc sensu tantum indicetur, Thyestae liberis et Aëropes laqueo unam rem tertio loco addi, hoc oratione quoque appareat velut Ahrensii coniectura, qui aliis sane causis commotus haec promulgavit ita: *κἀνδροσφάγ' ἰὸν γαπέδου ῥαντήριον.*

---

[37]) Ita Klausenus scribit vertitque: solum conspersum; passivam hanc adiectivi *ῥαντήριος* notionem tolerari non posse iam Ahrensius iudicavit.

At, dicat quispiam, valde mihi eiusmodi coniectura placet neque ego affirmaverim nostram fabulae Aeschyleae cognitionem tam plenam esse, ut cum nos quo ἀνδροσφαγεῖον referendum sit ignoremus, omnino nihil esse iure statui possit. Concedamus hoc, quamquam minime probabile est, sed statim spero nos aliunde nobis causas accrescere visuros esse, quibus eiusmodi interpretatione singula scelera investigante huius loci consilium omnino non illustrari, sed obscurari demonstretur. Neque enim Cassandra his tribus versibus id agere potest, ut singula certa scelera significet. Probari autem haec sententia mihi videtur posse sic. Primum Cassandra e visione haec se concludere aperte dicit (μαρτυρίοισι γὰρ τοῖσδ' ἐπιπείθομαι). Quid vero tandem ex hoc viso colligere potest? Mea sententia duas tantum res aut in domo illa pueros istos revera mactatos et patri appositos esse, aut in universum scelera atrocissima et caedes foedissimas perpetrari potuisse in impia eiusmodi domo, ubi vel pueri a patruo occisi et a patre comesi essent. Plura autem ne vatem quidem inde colligere posse censeo. Nam etiamsi sensibus praedita sit multo acrioribus quam ceterorum mortalium sunt, ut res his occulta auribus et oculis percipere facile possit, tamen colligere e visis suis non alia potest atque ratio sinit: sunt enim certae leges, quibus, ut recte cogitetur, obtemperandum est, menti constitutae quas qui migret eum non iam ratiocinari sed hariolari profitemur, sive homo est unus e multis, sive vates vel deus. Quare Aeschylus cum vaticinantem Cassandram facere possit quaecunque vult, colligentem eam facere non debet alia atque hominem sanum, aut illa omnino non colligit, et absurdum est hoc modo coniciendi artis nomine abuti.[38]) Deinde nescio quis dixit, de suspendio hoc loco cogitari non posse propterea quod sanguinem profusum Cassandra investiget. Tum quae chorus post priores tres Cassandrae versus respondet (1047 sq.), eam ut canem naso sagacem odorari, quorum sanguinem inventura sit, haec dici non iam potuerunt, si antecedentibus singula scelera accurate

[38]) Luculenter hoc perspicitur in Keckii lectione, quem si audimus Cassandra e liberis Thyestae de Aëropes et Atrei morte coniecturam facit, cum de liberis ipsis ea nihil colligat.

significata erant,[39]) — id quod choreutas effugisse non verisimile est, — ut non iam de sceleribus investigandis, sed de investigatis loquendum esset. Eodem autem nisi fallor ducimur sequentibus chori verbis. Postquam enim Cassandra liberorum mactationem aperte significavit, eius vaticinium repellit chorus, cum dicat, praeterita vaticinantibus sibi opus non esse.[40]) Sed nonne mirum est hoc facere chorum, qui omnium veterum scelerum enumerationem patienter brevi ante tulit? Denique ut hoc quoque leviter tangam, parum eleganter inter *αὐτοφόνα κακά* et *ἀνδροσφαγεῖον* interpositum mihi videtur illud *ἀρτάναι,* cum ita duo scelera ipso nomine, tertium instrumento pestifero significetur. Quae cum ita sint, tandem aliquando hic scelerum catalogus mittendus videtur. Tum autem simul laqueus evanescit, qui nisi ad certam quandam rem referri potest stare nequeat. Varias autem coniecturas pro *καρτάναι* protulerunt viri docti. Emperius primum (op. p. 128) *κἀρτάμου* cum *ἀνδρός* coniungendum, deinde (op. p. 149) *καρατόμον ἀνδροσφαγεῖον* coniecit; deinde Kayserus *αὐτοφόνα κακὰ καρατόμα* proposuit, quibus Weilius *κρεατόμα* anteponendum esse censuit,[41]) cui novissimi Agamemnonis editores, Hensius et Gilbertus, astipulati sunt. Hi omnes autem ad Atrei scelus haec verba pertinere arbitrati in hac interpretatione ipsi in primi versus *πολλά* haerent et mea quidem sententia rectissime. Nam si revera Cassan-

---

39) Eadem est sententia Ahrensii l. l. p. 609 (sie wittert Mord und Blut im allgemeinen).

40) Chori verba, ut tradita sunt *ἦ μὴν* (*ἤμην* suprascripto *ἦμεν* cod. M. teste Weckleinio) *κλέος σου μαντικὸν πεπυσμένοι | ἦμεν, προφήτας δ' οὔτινας ματεύομεν* (*μαστεύομεν* M.) nunquam mihi placuerunt neque in eo eorum sensu, quem Hensius probare videtur: „Gehört haben wir schon früher von deiner Sehergabe, Seher aber verlangen wir hier zu Lande keine" acquiescendum esse putavi. Quare gaudeo, quod Weckleinius in censura Agamemnonis Schneidewinianae ab Hensio denuo editae in Fleck. Ann. 1883 p. 489 non modo idem iudicavit, sed etiam eum quem ipse quoque desideravi sensum restituit alterius versus *ἦμεν* in *τῶν πρίν* mutato, quod prioris versus *ἦ μήν* male repetito e textu amotum esse suspicatur. In editionis suae criticae textu vir ille doctus habet *ἦμεν κλ. σ. μ. π., ἡμὲν πρ. κτλ.*

41) In editionis maioris adnotatione critica ad v. 1033; recepit *κρεατόμα* in textum editionis Teubnerianae.

dra de Thyestiadarum tantum caede cogitat, illud *πολλά* satis mirum et eiusmodi „amplificatio" parum verisimilis est. Deinde huic explicationi idem obstare existimo, quod ad illam alteram adnotavimus, quod choreutae sceleris commemorationem primum accipiunt, deinde reiciunt. Quare cum Ahrensio pro *καρτάναι* verbum substituendum esse puto, cuius vis etiam latius pateat, ut haec prima Cassandrae verba non ad certam quandam rem referenda sint, sed scelerata tantum domus in universum perstringatur; simul ita illud *πολλά* multo facilius ferri posse apparet. Hoc consilio ductus vir ille doctus proposuit

|*αὐτοφόνα κακὰ καὶ ἄρταμα*[42])

quae vertit: „mordendes und metzelndes Unheil". Hac autem coniectura, quamquam ipsa prorsus reicienda est, cum contra leges metricas in versu iambico longa syllaba *καί* ante *ἄρταμα* corripiatur, tamen quod ad sensum attinet, rectam viam monstrari duco et hoc nobis praecipuum est. Nam si id tenemus, constat ad Aeschyli mythopoeiam illustrandam ex hoc loco fructus percipi non posse. Nimirum *ἀνδροσφαγεῖον* nihil esse potest nisi „homines trucidans". Nam quo iure Cassandra de viris tantum vel de viro cogitaverit, praesertim cum revera eiusmodi scelus ante Agamemnonis mortem in Atridarum domo commissum non sit? Verbum autem illud ipsum huic interpretationi non obstare iam Weckleinius (l. l. p. 125) dixit duobus locis comparatis (Ag. 974. Eum. 637 sqq.), ubi vel simplex *ἀνδρός* cum *αἷμα* coniunctum non de viri, sed de hominis sanguine dictum est. Bis igitur idem Aeschylus, si verum quaerimus, Cassandram de domo pronuntiantem facit, cum eam primum multarum caedium domesticarum consciam, deinde homines trucidantem et solum conspergentem appellet. Sed haec iteratio adeo non offendit, ut aptissima sit ad huius loci proprietatem; namque tanto domus nefariae taedio Cassandra correpta est, ut non satis multa verba ad eam damnandam congerere posse sibi videatur.

Sed haec hactenus. Iam satis longa digressione facta revertamur ad fabulam Aeschyleam, unde aberravit oratio. Etenim

---

42) Sic scribere iubet eos, qui in antistropha *τάδε* servari velint. Ipse illic *τά* hic *κἄρταμα* legit.

reliquum est, ut paucis in alterum Thyestae exilium inquiramus. Vidimus supra (p. 443 sq.) ab Agamemnone demum illum cum filio expelli, quod cur factum sit neque ex ipsius Aeschyli verbis neque aliunde perspici posse adnotat Schneidewinus. Quare quis Aegisthi orationis consilii memor suspicari possit Thyestem Atreo mortuo Agamemnonem regno privare conatum et propterea in exilium missum esse. Sed haud scio an coniecturam de hac re facere supersedere possimus, cum Aeschylus ipse viam nobis aperiat. Namque cum Agamemnon Aegisthum τυτθὸν ὄντ' ἐν σπαργάνοις fuget, paullo post illius ortum hoc factum esse elucet. Nonne autem verisimile est, has res, Aegisthi ortum et exilium, non casu eodem tempore accidisse, sed quia nexus qui dicitur causalis inter eas intercedit? nonne cogitari potest Agamemnonem, qui ipsum Thyesten nescio qua de causa non iam timeret, tamen ne filius modo natus olim sibi periculosus foret veritum ut hoc metu liberaretur patrem et filium expulisse? Profecto hoc loco castigatum illud „post hoc ergo propter hoc" recte adhiberi posse affirmaverim. Ad hanc sententiam optime accomodata sunt insequentia

τραφέντα δ' αὖτις ἡ δίκη κατήγαγεν.

Opponuntur ita inter se Aegisthus infans ab Agamemnone expulsus et Aegisthus a Iustitia reductus. Nonne aliis quoque in mentem venit his verbis significari consilium Agamemnonis quamvis callide et caute excogitatum tamen deae illius numine ad irritum redactum esse? Ac fortasse haec Thyestae Aegisthique exilii causa quondam in Aeschyli verbis apertius indicata erat. Quare nobis retractandus est versus

τρίτον γὰρ ὄντα μ' ἐπὶ δέκ' ἀθλίῳ πατρί.

Propter insolentem numerum liberorum quosdam traditum ἐπὶ δέκ' impugnasse supra (p. 434 sq.) vidimus, ubi simul cur haec sola causa ad traditam lectionem improbandam mihi sufficere non videretur exposui neque tamen omnino negavi huic numero vitium fortasse inesse, sed certa condicione eius emendationem mihi gratam fore professus sum. Sed virorum doctorum coniecturas perlustrantes mea sententia invenimus nullam, quae omni ex parte placeat. Τρίτον ἐπὶ δύ' ἀθλίοιν i. e. tertium ad duos miseros, qui mactati sunt, voluit H. L. Ahrensius, cui

Hermannus iure articulum ante δύ' ἀθλίοιν desiderari respondet. Praeterea hic praepositionis ἐπί usus dubitationem mihi movet, quod ea alibi ita usurpatur, ut numerus numero addatur veluti τρίτος ἐπὶ δέκα tertius decimus est. Alii ἔτι δυσαθλίῳ vel ἔτι τρισαθλίῳ πατρί commendarunt. Sed ego versus exitum ἀθλίῳ πατρί turbari non sinam, quia idem bis in Choephoris exstat (v. 975, 978 K).[43]) Non contemnendum praeterea est argumentum ab Engero prolatum, qui ἐπί et ἔτι in trimetris Aeschyleis nusquam sub ictum cadere demonstravit (Mus. Rhen. N. S. XI 1857 p. 449 sq.), quam legem et tradita scriptura, ne hoc omittam, et illis coniecturis violatam esse videmus. Denique iis nihil lucramur praeter tres Thyestae filios. Quare recte his omnibus abiectis aliam viam nuper ingressus est Weckleinius (Fleck. ann. 1883 p. 450), qui scribit

τρίτον γὰρ αὐτὸν ὄντα μ' ἀθλίῳ πατρί.

Αὐτόν autem aut interpolato ἐπὶ δέκ' oppressum esse aut casu perisse, ut lacunam quam invenit librarius istis verbis expleret. Sensus autem nisi fallor is est, ut Aegisthus dicat, iure se esse huius facinoris auctorem, nam semet ipsum ab Agamemnone quondam eiectum esse. Hoc si recte se habet, meo sensu pronomen αὐτός primum locum obtinere oportebat, quem quod nunc tenet τρίτος ad totius loci argumentum nullius momenti est. Tertiam deinde viam Hermannus et Weilius demonstrarunt potius quam ipsi ingressi sunt, quorum ille ἐπίδεχ' hic ἐπίτεκ'[44]), in quod ipse quoque olim incideram, proposuit. Neque tamen neminem eos quantum video secutum esse mirum est. Namque ἐπίτεξ, cum in uxore mox paritura aliis locis usurpetur, id quod Weilium quoque minime fugit, eam vim habere non potest quae

---

[43]) Etiam aliam inter Choephorarum et Agamemnonis locos similitudinem esse adnoto: cf. quae hoc loco leguntur τυτθὸν ὄντ' ἐν σπαργάνοις cum nutricis verbis Choeph. 736 K παῖς ἔτ' ὢν ἐν σπαργάνοις.

[44]) In textum editionis Teubnerianae Weilius coniecturam Margoliouthi recepit

τρίτον γὰρ ὄντα μ' ἔλιπε κἀθλίῳ πατρί κτλ.

Neque tamen ea, ut aliter atque antea de hoc loco iudicarem, commotus sum. Praecipue in ea id me offendit, quod Atreus huius enuntiati subiectum esse debet. Ceterum eandem coniecturam iam Emperius op. p. 134 proposuit.

hic postulatur: „ad ceteros natus“, idemque de Hermanni ἐπίδεχ᾽ iudicandum et ab omnibus, ut videtur, iudicatum est: etenim huic quoque vocabulo, si omnino esset, activa vis inesset, non passiva: „ad alios acceptus“. Quamquam autem his ipsis coniecturis adstipulandum non est, tamen sensus iis effectus optimus et mea sententia fortasse verus est. Quare denique coniecturam mihi liceat proferre, qua linguae legibus quantum video non violatis eundem sensum assequimur. Suspicor enim Aeschylum scripsisse

τρίτον γὰρ ἐπιτεχθέντα μ᾽ ἀθλίῳ πατρί κτλ.

quae in traditam formam corrupta esse videntur hoc modo: pro *ΓΑΡΕΠΙΤΕΧΘΕΝΤΑΜ* librarius a primo *Ε* in tertium aberrans exaravit *ΓΑΡΕΝΤΑΜ* litterasque omissas *ΕΠΙΤΕΧΘ* superscripsit. Hae deinde ab alio, qui pro obscuro *ΕΝΤΑΜ* legit *ΟΝΤΑΜ* et superscriptarum litterarum quattuor extremas iam oblitteratas invenit, falso loco post *ΟΝΤΑΜ* insertae et coniectura non ita difficili ad *ΕΠΙΔΕΚ* suppletae sunt.[45]) Notio autem verbi ἐπιτεκεῖν ad hunc locum aptissima est. Plutarchus in Phil. I dicit: ὃν (sc. Philopoemenem) ἐπιτεκοῦσα ἡ Ἑλλάς sensu non dubio. Ἐπιτεχθείς igitur non solum is est, qui post alios liberos, sed etiam is qui longo intervallo post alios nascitur, qui apud nos appellatur „Spätling“. Aegisthus autem ita ἐπιτεχθείς nominatus optime quadrat ad patrem aetate iam provectum, optime ad Agamemnonem iam patre mortuo regnantem, optime denique, id quod sane levissimum est, ad fabulam illam recentiorem, qua Thyestes e filia Pelopia Aegisthum procreasse perhibebatur. Deinde habemus ita causam, qua commotus Atreus Thyesten cum infante in exilium eiecit, in traditis versibus aegre desideratam, atque eam quidem, de qua supra cogitavimus. Simul ὄντα in duobus versibus deinceps sequentibus iteratum expellitur, quamquam huic rei me ipsum paene nihil tribuere vix commemorandum est. Denique pro tredecim filiis Thyestae tres tantum memoriae produntur, quorum duo mactantur, tertius patris vindex servatur.

---

[45]) Meminit librarius fortasse versus Promethei 772

τρίτος γε γένναν πρὸς δέκ᾽ ἄλλαισιν γοναῖς,

ut coniecit Schneidewinus.

Sed iam satis de Pelopidarum fatis dictum est. Nunc de genealogia eorum Aeschylea pauca addenda sunt, quae interpretes acerrime vexavit. A Tantalo[46]) et Pelope[47]) Aeschylum quoque gentis originem duxisse certum est. Neque minus constat, Atreum et Thyesten fratres[48]), filiosque illius Agamemnonem et Menelaum[49]), huius Aegisthum[50]) esse. Commemoratur praeterea Atrei uxor a Thyeste vitiata, nomine eius nusquam addito. Sed cum tragici inde a Sophoclis aetate quantum hodie videmus adulteram Atrei uxorem Aëropen uno ore nominent, non sine probabilitate videtur conici posse, idem nomen eius apud Aeschylum quoque fuisse. Sed hic quoque Plisthenes ille molestus invenitur, cui locum in Aeschylea genealogia assignare vehementer viri docti moliti sunt. Duobus autem locis eius mentio fit. Priore (1539) Clytaemnestra se pactione cum genio Plisthenidarum (*δαίμονι τῶν Πλεισθενιδῶν*) facta, ea quae ille iam perpetraverit terribilia — praecipue autem de Iphigeniae morte cogitat — probare se velle pronuntiat, dummodo in futurum domum relinquat, ut ea mutuarum caedium rabie liberetur. Altero (1573) Thyestes sic in eius gentem exsecratur

οὕτως ὀλέσθαι πᾶν τὸ Πλεισθένους γένος.

Hoc versu indicari Plisthenem Atrei patrem intellegendum esse dicit Welckerus (gr. Tr. II p. 678 sq.). Assentitur Klausenus, qui haec antiquissimae fabulae formae deberi arbitratur, nisus notione nominis *Πλεισθένης* (*πλέον* et *σθένος*) quod optime conveniat ad unum de Pelopis prole, quae patris imperium ab Elide Argos translatum tantum auxerit, ut penes ipsam summa inter Peloponnesiacos potestas esset.[51]) Longam adnotationem

46) Ag. 1425 *διφυίοισι Ταντα λίδαισιν.*

47) Ag. 1571 *μόρον δ' ἄφερτον Πελοπίδαις ἐπεύχεται.*

48) Ag. 1554 sqq. *Ἀτρεὺς γὰρ ἄρχων τῆσδε γῆς, τούτου πατήρ, | πατέρα Θυέστην τὸν ἐμόν, ὡς τορῶς φράσαι, | αὐτοῦ δ' ἀδελφόν κτλ.*

49) Ag. 60 *Ἀτρέως παῖδες* Agamemnon et Menelaus. Ag. 1554. 748 Agamemnon *Ἀτρέως γένεθλον.* cf. 878 ubi Clytaemnestra *Λήδας γενεθλον* vocatur; frg. 234 N. (Arist. Ran. cum schol. Rav.)

κύδιστ' Ἀχαιῶν Ἀτρέως πολυκοίρανε μάνθανέ μου παῖ

quibus sine dubio Agamemnon appellatur. de Anaxibia v. p. 326.

50) Ag. 1555.

51) Omisit vir ille doctus, quod in antiquissima fabula ipsa imperium non ab Elide Argos translatum est, sed semper Argis fuit. Quare in ea regni amplificatori, qui Klauseno ob oculos versatur, locus non erat.

de Plisthene conscripsit Keckius (in comment. p. 5), cuius sententia haec est. Inter Agamemnonis proavos Plisthenem collocandum esse v. 1539 docet, sed e v. 1573 concludendum est inter Thyestae maiores illum non fuisse, quia fieri non potest, ut se ipsum suosque hoc loco Thyestes exsecretur. Quare nihil relinquitur nisi ut Plisthenem Agamemnonis patrem esse dicamus, cumque Atreum Agamemnonis patrem Aeschylus diluci̇de nominet, Plisthenes nihil est nisi Atrei Thyeste fratre potentioris cognomen. Huius argumentationis prima quamquam recte sine dubio se habent, tamen consequentia non puto quemquam sibi persuasurum esse neque magis id quod contendit Keckius suam argumentationem confirmari loco Bibliothecae (III 2. 2. 1), quo Plisthenem ex Aërope in matrimonium ducta Agamemnonem et Menelaum procreasse narratur. Deinde, quod idem dicit scriptores veterum genealogicos de loco Plistheni in genealogia tribuendo inter se dissentire, hoc accuratius ita dicendum est: omnia quae de hac re ad nos pervenerunt testimonia Plisthenem Atrei filium nominare praeter unum schol. vet. in Pind. Ol. I 144, quod inter Pelopis filios eum enumerat, de cuius fide supra disputatum est. Sed etiamsi haec a me non recte affirmata sunt, tamen id manifeste apparet eos qui Plisthenem Aeschyleum pro Atrei patre venditare veliut illum Plisthenem Pelopis filium in suum usum convertere non posse, cum eodem loco Atreus et Thyestes inter eius fratres compareant. Illi adminiculo e veterum scriptis sumpto sententiam suam firmare omnino nequeunt, sed mera coniectura in totius antiquitatis consensu Atreo et Thyestae Pelopem patrem demunt. Sed quid faciamus? Nisi ad Keckii commenta confugere velimus, nihil aliud nisi illorum sententia, quamquam cum versu 1573 pugnare videtur, nobis relinquitur, nam tertium Aeschyli verbis vetatur. Sed priusquam e duobus illis malis minus eligamus, si forte alia via ad meliorem exitum pervenire possimus experiamur. Nam praeter ipsa Aeschyli verba nunc consulamus praecipuum eius fabulae fontem, Stesichori Orestiam[52]); fortasse enim quomodo ibi res se

---

52) Hoc carmine Aeschyli Orestiam, praecipue Agamemnonem, in multis rebus tanquam fundamento niti sagaciter demonstravit Robertus B. u. L. p. 149 sqq.

habuerit extricare indeque ad iudicium de Aeschyli mythopoeia faciendum paullulum consequi possumus. Etenim iam ante Robertum fuerunt qui Aeschylum Plisthenis memoriam Stesichoro debere existimarent.[53]) Habemus Stesichori Orestiae fragmentum[54]), quo Agamemnon *βασιλεὺς Πλεισθενίδας* nominatur.[55]) Atque Welckerus quidem ab avo illum hoc nomen duxisse censet, id quod saepe fieri nemo neget. Attamen hoc pro certo affirmaverim, nusquam patris clarissimi filium ab avo obscuro nomen duxisse.[56]) Atque valde obscurum fuisse illum Plisthenem, Atrei patrem, cuius ne umbram quidem in fabularis historiae reliquiis deprehendamus, hoc negari vix potest. Quare Welckeri sententia per se nullam probabilitatem habet. Deinde autem, qui mente non praeoccupata haec deliberet, Stesichorum ut saepe in hac quoque re Hesiodum secutum esse iudicabit, de cuius Plisthene certum testimonium habemus. Hoc iudicium haud scio an confirmetur eo, quod etiam in alia re ad Pelopidarum fata pertinente Hesiodum Stesichori auctorem fuisse non temere quispiam suspicetur. Cum enim viri docti recte iudicaverint, inter Pherecydem et Stesichorum qui non semel inveniatur consensum plerumque explicandum esse eo quod uterque scriptor Hesiodi vestigia legerit, Laodamiam quoque, Orestis nutricem, de qua inter eos convenisse traditum est[57]), Stesichorum ab Hesiodo accepisse non sine veritatis specie colligi possit. Denique hoc nutricis nomen genealogiae illius schol. Eur. Or. 5 servatae nos commonefacit, ubi Laodamia Thyestae uxor est. Hunc nominum consensum mero casui tribuendum esse non concedam atque eo minus, cum de nutricis illius nomine inter scriptores non con-

[53]) Schneidewin. ad Ag. 1527. Keck. p. 5 n.*

[54]) Bergk. p. l.[4] frg. 42. Plut. de sera numinis vindicta c. 10 p. 554 F.

[55]) Postquam iam Welckerus hoc fragmentum ad Agamemnonem pertinere recte iudicavit (gr. Tr. II p. 679), ad Orestem rettulit Schneidewinus (praef. in Electram Soph.[7] p. 16), quem refutavit Robertus, ad cuius disputationem eos qui haec legunt reicio (Phil. Unt. V p. 170 sq.).

[56]) Idem iudicavit Robertus l. l.; res ipsa tale iudicium postulare mihi videtur.

[57]) De Pherecyde cf. schol. Pind. Pyth. XI 25, de Stesichoro schol. in Aesch. Choeph. 714.

stet.[58]) Immo hoc nomen etsi ad varias personas translatum est, tamen ex eodem fabulae popularis fonte sumptum esse inde colligam. Ac profecto hoc optime convenit et cum iis, quae de illius genealogiae origine supra (p. 420 sq.) suspicati sumus, et cum iis, quae de Stesichori mythopoeia scimus. Namque illi cum Laconica necessitudinem intercedere verisimile nobis visum est, et Stesichorum fabularum Laconicarum saepe rationem habere inter omnes constat. Atqui in illo quoque stemmate Plisthenes Atrei filius est, quem ipsum quoque e Laconica in Triphyliam migrasse si non demonstrari at certe negari non potest. Quare vel inde fortasse quispiam argumentum quamvis infirmum repetat, quo ut illic ita apud Stesichorum quoque Plisthenem Atrei filium fuisse demonstretur. Quae cum ita sint, de hac re non iam dubitandum videtur esse quin apud Stesichorum ut apud Hesiodum Plisthenes Atrei filius et Agamemnonis pater fuerit. Et quomodo fonte suo Aeschylus usus est? Dimisit Plisthenem Agamemnonis patrem, nulla alia opinor causa commotus nisi quod in hac re cum Homero certare noluit neque fortasse potuit poëta Atheniensis cuius spectatores extorqueri sibi non sinerent Agamemnonem Homericum quem Atrei filium fuisse iam pueri in ludimagistri schola Iliadem legentes discebant. In aliis quoque rebus Aeschylum in Agamemnone Homerum respexisse viri docti iam dudum viderunt. Atque eundemne Aeschylum fabularum novarum minime studiosum non solum contra Homeri, sed omnium poëtarum ipso superiorum auctoritatem Plisthenem novum pro Atrei patre Pelopis loco venditasse arbitremur? Hoc ut concedam ab animo meo nullo modo impetrare possum. Immo, ut breviter dicam quid sentiam, res se habere mihi videtur ita. Ipsi Plistheni ex Aeschyli sententia in Pelopidarum genealogia certus locus assignandus non est. Locos autem illos, ubi ad totam gentem significandam Plisthenis nomen adhibetur, Aeschylus carmen Stesichoreum recordatus scripsit, ubi Plisthenidarum et Plisthenis gentis significatio sine dubio non semel de Agamemnone eiusque posteris, fortasse etiam de Menelao, siquidem eius mentio facta est, usurpata erat, ut

---

[58]) Arsinoen eam nominat Pind. Pyth. XI 25 (cf. quae de ea adnotavit Mayerus l. l. p. 40 n. 54), *Κίλισσαν* servarum nomine Aeschylus.

Atheniensibus qui tum erant certe notissima esset.[59]) Sane eiusdem rationis exemplum praesto mihi non est neque infitior vi quadam hanc viam patefactam esse. Attamen iis mihi anteponenda videtur esse, quas nisi fabula sine dubio Aeschylea perturbata ad bonum finem non perducere vidimus. Fortasse autem haec ratio a nobis flagitata aliqua saltem ex parte comparari potest cum alio tragicorum more a Wilamowitzio nuper tacto,[60]) quem ii secuti in fabularum ab aliis antea tractatarum narratione ne eas quidem res omittere solent, quas in ipsorum tragoediis longius persequi in animo non habent. Hanc autem verborum *Πλεισθενίδαι* et *Πλεισθένους γένος* interpretationem si tenemus, quod Aegisthus toti Plisthenis genti diras Thyesten imprecatum esse narrat, minime offendit, cum neque Thyestes neque Aegisthus hoc nomine comprehendantur. Immo *Πελοπίδαι* quo verbo Aegisthus paullo ante (v. 1571) utitur accuratius ita definitur artiusque circumscribitur. Neque in eo haerendum est, quod ad Menelaum, ipsum quoque Plistheniden, exsecrationis vis non pertinet: non aliter Teucer (Soph. Aiax 1389 sqq.) in utrumque Atriden exsecratur, quamquam eius preces in Agamemnone tantum eveniunt. Praeterea fortasse Aegisthus putare potest, Menelaum in itinere ipsum quoque iam perisse neque unquam rediturum esse: neque enim quae praeco de Menelao nuntiat (593—658) ita comparata sunt, ut huic spei valde refragentur.

Huic de Aeschylea fabula disputationi de Stesichoro pauca etiam addenda sunt. Etenim in Orestia eum prisca quoque Pelopidarum fata tetigisse verisimile est, quamquam demonstrari non potest, cum unum illud fragmentum huc pertinens, quo Plisthenis nomen servatum est, ad nos pervenerit. Sed fortasse coniectura hanc lacunam explere conari saltem nobis licet. Vidimus Aeschylum fabulas de Atreo et Thyeste omnes ita proferre,

[59]) Stesichori carmina Aristophanis etiamtum aetate ab Atheniensibus cantata esse docent Eupolis fr. 139. 361 (Kock.), ut Hilleri magistri mei comitas me docuit, et Arist. Pax 775. cf. Robertus l. l. p. 176. Fortasse Aeschylus eo, quod a Stesichori auctoritate recessit, commotus Aegisthum, ut in iudiciis fieri solebat, de suo Agamemnonisque patre *τορῶς φράζοντα* induxit, quamquam quae dicit ex Homero omnibus nota erant.

[60]) Herm. 1883 p. 224 n. 3.

ut iam ante annum 458 Atheniensibus eas notas fuisse colligendum sit. Unde igitur Aeschylus et ii qui spectabant hanc notitiam sibi comparaverunt? Huic quaestioni respondere omnino non auderem, nisi certis indiciis appareret, multas res cum ipsa Orestiae Aeschyleae argumento cohaerentes e Stesichoro fluxisse et eius Orestiam Athenis illa aetate vulgatam fuisse.[61]) Hoc sane in fabulis, de quibus nos agimus, demonstrari non potest. Sed e consensu in illis rebus observato recte puto colligi posse, ne cum fabulis quidem ab Aeschylo commemoratis, praecipue puerorum mactatione, Atrei uxoris adulterio, fratrum rixa, fortasse etiam agno aureo a Diana donato, ab Atreo non immolato, ea quae Stesichorus tradidit, non pugnasse. Imprimis hoc pro certo affirmari possit, Pelopidas quoque Stesichoreos ita comparatos fuisse, ut non contra Himeraei poëtae auctoritatem Aeschylus coram Atheniensibus gentem illam ignominia diris illis sceleribus contracta notaret.

Quoniam commentationem ad hunc finem perduximus, non supervacaneum videtur, eius summam breviter comprehendere. De Atreo et Thyeste Pelopis filiis quae feruntur fabulae in duo genera dividendae sunt, quorum alterum recentius acerrimas fratrum inimicitias et foeda scelera ab iis perpetrata narrat, alterum ab eiusmodi commentis liberum est. Huius generis antiquissimus testis Homerus est, apud quem post Pelopem Atreus et Thyestes alter post alterum Peloponneso imperant. Est haec fabula Achaeorum, quos etiam post migrationem Doricam in Peloponnesiacis sedibus Pelopidarum suorum gloriam a maculis illis integram servasse verisimile est. Sed recentiore illa fabula apud scriptores praevalente factum est, ut ex hoc genere praeter Homerum Olympicae tantum fabulae testimonium per Pindarum ad nos pervenerit.

Ad alterum fabularum genus formandum Dores multum valuisse videntur. Earum quasi summam Aeschylus in Orestia exhibet. Huic si recte de fabularum vestigiis per Orestiam dispersis disputavi-

[61]) cf. Robert. l. l. p. 176.

mus, nota sunt haec: Atrei votum, agnus aureus a Diana missus, votum ab Atreo non solutum qua re Dianae ira in Pelopidarum domum incenditur; deinde Atrei et Thyestae de regno certamen, Thyestae adulterium cum fratris uxore commissum, cuius auxilio agnum regni stabilimen fratri surripit, Thyestae exilium; tum duorum liberorum mactatorum cena Thyestae in patriam reverso ab Atreo apposita Thyestaeque in Atrei posteros exsecratio; denique Thyestes Aegistho nato iterum fugatus. Haec fabularum congeries sine dubio per longam epicorum carminum seriem paulatim composita est, sed eius amplificationem et uberiorem exornationem persequi non iam possumus, quia fragmenta desunt. Stesichorum, si quidem Atrei et Thyestae fata in Orestia tetigit, Aeschyleis similia in universum tradidisse verisimile est; fabulam de Atrei voto apud Pherecydem deprehendimus. In his autem fabulis quamquam eae recentiores in universum sunt, nonnulla insunt sine dubio antiquissima, praecipue agnus ille a Diana datus, qui primo minime pestifer est.

Ea aetate, qua harum fabularum, praecipue Dianae cum Pelopidis necessitudinis genuinam vim non iam intellegebant, Dianam mutabant Mercurio eo consilio, ut Pelopidarum fata cum Pelope ipso conecterent. Mercurii agnum perniciosum primum invenimus in Alcmaeonide; memorabilis haec fabula propterea est, quod per Euripidem et Sophoclem, qui eam receperunt, posteriore aetate vulgaris facta est. Utri autem horum generum fabula Triphylia ab Hellanico servata attribuenda sit, in dubio relinquendum est. Denique ad Atrei et Thyestae inimicitias recte intellegendas Odyssea viam nobis monstrat; videntur autem eae fictae esse ad exemplum inimicitiarum Agamemnonis et Aegisthi.

Sedes Argolicae, quas Pelopidae apud Homerum tenent, non in omnibus posterioris aetatis fabulis retinentur. Traditum nobis est, eos in Triphyliam (fortasse cum Minyis) migrasse, suspicati sumus Eleos quoque ut patrem ita filios sibi vindicasse. Idem fortasse alii fecerunt, de quibus nihil scimus. Sed praevalet fabula Argiva. Regnum quod apud Homerum Atreus a Pelope ipso accipit, in hac a Persidis ad eum transit (Thucydides) quibuscum Pelopidae affinitatis vinculo coniuncti sunt (Hesiodus? Pherecydes, Thucydides). Venerunt autem ex Elide in

Argolidem aut propter Chrysippi mortem a Pelope (Pisatico) fugati (Thucydides) aut a Sthenelo arcessiti (Apollodorus). Illam fabulam Triphylii quoque amplexi sunt, ut Pelopidarum in suos fines adventum explicarent.

Quod denique ad genealogiam attinet, optime eam e fabula Triphylia cognovimus. Sed cum hanc ad illam regionem accommodatam esse verisimile sit, aliis tribui non potest. Atrei et Thyestae pater apud omnes testes Pelops est. Ab Homero recedunt ii, qui Plisthenem Atrei filium, Agamemnonis et Menelai patrem in genealogiam inserunt. Commemoratur autem is apud Hesiodum, Stesichorum, in fabula Triphylia: umbram eius apud Aeschylum deprehendimus. Aegisthus Thyestae filius iam in Telemachia est. De uxoribus denique Atrei et Thyestae praeter fabulam Triphyliam testimonium exstat nullum. Aëropen Atrei uxorem Aeschyleam fuisse propter adulterium coniecimus: hoc si recte se habet, iam ante eum ab aliis, praecipue Stesichoro, hoc nomen usurpatum esse suspicandum est; sed nihil de hac re constat.

Haec igitur fabulae forma fuit, priusquam Sophocles et Euripides eam receperunt compluribusque tragoediis tractarunt, atque ex hoc fundamento nobis proficiscendum erit, cum quid illi in ea novaverint, extricare conabimur.

Appendix I.

Promisi supra p. 323 iudicium de Tzetzae fide factum exemplis nonnullis me comprobaturum esse. Interea in manus mihi venerunt Foersteri commentatio de fontibus locorum Tzetzianorum ad artis historiam pertinentium[1]) et nuperrime diligens Chr. Harderi dissertatio (de Ioannis Tzetzae Historiarum fontibus quaestiones selectae. Kiliae 1886.), ubi exempla plurima inveniuntur, quibus qua levitate Tzetzes fontibus suis usus sit luculenter illustretur.[2]) Quare dubitabam, num me hoc loco promissum exsolvere oporteret. Sed cum locorum a viris illis doctis congestorum longe plurimi e Chiliadibus sumpti sint, quas ἄνευ βίβλων et celeriter[2a]) se compilasse ipse Tzetzes profitetur, fortasse quispiam contra dicat ex his de ceteris eiusdem auctoris libris coniecturam fieri non licere. Itaque ut hunc scrupulum evellerem, e magno errorum numero, quos passim in omnibus Tzetzae scriptis deprehendi quicunque Tzetzen noverunt libenter concedent, eos saltem elegi et hoc loco enumeravi, qui Exegesis Iliadis locos quibus fabulae tractantur perlegentem me offenderunt.[2b]) His denique addidi Troicam genealogiam e Theogonia desumptam propter argumenti similitudinem, quae huic loco cum verbis Exegesis supra castigatis intercedit:

1. p. 59 H. = p. 781 B: *Ζεύς τις βασιλεὺς Αἰγίνῃ τῇ Ἀσωποῦ θυγατρὶ τῇ καὶ Οἰνώνῃ μιγεὶς κτλ.*[3])

---

[1]) Förster, Alcamenes und die Giebelcomp. des Zeustempels in Olympia mit einem Excurs über die kunstgeschichtlichen Angaben des Joh. Tzetzes u. Suidas: Mus. Rhen. XXXVIII 1883, p. 421 sqq.

[2]) cf. Harderus l. l. p. 2 sqq. Foersterus l. l. p. 428 sqq.

[2a]) Chil. VIII 182. 266. 525. X 367. XII 12. VI 407. 475. VIII 181. IX 751. X 339. XII 11.

[2b]) Omnes eiusmodi errores me investigasse non affirmo.

[3]) Quae sequuntur de Aeacidarum genealogia maxima ex parte e schol. Lyc. 53 sumpta sunt; accedunt nonnulla aliunde correpta.

Multi veterum scriptorum tradunt, Aeginam insulam primo Oenones nomen habuisse. Ipse Tzetzes hoc commemorat schol. in Lyc. 175: *Οὕτω γοῦν φυγάδα Θετταλικῆς Οἰνώνης ἤτοι Αἰγίνης τὸν Πηλέα φησίν, ἡ γὰρ Αἴγινα πρότερον Οἰνώνη ἐλέγετο ἀπὸ Οἰνώνης τῆς Βουδίωνος θυγατρός κτλ.* cf. schol. vet. ibidem: *Οἰνώνεια* (*Οἰνώνη* Lycophron ipse l. l. Paraphrasis *P* Scheer p. 17) *ἐκαλεῖτο ἡ Αἴγινα ἀφ' ἧς ἔφυγεν ὁ Πηλεὺς φονεύσας τὸν ἴδιον ἀδελφὸν Φῶκον.* Hoc autem loco Tzetzes femina et insula commutatis illi insulae nomen ineptissime indit.

2. Schol. in Exeg. p. 132 H. = p. 829 B: *Ἀσωπὸς ὁ Θηβῶν βασιλεὺς υἱὸς ἦν Ὠκεανοῦ βασιλέως, ἐξ ὧν οἱ ποταμοὶ οὗτοι ἐκλήθησαν· λαβὼν δὲ ὁ προρρηθεὶς Ἀσωπὸς πρὸς γάμον Μετώπην τὴν Λάδωνος θυγατέρα, καθά φησι Πίνδαρος, ἐκ ταύτης γεννᾷ Θήβην Κέρκυραν Αἴγιναν τὴν μητέρα τοῦ Αἰακοῦ Σαλαμῖνα Ἁρπινναν Νεμέαν Κλεώνην· ἀφ' ὧν αἵ τε πόλεις καὶ νῆσοι τὰς ἐπωνυμίας ἐκτήσαντο.* Agitur hoc loco de testimonio Pindari. Dubitari sane potest, num Tzetzes illius auctoritatem ad omnia quae de Asopo eiusque uxore et filiabus narrat pertinere velit, hoc tamen certum est, ex his verbis aut filiarum aut uxoris eiusque patris nomina pro Pindaricis habenda esse. Sed evolve Pindarum: verba invenies (Ol. VI 144)

Adhibuit autem primum schol. A ad Eur. Androm. 687 (= Aplld. III 12 6 7 cf. p. 413 n. 27), cui initii verba *Ζεὺς — Αἰακόν* debet et fortasse verba *ὃν* (sc. *Φῶκον*) *ἀνεῖλε Πηλεύς*, quibus mea sententia vetamur Apollodori locum pro Tzetzae fonte habere, cum ibi Telamon quoque facinoris particeps sit. Sed fortasse etiam hanc notam addidit recordatus Euripidis Andromachae versum 687; namque in ultimis quoque quae pertinent ad Neoptolemi uxores illam tragoediam eum secutum esse putaverim. Comparari denique potest schol. vet. in Lyc. 175 in textu laudatum. Thetidis parentes saepius nominantur veluti schol. Lyc. 869. Aplld. I 2, 7. Endeidis matrem in scholio Euripideo non invenit; neque enim unquam ibi eam nominatam esse docet Apollodorus; fortasse eam Plut. Thes. 10 Tzetzae suppeditavit: namque et non semel vitae par. in Exegesi citantur (veluti p. 30, 2 et 141, 22 H) et hoc uno loco praeter Tzetzen quantum video Chariclo Scironis uxor et Endeidis mater est. Denique Porthaonis mentionem e schol. Lyc. 452 fluxisse prodit error utrique loco communis: Eriboea enim omnium consensu Alcathoi Megarensis filia est qui Pelopem patrem habet ab Alcathoo Porthaonis filio diversus. Error unde natus sit, inde apparet

ματρομάτωρ ἐμὰ Στυμφαλὶς εὐανθὴς Μετώπα πλάξιππον ἃ Θήβαν ἔτικτεν.

Nihil igitur de Ladone, nihil de filiabus una Thebe excepta. E scholio potius huic loco adiecto suam Tzetzae doctrinam sumpsit,[3a]) id quod scholio comparato ultro apparet: *Στυμφαλὶς εὐανθὴς Μετώπα· Μετώπη Ἀσωποῦ μὲν ἦν γυνή, μήτηρ δὲ Θήβης, ἀφ' ἧς ἡ πόλις Θήβη προςηγορεύθη· διὰ τὴν οἰκειότητα οὖν, φησὶν ὁ Πίνδαρος, τὴν πρὸς ἐμὲ τῆς Μετώπης, ἥτις Θήβης μήτηρ τῆς ἐμῆς πατρίδος, ἕλκεταί με ἡ Μετώπη Ἀρκὰς οὖσα· τὴν δὲ Μετώπην φασὶ γήμαντα Ἀσωπὸν τοῦ Ὠκεανοῦ Λάδωνος οὖσαν θυγατέρα τεκνῶσαι Κέρκυραν Αἴγιναν Σαλαμῖνα Θήβην Ἅρπινναν Νεμέαν* (*Κεῶσαν* add. Vrat. D. recte Tzetzes *Κλεώνην*). Carmen ipsum Tzetzes ne inspexisse quidem videtur. Nam quod Thebe in catalogo filiarum in scholio quartum, apud Tzetzen primum locum tenet — hoc enim factum esse quia Pindarus ipse eam commemoret suspicari quispiam possit — id inde quoque explicari potest, quod initio scholii de illa agitur.

3. p. 38 H. = p. 768 B leguntur haec: *Πρίαμος ὁ Λαομέδοντος καὶ Λευκίππης υἱὸς κατὰ Φερεκύδη τὸν Σύρον ἱστορικὸν γήμας Ἑκάβην τὴν Δύμαντος τοῦ Ἠιονέως πολλοὺς μὲν υἱοὺς πολλὰς δὲ θυγατέρας ἐσχήκει· ἐπεὶ δὲ καὶ τὸν Πάριν Ἀλέξανδρον ἡ Δυμαντηῒς αὕτη ἢ κατά τινας τῶν ἱστορικῶν Κισσηῒς*[4]) *Ἑκάβη ἐκυοφόρει, τὰ συμβεβηκότα οὐκ ἀγνοεῖτε, τὸν ὄνειρον, τὸν δαλὸν κτλ.*

Sumpsit haec, ut Pherecydis commemoratio docet, e schol. M in Euripidis Hec. 3, ubi exstant haec: *Φερεκύδης γράφει οὕτως „Πρίαμος ὁ Λαομέδοντος γαμεῖ Ἑκάβην τὴν Δύμαντος τοῦ Ἠιονέως τοῦ Πρωτέως ἢ Σαγγαρίου τοῦ ποταμοῦ καὶ Νηΐδος νύμφης Εὐαγόρας.“ Γλαυκίππην δὲ ἔνιοι τὴν Ξάνθου τῆς Ἑκάβης παρέδοσαν μητέρα· Νίκανδρος δὲ Εὐριπίδῃ συνδραμὼν τὴν Ἑκάβην φησὶ Κισσέως.*[5]) Quid igitur est?

[3a]) cf. Harder. l. l. p. 2.

[4]) Haec ut adderet de Cisseo commotus est fortasse et exitu scholii in textu laudati et initio alius scholii versui 3 in cod. M apposito: *τὴν δὲ Ἑκάβην Ὅμηρος Δύμαντος, οἱ πολλοὶ δὲ Κισσέως.* Cogitari etiam potest de Hecubae Euripideae initio.

[5]) Non coniungendum esse *Πρωτέως ἢ Σαγγαρίου*, sed *Δύμαντος*

Leucippen de suo fragmento Pherecydeo intrusit secutus nisi fallor schol. Lyc. 18, ubi Leucippe sola Priami mater nominatur:

κατὰ τὸ μυθικὸν καὶ τὴν ἱστορίαν ὁ Τιθωνὸς ἀδελφὸς ἦν Πριάμου ὁμομήτριος· ὁ μὲν γὰρ Πρίαμος ἦν Λευκίππης, ὁ δὲ Τιθωνὸς . . . . ., ἀμφότεροι δὲ πατρὸς Λαομέδοντος. cf. schol. vet. ἀπὸ Ῥοιοῦς . . . . . ὁ Τιθωνός· ὁ δὲ Πρίαμος ἀπὸ Λευκίππης.

Apte annectitur hic alter Tzetzae locus, quo item Pherecydem laudat. Theogoniae vv. 450 sqq. (Matranga anecd. Graeca II, p. 593. Abhandlg. d. Berl. Acad. 1840 p. 160)

ὁ Λαομέδων δὲ λαβὼν διπλᾶς γυναῖκας ταύτας
Λευκίππην ἅμα καὶ Στρυμοῦν γεννᾷ καὶ τέκνα τάδε·
ἐκ τῆς Λευκίππης, ὥς φησιν ὁ Σύρος Φερεκύδης,
γεννᾷ τὸν Πρίαμον αὐτὸν μετὰ τῆς Ἡσιόνης
τὸν Λάμπην Ἱκετάονα σὺν ἅμα τῷ Κλυτίῳ.

Haec sola nobis legentibus mea sententia indicandum esset, et Leucippes et liberorum eius nomina a Pherecyde sumpta esse. At vehementer nos ita erraturos esse docet locus ille

---

. . . . ἢ Σαγγαρίου docet Apollodorus III 12, 5. 2: Ἑκάβην τὴν Δύμαντος ἢ ὥς τινές φασι Κισσέως ἢ ὡς ἕτεροι Σαγγαρίου ποταμοῦ καὶ Μετώπης. Deinde hac discrepantia monemur scholiastae doctrinam, quamquam scribit Φερ. γράφει οὕτως, non ex historico ipso fluxisse. Eodem ducimur comparatione schol. V. in Iliad. Π 718: Δύμαντος καὶ Εὐνόης νύμφης ὡς Φερεκύδης, Ἀθηνίων δὲ Κισσέως καὶ Τηλεκλείας. Haec nomina etiam deprehenduntur in schol. M. ad Eur. Hec. 3: [illegible] Ἡσιόνης καὶ Ἱπποθόης τῆς Ἐριχθονίου· Κισσέως φασὶ [illegible] [illegible] (?) καὶ Τηλεκλείας τῆς Ἰλίου Ἑκάβην καὶ Θεανώ. Hoc igitur cum altero scholio cod. M. ad unum corpus coniungendum videtur, ut easdem discrepantiae apud Homeri et Euripidis interpretem exstent. Quare haec fragmenta esse operis unius grammatici, qui fabularum discrepantias collegerit, suspicatus sim. Haec si recte se habent, apparet Pherecydis auctoritatem olim non ad Priami, Laomedontis filii, et Hecubae matrimonium, sed ad Hecubae parentes pertinuisse, quo illius quidem testimonium hodie quoque in schol. Hom. spectat alterumque apud utrumque scholiastam. Pherecydi denique tribuit Dindorfius verba Πρίαμος — Εὐαγόρας. Excipienda autem sunt sine dubio ἢ Σαγγ. κ. τ. λ. atque etiam καὶ Ν. ν. Εὐαγ. si quidem Sangarii uxor nympha illa est, quam Metopen vocat Apollodorus. Sed verisimilius sit, eam Dymantis uxorem Pherecydeam ducere ab Eunoe scholiastae Homerici non diversam, ut alterum scholion corruptum esse statuendum sit.

Exegesis cum hoc comparatus. Neque enim haec e recondito et nostra aetate perdito fonte fluxerunt, sed semet ipsum Tzetzes compilavit. Cum autem in Exegesis verbis quae revera Pherecydea essent, quae ab ipso addita, dignoscere non posset, factum est, ut id ipsum quod a Pherecydis auctoritate alienum esse vidimus, Leucippes nomen, in hunc locum translatum pro Pherecydeo venditaret. Deinde Priamum Laomedontis et Leucippes filium fuisse illic invenit; quare non dubitavit, simul cum illo fratres et sororem aliunde sibi notos hoc loco Pherecydi tribuere. Ita de versuum illorum origine et fide iudicandum esse mihi persuasum est. Confirmatur hac ratione, quod aliis argumentis commotus statuit Giske[6]), Theogoniam post Exegesin Iliadis conscriptam esse.

4. p. 95 H. = p. 804 B. Tzetzes tradit Cycnum Neptuni vel Apollinis filium fuisse, cum alii testes omnes Apollinem ignorent (cf. schol. vet. in Pind. Ol. II 147. schol. Il. *A* 38 AD; de Cycno Apollinis filio a nostro diverso cf. Ant. Lib. XII). Hoc quoque Tzetzae errori tribuerim ita explicando: narrat Tennae fabulam hoc loco secutus schol. Hom. *A* 38 AD[7]), et schol. Lyc. 282. In huius extrema parte commemoratur Tennen *υἱὸν Κύκνου λόγῳ, ἔργῳ δὲ Ἀπόλλωνος* fuisse; Achillem autem Cycnum et Tennen interfecisse, quamquam oraculum ei datum esset *μὴ ἀνελεῖν Ἀπόλλωνος παῖδα*, quae cum Tzetzes parum accurate legeret, Cycnum quoque Apollinis filium fecit.

5. Hoc agmen claudat Troica genealogia quam Tzetzes in Theogonia (vv. 431 - 465. Matr. anecd. Graec. II p. 592 sq. Abhandlg. d. Berl. Acad. phil.-hist. Klasse 1840 p. 159 sq.) praebet. Qua in componenda imprimis Homeri[8]) vestigia legit, nonnulla

---

[6]) Giske, de Io. Tzetzae scriptis ac vita, diss. in. Rostochii 1881 pp. 49. 55. 92. Eodem fere tempore Theogoniam et Exegesin scriptas esse iudicat Hartius de Tzetzarum nomine vitis scriptis, Fleck. Ann. 1881 vol. suppl. XII p. 40.

[7]) E scholio Homerico hausit Leucotheae et Polyboeae nomina; finem autem narrationis, qui cum ad Tenedi insulae nomen explicandum non pertineat in schol. Hom. desideratur, e schol. Lyc. addidit; hoc secutus praeterea Hemitheam cum fratre in cistam inici tradit. Hemitheam virginem nominant schol. BL et schol. Lyc. l. l.

[8]) cf. praeter nomina Theog. vv. 438—441 cum *Y* 219—222 et Theog. 444—46 cum *Y* 231—35.

autem de suo addidit, praecipue uxorum nomina quae apud illum desiderantur. E memoria autem videtur haec addidisse; namque ita puto factum esse, ut Trois et Capyis uxorum nomina, quippe quae ei scribenti praesto non essent, omiserit, quamquam facillime aliis fontibus, veluti Bibliotheca, adhibitis has lacunas explere potuit.

Praeterea res ab eo adiectae maximam partem notissimae sunt, quas non semel aliis locis tractavit. Sunt autem in iis nonnulla aliunde non cognita, sed ita comparata, ut suspicionem valde moveant. Accedunt errores aperti. De his, neglectis iis rebus quae recte se habent, pauca disseram. Et primum quidem stemma e Tzetzae verbis excerptum proponam, quibus ea adnotationibus adiungam, ad quae exponenda ipsius verbis non opus est. Litteris autem diductis nomina Homerica significanda curavi, ut quae Tzetzae additamenta sint dignosci possit.

Z e u s ⌣ Electra

D a r d a n u s ⌣ Arisbe Scamandri filia a)

E r i c h t h o n i u s ⌣ *Ἰδέα σύγγονος* b)

T r o s

I l o s ⌣ Ilios c) — A s s a r a c u s ⌣ Eiromene d) — G a n y m e d e s

L a o m e d o n ⌣ Leucippe — C a p y s ⌣ Strymo

P r i a m u s. Hesione. L a m p o s. H i c e t a o n. C l y t i o s. T i t h o n u s. A n c h i s e s ⌣ A p h r o d i t e

P r i a m u s ⌣ Hecuba Cissei f.

H e c t o r ⌣ Andromache Eetionis f. — A e n e a s ⌣ Creusa Priami f.

Astyanax — Laodamas — Ascanius.

a) Arisbe non Scamandri filia est, sed Teucri, cuius pater Scamander. cf. Steph. Byz. s. vv. *Τευκροί* et *Ἀρίσβη*.[9]) Lyc.

---

[9]) In schol. vet. in Lyc. 1303 sine dubio legendum est *Τεῦκρος*.

1306 sqq. cum schol. vet. 1306 (cf. Et. M. 143, 56 s. v. *Ἀρίσβη*), alii Bateam eam vocant; cf. Steph. Byz. s. vv. *Δάρδανος* et *Ἀρίσβη*. Apolld. III 12. 1. schol. V. in Il. *Υ* 236. Diod. IV 75. Dion. H. I 62. Utrumque nomen coniungit Tzetzes schol. in Lyc. 1306: *Ἀρίσβη* (e schol. vet.) *ἢ κατά τινας Βάτεια* (ex Apolld.) *θυγατὴρ τοῦ Τεύκρου τοῦ Κρητός, ἣν ἔγημε Δάρδανος κτλ.* et 29: *οὗ Σκαμάνδρου τὴν θυγατέρα Βάτειαν ..... ἣν καὶ Λυκόφρων Ἀρίσβην καλεῖ,* cuius scholii fons Apollodorus l. l. est; sed hic et in paraphrasi versuum 1302 sqq. (II p. 996 sq. nomen filiae ibi deest) Scamandrum patrem falso nominat. Idem error in Theogoniam translatus est. Ceterum in codicibus Scamandri nomen in *Σκαλάνδρου* (Matr.) vel *Σκαμάνου* (Bekk.) corruptum est.

b) Idea fratri Erichthonio nubens aliunde non est nota. Sed Idaea nympha Scamandri uxor et Teucri mater est apud Apolld. III 12, 1 (Tz. Lyc. 29). Diod. IV 75 et Idaeam Dardani filiam Phineus in matrimonium duxit teste Apolld. III 15, 3. Diod. IV 43, qui Scytharum regem Dardanum vocat.

Haec perturbans Tzetzes sua hariolatus videtur esse.

c) Ilios, quam *Ἴηλιν* editio Bekk. appellat, Ili uxor aliunde mihi nota non est. Aliam invenimus in schol. Eur. Hec. 3 M supra allato (not. 5). Num forte in hoc nomen Tzetzes incidit propter Ilion urbem ab Ilo conditam?

d) Haec *Εἰρομένη* non diversa videtur ab Hieromneme Apollodori (III 12, 2 3). Hoc vitium fortasse Bibliothecae exemplari a Tzetza adhibito tribuendum est. Apud Dionysium Hal. quoque (I 62) pro Hieromnemes nomine quod Kiesslingius Apollodorum l. l. secutus edidit, *εἰρομένης* codd. AB exhibent.

Gravis tamen error, quo versus 461 sq. a Matranga editi foedantur

Ἕκτωρ πρὸς Ἀνδρομάχην δὲ πάλιν λαβὼν γυναῖκα
τὴν παῖδα Ἠετίωνος Κιλίκων βασιλέως

codicis scriptori tribuendus videtur esse, cum Bekkeri editio pro falso *πρός* rectum *τήν* exhibeat.

In dubio denique relinquendum est cum hic quoque fluctuent editiones iudicium de hisce verbis (451 sqq.)

υἱὸς ἐγένετο Σκαμάνδρου, non quae edidit Kinkelius *Τεύκρου υἱ. ἐγ. Σκάμανδρος.*

ὁ Λαομέδων δὲ λαβὼν ἁπλῶς γυναῖκας ταύτας
Λευκίππην ἅμα καὶ Στρυμνοῦν (Ῥοιοῦν Bekk.)
γεννᾷ καὶ τέκνα τάδε·
ἐκ τῆς Λευκίππης κτλ.
ἐκ δὲ Ῥοιοῦς (Ῥοθοῦς falso Bekk.) τὸν Τιθωνόν κτλ.

Rhoeo et Strymno varia nomina Tithoni matris sunt (cf. schol. vet. in Lyc. 18. Apolldr. III 12 3 8: utrumque coniungit Tz. schol. in Lyc. l. l.). Quare levitatis Tzetzes accusandus esset, si, ut exstat in textu Matrangae, haec nomina iuxta posuisset neque significasset eiusdem ea mulieris esse. Sed fortasse haec quoque librario vitio danda sunt, quamquam non video causam, cur Rhoeonis nomen bis positum priore loco in Strymno mutatum sit.

Appendix II.

Non inutile mihi videtur esse ad scholiorum codicis Euripidei Monacensis (C. Dindorfii) pretium indicandum breviter exponere, qua re commotus supra p. 406 n. 14 dixerim fabulam de Pelope et Hippodamia quam post verba *ὁ Οἰνόμαος ἐβασίλευεν ἐν τῷ Λέσβῳ. εἶχε δὲ καὶ ἵππους ταχεῖς, οὓς οὐδεὶς ἐνίκησεν εἰ μὴ ὁ Πέλοψ· εἶχε δὲ ὁ Πέλοψ ἡνίοχον τὸν Κίλλαν* inde a *ἡ δὲ Ἱπποδάμεια* schol. Or. 990 C praebet, e Tzetzae commentario ad Lycophronem v. 156 fluxisse, ubi eadem inveniuntur. Namque hae narrationes ad verbum inter se consentiunt, nisi quod scholii verba compluribus locis corrupta sunt et apud Tzetzen nonnulla exstant quae in scholio desiderantur. Quare hoc consensu deprehenso primum existimabam Tzetzen ut saepe scholion Euripideum codice C quoque servatum exscripsisse et nonnulla aliunde correpta addidisse. Quamquam enim per se cogitari possit eum ipsum qui codicem C exararet verba illa, quae hodie Tzetzes solus habet, temere omisisse, tamen illam sententiam praeferendam esse arbitrabar, quia verbis *λαβὼν γὰρ — ἐλθόντος δὲ Πέλοπος*, quae in scholio desunt, male intrusis factum esse mihi videbatur, ut in Tzetzae verbis *λαβὼν δὲ — πειράζων αὐτήν* non recte narratio procederet. Sed hanc sententiam reiciendam esse intellexi, cum

inter codices a Muellero novissimo commentarii Lycophronei editore adhibitos unum [1]), Vitebergensem 2, invenissem qui textum scholio simillimum praeberet. Facillime autem res perspicietur e codicis illius et scholii Euripidei discrepantiis Tzetzae verbis, qualia edidit Muellerus, in adnotationibus additis.

Ἱπποδάμεια ἡ Οἰνομάου θυγάτηρ καὶ Εὐρυθόης τῆς Δαναοῦ θυγατρός [1]), ἡ καὶ παρὰ τοῦ ἰδίου πατρὸς ἐρωμένη καὶ διὰ τοῦτο μὴ ἐκδιδομένη πρὸς γάμον, καθὼς οἱ ἀκριβέστεροι τῶν ἱστορικῶν [2]) γράφουσιν, ἠρᾶτο καὶ παρὰ Μυρτίλου τοῦ ἡνιόχου τοῦ ταύτης πατρὸς [3]) υἱοῦ δὲ τυγχάνοντος [4]) Ἑρμοῦ καὶ Κλεοβούλης τῆς Αἰόλου ἢ Αἰοπόλου [5]) θυγατρός. Αὕτη τὸν Πέλοπα ἰδοῦσα ὡραῖον μετὰ τὴν τῶν ιβ' νυμφίων ἀναίρεσιν ἔρωτι τούτου κατέσχετο [6]) καὶ [7]) τῷ Μυρτίλῳ φησὶ συνεργῆσαι τῷ νεανίᾳ εἰς τὴν κατὰ τοῦ πατρὸς νίκην. Ὁ δὲ ταῖς χοινικίσι τῶν τροχῶν τοὺς ἥλους οὐκ ἐμβαλὼν ἐποίησε τὸν Οἰνόμαον ἐν τῷ τρέχειν ἡττηθῆναι καὶ ἀναιρεθῆναι παρὰ [9]) τοῦ Πέλοπος ἐκπεσόντων τῶν τροχῶν, ἢ ὥς τινες λέγουσιν ἀντὶ σιδηρείων ἥλων ἐμβαλὼν τῷ ἄξονι τοῦ ἅρματος κηρίνους καὶ οὕτως ἥττησε Πέλοψ Οἰνόμαον [10]), ἐδίδου γὰρ ὁ Οἰνόμαος τοῖς μνηστῆρσι τὴν Ἱπποδάμειαν ἐπὶ τῶν οἰκείων ἔχειν ἁρμάτων θεὶς πέρας [11]) τοῦ δρόμου καὶ [12]) ἔπαθλον τοῦ [12]) γάμου τὸν Κορίνθιον Ἰσθμόν, εἰ δυνηθεῖεν ἀφικέσθαι μέχρι τούτου. Αὐτὸς δὲ ὄπισθεν ἐλαύνων μετὰ δόρατος [13]) καταλαμβάνων αὐτοὺς ἀνῄρει. [14]) Τότε δὲ οὕτω νικηθεὶς δόλοις [15]) καὶ ἀναιρούμενος κατηράσατο τῷ Μυρτίλῳ γνοὺς τὴν ἐπιβουλὴν ἵνα ὑπὸ Πέλοπος ἀπόληται [16]), ὃ καὶ γέγονεν ὕστερον. Λαβὼν γὰρ Πέλοψ Ἱπποδάμειαν καὶ διερχόμενος ἐν τόπῳ τινὶ διψώσης αὐτῆς ἀνεχώρησεν ἵνα ὕδωρ αὐτῇ κομίσῃ. Ἀναχωρήσαντος δὲ τοῦ Πέλοπος Μυρτίλος ἐπεχείρει βιάζειν Ἱπποδάμειαν. Ἐλθόντος δὲ Πέλοπος καὶ [17]) διαβληθεὶς [18]) παρ' Ἱπποδαμείας [19]) ὡς βιάζων αὐτὴν ἢ ὡς οἱ πολλοί φασι πειράζων αὐτὴν ῥίπτεται παρὰ Πέλοπος περὶ Γεραιστὸν [20]) ἀκρωτήριον. Ὁ δὲ τελευτῶν ἀρὰς ἀρᾶται τοῖς Πελοπίδαις δεινὰς αἳ καὶ πεπλήρωνται ὕστερον, γεννηθείσης τῆς χρυσομάλλου ἀρνὸς [21]) Ἑρμοῦ βουλαῖς [22]) τοῦ Μυρτίλου πατρὸς ἐν τοῖς

---

[1]) Omitto Vit. 3, codicem recentissimum, qui in universum cod. Vit. 2 simillimus tamen duobus locis ab eo discrepat; vide notas 3 et 20.

Ἀτρέως ποιμνίοις, ὅθεν τὰ δεινὰ τῆς τραγῳδίας ἔπη. Ὁ[23]) *δὲ Γεραιστὸς ἀποθανόντος ἐκεῖ τοῦ Μυρτίλου Μυρτῷον*[24]) *πέλαγος ὠνομάσθη. Ὁ δὲ Πέλοψ εἰς Ὠκεανὸν ἐλθὼν καὶ Ἡφαίστῳ ἁγνισθεὶς λαβὼν Πίσσαν*[25]) *τὴν Οἰνομάου βασιλείαν καὶ τὴν Ἀπίαν*[26]) *Πελασγίαν λεγομένην Πελοπόννησον*[27]) *ὠνόμασε.*

[1]) *καὶ — θυγατρός* in schol. desunt. [2]) *ἱστοριογράφων* schol. [3]) *ἡνιόχου — πατρός* cum Sebast. Vit. 3, *ἡνιοχοῦντος τῷ ταύτης πατρί* rell. codd. et schol. [4]) *ὑπάρχοντος* schol. [5]) *αἰπόλου* Ciz. Vit. 1. 2. 3. *Αἰτωλοῦ* schol. [6]) *κατείχετο* Vit. 2. schol. [7]) *ἤ* schol. [8]) *μή* Vit. 2. schol. [9]) *ὑπό* schol. [10]) *ἡ ὡς — Οἰνόμαον* desunt in Vit. 2. schol. [11]) *πέλας* schol. *πέρας* coniecit Schwartzius de Hom. scholiis p. 455. [12]) om. Vit. 2. schol. [13]) post *δόρατος* schol. inserit *καί*. [14]) *ἀνῃρεῖτο* schol. [15]) *δόλῳ* Vit. 2. schol. [16]) *ἀνέληται* Vit. 2. schol. rectum *ἀπόλ.* coniecit Schwartz. l. l. [17]) *λαβὼν γὰρ — Πέλοπος καί* om. Vit. 2. schol. [18]) post *διαβλ.* Vit. 2. schol. inserunt *γάρ*. [19]) *Ἱπποδάμειαν* schol. [20]) *Γεραιόν* Vit. 3. [21]) *μᾶλλον καὶ τῆς χρυσῆς ἀρνός* Vit. 2. schol. [22]) *βουλῇ* schol. [23]) *ὁ* schol. [24]) *Μυρτῷον* schol. [25]) *Νῆσσαν* schol. emendavit Schwartz. l. l. [26]) *ἀππίαν* schol. [27]) *πελοπόνησον* schol.

Itaque cod. Vit. 2 et scholium in gravissimis rebus e quo numero corruptelas (8. 16. 21) et lacunas (10. 17) commemorasse satis habeo, contra reliquos libros Tzetzianos consentiunt, dissentiunt autem in levissimis tantum in quibus longum esse opus non est, cum et omnes ita comparatae sint ut ei qui codicem C scripsit tribui possint neque scholion usquam cum reliquis codicibus Tzetzianis Vitebergensis 2 auctoritatem impugnet. Cum autem codicem Vit. 2 ex alio codice Tzetziano descriptum esse constet, consensu eius cum scholio demonstratur hoc aut ex ipso Vit. 2 aut, si id propter temporis rationem — Vit. 2 enim Muellerus vel exeunti saec. XIV vel ineunti saec. XV, cod. C Dindorfius saec. XIV assignat — minus probabile videtur, e Vitebergensis 2 fonte fluxisse.

(In proximo dissertationum volumine continuabitur.)

Addenda et Corrigenda.

p. 310. Agamemnonis sceptrum a Chaeroneensibus illius aetatis cultum esse narrat Pausanias IX 40, 11, ubi de eius fatis hunc Homeri locum laudat. Quod idem dicit ab illis scipionem *δόρυ* nomi natum esse haud scio an hastae Pelopis a Pelopidis servatae nos commonefaciat, quam Euripides Iph. T. 823 sqq. commemorat.

p. 325 n. 7. Cum Cedreno Malalas consentit qui (ed. Ox. p. 117) scribit: *Σπάρτη . . . βασιλευομένη ὑπὸ Μενελάου υἱοῦ Πλεισθένους· ὅστις Μενέλαος ἀνετράφη εἰς τὰ βασίλεια τοῦ Ἀτρέως βασιλέως τῶν Ἀργείων, ἅμα Ἀγαμέμνονι υἱῷ αὐτοῦ· κἀκεῖθεν ἐλέγοντο οἱ δύο Ἀτρεῖδαι.*

ibid. v. 1 inf. pro p. 19 lege p. 323.

p. 327 n. 13 v. 1 inf. pro 25 l. 329.

" " " 14 " 8 sup. pro 19 l. 323.

" " " " " 12 inf. pro 20 l. 324.

p. 328 v. extr. pro 19 l. 323.

p. 333 n. 9. De scholio C in Eur. Or. 990 cf. quae exposita sunt appendice altera.

p. 401 n. 9. Haec iam typis expressa erant cum in manus mihi venit Musei Rhenani vol. XLI fasciculus primus, ubi (p. 134 sqq.) Wagnerus se in codice Vaticano Apollodori Bibliothecae etiam tum integrae epitomen invenisse narrat. Cuius partem ad Pelopidas pertinentem cum benigne vir ille doctus meo rogatu mecum communicasset, narrationem illam de agno aureo quam pro Apollonio Apollodoro tribuendam esse conieci revera in Bibliotheca locum habuisse vidi; ibi enim, ut hoc saltem dicam, fere eadem leguntur quae schol. Hom. *B* 105 AD et schol. Eur. Or. 812 AC traduntur. Eo minus assentiri possum Hardero (l. l. p. 4) qui arbitratur Tzetzen narrationi illi (Chil. I 436 sqq.) e schol. Gud. ad Eur. Or. 812 sumptae Apollonium testem male addidisse propterea, quod paulo antea (v. 431) de Simonide (cf. supra p. 335 n. 1) scholiastam Apollonii (IV 177) compilasset. Sed quamquam eiusmodi errorem Tzetzae tribui posse concedo, tamen et mea sententia per se probabilior mihi videtur et fundamentum quo Harderi iudicium nititur parum firmum esse arbitror. Etenim minime certum esse puto Tzetzen versus 431

doctrinam scholio Apollonii debere, quippe quam e scholio ad Euripidis Med. 5 fluxisse me iudice non modo negari non possit sed etiam paullo probabilius videtur, cum hic ut apud Tzetzen purpureus tantum velleris color commemoretur, illic autem vellus arietis modo album modo purpureum a Simonide significatum esse tradatur. Omnino autem errore, quo Tzetzes v. 431 scribens implicatur, monemur ut eum e memoria haec citasse censeamus fontis sive Euripidis scholiasta fuit sive Apollonii non memorem, ut inde Apollonii nominis explicatio derivari vix possit. In universum denique hoc addo quaestionem de fontibus Chil. I 415—468 ab Hardero nondum ad finem perductam esse, cuius rei demonstrandae hic locus non est. Ceterum quod de Apollodori fragmentis promisi, hoc me nunc non facturum esse profiteor, quia hoc labore Wagnerum epitomes Apollodoreae praesidio instructum et melius fungi posse existimo et functurum esse spero.

p. 408 verbis Euripideis ὅ τι γάρ κτλ. adnotationis numerus 16 addendus est.

p. 411 v. 11 sup. pro sumpta l. sumptas.

p. 426 n. 44ᵃ v. 1 sup. post 'illam' insere 'fabulam'. — Ad Eustathii locum in adnotationis fine laudatum cf. verba epitomes Apollodoreae (fol. 40) χρησμοῦ γεγονότος τοῖς Μυκηναίοις ἑλέσθαι βασιλέα Πελοπίδην μετεπέμψαντο Ἀτρέα καὶ Θυέστην.

p. 424ᵃ (§ 6) n. 1 v. 3 sup. pro Heckii l. Keckii.

p. 432 n. 8 v. 2 sup. pro κατά l. κάτω.

p. 435 v. 16 sup. post 'tangunt' ins. 'locos'.

p. 438 v. 10 inf. pro 'cauisae' lege 'causae'.

p. 464 v. 12 ante 'pugnasse' delendum est 'non'.

Denique commemoro appendicem alteram cum haec commentatio ita fere ut nunc est mense Martio anni 1885 summo philosophorum ordini universitatis Halensis proponeretur nondum scriptam fuisse.

Halis Saxonum, formis descripsit E. Karras.